2

# FASTI CARDINALIVM OMNIVM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CVM STEMMATE GENTILITIO
cujuſque Cardinalis, ac lemmate ex ſacris paginis deducto,
geſta annuente illius Cardinalis.

*Cum Indicibus Pontificum, PſeudoPontificum Cardinalium, PſeudoCardinalium tàm per nomina propria, quàm per cognomina familiarum: ac Rerum Notabilium, in quibus plura ſupplentur, & corriguntur omiſſa in corpore huius Operis.*

---

EMINENTISSIMO CARDINALI
IN ECCLESIA PRINCIPI

## FABRITIO SPADAE

D I C A T I.

---

*A V C T O R E*


## IO: PALATIO I. V. D.

*Collegiatæ S. Mariæ Matris Domini Plebano, & Archipresbytero ejuſdem Congregationis, Ducali Canonico, in Veneto Lycæo Iuriſprudentiæ, ac Patauij olim Sacrorum Canonum Publico Profeſſore, S. C. Maieſtatis Hiſtorico, Conſiliario, &c.*


O P E R I S
VOLVMEN SECVNDVM.

Ab Vrbano V. Rom. Pont. CC. vſque ad
Hadrianum VI. Rom. Pont. CC XX.


VENETIIS, M. DCCIII

Expenſis Gaſparis Bencardi Bibliopolæ Auguſtani.
*SVPERIORVM PERMISSV.*


Digitized by Google

II

Digitized by Google

# Eminentiſsimo Principi S. R. E. Cardinali

# FABRITIO SPADAE.

APprehende arma & ſcutum, exurge in adjutorium mihi EMINENTISSIME PRINCEPS, Ejus enim in ore Gladius, cui Stellæ in manu. Hiſtoriam defero non calamo expoliendam ſed capulo, & ſtilo ferreo; quod à vulnere forma, Sapientia immolet victimas ſuas *VT SVB IVDICIVM SINGVLA VERBA VOCET.* *Ovidius de Ponto.*

Ternos invoco gladios, Naturæ leges, quorum primus Honeſtatem annuit; ſecundus Iuſtitiam dirigit; Meritis tertius præmia diſtribuit. Sic veritas ſepulta repullulat ſicut Lilium, accincta gladio ſuper femur ſuum potentiſsimè. Gladiis quaſi corona conſurgunt Lilia; NON ENIM CORONABITVR, NISI QVI LEGITIME CERTAVERIT. Trino gladio terna reſpondent Lilia; quod in arenam numquàm exierint ſine victoria. Gladii evaginati, ſed incruenti; Eminent enim, dum imminent. Movent, ſi moneant. Non tumulant, ſtimulant, & ſolo fulgore, vitiorum umbras excutiunt.

*Terni gladij generis cum tribus Liliis. Cardinalis Spada.*

*2. Tim. 2.*

Sap. 2. SIT AVTEM FORTITVDO NOSTRA, LEX IVSTITIÆ. Signaturæ Clementia SS. D. N. Te ſolum præfecit, quod Gladios honeſtatis, ac iuſtitiæ cuſtodes Tuo in ſtemmate cubantes viderit, aſperſos Lilijs, ad terram licet inclinata cuſpide;
Iacobi 3. quia FRVCTVS IVSTITIÆ, PAX populi, maieſtas Regnantis, unde & LAVS TVA IN FINES TERRÆ. Hæc ſumma Gentium felicitas, ut apud te ille potentior, qui melior. Gladio præcingeris ſed in bonorum laudem, & malefactorum vindictam. Dum feruntur Gladij, metiuntur Lilia, & abſque adulatione inſcribitur, IVSTITIA ET PAX OSCVLATÆ SVNT. Si uno minime contenta gladio, ſuſtineat canticum, IVSTITIA PLENA
Pſal. 84. EST DEXTERA TVA. Surgent Lilia, cubant Gladij ac ſolo delinquentium rumore excitati, irruentem retundunt, ſolo propulſandæ iniuriæ voto parati. DOCTÆ MANVS Tuæ AD PRÆLIVM, POSVIT Sanctiſſimus VT ARCVM ÆREVM BRACHIA TVA.
3. Cant. Lectulum hic Salomonis SEXAGINTA FORTES AMBIVNT EX FORTISSIMIS ISRAEL: OMNES TENENTES GLADIOS, ET AD BELLA DOCTISSIMI: VNIVSCVIVSQVE ENSIS SVPER FEMVR SVVM PROPTER TIMORES NOCTVRNOS. In armis ergo otia tractabo, armabo litteras, ornabo arma, tanto humilior, quò voluminum pondere onuſtior, alieno fultus gladio quieſcam in Lilijs, maiora, meliora meditando.

Seruus Humil. Deuotiſs. Obſequent.

Joannes Palatius.

# VRBANVS QVINTVS PONT. ROM. CC.

VRbanus V. Electus 28. Octobris Anno Sal. 1363. Obijt XIX. Decemb. An. 1370. Eius adfuere comitijs.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Talairandus Ep. C. Albanus ex Io: XXII. & A Clem. 6.
2. Guido de Monteforti Ep. C. Portuenſis. Ex Clemente 6.
3. Ægidius Albornotius Ep. C. Sabinus Ex Clem. 6. & Innoc. 6.
4. Raymundus de Canilaco Ep. C. Præneſtin. Ex Clem. 6. & Innoc. 6.
5. Nicolaus Capoccius Ep. C. Tuſculanus. Ex Clem. 6. & Innoc. 6.
6. Androinus Alberti Ep. Oſtienſis. Ex Innocen. 6.

## Presbyteri Cardinales.

7. Hugo Monſtrius de Malmonte P. C. S. Laur. in Damaſo Ex Clem. 6.
8. Guillelmus de Agrifollio P. C. S. Mariæ Tranſtyberim. Ex Clem. 6.

Ex Innoc. 6.

9. F. Helias de S. Heredio P. C. S. Stephani in monte Cælio. B
10. Petrus de Monteruco P. C. S. Anaſtaſiæ.
11. Ægidius de Monteacuto P. C. S. Silueſtri, & Mar. tit. Equitij.
12. Fr. Androinus P. C. S. Marcelli.
13. Io: de Stanſaco P. C. S. Marci.
14. Petrus Iterij P. C. S. IV. Coronatorum.

## Diaconi Cardinales.

Ex Clemente. 6.

15. Guillelmus Iudicis D. C. S. Mariæ in Coſmedin.
16. Nicolaus de Reſſa D. C. S. Mariæ in Via Lata.
17. Petrus Monſtrius de Malmonte D. C. S. Mariæ Nouæ. C
18. Raynaldus Vrſinus D. C. S. Hadriani.

Ex Innoc. 6.

19. Guillelmus de Bragoſſe D. C. S. Georgij in Velabro.
20. Stephanus Alberti D. C. S. Mariæ in Aquiro.
21. Hugo de S. Martiali. D. C. S. Mariæ in Porticu.

## Epiſcopi Cardinales creati ab Vrbano V.

1 F. Anglicus ex P. C. S. Petri ad Vincula Ep. C. *Albanus*. Vide infra n. 17.

2 GVillelmmus Sudre ex P. C. SS. Io: & Pauli tit. Pammachii, Ep. C. *Oſtienſis*: vt in n. 6. D

3 PHilippus de Cabaſſole ex Presbytero Cardinali SS. Marcellini & Petri, Ep. *Sabinus*. Vide infra n. 9.

## Presbyteri Cardinales.



4. *Væ qui coniungitis domum, & agrum agro copulatis vſq; ad terminum loci.*
Eſai. 5.

M. F. Marcus Viterbienſis Ordinis Minorum Generalis Miniſter XXII. Genuæ creatus Anno 1359. poſt F. Ioannem de Buco legatus ab Vrbano V. pro pace ineunda inter Sabaudię Ducem & Marchionem Montisferrati, qua fæliciter confecta; in Hetruriam abijt vt Florentinos & Piſanos aſpero bello digladiantes componeret. Iuncta & in hoc virtuti fortuna. Hine ei tertia delegata expeditione in milites vagos Tranſalpinos,

nos, quos Societatis appellabant, diſperſit; itinerum ſecuritate reſtituta.

Hiſce legationibus occupato Marco; mandauit Vrbanus ſenioribus Ordinis Minorum, qui Auenione reſidebant, vt trium virorum nomina exhiberēt, ex quibus vnum moribus, ac doctrina celebrem eligeret in Cardinalem. Productis nominibus, quos illi tanto faſtigio credebant idoneos, nè loco impares viderentur, quos meritis iudicabant æquales; vel nè ipſi viderentur, Pontificis iudicio præcurrere; vel quod tacite non vnum, ſed tres expoſcerent in Cardinales; nō recta linea, ſed circulariter ſcripſere nomina. Vrbanus viſo circulo, in quo Marcus non erat: ſubridens inquit: *Vos ordinē peruertiſtis communem, Ego pariter veſtrum ſubuertam:* excluſiſq. tribus in circulo deſcriptis, Marcū Viterbienſem Miniſtrū Generalē. Anno 1366. Cardinalium promotione prima, vocauit ad purpuram Presbyteralem; tit. *S. Praxedis*, Theologus Rationalis plura ſcripſit teſte *Paulo Corteſio. A Marco Viterbienſi multa præclara geſta feruntur; eum maximè ab eo eſt lex certa negotiatoriæ præſcripta vitæ, ex qua minùs in agendo ſoleat animi excitari morſus. Scripſit ſummam caſuum conſcientiæ.*

Litterarum ſtudia vitæ ſanctitate illuſtrauit, & felicis memoriæ nomen tranſmiſit ad poſteros. Inter ſuos Cænobiarchas, nullam tulit legem, cuius ipſe periculum non ſubierit. Viterbij obijt, ad Minores ſepultus cum ſequenti epitaphio.

*Marcus Viterbienſis ex ordine Minorum Conuentualium Cardinalis ab Vrbano V. ob ſuam ingentem in omni virtute gloriam. Kal. Ianuarij, 1366. creatus. Viterbij vitam Vir ſanctitate vitæ conſpicuus obiens, nomen ſuum immortalitati conſecrauit. Anno Virginei Partus MCCCLXIX.*

*Quam tibi plus Marce longè huic Vetuloniæ dedit*
*Nam tu illi eſſe dedit: ille benè eſſe tibi.*

Si vera profert epitaphium circa tempus eius creationis in Cardinalem; non fuit aſſumptus cum reliquis. De eo lege Chron. Minorum. Lib. Conformitatum S. Antoninum *par.* 3. *tit.* 14. *c.* 10. Felinum. *c. cum dilectam. De Reſcrip.* Tiraquel. *De iure primog.* Petrum Rudolph. *hiſtor. Seraph.* Ciaconium: Vvadingum: Iongellinum: Auberij.

5. *Quàm tibi plus Marcelo... huic Vetulonia dedit nam tu illi eſſe dedit... benè eſſe tibi.*



PEtrus Tornaquincius Florentinus Presb. Card. *S. Marcelli*; ſi vera profert Martinellus ex M. S. *De Epiſcopis & viris illuſtribus Floren.* quod in celebri bibliotheca Horarij Morandi Abbatis S. Praxedis de Vrbe aſſeruabatur, in quo Auenione Tronaquincius ſepultus legitur ex ſequenti epitaphio.

*D. O. M.*

*Petrus Tornaquincius Florentinus P. C. tit. S. Marcelli, Obijt Anno Dom. 1383. Requieſcat in pace.*

Suſpectum tamen arguit dictum epitaphium, quòd in vita Vrbani V. Anno 1366. tres tantum leguntur Cardinales promoti ab Vrbano V. & inter eos minimè Tornaquincius. Inſuper quòd titulum *S. Marcelli* poſſideret Androinus de Rocha, & cum eo deceſſit Anno 1369. Succeſſorem habens Ioannem Fabri, qui vixit vſque ad Annum 1371. huicq. datus A ſucceſſor fuit Ioannes Epiſcopus, qui ad Annum ſuperuixit 1402.

De eo lege Ciaconium, Amiratum: Flotauantem Martinellum.

6. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Gal. 6.



M. F. Guillelmus Sudrè, diæceſis Tutellenſis ſecundum Frizonium, vel Lemouicenſis ſecūdum Andream Quercetanum in Vrbano V. Contrarium tamen docet *Appendix Bernardi Guidonis*, Ordinis Prędicatorum Theologus, & apud Toloſates Prouincialis B cuius meminit S. Antoninus *tit.* 23. *c.* 10. Ex Lectore Sacri Palatij Epiſcopus Maſſilienſis Fortanerio ſucceſſit Minoritæ Cardinali Rauennati. Presbyter Card. aſſumptus *SS. Io: & Pauli, tit. Pammachij* ab Vrbano V. die XIX. Septemb. 1366. Auenione, tandem Epiſcopus Card. Oſtienſis & *Veliternus*, An. 1366. Legatus abijt in Regnum Neapolitanum, vt Tarentinum Principem reconciliaret cum Duce Atriæ, voto potitus in Curiam rediit, litteris vacans & diuinæ contemplationi. Scripſit

*De Myſterijs S. Crucis,*
C *Epiſtolas plures in cauſa Fidei.*
*Quædam ad Logices Subtilitatem.*

Auenione Fato ceſſit 18. April. vel quarto Kal. Octob. An. 1373. apud Prædicatores ſepultus, ante aram principem, humili ſepulchro, ſub breui epigraphe. *Requieſcat in pace.* Reliqua tempus abſumpſit.

Ex hac cauſa, *Samſon* eſt appellatus, quod Collegio a ſe extructo, plures hæreticos moriens interfecerit; quàm ante viuus occiderat.

Eius memoria apud S. Antoninum *tit.* 23. *c.* 10. Chron. Prædicat. Ciaconium, Panuinium, Auberii. Nomenclatorem Cardinalium.

D.

7. *Væ duplici corde & labijs ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terrā ingredienti duabus vijs.* Eccl. 2.



GVillelmus de Agrifolio, nepos alterius Guilelmi de Agrifolio Cardinalis tit. *S. Mariæ Transtiberim* forma ſpecioſus, ſtatura decorus, cum ſuper cæteros emineret ab humero & ſurſum vt de Saule dicitur, optimæ famę, & conuerſationis honeſtæ, Annum vigeſimum

mum octauum vix attigerat, cum doctor Iuris Pontifici, & Papæ à ſiglis & epiſtolis, præter omnium expectationem Presbyter Cardinalis tit. *S. Stephani in monte Cælio* aſſumitur ab Vrbano V. ſolus in ſecunda promotione, Maſſiliæ habita quarto Idus Maii, An. 1367. in gratiam Guillelmi Senioris Cardinalis, qui arctiſſima amicitia etiam à puero iunctus cum Vrbano V. omnem lapidem mouerat, vt in Pontificem promoueretur.

Grauiſſima Aulæ negotia ſibi ab Vrbano delegata, abſoluit fæliciter præcipuè concordiam inter Tarentinum Principem & Ducem Atriæ, quorum cauſa Neapolim venit, *Appendix Bernardi Guidonis in* A *Vrbano V.* Vrbano defuncto promouit Gregorium XI. cuius mandato, teſte Cardinali de Turrecremata *ep. ad omnes Chriſti fideles*, Reuelationes S. Brigittę è Regū Sueciæ ſanguine genitæ, & Vultono Nericię Principi nuptæ, examinauit, probauit cum aliis Cardinalibus delegatis.

Promouit etiam Vrbanum VI. licet inconſtans ab eo declinans, quem elegerat, Clementem VII. Antipapam contra Vrbanum VI. legitimum Pontificem intruſerit in Sedem Petri, à quo in Germaniam legatus, vt Carolo IV. Auguſto, & Germaniæ Proceribus Clementem vti legitimum Chriſti Vicarium pingeret ad excluſionem & exauctorationem B Vrbani VI. Metis multo tempore moratus, repulſam ſubiit acerbam ab omnibus Germanis Vrbano benè affectis, quamuis ad eos acceſſiſſet cum commendatitiis Ducis Andium, Ludouici Frācorum Regis filii ad Carolum Imperatorem. Auenione aſſeruantur epiſtolæ ad Cæſarem; & Cardinalis de Agrifolio ad Clementem VII. Metis datæ, die 27. Iulii, quibus eum certiorem facit, ſe Catalauno diſceſſiſſe, vt Rauennatem Vrbani VI. legatum Metas properantem anteuerteret. Vitam Sciſmaticus perdidit in obedientia Benedicti XIII. AntiPontificis Petri de Luna, Idibus Ianuariis, Anno 1401. vt in Necrologio Collegij S. Martialis Auenionenſis. Cadauer humo C datum in templo eiuſdem Collegii, in ſacello S. Stephani, quod ipſe etexerat, & dotauerat, adiecto etiam duarum librarum millium legato. In eius tumulo nigri marmoris hoc legitur epitaphium.

Hic iacet Reuerendiſſimus in Chriſto Pater D. Guillelmus de Agrifolio, decretorum Doctor tituli S. Stephani in Cælio monte S. R. E. Presb. Card. qui obiit die XII. Menſis Ianuarii Anno à Natiuitate *Domini M.CCCCI. Anima eius in pace quieſcat Amen.*

Plura ſcripſit, præcipuè *Sermones in laudē B. Virginis.* Diuitijs ſupra modum abūdauit, hęres Guillelmi Cardinalis de Agrifolio patrui ſui, & dignitatibus auctus Eccleſiaſticis. Teſtimonium vaui ſplendoris D palatium eſt, quod Auenione nunc incolit D. d'Aubres. De eo ſcripſere Soareſius, Frizonius, Ciaconius, Andreas Victorellus qui contra Nomenclatorem, Guillelmum de Agrifolio Cardinalem *S. Stephani in monte Cęlio* diſtinguunt à Guillelmo de Agrifolio Cardinale *S. Mariæ Tranſtyberim.*

Quæſtio eſt inter hiſtoricos: an Guillelmus iſte Iunior, vel Guillelmus ſenior, Cardinalis vterq. de Agrifolio, tranſlatus fuerit ad Epiſcopatum Sabinum? Iuniorem aſſerit Frizo[illegible] Ciaconius, Panuinius: Seniorem verò Vghellus, [illegible]dimus *in Clemente 6. n. 18.* Cui ſuffragari videtur e[illegible]aphium, in quo *Cardinalis* dicitur, & non *Epiſcopus*.

Is ille Cardinalis dicitur, qui cu[illegible]qui plures ſtrati, ſaletariq; vacui ſeſſoribus pro ma[illegible]iſicentia præirent: interrogauit Rex Franciæ indign[illegible]ndus: *Nunquid Apoſtoli et pompa uſi eſſent?* Tum Card[illegible]lis: *Nequaquam* (reſpondit) *ſed Reges olim paſtores fu[illegible] & armentorum cuſtodes*, Poggius *in facetijs*.

8. *Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ieruſalem à cunctis tribulationibus eius.* Iob. 13.



ARnaldus (e Monte Maiori ortus) Bernardi, Gallus, ex Archipręſule Auxirano ex notis Ciaconij (refragante Frizonio, qui eo tempore ea in ſede vixiſſe obſeruauit Arnaldum Albretium, & Ioannem Rogetium) ex Patriarcha Alexandrino ſed ritus Latini, in Presbyterum Cardinalē eligitur & S. R. E. Camerariū ab Vrbano V. in tertia Cardinalium creatione, An. 1368. apud Montem Faliſcum, dum Papa Auenione Romam pergeret. Romæ, Symbolum Fidei Catholicæ profitenti Paleologo Imperatori adſuit cum Nicolao Card. S. .... Anno 1369. eodemq. Anno, Viterbij, peſte abſumptus mortalia reliquit.

9. *Vide humili autem meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.* Pſal. 24.



PHilippus Cabaſſole, familia nobilis inter Ciues Auenionenſes Iſnardi filius egregii militis, qui auita parentum hereditate, Galliæ Regibus, & Siculis Andegauenſibus militauit. Obſeruat tamen Andreas Victorellus Cauallione, non Auenione oriundum, ex Catalogo Epiſcoporum, *in pictis tabulis aulæ Epiſcopalis Canallicenſis* Patha ei cognomen imponitur à Ciaconio, ea ratione, quòd librum *de Vita Solitaria* Franciſcus Petrarcha ei inſcripſerat, titulo concepto ſequenti.

*Ad virum ſumma reuerentia dignum Philippum Patham, eo tempore Canallicenſem Epiſc. mox Patriarcham Hieroſolymitanū deinde S. R. E. tit. S. Sabinæ Card.* Titulus iſte ab ipſo Petrarcha, vel ab impreſſore appoſitus fuerit? dubium. Si ab impreſſore rationabiliter errore notatur impreſſor, quia in epitaphio, & in Teſtamento *Patha* non appellatur, ſed *Cabaſſole*.

Litterarū ſtudijs à iuuentute apprimè delectatus arcta familiaritate iunctus cum Franciſco Petrarcha, contubernium penè pactus cum eodem longas

noctes tranſegit, ...na rin antes eruditionis, vt idem teſtatur Pet...rcha lib. 13. Senil. ep. 11. *Tuum ſane ad has partes ...entum latè audio, quem & tibi glorioſum, & Itali...ilem, ac fælicem ſpero talis innocentia, ac virtutis f...preuenit, omniumq. iam animos occupauit. Gaudeo ſi...ariter propter me, cui iam hinc vicinitate locorum ...à vtinam ſpes offertur, id quod vnicè cupio, faciem ...am ſaltem ſemel antequàm moriar reuidendi, cuius aſp...a (Oſors rerum inuida) penè iam quatuor integris ...is priuor. Quamuis enim Anno retro tertio glorioſo Pontifice tunc Vrbano V. teq. certatim euocantibus, Romam verſus iter arripuiſſem, quo nunc nouiter, illius viri auſpicijs ac ducatus, Eccleſia Chriſti, nimis diu peregrinata,* A *ſed non ſatis diu, manſura redierat, medio tamen calle, morbo graui, dicam verius temporali morte præuentus, retrocedere ſum coactus, neq. illum videre, neq. te reuidere contigit. Quem caſum ex meis ad eum, & multorum huius ore procerum literis, intelligere potuiſti, nec ſim dubius noluiſti, nunc niſi in finem mea mihi ſors inuiderit, te tenebo, dexteramq. illam oſculabor, vnde mihi tot dulces epiſtolæ, tot piæ conſolationes, tot ſalubres monitus prodiere; & quamuis hoc tempore, quo nos intermiximus, in eodem ſemper ego veſtigio permanſerim, interdum licet inuitatus aſcendere, tu non quantum mereris, multum tamen vel inuitus aſcenderis, omni quidem tempore vir illuſtris, ſed tunc præſul exiguus, nunc maximus Cardinalis familiaritate nihilominus illa antiqua indulgentiſſimum patrem meum amplexus in memoriam temporis retroacti, & earum peregrinationum, iuſtificationumq. quas olim tuo in rure ad fontem Sorgiæ, per longum diem vſq. ad veſperam in ſyluis cibi obliti; earumq. vigiliarum, quas ibidem inter libros ſomni immemores, longis noctibus ad auroram mira ſæpè cum voluptate tranſegimus, reuocabo. Quæ omnia nunquàm mea memoria dilabuntur, quando tibi iuuenili ardore, nouũ aliquid inter multa Solitariæ vitæ libros duos, quantalibet deuotione dictabam. Quos tam late; tamq. alacriter ſuſcepiſti, vt ſicut mihi poſt literis tuis innotuit penè omnes alios libros abijceres, & illos tibi continuè præter morem, etiam ad menſam legi faceres.*

Præſul Philippus Caballicenſis ad Druentiam fluuium, in ditione Pontificis Romani olim in Prouincia Viennenſi, nunc ſub Archiepiſcopo Auenionenſi, ſynodo interfuit Anno 1337. Auenione habitæ, ad quem Petrarcha. *l. 2. de Vita ſolitaria c. 2. Eam quoq. ſortitus es patriam, quam licet Epiſcopatus tui ciuitatis appellatione nobilitet; ea tamen præter vetuſtatem & nomen de ciuitate nihil habet, non luxum, non frequentiam, non tumultum, ſingula ad eam vitam, de qua loquor, aptiſſima, cuius ergo, ſi ritè computo, Anni circiter quinquaginta ante Domini aduentum Iulio Cæſare Britanniam oppugnante, in auctenticis ſcriptis inter antiquas iam tunc Vrbis memoriam inuenio.* Et paulo poſt. *Adeſt tibi tuus Sorgia Rex fontium, ad cuius ſibi murmur hæc ſcribo.* D

In gratiam Philippi Caballicenſis Præſulis dedit Regina Ioanna Roſſolino de Cabaſſole Philippi nepoti præfecturam & cuſtodiam caſtri d'Vrgon illo æuo inſignis. Philippus de Cabaſſole *n. 9.*

Patriarcha poſtea Hieroſolymitanus & Legatus ſub Innoc. VI. ad decimas colligendas in ſubſidium Eccleſiaſticum pro reintegrando S. Petri patrimonio in Italia, egregiam tunc temporis impendente operam Ægidio Cardinale Albornotio bellica virtute clariſſimo, officium impleuit grandi eccleſiæ vtilitate, & nullo ſtrepitu Germanorum.

Presbyter aſſumptus Cardinalis tit. *SS. Marcellini & Petri* in tertia Cardinalium promotione facta Anno 1368. in Monte Faliſco, deuolutoq. Anno, ab eodem Pontifice Ep. C. *Sabinus* nihil de priſca humilitate remiſit. *Neq. verò te grauiter laturum ſcio, quod amicus tuus dicar* (inquit Petrarcha ep. 4. lib. 15. Senilium) *cum audieris Auguſtum Cæſarem, non ſolum ferre, ſed optare, & hortari, vt Horatius Flaccus non humili modo, ſed libertinæ originis, amicus ſuus dici vellet: quin* A *& inſolentias Cardinalium alto animo reiecturum, quas exiguo rubentis panno, mortalitatis obliuione capiuntur non mortales tantumodo illi quidem, ſed quodammodo moribundi, tu niſi tanto tempore mecum es, & non cognoui te, non ſolum hoc panniculo non ſuperbis; ſed ne qualibet purpura, ſeu corona, imo & funditus noui te; factus humilior nulla te re alia, quàm ſolis auctum curis ſentis. Et quotidie ex hac tua magnitudine mediocritatem priſtinam, & tranquillas ſolicitudines, atq. otia noſtra ſuſpiras: dum ſoli in ſyluis totos dies ageremus, & famuli ad horam prandij nos quærentes, vix ad veſperam inuenirent, & oblitos cibi, & mirantes diem tam velociter tranſiuiſſe. Scio quanta, quamq. honeſta nobis eſſet ex alterno ſermone delectatio,* B *dum nil niſi de noſtra ſalute, vel de literis, atq. rerum illuſtrium memoria loqueremur; terraſq. omnes, & omnia ſecula ſimul ante oculos haberemus, ſupra quam credi poſſet, noſtra ſorte contenti, & rerum labentium contemptores, præcipuis laudibus efferentes, inter quos Iacobum de Columna, qui ætate tunc iuuenis, ſed morum grauitate, & mortis vicinitate iam ſenex cum ab omni ambitione remotiſſimus, ad Epiſcopatum, Papa iubente, inſcius, ne dicam, inuitus perueniſſet, atq. inde ad Patriarchatum Aquileienſem, ſummo nobilium, ac totius populi conſenſu, ac ſtudio peteretur, ab vrbe Roma, vbi tunc erat fratri ſcripſit & fidis ſuis, inter alios mihi iurans, aſcendiſſe altius, quàm vellet, neq. vnquàm amplius aſcenſurum: nec ita multo* C *poſt tamen ad cæleſtem dignitatem* Chriſto *vocante conſcendit, Hæc (inquam) & quæ ſunt id genus ſileo, ad id mihi reſponde vel tacitus; quanto tunc dulcius auribus tuis inſonuit Sorgiæ murmur, & volucrum cantus, quàm nunc clamor litigantium, qui in noſtris conſiſtorijs Tartareo reboat mugitu? Huc te tamẽ extulit ſors tua, & ſumma illius S. Patris prouidentia, qui te prædeceſſoribus ſuis incognitum, & libentiſſimè latitantem noſci dedit, Eccleſiæ conſulens non tibi, niſi quòd magnus & pius labor, inter tot præſertim impios, præmio non carebit.*

Eidem poſcenti Cardinali Petrarcha carmina miſit in ea rupe conſcripta, quam D. Magdalena clariſſimum pænitentiæ ſpeculum, Annos integros incoluit triginta: quorum primum.

*Dulcis amica Dei lachrymis in flectere noſtris.*

Italiam inuiſente Vrbano, Vicarius Auenionenſis ſedit loco Pontificis. Eo mortuo comitiis interfuit creandi Gregorij XI. à quo legatus in Italiam, Vmbriam, Hetruriã, Campaniam Sabiniam, renauit, literaſq. accepit à Petrarcha ſupradictas. Inter Literatos adſcribitur, cum Literatorum eſſet fautor eximius.

Digitized by Google

mius. Diſcite vos dealbati parietes ſtudioſos non ſpernere, & hiſtoricos, ſub cuius ſtylo veſtra iacet memoria: ſi tamen vobis de poſteritate cura vlla ſupereſt. E viuis exceſſit dum Peruſina fungeretur legatione Anno 1372. Cadauer Auenionem delatum, humo datur in æde D. Mariæ de Bonopaſſu ad Druentiam fluuium, vbi habitant Carthuſiani. Hoc epitaphio exornante ſepulchrum.

*Hic iacet RR. in Chriſto pater D. Philippus de Cabaſſole D. Iſnardi militis filius, qui primò fuit Epiſcopus Cabellicenſis, deinde Patriarcha Hieroſolymitanus, poſt S. R. E. Card. Presb. tit. SS. Marci & Petri, mox Ep. Sabinenſis; demum legatus à D. Gregorio PP. XI. Auenione ſedente* A
*in Italiam ad gubernandas Romanæ Eccleſiæ terras. Obijt Peruſij, VI. kal. Septemb. Anno 1372. Eius corpus ad Monaſterium Carthuſienſium Bonipaſſus delatum, ibidem ſepultum fuit, cura D. Ægidij de Sylua, de Monte Acuto Ep. C. Tuſculani, & aliorum executorum Teſtamenti eius.*

De eo lege Frizonium, Vghellum, Victorellum, Ciaconium, præcipuè Petrarcham, cuius epiſtolæ frequentiſſimę occurrunt ad Philippum.

10. *Nil proderunt theſauri impietatis: iuſtitia verò liberabit à morte.* Prouer. 10.



Simon de Langhan Anglus B
Monachus Ordinis S. Benedicti, Vueſtmonaſterienſis Cænobij, deinde Prior, demum Abbas, morum ſanctitate celebris, Regi intimus Regios theſauros, & regni quæſtura cuſtodiendam ſuſcepit. Fidelis trapezita, cum præter ſolita tributa nullum nouum impoſuiſſet plaudente populo, a Vueſtmonaſterienſi cænobio ad Londinenſem euocatus Epiſcopatum, mox Elienſem, & munere donatus Cancellarij, Sedem demum conſcendit Cantuarienſem Anno 1366. Poſt biennium verò inter C
Purpuratos relatus Presbyter Cardinalis *tit. S. Sixti* ab Vrbano V. Anno 1368. Cantuarienſi Archiepiſcopatu dimiſſo Romam venit, vbi in locum Vrbani V. defuncti, Gregorium XI. ſubrogauit, à quo confirmata legatione deſignata ab Vrbano V. in perſona de Longhan, & Ioannis de Dormanis Cardinalium, ad Reges Angliæ, & Galliæ abijt in Angliam, ſed nihil impetrauit (inquit *Auctor Vitæ Gregorij*) tum quia inimicitiæ inter Reges nimis exacerbatæ erant: tum quòd ipſi Cardinales partiales potius acceſſiſſent, quàm ſequeſtres, cum ille Angliæ iſte Franciæ, Cancellarij & Regibus à ſecretis fuiſſent. In Curiam reuerſus Epiſcopatum obtinuit D
*Præneſtinum* munia ſua ſagax, prouidus, beneficus tractauit & liberalis.

Templum extruxit Carthuſianorum Auenionė, in quo ſepultus paralyſi vita functus die XXII. Iulij. An. 1376. Oſſa eius triennio poſt exhumata ad Vueſtmonaſterienſem Eccleſiam tranſlata, quam maximè adamauerat, cuiq. magna beneficia contulerat, ſepulchro honorifico condita ſunt cum ſequenti epitaphio.

*Simon de Longhan ſub petris his tumulatus.*
*Iſtius Eccleſiæ Monachus fuerat Prior, Abbas*
*Sede Vacante fuit electus Londinienſis*
*Præſul, & inſignis Ely, ſed poſtea Primas.*
*Totius Regni, Magnus Regiſq; Miniſter,*
*Nam Theſaurarius, & Cancellarius eius,*
*Ac Cardinalis in Roma Presbyter iſte,*
*Poſtq; Præneſtinus eſt factus Epiſcopus atque*
*Nuncius ex parte Papæ, tranſmittitur iſtuc,*
*Orbe dolente Pater, quem nunc reuocare nequiuimus,*
*Magdalenæ feſto Milleno Septuageno,*
*Et ter centeno Chriſti ruit anno,*
A *Hunc Deus abſoluat de cunctis, quæ malè geſſit,*
*Et meritis Matris ſibi cælica gaudia donet.*

11. *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini, in terra Egypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate.* Exod. 16.



Bernardus de Boſqueto Gallus, Ruthenenſis teſte Frizonio; Cadurcenſis ſecundum alios, cui Petrarcha epiſtolas ſcripſit carmine Exametro, laudans in eo ſtudium Poetices. B

*Audio quod ſtudium Sacros tibi noſſe Poetas*
*Ceperis Alme parens: dulcis labor, ardua cura.*
*Gratulor & laudo: quid enim ſolatia vitæ*
*Plura fatigatæ, quidue otia tanta dediſſet!*
*Haud equidem me fallit amor ſcio quanta ſub antris.*
Aonijs inuenta quies.

Stephanus Baluze arguit Frizonium, quod ad Bernardum de Albia Petrarcha ſcripſerit, non ad Bernardum de Boſqueto.

Ex Archiepiſcopo Neapoleos inter Purpuratos Patres relatus ab Vrbano V. Presbyter Cardinalis Baſilicæ *SS. XII. Apoſtolorum*, Anno 1368. die 22.
C Septemb. Montis Faliſci Pontificem in Gallias comitatus redeuntem, Auenione Gregorium XI. promouit, ibiq; cecidit Anno 1371. decimo tertio Kal. Martij.

Eius mentio recurrit in *Reuelationibus S. Brigittæ, & in libro Miraculorum* eiuſdem Sanctæ, edito ex C. M. S. Monialium S. Laurentij Paniſperna, de Vrbe.

De eo lege Ciaconium; Bartholom. Chiocarellum in *Archiep. Neapol.* Auberij; Contelorium.

12. *Multo plures interfecit moriens, quàm ante viuus occiderat.* 16. Iudicum. 30.



D Ioannes de Dormano (pagus eſt diœceſis Sueſſionenſis in Belgica ſecunda ad Matronam fluuium) è quo oriundus Ioannes, fratrem habuit Guillelmum de Dormano Franciæ Nomophilacem: nepotes verò Milonem Epiſcopum Andegauenſem, deinde Baionenſem, demùm Bellouacenſem Franciæ Cancellarium: & Guillelmum de Dormano Præſulem Meldenſem poſtea Archiep. Senonenſem, vtrumq. Legum Doctorem

ctore u, humatos tumulo marmoreo, iconibus æneis, in gymnaſij Bellouacenſis ſacello. Et hoc contra Feronium, qui *lib. de Cancellarijs* Milonem Ioannis frattem aſſerit; cum nepos vocetur in ſepulchrali inſcriptione: vbi ſanguine ortus Romano aſſeritur, forſan ex linea materna.

Præſul & Comes Bellouacenſis *68.* in eccleſia D. Petro ſacra inauguratur die 17. Iulij 1360. Epiſcopus Comes & Par Franciæ, & eo nomine Senator Curiæ Pariſienſis. Anno verò 1364. poſt Petrum de Foreſta, teſte Tillio, Magnus Galliæ Cancellarius, & Archiepiſcopus Rothomagēſis, ſub Ioanne Francorum Rege, Regia reſtituit ſigilla, quæ Rex Guil- A lelmo Ioannis fratri tradidit cuſtodienda.

Cardinalibus Presbyteris adſcriptus tit. *SS. Quatuor Coronatorum* ab Vrbano V. Anno 1368. Menſe Septemb. (deferente ei Rubrum pileum Guillelmo de Meloduno, Archipræſule Senonenſi, qui Rege præſente poſt Miſſæ ſacrificium pileum Ioanni impoſuit) eodem Anno vnda tinxit Baptiſmali Carolum VI. Gallorum Regem, in æde Parœciali S. Pauli.

Gymnaſium poſtea Bellouacēſe dictum, vel Dormanum Pariſijs erexit, dotauitq. confectis publicis inſtrumentis die 8. Maii 1370. in eodem Collegio Sacellum magnificum exædificauit Milo de Dormano Præſul Bellouacenſis, nepos ipſius Cardinalis. Miſſus in Angliā à Gregorio X. quem promouerat, cum Simone de Langhau Cardinale Anglo, cauſa tractandæ pacis inter Gallos, & Anglos, nihil profecit; quod Simon Gallis Ioannes Anglis ſuſpectus eſſet.

Ex hac vita, Lutetiæ migrauit die VII. Nouemb. 1372. condito Pariſiis teſtamento, in ſuo Bellouacenſi Palatio, quo plura ordinauit in pios vſus legata, & duas Carthuſianorum cellas dotauit, in alimoniam duorum Fratrum Religioſorum, in ſui & fratris memoriam.

Sepultus iacet vnà cum fratre Guillelmo, qui eo- C dem Anno, die XI. Iulii deceſſit ante aram principem Carthuſianorum Pariſienſium, cum ſequenti epitaphio teſte Nomenclatore.

*Anno Milleno ter C. ter I. ſeptuageno*
*Solutus ex membris ſeptena luce Nouembris,*
*Ioannes de Dormano primo prole Romano*
*Præſule ſuſceptus, Pater hinc Beluacenſis adeptus,*
*Sub Franco Rege cancellauit duce lege.*
*.....fouendo ſub alis.*
*Intus confratrem, puerorum quem ſcito patrem*
*Collegij clauſtri Brunelli. ſit ciuis aſtri,*

Inſcriptionem aliam ſepulchralem in eadem ec- D cleſia, aſſignat Brullius *theatro Antiquit. Pariſien.*

*Dormit hic I. Dormano*
*Chriſto falix eſt oblatus*
*Corpus linquens Mundo*
*Vano ſub marmore tumulatus*
*In deuoti patris huius*
*Rex Gloriæ Ieſu Chriſte*
*Animam ſuſcipe, cuius*
*Corpus tegit lapis iſte,*

Auctor dicitur Collegii clauſtri Brunelli; quia Collegium Dormanum erectum eſt partim in domibus Collegii Laudunenſis, & Nicolai Sueſſionenſis, quas Ioannes pretio comparauit in vico, qui Clauſtrum Brunelli vocabatur: *Frizonio* teſte.

*Vide Tabulas Ep. Bellouac. Claudium Robertum in Gallia Chriſtiana. Ciaconium. Vghellum in additionibus ad Ciaconium:* Contelorium: Nomenclatorem Cardinal. Auberii.

13. *Ionathas autem patruus Dauid, Conſiliarius vir prudens & literatus.* 1. Paralip. 28. *n.* 32.



STephanus *de Poiſiy* Gallicè, *Pariſius* dicitur à Ciaconio in quarta Lugdunenſi Prouincia natus, vtriuſq. iuris peritiſſimus, Præſul Pariſienſis Ioanni ſucceſſit de Meulant, Anno 1363. Eccleſiam rexit Pariſienſem decennium, raro virtutis exemplo. Cardinalibus Presbyteris aggregatus tit. *S. Euſebij*; Anno 1368. apud Montem Faliſcum, menſe Septemb. ab Vrbano V. in Italia agente, inter eos adnumeratus eſt de quibus S. Bernardus *lib. 4. de Conſiderat. ad Eugen. Se amabile præbent non uerbo, ſed opere uenerandos exhibent, actu non faſtu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes. Qui non de dote uiduæ, & de patrimonio Crucifixi ſe, uel ſuos ditare feſtinant, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes iudicium iniuriam patientibus, uindictam in nationibus, increpationes in populis.*

Ex hac aerumna receſſit XVI. Kal. Nouemb. 1373. Auenione, vbi Gregorium XI. promouerat. Cadauer Pariſios delatum ante aram principem Cathedralis Eccleſiæ, cum ſequenti humatum eſt epitaphio.

*Stephanus hic Sedis Romanæ Collateralis*
*Deſertis terris ſpes ſanctis iungitur alis* C
*M. C. ter, ac Anno tribus aucto Septuageno,*
*Octobris decima ſexta Domini quoque prima.*
*Clauditur hoc lapide lux iuris Pariſiorum,*
*Paſtor voce, Fide dux Regis Conſiliorum,*
*Fautor egenorum, damnans hæreſes reproborum.*

*Dux* dicitur *Regis Conſiliorum*, quia Primarius Regis Galliæ conſiliorum miniſter propterea appellatus.

Lege Frizonium. Claudium Robertum *in deſcriptione Ep. Pariſienſium.* Auberij. Ciaconium.

14. *Accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad Iuda omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* 1. Ieremiæ.



FRanciſcus Thebaldeſcus natu Romanus Prior S. Petri ad Vincula, Presbyter Cardinalis tit. *S. Sabinæ*, & Archipresbyter S. Petri aſſumptus ab Vrbano V. An. 1368. Diuiſis Cardinalibus in ſciſmate Clementis VII. Vrbanum VI. conſtans legitimum Ponti-

ſicem

ficem nunquàm deſeruit, cuius in obedientia Romæ, in iſto miſeriarum Oceano fluctuare ceſſauit, 13. Cal. Septemb. Anno Sal. 1378. ſepultus apud S. Petrum, cuius in eccleſia tres Clericatus erexit Beneficiatos, *Franc. Mari Turrig. de cryptis Vatican.*

Inſignibus huic Cardinali appoſitis per Ciaconium, diſſentit Andreas Victorellus, quòd Cardinalis fuerint Petragoricenſis ſub Io: XXII. Famil. verò Thebaldeſchę teſte *Petra Sancta* Roſa ſit vernans in vertice ſcutario puniceo, cum ſuppoſito ei auro tigillo, & cum ſex balteis partim aureis partim coccineis.

Inſcriptio ſepulchralis.

*Hic requieſcit Reuerendiſſimus Pater, D. Franciſcus de Thebaldeſchis tit. S. Sabinæ Presb. Card. de..., qui uixit Annos ... Obiit An. dom. 1388. die 7. Septem. Ind.., cuius anima requieſcat in pace. Orate pro eo,*

15. *Pugnabat Ioab contra Rabath filiorum Amnon; & expugnabat vrbem Regiam.* 2. Reg. c. 12. n. 26.



15 PEtrus *d'Eſtain* Gallicè Guilelmi filius, *de Stagno* Latinè ex nobiliſſima, & ãctiquiſſima fa-
B milia in Aquitaniæ primæ prouincia, Monachum induit ſub regula S. Benedicti, poſtea Epiſcopus S. Flori in Aruernia, quà in ſede quatuor Monachi præuij fuere Præſules Petro: teſte *Vuion lib. 2. Ligni Vitæ*, Archiepiſcopus poſtea Bituricenſis LXXX. domum extruxit Ordinis Dominicani, impenſis Ioannis Aruernorum ducis,

Cardinalis aſſumptus Presbyter tit. *S. Mariæ Tranſtyberim*, cum Petro de Corſinis Archiep. Florentino, ſeptimo Idus Iunij, 1368. in Monte Faliſco,
C vltima promotione facta ab Vrbano V. antequam Auenione rediret. Ex Italia verò diſcedente Pontifice, Anno 1370. Italiæ Præfectus cum Angelico Cardinale Albano, & poſt Vrbani mortẽ confirmatus à Gregorio XI. Peruſium ad obſequium reuocauit Romani Pontificis, quam vrbem Petrus ingreſſus legitur pompa ſolemni,

Iunctis copijs cum Amedeo Sabaudo Romanę Eccleſiæ exercituum Præfecto Generali, limites firmauit Eccleſiæ aduerſus V. Comites Mediolanenſes, qui noua ſemper in Eccleſiam, & Pontificem machinabantur. Circa idem tempus Ferariam Nicolao, & Alberto Eſtenſibus poſſidendam conceſſit iure be-
D neficiario, ea tamen conditione, vt quotannis, decem Aureorum millia reſunderẽt in errarium Pontificis. *Pigna lib. 5. de reb. Ateſtin.*

Epiſcopus aſſumptus *Oſtienſis & Veliternus* à Gregorio XI. cenſuram egit cum viginti doctoribus, ſibi delegatam errorum Raymundi Lulii Anno 1376. Anno verò ſequenti exuuias mortales depoſuit, Romæ, non Auenione, vt habent *Soareſius, & Vion*; ſeptimo Kal. Decemb. An. 1377. & in ſuo S. Mariæ Trãſtyberim titulo ſepultus, quem retinebat quamuis Epiſcopus eſſet Oſtienſis vi temporum illorum mos erat: teſte *Vghello*.

Parmam cæruleam tribus Lilijs aureis a & 1. (quę eſt Francica) faſcia miniata impreſſam tribuit Frizonius, in totum diſſonans à Ciaconio. Lilia Regię domus, Rex conceſſit Philippus Petro de Stanuo, in prælio Bouinenſi, Anno 1214. quum Rex in terram deiectus cum diſcrimine vitæ, à Petro in ſellam reſtiturus, ab eodem parmam liliatam accepit, quæ de manibus prolabentis exciderat. Hinc victor Rex Petri familiam eadem parma donauit, faſcia aurea tantum ad caput adiecta, qua diſtingueretur à
A Regia: Paternis inſignibus Petrus Cardinal. Cruces adiecit, vt oſtenderet tres Archiepiſcopatus ſubiectos eſſe Cathedræ Bituricenſi, Auxenſem, Narbonenſem, Toloſanam. Cruces illas porro non ſemper adhibuit; vt patet ex ſacra Reliquiarum theca, quam ille dono dedit eccleſiæ Ruthenenſi.

16. *Futurus es veluti vir vagus.* 14. Ierem. 9.



16 PEtrus *de Banthato* Lemouicẽſis Montis Maioris Abbas, vt in *appendice Bernardi Guidonis, in Vrbano V.* quem omiſſum à Ciaconio Frizonius aſſerit cum tamen *Petrus de Chinaco* Comes Petragoricenſis Gallus recenſeatur à Ciaconio, idem forſan Presbyter Card. tit. *S. Laurentij, & Damaſi* promotus ab Vrbano An. 1368. in ea lectione, quæ octo Cardinalium recenſetur. Auenenionſi obiit Anno 1370.

Parmam omittimus Gentillitiã, cũ & in hoc Cardinale diſſonẽt Frizonius & Ciaconius, quorum alteri cur adhęream? non habeo. Huic Cardinali aduerſatur etiam Petrus Corſinus, qui electus dicitur Presb. Card. tit. *S. Laurentij, & Damaſi*, Anno 1369. cum adhuc viueret Petrus de *Banthato*, vel de
C *Chinacho*, vnde vagus nutat inter Cardinales & incertus.

17 *Ego cuſtodiui vias duras.* 16. Pſal. 4.

17 ANglicus vel Angelicus ex fratre nepos Vrbani V. teſte *Ciaconio* vel ſecundum Frizonium, frater Pontificis Vrbani V. ex *Chronico Regio M.S.* cognomento *Grimoaldus* ex oppido Griſaco in diæceſi Mimatenſi, Guillelmi militis filius, & Feliciæ Monſerranæ: quem in *uita Vrbani V.* diximus *Grimaldum*, & matrem *Amphiliam Monſerranam* vnde Angelico eoſdem damus progenitores, & inſignia, quos aſſignauimus Vrbano V. eius fratri.

Vrbano mortuo, eadem die Cardinales Auenio-
D ne degentes Anglicum fecere certiorem de fratris obitu, datiſque literis rogarunt; vt dum ipſi deſignando vacabant Pontifici? ipſe prouincias cuſtodiret Eccleſiæ. *Oder. Raynal. in Annal.* Audita Gregorij XI. Electione, Auenionem venit, vbi ſubſtitit vſque ad obitum, qui contigit 18. Aprilis 1387. vel 1388.

Non minùs doctus quam pius ſcripſit.

*Antiphonas*

*Sacra Reſponſoria.*

Pie-

Pietatem tamen atque doctrinam ſædauit; ſi verum, quod Vrbano VI. relicto verò Pontifice, Clementis VII. Pſeudopapæ partes ſequutus fuerit, qui Anglico abſente ad Thronum obrepſerat.

18. *Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis vobis unum proſelytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quàm vos.* Matth. 23.



PEtrus Corſinus Thomæ filius, Florentiæ ortus, ſtemate claro, ſplendorem proauum virtute propria illuſtrauerit, vel deturpauerit? dubium; propter teterrimũ Sciſma, quod ipſe excitauit in Eccleſia Dei, Idolum abominationis erigendo in loco ſacro. Nobilis natu ptio non contabuit, ſed ſcientiarum cognitioni totus intentus, Iuriſprudẽtia excelluit, vnde Sacri Palatij Auditor, Epiſcopus Volaterranus, poſtea Archiepiſcopus Florentinus 3. Idus Decemb. An. 1361. eodemque Anno in Germaniam legatus ad Carolum IV. Imperatorem, vt eum fædere iungeret cum Ludouico Rege Pannoniæ, Rodulpho Auſtriæ Duce, Ioanne Rege Bohemiæ, fæliciter vota aſſecutus, fuit in præmium Cardinalibus Presbyteris adſcriptus tit. *S. Laurentij in Damaſo*, Anno 1369. cum prius illum Carolus IV. Imperator, ob egregiam politicam in peragendis arcanis ſuæ legationis, Sacri Imperij Principem ereaſſet, eamque dignitatem ad Succeſſores Epiſcopos Florentinos tranſire iuſſiſſet. Diploma habes Imperiale apud Vghellum *tom. 1. Italiæ in Epiſcopis Portuen. p.* 198. Aliud etiam priuilegium erigendi publicam Vniuerſitatem impetrauit Florentinis ab eodem Carolo IV. quod legere eſt *p.* 201. apud eundem Vghellum.

Vrbano mortuo promouit Gregorium XI. à quo translatus ad Ep. C. *Portuenſem, & S. Ruffinæ*. Vitas ſcripſit *aliquorum Romanorum Pontificum: Sermones plurimos*; teſte *Pocciantio*. Declinauit tandem ſenior factus in viam peſſimam. Vnus enim ex ijs fuit, qui relicto Vrbano VI. Chriſti legitimo Vicario, Clementem VII. Antipapam crearunt, eiuſque fortunam Auenionem vſque ſequutus in eius obijt obedientia. Hinc ab Vrbano VI. excommunicatus, etiam honore pilei ſpoliatus eſt, defectionis vna cauſa, Ambitio. Ineunte namque Vrbano VI. Pontificatum nõ ſolùm in eius promotione Petrus voce, & voto conſenſit, ſed eius probans iuſtitiam, & zelum in corrigendis Cardinalibus diſcolis, ſelectus fuit à Pontifice, ad eorum amicam correctionem, vt ex Vrbani diplomate dato 8. Idus Nouemb. Anno 1. Pontificatus, Salutis 1378. quod legere eſt apud Bzouium. *n.* 23.

Veruntamen cum Cardinales Galli Anagniam receſſiſſent, vafro conſilio Italos inuitarunt, ſingulis clandeſtinè offerentes Papatum, quibus illecebris irretiti aduolarunt, quamuis voto fruſtrati, & deluſi Robertum Gebennenſem nomine Clementis VII. adorauerint.

Vghellus in *additionibus ad Ciaconium*, Petrum laudat quaſi Sciſmatis innocuum, dicens: *In illa maxima rerum Eccleſiaſtici Ordinis perturbatione, quæ ob dirum Sciſma inter Vrbanum VI. & Clementem VII. Antipapam, in totam ferè Chriſtianam Rempublicam graſſata eſt, quantum vniuit, verbis iuuit, & ſcriptis: ſcripſit enim, vt refert Pociantius de ſcriptoribus Florentinis, inſigne opuſculum, Eccleſiæ Principes exorans, ut ſciſma peſſimum trium Pontificum, ſe pro Chriſti Vicarij gerentium extirparent, efficerentque vt vnus agnoſceretur Paſtor, vnumque ouile.* In tomo verò tertio Italiæ Sacræ. p. 200. in Archiep. Florent. loquens paulò duriùs: *Vnus ex illis*
A *fuit, qui Vrbano VI. Pontifice relicto, ſeptimum Clementem Antipapam crearunt, cuius fortunam vſque Aueniomem, quoad vixit, ſecutus, ab Vrbano VI. excommunicatus, etiam honore pilei expoliatus eſt. Qui tamen ita noxioſiſſimis partibus hærere viſus eſt, vt haud omninò teterrimum ſciſma probaret. Quin de præſenti rerum eccleſiaſticarum ſtatu ſolicitus, de Sciſmate iugulando inſigne ad Principes Chriſtianos opuſculum edidit, eiuſdemque ea de re ad Senenſem Rempublicam extat.*

## EPISTOLA.

*MAgnificis viris Gubernatoribus ciuitatis Senarum*
B *amicis meis Colendiſſimis P. Portuenſis Ep. Cardinalis Florentinus.*

*Magnifici amici chariſſimi, ſcribimus quidem nobili Baroni D. Philippi germano noſtro chariſſimo, nolentes vos longis actionibus fatigare, ſed rogamus magnificentiam veſtram, quòd ipſum benignè, & gratè velitis audire, & fauorabiliter admittere quæ petuntur, & velitis eſſe memores quantum fauorit, & ſtatus accreuerit ciuitati Senenſi integer, & felix ſtatus Eccleſiæ: experti ſunt enim antiqui noſtri patres, quod Sacerdotium regiminis temporalis tuitione protegitur, & temporalis poteſtas Sacerdotalis officij ſanctitate fulcitur. Rogamus igitur Magnificentiam veſtram, & in eam pia cauſa, in qua agitur de*
C *ſalute totius populi Chriſtiani, velitis cooperari, ut pernicioſi ſciſmatis ſpina euellantur, in quibus nunc ſex mundus de præſenti uexatur, in quo recipiet laudem à toto populo Chriſtiano, & præmium à Deo eadem magnificentia ueſtra, quam fælicem conſeruet Altiſſimus per tempora longiora. Datum Auenione. Die 4. Maij.* Ex hiſce litteris excuſationem deducunt in gratiam Petri ſciſma deteſtantis, eodemque tempore ſciſmaticos fouentem, & Antipapam promouentis, patrocinantis.

Aueuione deceſſit Anno 1405. die 16. Aug. teſtamento, condito, in quo Philippum fratrem ex ſemiſſe hæredem inſtituit; ex altero verò ſemiſſe Moniales S. Caij de Florentia, cuius olim cænobij
D fundator, eius pater extiterat, Apud Auguſtinianos demortui cadauer ſepoſuere, donec iuxta voluntatem teſtatoris aliò transferretur.

*Epitaphium.*

*Hic iacet R. R. in Chriſto pater, D. Petrus de Corſinis de Florentia Decretorum doctor, Portuen. Ep. Card. Qui obijt die 16. Menſe Aug. An. Dom. 1305. ac Anno ſui Cardinalatus XXXVI. cuius anima requieſcat in pace.*

Cada-

Cadauer poſt Florentiam tranſlatum, & in Cathedrali ſepultum ex eius teſtamento, Spectatur adhuc eius ſepulchrum cum ſua effigie, & inſcriptione marmorea.

*Petro Corſino Florentiæ Epiſcopo, & Cardinali ampliſſimo, ob Familiæ nobilitatem: & eximias animi ſui dotes, Vrbs optime de ſe merito ſepulchrum hoc poſuit.*

Auidus librorum preſcrutator, celebrem congeſſit bibliothecam, in qua vt ſeipſum includeret, ſcripſit, A

*Vitas aliquorum Pontificum Roman.*
*De abolendo ſciſmate.*
*Sermones.*

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Nomenclatorem Cardinalium, Contelorium. Auberij: Scipionem Amirat. *de famil. Florent.*

V. Cancellarij S. R. E. ſub Vrbano V.

PEtrus de Monteruco P. C. tit. S. Anaſtaſię, S. R. E. V. Cancellarius.

# GREGORIVS XI. P. R. CCI.

GRegorius XI. Electus die 30. Decemb. Anno Sal. 1370. Obiit die 6. Kal. April An. 1378. Eius adfuerę comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Guido de Monte Forti Ep. C. Portuen. & S. Ruffinæ, *Ex Clem. VI.* B
2. Raymundus de Canilaco Ep. C. Præneſtinus. *Ex Clem. 6. & Innoc. 6.*

*Ex Vrbano V.*

3. F. Guillelmus Sudre Ep. C. Oſtienſis.
4. F. Anglicus vel Angelicus de Griſaco Ep. C. Albanus.
5. Ægidius Iſſelni Bellamera Ep. C. Tuſculanus. *Ex Innoc. 6. & Vrb. V.*
6. Philippus de Cabaſſole Ep. C. Sabinus: *Ex Vrbano V.*

## Presbyteri Cardinales.

7. Petrus de Monteruco P. C. S. Anaſtaſiæ. *Ex Innoc. 6.*
8. Ioannes de Blanſaco. P. C. S. Marci. *Ex Innoc. VI.*

*Ex Vrbano V.*

9. Guillelmus de Agrifolio P. C. S. ....
10. Simon be Langhan. P. C. S. Sixti.
11. Bernardus de Boſqueto. P. C. S. XII. Apoſtol.
12. Io: de Dormano. P. C. SS. Quatuor Coronatorũ.
13. Stephanus de Pariſijs. P. C. S. Euſebii.
14. Franciſcus Thebaldeſcus. P. C. S. Sabinæ.
15. Petrus de Stagno. P. C. S. Mariæ Tranſtyberim. C
16. Petrus Corſinus. P. C. SS. Laur. & Damaſi.

## Diaconi Cardinales.

*Ex Clem. V.*

17. Guillelmus Iudicis D. C. S. Marię in Coſmedin.
18. Petrus Monſtrius de Malmonte D. C. S. Marię Nouę.
19. Raynaldus Vrſinus. D. C. S. Hadriani.

## Epiſcopi Cardinales creati à Gregorio XI.

1 IOannes de Blanſaco ex P. C. S. Marci, Epiſcopus C. *Sabinus*. Vide ſupra n. 13. in Innoc. 6.

2 SImon de Langhan ex P. C. S. Sixti, Ep. C. *Preneſtinus*. Vide n. 10. ſub Vrbano V.

D 3 PEtrus de Stagno ex P. C. S. Mariæ Tranſtyberim, Ep. C. *Oſtienſis*: vide ſub Vrb. V. n. 15.

4 PEtrus Corſinus ex P. C. S. Laur. in Damalo, Ep. C. *Portuenſis*, vide ſub Vrbano V. n. 18.

5 IOannes de Groſſo ex P. C. SS. Nerei, & Achillei, tit. Faſciolę, Ep. C. *Præneſtinus*: vide infra n.

*6. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Pſal. 50.

YVo Begaignon aliàs Euenus, Ordinis Prædicatorum, Card. Ep. Præneſtinus, vulgo Cardinalis *de Morlacia*, è familia Rumen Begaignon, in parœcia *Pleſtrin*, Diec. Trecorenſis, cænobita in monaſterio Prædicatorum Morlacenſium S. Dominici, voto emiſſo Monaſticę profeſſionis, Anno 1326. plura ſcripſit, præcipuè in Pſalmum *Miſerere mei Deus.* Antiſtes poſtea Trecoricenſis Sal. An. 1360. Trecorij Io: excepit Ducem Britanniæ, cui clientelæ præſtito iuramento, plura Clero ſuo impetrauit priuilegia, Anno ſequenti, ſolemniter adfuit Duci Ioanni primum lapidem quadranti in fronte templi Deiparæ *le Men* Morlaci, quod fundarat Io: 11. Cardinalem fuiſſe Ep. *Brœneſtinum* ſcripſit Frizonius ex M. S. antiquo, in ſuis *Addition.* cæteri ſilent.

*7. Memoria iuſti cum laudibus: & nomen impiorum putreſcet.* Prouer. 10.



PEtrus Gometij Hiſpanus natu Conchenſis, familia Albornotius (ad differentiam alterius Petri Gometij Card. tit. *S. Praxedis*, ſed familia *de Barroſſo*, n. 29. ſub Io: 21. dicto 22.) ex Archiep. Hiſpalenſi Presbyter Card. tit. *S. Praxedis:* Cardinalium promotione prima, Anno 1371. die 6 Idus Maii: promotus à Greg. XI. viuere Auenione deſijt, 2. Iulij. 1374.

*8. Qui ludibrijs, increpationibus non ſunt correcti; dignum Dei iudicium experti ſunt.*
Sap. 12.



IOannes *du Cros* Gallicè, Latinè *de Croſſo* frater Petri de Croſſo Cardinalis ſub Antipapa Clemente VII. natus in diœceſi Lemouicenſi, pago *Calima-Forti*, cōſanguineus Gregorij XI. PP. in tertio gradu, Iuris vtriuſque Doctor, ciuis & Præſul Lemouicenſis, Anno 1343. poſt B. Rogerium *le Fort*, Patriarcha dictus Bituricenſis, quadraginta Annorum ſpatio, Lemouicenſis Epiſcopatus moderatus habenas, inde Presbyter Cardinalis *SS. Nerei, & Achilles, tit. Faſciolę*, Anno 1371. Auenione à Gregorio XI. tandem Epiſcopus C. *Præneſtinus* & S. R. E. maior Pænitentiarius, Gregorio mortuo promouit Vrbanum VI. & pro eo ſuffragium tulit, à quo deficiens inconſtans, ſciſmaticum promouit nomine Clemētis VII. cuius anteſignanus ad Gallos legatus vt electionis ſuæ rationem edoceret, ſuaſit Regi Carolo, Vrbanum abiurare, & Clementem ſuſcipere. Ibi Cardinales Petrus Corſinus Florentinus, & Simon Mediolanenſis, Auenione Gallos interrogauere Patres, duobus ſatisfacere quęſitis, velut in articulo mortis animam efflaturi, Chriſto adſtante iudice pro tribunali.

*1. An liberè Vrbanum VI. Pontificem Italum elegiſſent? num etiam electuri eſſent, ſi alibi quàm Romæ conſiſterent?*

*2. An ratam vellent habere Vrbani electionem, & actus, quibus ſubſcripſerunt?*

His duobus reſponderunt Cardinales Galli interpoſito iuramento, ſe id præſtitiſſe metu mortis, ſibi à Romanis timentes, actuſque omnes fuiſſe coactos, proinde irritos: propterea propoſuerunt
A publicum condi inſtrumentum.

Auenione vita exceſſit die 21. Nouemb. 1383. iacetque in eccleſia Principe cum hoc epitaphio.

*Hic iacet RR. in Chriſto pater D. Io: de Croſſo de Calima Forti, diœceſis Lemouicenſis, deinde aſſumptus fuit in eccleſia Romana Presbyterum Cardinalem, & ſubſequenter fuit electus Ep. Præneſtinenſis, & Summus Pænitentiarius; qui obijt 22. die men. Nouemb. Anno à natiuit. Dom. MCCCLXXXIII. pro cuius animæ ſalute Deum humiliter deprecamur, vt in pace cum Angelis requieſcat. Amen.*

Vti Apoſtolicus Legatus, Lutetiæ, ſtatuta confirmauit Collegij trium Epiſcoporum vulgò Cameracenſis, die 5. Iulij 1379.

B De eo lege Ciaconium, Frizonium, Auberij; Ioſeph Mariam Soareſium *in Antiquit. Præneſtin.* Claudium Robertum; Contelorium: Nomenclatorem Cardinalium: Chenu.

*9. Bona repromiſſionis ſibi adſcribit peccator: & ingratus ſenſu derelinquit liberantem ſe.*
Eccl. 29.

PEtrus Lagerius Gallus, & Aluernus, *Figiaci* ortus, profeſſione minorita S. Franciſci præclarus Theologus laurea inſignitus, Glandeuæ Antiſtes ad Varum fluuium in Alpibus mariti-
C mis, ſub Archipræſule Ebredunenſi, Cardinalatum obtinuit Presbyteralem, tit. *S. Priſcæ*, dante Gregorio XI. Auenione, Anno 1371. à quo legatus in Hiſpaniam ad Caſtellæ Regem Ioannem I. poſt aliquot Annos mortuum ab equo ſuffoſſum. Promouit Petrus Vrbanum VI. à quo initio ſui Pontificatus, Epiſcopus creatus *Oſtienſis & Veliternus* ingratus ad ſciſmaticos declinauit cum Clem. VII. contra benefactorem ſuum.

In nomine tamen huius Cardinalis diſſentiunt à
D Frizonio Ciaconius, Panuinius Vghellus appellantes *F. Bertrandum*, non *Petrum*. Auenione obiit Anno 1396. ſecundum Frizonium; vel ſecundum Ciaconium, & Vghellum, die XV. Nouemb. 1392. apud minores ſepultus aſſecla pſeudoPontificis. Scripſit.

*De ſciſmate, & contra ſui temporis hæreſes.*

Lege S. Antoninum *par. 3. tit. 94. t.* 10. Lib. Conformitatum *Ordinis Min.* Ciaconium, Frizonium, Claudium Robertum: Contelorium: Nomenclatorem Cardinalium. Idem fuerit cum Bertrando à Turre? lege vt ſupra.

10. *Omnis*

10. *Omnis Sapientia timor Dei: & in illa timere Deum, & in omni ſapientia diſpoſitio legis.*
Eccl. 19.



BErtrandus familia nobili de *Chanaco*, patria Lemouicenſis, dicunt aliqui *de Canilaco*, non de *Chanaco*, quibus ſubſcribere non audeo propter inſignium diuerſitatem, vt videre eſt in Raymundo de Canilaco ſub Clem. *6.* Legunt alij *de Coſnaco* ex vita Gregorii XI. apud A Boſquetum. In hoc Cardinale, regiſtro omiſſo Panuinii, & Ciaconii, ad Frizonium me conuertam, quòd Gallus natu, faciliùs ſuæ gentis notitiam aſſequi potuerit.

Fratrem habuit Bertrandus Guillelmum Cardinalem Mimatenſem, de quo proximus erit ſermo. Guillelmum alterum Ep. Pariſienſem, patruum ſuum, Patriarcham Alexandrinum, qui obiit centennarius Anno 1348. Gentiles ei fuere Fulco ex Archidiacono Epiſcopus Pariſienſis poſt patruum; alter Fulco Aurelianenſis Antiſtes; Petrus de Chanaco Eccleſiæ Pariſienſis officialis, & Canonicus B Lemouicenſis, Anno obiit 1309. apud Carthuſianos humatus Pariſienſes.

Agathenſis Eccleſiæ Bertrandus Archidiaconus, & Clericus Cameræ Apoſtolicæ, litteras accepit commendatirias à Clemente VI. PP. Auenione Anno 1350. vt Bertrando Romam profecturo ad Apoſtolorum limina Canonici S. Petri vultum Sacrum, vulgo *Veronicam* aperirent. Iuris vtriuſque Doctor, & Conuenarum Præſul, Biturigum Archiep. Annos duodecim multa paſſus aduerſa à ſuis Canonicis, iſti tandem ab Ordinarii iuriſdictione ſe exemerunt. Eccleſiæ datus Adminiſtrator Albricenſi, Patriarcha tandem Hieroſolymitanus libras legauit quingentas Collegio S. Michaelis Lutetiæ, & domum ampliſſimam in ſuburbio ſitam S. Marcelli, quæ appellabatur domus Patriarchæ, flammis abſumptam Anno 1560. ob tumultum hæreticorum.

Cardinalis Presbyter tit. *S. Pudentiano* dicitur à Gregorio XI. in prima patrum promotione, Anno 1371. ſed non ille (aduertit Vghellus *in Ep. Sabinis*) qui ex Patriarcha Hieroſolymitano ad purpuram aſſumptus eſt, ac poſtea ad Epiſcopatum tranſlatus Sabinum. Is enim alter Bertrandus fuit eiuſdem nominis, & cognominis, qui ex Epiſcopo Conuenarum, & Patriarcha Hieroſolymitano aſsumptus eſt ad Cardinalatum à Clemente VII. Antipapa vt in- D fra dabimus cum Vghello.

Concordant litteræ Gregorii XI. Auenione datæ ad Bertrandum abſentem cum rubro pileo (in quibus Bertrandus non dicitur Patriarcha) tranſmiſso per Arnaldum Andreæ, Subdiaconum eccleſiæ Burdegalenſis.

*Gregorius XI. &c. dilecto filio Bertrando S. R. E. Presb. C. Apoſtolicæ Sedis nuncio ſalutem &c.*

*Licet de more Romanorum Pontificum Prædeceſſ. noſtrorum fuerit obſeruatum: quòd ijs, qui ad Cardinalatus apicem peruenerunt capellum rubeum proprijs manibus tradiderunt, & abſentes ad hoc fuerunt excitati; noſque prædeceſſores noſtros fuerimus imitati. Conſiderantes tamen, quòd tu, quem tuis exigentibus meritis, & vtilitate S. R. E. ſuadente, dudum ad eiuſmodi dignitatem promouerimus, & noſtro mandato in remotis partibus, pro arduis, & publicis negotijs immoraris, & propterea nolentes, quòd inſignibus prædicti Capelli donatione fruſtrareris diutius: potiùs cupientes tuam in hoc & in alijs honorare perſonam, vt per honorificationem noſtram ampliùs ab alijs honoreris, tibi Capellum Rubeum, per dilectum filium Arnaldum Andreæ, Subdiaconum eccleſiæ Burdegalen. licentiatum in legibus, Apoſtolicæ Sedis nuntium, latorem præſentium deſtinamus linquentes diſcretioni tuæ huiuſmodi Capello Rubeo vtendi de cetero. Datum Auenione 2. Kal. Feb. An. 3.*

Migrauit Auenione die 14. Kal. Iulii. An. 1374. teſte Ciaconio, & Panuinio.

Lege Ciaconium, Frizonium, Stephanum de Baluze in *Antifrizonio*: Auberii: Claudium Robertum *in Gallia Chriſtiana*: Contelorium: Ioſeph. Mar. Soareſium.

11. *Euge fidelis ſeruus, & prudens.*
Matth. 25.



JOannes de Turre in Aruernia, (familia prænobilis viris togatis, & armatis frequentiſſima) cœnobiarcha fuit S. Benedicti Floriacenſis ad Ligerim, purpuram accepit Presbyteralem tit. *S. Laurentij in Lucina*, dante Gregorio XI. Auenione, Anno 1371. Vita priuatur XVII. Kal. Maii, Auenione 1374. in obedientia veri Pontificis.

*Ciaconius, Frizonius Auberij, Contelorius.*

C 11. *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet; & ſicut folium fructificans in arbore viridi.*
Eccl. 14.



JOannes Fabri (familia præcipua in vrbe Yerenſi) Gregorio XI. PP. conſanguinitate proximus, ex Epiſcopo Tutellenſi Presbyter Card. *S. Marcelli*, quo titulo nouem menſes ſolumodo potitus, Auenione vitam poſuit, Anno 1372. pridie Nonas Martii.

*Ciaconius, Panuinius, Auberij, Claud. Robertus, Contelorius.*

13. *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: & ipſi de manu tua repulſi ſunt.*
87. Pſal. 5.

RObertus ex Comitibus Gebennenſibus, Gallo Burgundus, Ep. Cameracenſis, Presb. C. *SS. XII. Apoſtolorum* Antipapa futurus nomine *Clementis VII.*

Lege eius vitam apud nos in vitis *Pontificum Rom.*

14. *Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem,*
1. Reg. 2.



F. Guillelmus de Chanaco, Bertrandi ſuperioris Cardinalis frater dicitur Lemouicenſis, Decretorum Doctor, Monachus S. Martialis ſub regula S. Benedicti, & in Andrio S. Florentij Martyris ad oſtium Theodæ in Ligerim Diæceſis Andegauen. cænobiarcha per annos A
XV. ante Bezuę in Burgundia Abbas Diæceſ. Lingonenſis. Fratrem tamen Bertrandi Cardinalis diuerſa negant inſignia à Ciaconio depicta. Doctor Iuris Pontificij, Lutetiæ lectiones in ſcholis habuit, Monaſterium Salmurienſe D. Florentii M. muris ſepiuit, & propugnaculis. Epiſcopus Mimatenſis Anno 1371. tranſiit ad ſedem Carnotenſem, & munere Cancellarii functus eſt ſub Ludouico Andium Duce, ac Siciliæ Rege.

Purpuram accepit Presbyteralem tit. *S. Vitalis in Veſtma* in prima Cardinalium creatione facta à Gregorio XI. Sal. An. 1371.

E viuis exceſſit 3. Kal. Ian. 1394. Auenione, ad B
Dominicanos terræ datus in communione Catholica. Huius inſignia vide ſupra n. 24. *in Bertrando*.

15. *Ecce qui in veſte pretioſa ſunt & delitijs: in domibus Regum ſunt.* Lucæ. 7.



PEtrus Iudicis, Gallus Lemouicenſis conſobrinus ſummi Pontificis Gregorii XI. cuius inſignia ſecundum Frizonium, tres mures Pontiei, vel quinque, de quibus dicitur, *Potiùs mori*, C
*quàm fœdari*.

Narbonenſi Antiſtes, poſtea Rothomagenſis Anno 1374. electus, poſtea Presbyter Card. tit. S. . . in ſecunda Patrum promotione creatus à Gregario XI. An. 1375. Auenione facta, cum eodem Gregorio in Italiam deſcendit vir prouectæ ætatis, de quo Petrus Alectenſis in ſuo itinerario maritimo. *Naufragantur omnia perſonis reſeruatis, ibique iocalia perduntur, Veneris feria 21. Nouemb. multis extitit amara, Virginis Cæciliæ vigilia in Chriſto obdormiuit clara gemma Cardinalis Narbonenſis, ſenex Antiſtes humatur in Piſana eccleſia, Maris fructus laboribus; Spiritum eius ſuſcepit Cæli glo-* D
*ria*. Anno 1376. tertio Non. Nouemb. Ex aduerſo volũt alii Narbonæ ſepultum, vt in Appendice Bernardi Guidonis *in Greg. XI.* & Robertus *in Ep. Rothomagen. Petrus Cardinalis Narbonenſis tit. S. Clementis, qui ſecutus fuerat Papam, obijt in ciuitate Piſana, 21. Nouemb. & in eccleſia Cathedrali S. Mariæ fuit traditus in commendam Anno Domini 1376. qui poſtea tranſlatus fuit Narbonam, & tumulatus in ſepulchro ſuo pulcherrimo, quod ipſemet ibidem fecerat ædificare.*

Epitaphium

*Scio, quòd Redemptor meus viuit: & in nouiſſimo die ſurrecturus ſum.*

Diuitias plurimas cum congregaſſet, quamuis more regio vitam traxiſſet, luxu ſæculari, & pompa profana; moriens quingenta Florenorum millia diſtribui iuſſit in ſuo teſtamento. Melius illi fuiſſet vita Apoſtolica; inteſtatumque decedere.

*Ciaconius, Panuinius, Frizonius, Antifrizonius, Auberij: Claud. Robertus. Scipio Amirat, hiſtor. Florent.*

Tres mures ponticos huic Cardinali aſſignauit Frizonius pro inſignibus: ſed cur à Ciaconio recedamus? non habemus.

16. *In malignitate noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in Inferno qui peccauerunt.*
Sap. 5.



SImon de Borſano natu Mediolanenſis, Iuris vtriuſque Doctor; & eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopus Anno 1370. Eius doctrinæ fama permotus Gregorius XI. ad purpuram vocauit tit. *SS. Io. & Pauli*. Magnum edidit ſuper Clementinas volumen, elogium canente Petrarcha in epiſtolis ſuis. Niciæ in prouincia deceſſit Anno 1381. ſexto Kal. Septemb. ibidemque ſepultus, cum comitiis adfuiſſet Vrbani VI. pro quo ſuffragatus, ad partes declinauit Clementis VII. pſeudopontificis, cuius in obedientia excommunicatus diem clauſit extremum, die 27. Auguſti.

Lege Ciaconium, Panuinium, Auberii, Vghellum, Contelorium, Nomenclatorem.

17. *Hic autem vir bellator; eſt ab adoleſcentia ſua.*
1. Reg. 17.



IOannes Fliſcus Genuenſis ex Lauaniæ Comitibus ex Pontificis Capellano Epiſcopus Vercellenſis Anno 1348. plures ſui Epiſcopatus fundos iure diſtribuit fiduciario. Anno 1350. die 19. Ianuarii. Sacro Collegio ſolitum promittit ſubſidium, & electus tantummodo nominatur. Ad hunc Innoc. 6. litteras dedit moriens, nè quæ per diæceſim ſuam; Bernaboui V. Comiti belligeranti tranſmittenda permitteret; magis Ægidium Cardinalem legatum iuuaret. Auenione 3. Kal. Iunii, 1360. Eidem Ioanni Vrbanus V. inhibuit litis compoſitionem inter Ioannem Marchionem Montisferrati, & Galeacium V. C. cum rem omnem tranſigendam demandaſſet Abbati S. Iuſti, diæceſis Taurinæ, 6. Id. Feb. 1363. Innumeræ propemodum leguntur epiſtolæ Vrbani V. Gregorii XI. ad hunc Ioannem Epiſcopum, què planè produnt, quàm ſtrenuè contra Galeacium V. C. iura defenderit eccleſię

clcſiæ ſuç. Siquidem non ſemel collatis ſignis hoſtilem impetum repreſſit, rediuiuaque ſemper bellandi contumacia laceſſenti hoſti occurrebat Epiſcopus, vt bellum perpetuò potiùs traheret, quàm vel tantiſper ſuo iure cæderet, Hinc Vrbanus Pontifex vt tantis malis finem imponeret, Galeacio promiſit Ioannem ad aliam ſe tranſlaturum eccleſiam, ſi ipſe eccleſiæ ablata reſtitueret Vercellenſi. Anno 1365. ſub Gregorio XI. inſignem apud S. Germanum reportauit victoriam; gratulante ei Papa, & adhortante, vt fortiori conatu gregem ſibi tueretur concreditum, An. 1374. Alternante tamen fortuna quamuis ſagaciſſimi ingenij, inſidias non effugit hoſtiles, Bugellæ namque captus à propriis ſubditis Vicecomitis auro corruptis, annuum ſuſtinuit carcerem, ex quo ennixiùs poſtulante Pontifice, Anno eductus 1378. ab eodem Gregorio XI. Cardinalis creatus, teſte *Panuinio*, & *Ciaconio* tit. *S. Marci*; ſed per errorem; promotus namque Ioannes fuit ab Vrbano VI. non à Gregorio XI. vt partes ſuas tanti viri acceſſione firmaret contra Sciſmaticos, (vt patet ex bulla Ioannis XXIII. apud Vghellum, *to. 4. Italiæ, p. 117. in Ibleto Ep. Vercellenſi*) eidemque Vercellenſem commendauit eccleſiam pro cuius adminiſtratione certare debuit cum Othone intruſo, & Iacobo de Caballis aſſeclis Clementis VII. Antipapæ; retinuitque adminiſtrationem vſque ad Annum 1384. Obijt Anno non 1376. vt ſcripſit Ciaconius; cum ſolumodò circa Annum Sal. 1379. promotus fuerit in Cardinalem, teſte Io: Stephano Ferrerio, de *Ep. Vercellen.* ſed circa annum 1384.

18. *Ecce ego extendam manum meam ſuper te, & auferam iuſtificationem tuam: & dabo te in animas odientium te filiarum Paleſtinarum, quæ erubeſcunt in via ſcelerata*. Zechiel. 16.



HVgo de Monte longo dictus de Britannia, Gallicè e Montrelaix, filius Reginaldi Domini de Montrelaix, du Gueauuoier, & Seneſchalicre, ac matris Mariæ d'Ancenis, cui tres Epiſcopi fuere filij.

Ioannes Ep. Venetenſis, deinde Nannetenſis.

Bonahas in eodem Epiſcopatu ſucceſſor.

Hugo ex Canonico, & Cantore Eccleſiæ Nannetenſis Archidiaconus Lameç, & Epiſcopus eiuſdem Ciuitatis, teſte Frizonio ex *hiſtoria Genealogica dominorum de Montrelaix*. Epiſcopus poſtea S. Brioci in Armoricis Anno 1360. interfuit fæderi de Guerrande Anno 1366. tanquàm procurator Ioannç à Britannia viduæ Caroli Bleſenſis, contra Io: Britanniæ Ducem cognomento *Magnanimum*, cui minimè Hugo acceptus fuit.

Paternam cum eiuraſſet hereditatem reditu contentus eccleſiaſtico, à Gregorio XI. Anno 1376. aſſumptus inter Presbyteros Cardinales tit. *SS. quatuor Coronatorum*; poſtea Ep. C. *Prçneſtinus* teſte Ciaconio, vel *Tuſculanus* cum Panuinio, refragante Vghello *p. 346. to. 1. Italiæ*, ex libris Conciſtorialibus Clementis VII. pſeudopontificis, qui adhuc aſſeruantur in Vaticano, in quibus legitur Hugonem diem clauſiſſe extremum An. 1384. poſtremà die expirantis Februarii, Auenione, non Epiſcopum Præneſtinum, ſed Presb. Card. SS. quatuor Coronatorum.

Iolandam Flandrenſem Barri Comitiſſam cuſtodiæ cum tradidiſſet Carolus Rex Galliarum; ſcripſit Pontifex ad Cardinalem SS. Quatuor Coronatorum, pro ea apud Regem intercedere.

A Defuncto Gregorio, Hugo alijs Cardinalibus iunctus Gallis, & Italis elegit Vrbanum VI. & adorauit Anno 1378. ſed ſtatim palinodiam cecinit, Fundos ſecedens in Regno Neapolitano, vbi cum aliis ſciſmaticis Robertum Gebennenſem inthronizauit nomine Clementis VII.

19. *Præuenerunt me laquei mortis*. 2. Reg. 22.

JOannes de Buxeriis, Gallicè *de la Buſſiere* nobilibus editus natalibus, apud Aruernos, adoleſcens in Clarçuallenſe andrium ſe recepit, vt erudiretur B rerum Cælestium meditatione. Ad Pariſienſe inde Bernarditarum Collegium admiſſus humaniores apprimè didicit litteras, deinde profanam omnem Philoſophiam, ac ſacram Theologiam ita accuratè aſſequutus, vt puber adhuc Lutetiæ, laurea doctorali fuerit inſignitus. Ætate itaque creſcens., & ſapientia domi foriſque clarus, electus eſt 32. Abbas Clarçuallenſis poſtea 36. ſui ordinis Abbas Generalis tandem S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. *S. Laurentij in Lucina* creatus à Gregorio XI. Anno 1375. Orbi eripitur Christiano, Auenione, Anno ſequenti poſt Cardinalatum Cadauer ad Claramuallem delatum inter S. Bernardum, & SS. Martyres Eutro- C pium, Zoſimum, & Bonoſam, ſepulturam accepit, cum ſequenti inſcriptioue, vt ex Necrologio Clarçuallis.

*Hic iacet D. Io: de Buzerijs XXXII. Abbas Clarçuallis, qui poſtea factus eſt Abbas Ciſtercij, ac demum Cardinalis S. R. E. Obijt M. CCC. LXVI.*

Eius ad viuum depicta imago, inter cæteros eiuſdem Ciſterij Abbates viſitur in aula magna, poſt Ioannem de Barro, cum duobus carminibus.

*Nominis eiuſdem caput alter poſtea ſedem,*
*Officium meruit ſumptus de Cardine fungi.*

D *Gaſpar Iongellinus, Vghellus, Erizonius, Ciaconius* in aſſignatione inſignium variant. Iongellinus *in Purpura D. Bernardi*, communia pinxit Ordinis Ciſtercienſis. Frizonius, & Ciaconius ſcutum tribuerunt, in cuius limbo octo ſunt Lilia Gallica, & faſciolç ſegmentatæ. Vghellus ſuprapoſita adiecit. Diſſonant etiam circa titulum Cardinalitium *S. Laurentii in Lucina*, quem oblatum legimus Petro de Sortenaco, aliàs de Bernia, vnde creditur Cardinalis fuiſſe ſed ſine titulo Morte prçuentus, Deo indulgente

gentequieſcit non cum Sciſmaticis ſedcum Catholicis.

Lege Henriquez *in faſciculo SS. Ciſter.* Mirçum *Chron. Ciſter.* Andream Ducheſne; Auberii.

Inſignia hic omittimus, quòd in eis duo non concordent; ſed in penicillo quiſque diſſonet.

20\. *Diſſimulans peccata hominum, propter pœnitentiam.* Sap. 11.



GVido *de Malſec* Gallicè, Latinè *de Malaficte*, vel *de Maloficco* natu Gallus nomen & dominium in Tuttellenſi diœceſi obti- A
nens de Malſec (ſi Frizonio fides) etiam caſtri Lucij dominus, nepos ſorore ſummi Pontificis Gregorij XI. & Nicolai Rogerij Rothomagenſis Archiepiſcopi abnepos, Decretorum doctor, Apoſtolicus Referendarius.

Poſt Haimericum, Lodeuenſis Antiſtes 68. poſtea præſul Pictauienſis, Anno 1369. & Anno 1375. in Secunda Cardinalium promotione Presb. Card. aſſumptus tit. *S. Crucis in Hierusalem*, à Gregorio XI. Auenione, Annos 28. tranſegit in Cardinalatu.

Mortuo auunculo Gregorio XI. & Sede Petri Romam Auenione reſtituta, poſt electionis calculos, B
Romæ, Vrbano VI. Pontifici aduenit, & vt legitimè electo reuerentiam præſtitit, & adorationem: deinde nomen dedit Clementi VII. Antipontifici, à quo legatus ad Anglos, vt in eius obedientiam alliceret Richardum Regem. Tornaci plures dies manſit ab hoſtibus impeditus, tandem dimiſſus à Rege, qui ab Vrbano VI. recedere detrectauit. Promouit poſteà Benedictum XIII. ſiue Petrum de Luna, cuius partes tamdiù conſectatus eſt, donec Orbis Vniuerſus Piſis conuenit pro ſciſmate abrogando. Tunc mentem indutus ſeniorem, relicto Benedicto, ad Concilium venit Piſanum, vbi à cæteris Cardinalibus exceptus tanquàm germanus ſenator, & C
omnium tunc viuentium Cardinalium antiquiſſimus Miſſam celebrauit de Spiritu Sancto, teſte Monacho Dionyſian. M. S. *apud Spondanum. Anno* 1409. *n.* 3. Suppreſſis Gregorio XII. & Benedicto XIII. de Pontificatu æmulis, ſimul cum facto ſenatu Alexandrum V. elegit Anno 1409. à quo confirmatus in Epiſcopatu *Prœneſtino*, ad quem tranſlatus fuerat à Clemente VII. Antipapa; coronauit poſtea etiam Ioannem XXIII. Alexandri ſucceſſorem, à quo iterum legatus in Galliam, pro grauiſſimis Eccleſiæ negotiis Pariſijs vitam poſuit. 8. Idus Mar. Anno 1411. apud Prædicatores ſepultus cum ſequenti epitaphio, apud Nomenclatorem *p.* 15.

*D. O. M.*

*In Aquitaniæ parte Galliæ, nobiliſſima familia Maleſiccorum vetuſtate, ac ſingulari virtute præclara à Maleſicco nomen habet. Ea in Gente viri Clariſſimi, vnde orta ſunt Aquitaniæ quondam lumina, Viri rerum geſtarum magnitudine florentes, alij Equites Aurati, ſancti Pontifices, alij Præfecti. Ex ea generis claritate prodijt Guido à Maleſicco dicti loci, & Caſtri Lucij Dominus, in doctrinarum, virtutumque genere propè abſolutus, cuius acta permulta Annalibus conſcripta, his breuibus non capiuntur anguſtijs. Is Vir ſumma prudentia, ampliſſimiſque meritis creatus fuerat Lodeuēſis Pontifex, deinde Pictauienſis, poſtmodum eſt cooptatus titulo Prœneſtini Cardinalis, in qua dignatate cum octauo, & trigeſimo floruiſſet anno, tandem Legatus apud Regem Gallorum nomine Pontificis Maximi ſui Auunculi Lutetiæ honeſto mortis genere quieuit, octauo Idus Martij anno autem M. CCCCXI. cuius corpus in hac cella, & hoc ſaxo ſepultum eſt magno cum omnium luctu, ac deſiderio, donec propinquorum ſententia ad maiorum ſepulchra transferatur.*

*Diues opum Guido, forma, bonitatis, & artis*
*Ditior, hocque magis diues honoris erat.*
*Plura darent Superi niſi fatum plura negaret.*
*Quo maiora darent, euolat ad Superos.*

21\. *Auari regnum Dei non poſſidebunt.* 1. Cor. 6.



IOannes *de la Grange* Gallicè, Latinè *de Grangia*, aliis de Bucca machijs, patri Lugdunenſi, frater Stephani à Grangia Principis ſenatus, in Parlamento Pariſienſi, Decretorum Doctor, Archimandrita Ordinis Benedictini, & Abbas Sandionyſianus; Præſes Curiæ Iuuaminum, ſeu Auxiliorum Lutetiæ, Anno 1370. teſte *Claudio Roberto in catalogo Præſulum Auenionenſium.*

Magna exiſtimatione habitus à Carolo V. Gallorum Rege, educandæ propterea Regiæ proli præfectus, litteris ſuper ea re datis Meloduni, menſe Octobri, An. 1373. poſtmodum rerum Gallicarum Miniſter primarius vſque ad obitum Caroli V. indignationem ſubijt Caroli VI. accuſante eum populo, tanquàm grauaminum, & gabellarum auctorem, quas in proprium vſum impendiſſet Ioannes. Hinc nondum vnctus filius defuncti Regis, cum in familiari colloquio dixiſſet ad *Sauenſium*, qui erat à theſauris, *Ecce iam ſauenſi ab hoc ſacerdote liberi erimus* (vt à pud Gaguinum in Carolo 6.) his auditis Ioannes Epiſcopatu relicto, in Belgium ſeceſſit; quæſtione excitata inter regios miniſtros, *quinam eſſent Reipublicæ magis proficui? Laici, vel Eccleſiaſtici?*

Ambianenſis Antiſtes Anno 1372. poſtea Presbyter Card. tit. *S. Marcelli*, Auenione creatus à Gregorio XI. Anno 1375. in ſecunda Patrum promotio-
D ne eumdem comitatus eſt maritimo itinere Romam petentem, in quo naufragium paſſus, vix entrauit vndè Petrus Alectenſis Auguſtinianus in ſuo Itinerario: *Mare præceptis ac nutibus tui Principis in nullo obtemperas, Nobilem Ambianenſem Cardinalem ſine cauſa cur infeſtas, oritur tempeſtas horribilis, anchora frangitur, & galea latus aperitur.*

Romam cum peruenisset Gregorius XI. cum Florentinis bellum habuit ſatis periculoſum: proinde illuc Legatus Ioannes ad res amicè componendas, teſte

reſte *Aretino*, *& Poggio de Rebus Florent.* Luca ciuitas eſt deſignata pro fœdere ineundo, in quam contendens Ioannes pacem decreuit, quam, morte audita Pontificis, interſectam reliquit, Romam rediens, vbi Vrbanum VI. inueniens creatum Pontificem adorauit, proque vero Pontifice agnouit; deinde ab eodem malè acceptus, & auaritiæ accuſatus, cum alijs Cardinalibus Gallis Roma digrediens, Fundos profectus, Clementem VII. Antipapam, creandum aſſumpſit, à quo dictus Ep. C. *Tuſculanus* Anno 1379. parum memor inſtituti ſui, publicique A commodi, ac pietatis, Antipapæ partibus mordicùs ſuſceptis, in eius etiam obedientia mori voluit: quamuis ſcribat Frizonius, Ioanni XXIII. legitimo Pontifici, ante obitum præſtitiſſe obedientiam, & in Gallias redijſſe. Quod omnimode à veritate alienum: quia Ioannes XXIII. Papa electus eſt Anno 1410. Cardinalis verò de Grangia mortalitatem expleuit Anno 1402. vt ex epitaphio ad eius tumulum appoſito. Imò in Piſano Concilio, Anno 1409. duo fuerunt Epiſcopi Cardinales, Italus vnus *Henricus Minutulus* Bonifacii VIII. Gallus alter *Petrus Gerardius* ſectator Benedicti XIII. Antipapę, qui alijs abdicatis, legitimum creauere Pontificem, Alexan- B drum V. à quo, cauſa tollendi ſciſmatis, Minutulus Sabinenſi donatus eſt Epiſcopatu: Petrus Gerardius Tuſculanam rexit Eccleſiam.

Iacet Ioannes Ambiani, in Eccleſia Cathedrali Deiparæ ſacra cum ſequenti epitaphio, non Aueniome apud S. Martialem, vt vult Ciaconius.

*Epitaphium ex Nomenclatore.*

*Hic iacet R. R. in Chriſto pater Dominus D. Ioannes de Grongia Abbas Fiſcanenſis, deinde Epiſcopus Ambianenſis, poſtremò verò S. R. E. Cardinalis Tuſculanus, qui obijt Anno Dom. M.CCCC.II. die XXIV. menſis Aprilis.* C *Orate Deum pro eo, vt requieſcat in pace in Paradiſo.*

Multa poſteritati reliquit ingenij ſui monimenta. Eius meminit S. Antoninus *par.* 3. Paulus Æmilius, & Ioannes Iuuenalis Vrſinus vt viri in politia exercitatiſſimi.

Eius Icon, & ſcutum viſuntur in feneſtra vitrea Eccleſiæ S. Dionyſij à carcere ſitæ in inſula Vrbis Pariſienſis: nigrum habet indumentum, tanquàm Religioſus Benedictinus cum purpurato galero.

22. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Pſal. 2.



PEtrus de Bernia, Cadurcenſis è Sortenaco, vtriuſque Iuris doctor, Auditor cauſarum Palatij Apoſtolici, ex Epiſcopo Viuarienſi, Cardinalatum conſequitur Presbyteralem, tit. S. *Laurentij in Lucina*, Anno 1375. dante Gregorio XI. & officium examinandi crimina à Florentinis commiſſa, ob quæ fuerant ſacris interdicti. Sic loquitur Gregorius in diplomate Auenione, 12. Kal. Maij, Anno ſexto Pontif. *Dilectus filius noſter Petrus tit. S. Laurentij in Lucina Presb. Card. cui ad cautelam, & maiorem certitudinem præmiſſorum, oraculo viuæ vocis commiſimus, vt ſe de eis informaret, quæ per informationem huiuſmodi reperiret, Nobis poſtmodum relaturus, eadem informatione per ipſum diligenter, & debitè recepta Nobis in Conciſtorio retuliſſet, ea eſſe notoria, & etiam manifeſta.* Promouit Petrus Vrbanum VI. & paulò poſt Antipontificem Clementem VII. ei obiecit, in cuius obedientia ſciſmaticus deceſſit Auenione, Anno 1384. ſub larua Archiepiſcopi Sabini, quam obtinuerat ab Antipapa. Sciſma fouiſſe cum aliquando ab amico redargueretur inſanè reſpondit: Nil intereſſe, ſi Eccleſia geminum pateretur Papam, cum tantos ſupportaret Epiſcopos. *Ciaconius, Frizonius, Aubery, Contelorius.*

Inſcriptio Moderna.

*Petrus de Bernia Cadurcenſis*
*Epiſcopus Viuarienſis, & Cardinalis S. Laurentij,*
*Legibus clarus, ſciſmate notus*
*Deo præferens Antipapam ſuum*
*Hunc benedicere creditur, vbi ſemper maledicitur.*

23. *Non reſurgent Impij in iudicio.* Pſal. 1.



FR. Gerardus de Podio, Gallicè *Du Puy*, qui ab Arnaldo Vuione in *Ligno Vitæ*, & Guillelmo da Carel *l.* 5. *Hiſtor. Langued.* *Gerardus* vocatur *de Loy*, Monachus Cluniacenſis, frater Petri de Podio Abbatis S. Florentij ad Ligerim, iuxtà Salmurium, & poſtea maioris Monaſterii cœnobiarchę, qui obiit Anno 1363. ſepultus in Capella S. Florentij.

Gerardus itaque patria Lemouicenſis, Archimandrita Maioris Monaſterii Turonenſis poſt fratrem Anno 1373. ex Abbate Epiſcopus S. Flori, poſtea Carcaſſonenſis Anno 1375. tandem Cardinalis Presbyter tit. *S. Clementis* in ſecunda Patrum creatione promotus Auenione, à Gregorio XI. Anno 1375. & S. R. E. maior Pænitentiarius. Eidem Vultum Sanctum monſtrari iuſſit vt Abbati Maioris Monaſterij, vulgò Veronicam. Greg. XI. datis Aueniο- D ne litteris Anno 1370. apud *Bzouium*. Eidem vę Cardinali examen committitur Reuelationum D. Brigittæ viduę, teſte *Turrecremata ep. ad omnes Chriſti fideles.* Abminiſtrator Patrimonij D. Petri, & ciuitatis Peruſinę poſt obitum Philippi de Cabaſſole Card. legati, Anno ineunte 1376. cum Florentinis conſpirante Peruſio, ignominioſè eijcitur, & ſpoliatur.

Defuncto Gregorio, comitiis adſuit creandi Vrbani VI. in quem poſtea cum aliis Cardinalibus excitauit Antipontificem Clementem VII. Anno 1378. & Petrum Guntelinum Gallum præfectum

arcis

arcis Hadriani in partes Sciſmaticorum traduxit, nè eam Vrbano aperiret; propterea Cardinalem Maioris Monaſterii acerrimè Pontifex increpauit. Anagniæ ſtans Gerardus Arelatenſem Papę Vrbani Camerarium, ſed fugitiuum eum crucibus, thiaris, veſtibus pretioſis, totaque ſuppellectili ſacra excepit humaniter, & in ſciſmate confirmauit.

Auenione occubuit Sciſmaticus XVI. Kal. Martii. An. 1389. & excommunicatus vel ſciſma non timens, vel Vrbanum abhorrens tanquàm metu creatum.

*Ciaconius, Panuinius, Frizonius, Auberii: Arnol. Vuion in ligno Vitæ.*



Inſignia hic appoſita ex eius ſigillo deprompſiſſe teſtatus eſt Oldoinus.

24. *Quis eſt hic? & laudabimus eum.*
Eccl. 31.



PEtrus de Tartaris Romanus natu, gentis ac patriæ nobilitatem eximiis virtutibus cumulauit. Is primò Monachus Ordinis Montis Oliueti, deinde Abbas S. Laurentii extra muros Vrbis, poſtea Abbas Caſſinenſis 81. à Gregorio XI. creatus maxima totius ſodalitii gratulatione diu Monachos rexit, Annis quippe vndeuiginti, menſibus octo, diebus 19.

Petrum hunc de Tartaris Ciaconius Presbyterum Cardinalem S... promotum à Gregorio XI. in ſecunda lectione Patrum recenſet, & vulgo dictum Cardinalem *Reatinum*: qui poſtea priuatus fuerit Cardinalitia, & Abbatiali dignitate ab Vrbano VI. An. 1385. quadriennio verò poſt, ideſt Anno 1389. in integrum reſtitutus à Bonifacio IX. die 4. Iunii teſte Thoma Vvalſingamo, qui tunc viuebat, hiſtoria breui, ad Annum 1385. *Poſt finem ſermonis Papa cum Cardinalibus non priuatis, erecta Cruce, & accenſis candellis, excommunicauit Regem Carolum, & Reginam, Antipapam, & AntiCardinales, Abbatem Montis Caſſini, quondàm Reatinenſem Cardinalem & prædictos ſex quondàm Cardinales.* Et infra ad Annum 1388. *Sex mox aduentum Papæ Abbati de Monte Caſſino ſignificare curarunt (hic erat quondàm Cardinalis Reatinenſis, ſed degradatus fuerat per Papam præfatum) hic illicò collecta manu militari explorauit aduentum Papæ, quem oportuit omninò tranſire per locum iſtum: qui cum veniſſet ad partes eius ei reſiſtit, & eius tranſitum prohibebat. Papa verò, quem nimius amor ſoli patrij detinebat, confectis bullis de reſtitutione ſua ad Cardinalatum, & gradum Doctoratus, necnon Abbatia Montis Caſſini honorem, deſtinauit illi hæc omnia ea conditione, vt permitteret ſe tranſire, & reuiſere natale ſolum cui Abbas reſpondit, ſe quidem non egère bullis eius; ad reſtitutionem dignitatum, quibus & donatus, & inueſtitus à prædeceſſore ſuo fuit, cuius temporibus non erat Sciſma in Eccleſia, qui & cognitus eſt vniuerſaliter pro Papa Romano.* Hæc Thomas. Reſtitutionis autem eius modus in fragmentis quibuſdam Catalogorum Abbatum Caſſinenſium, his verbis exprimitur. *Anno 1389. fuit reſtituta dignitas huic Abbati [ſcilicet Petro Tartaro] per Papam Bonifa-*
A *cium IX. & Abbatia Caſſinenſis, quæ ei à Papa Vrbano VI. ablatæ fuerant: mandans per quoddam vniuerſale priuilegium, directum omnibus Vaſſallis Monaſterij Caſſinen. vt obediant dicto Petro Tartaro, quem reſtituerat in Abbatem Caſſinen.* Et infra: Eodem Anno Papa Bonifacius IX. per ſuum quoddam priuilegium abſoluit ab excommunicatione, & alijs pænis ipſum Abbatem Petrum de Tartaris cum ſuis famulis, & familiaribus, qui interfuerant obſidioni Vrbani VI. R. P. Immò inter primos defenſores eiuſdem Pontificis oſtendere conatur ex litteris Anno 1. Pontif. directis ad Petrum; quæ fuere.

*Vrbanus Epiſcopus dilecto filio Petro Abbati Monaſterij*
B *Montis Caſſinenſis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Boni rumores, quos quotidie de tua fidelitate, & ſinceritate ſentimus, mentem noſtram ſaturatam varijs tribulationibus plurimum conſolantur. Tu itaque fili, ſicut cæpiſti, perſeuera: quia prout ſperamus in Domino, qui non derelinquit ſperantes in ſe, finis præſentibus aduerſitatibus imponetur. Tu, & alij deuoti filii noſtri, & Eccleſia Romana gaudebitis per viam rectitudinis ambulaſſe. Datum Romæ &c.* Anno deinde ſecundo, quo magis ſeuiebant ſciſmatici; alteras eidem Petro longè copioſiores dedit epiſtolas.

*Vrbanus Ep. &c. dilecto filio Petro Abbati Mon. Caſin. &c. Dignum cert, & rationi congruum arbitramur, vt*
C *quæ in omnium iniuriam & offenſam nequiter perpetrantur, ad communem omnium proferantur notitiam, & deducantur in publicam notionem. Nuper ſiquidem cum filii Belial, videlicet Robertus olim Baſilicæ XII. Apoſt. vulgariter dictus Gebennenſis. Io: olim tit. S. Marcelli, vulgariter dictus Ambianenſ. Geraldus olim tit. S. Clementis vulgo dictus Maioris Monaſterii, Presbyteri: & Petrus olim S. Euſtachii Diac. Card. neſcientes in ſemitis iuſtitię dirigere greſſus ſuos, & Deum præ oculis non habentes, contra nos diuerſas conſpirationes, collegationes, & machinationes facere, & ſciſma in Dei Eccleſia ponere, & Ciuitatem noſtram Anagninam & nonnullas alias Terras noſtras, & Romanæ Eccleſiæ occupare, & occupari facere, &*
D *quamplures alios exceſſus graues perpetrare, & committere præſumpſiſſent; ac deinde per nos paterno zelo moniti, vt ab huiuſmodi exceſſibus deſiſtere, & ab eorum erroribus reſipiſcere vellent; ipſi more aſpidis ſurdæ obturantes aures ſuas, & nolentes intelligere, vt benè agerent, in profundum deſcendentes malorum, cum nonnullis aliis, quos cum eorum diabolicis ſuggeſtionibus ad eorum iniquum propoſitum ſequendum attraxerunt, congregati in Ciuitate Fundana, in domo iniquitatis filii, Honorati Caietani, olim Comitis Fundorum, prædictum Robertum Antipapam temerè*

*mere elegerunt, quem Papam nominare, & nos non eſſe Papam aſſerere, & prædicari facere damnabiliter præſumpſerunt, atque præſumunt; cumque ad præmiſſa tam Petrus olim Archiepiſcopus Arelatenſis, & Camerarius noſter, quàm etiam Iacobus olim Patriarcha Conſtantinopolitanus, Nicolaus olim Archiepiſcopus Cuſentinus, Petrus olim Vrbeuetanus, Gulielmus olim Vrbinas, Petrus olim Montis Flaſconis, Ioannes olim Gebennen. & Frãciſcus olim Caracenſis, Epiſcopi, & Bertrandus Raffini, olim Clericus Cameræ Apoſtolicæ & Maſſellus Caſilli, olim Rector Eccleſiæ S. Mariæ Pedisgriptæ propè Neapolim, ac etiam iniquitatis filius Honoratus Caietani prædictus, Antonius olim Comes Caſertanus. Franciſcus de Vico, olim Præfectus Vrbis,* A *Ioannes de Malateſta Nicolaus Spinellus de Iuuenacio, aliàs dictus de Neapoli, Silueſter Budæ, Bernardus de la Sala, Petrus de la Saga milites, & Quiſboneſtus de la Sala Domicellus, dediſſent auxilium, conſilium, & fauorem, ac multa alia mala, & enormia contra nos, & Romanam Eccleſiam operati fuiſſent, & præfata omnia adeò tunc forent, prout ſunt, notoria, quòd nulla poterant tergiuerſatione celari: tandem nos contra omnes prædictos, de fratrum noſtrorum conſilio, debitis iuris ſolemnitatibus obſeruatis, certos ſucceſſiuè proceſſus fecimus, per quos declarauimus ipſos omnes fuiſſe, & eſſe ſciſmaticos, apoſtatas, & blaſphemos, & contra nos Conſpiratores, & reos criminis leſæ Maieſtatis, & tanquàm hæreticos puniendos, prædictuſque Robertum, Ioannem Geraldum, ac Petrum olim Cardinales, à Cardinalatibus dictæ Romanæ Eccleſiæ, & ab omni Cardinalatus commodo, & honore, ac prædictus olim Patriarcham, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ab omnibus etiam Pontificalibus, & quibuſcumque alijs Dignitatibus, & honoribus Eccleſiaſticis; ac Bertrandum, & Maſſellum, etiam quibuſcumque Dignitatibus, Perſonalibus, & Officijs, ac Beneficijs Eccleſiaſticis, necnon Honoratum, & Antonium, olim Comites, Franciſcum de Vico, olim Præfectum, Nicolaum Spinellum, Silueſtrum, Bernardum, Petrum de la Saga, & quiſbonetum, omnibus dignitatibus, honoribus, & gratia militia, ac cingulo militari fuiſſe, & eſſe priuatos, ipſuſque priuauimus, ac omnium prædictorum bona mobilia, & immobilia, ac Iura, & Iuriſdictiones fuiſſe, & eſſe confiſcata, & confiſcauimus; ipſoſque omnes fuiſſe, & eſſe excommunicatos, & anathematizatos, & incidiſſe in diuerſas pœnas, & ſententias, tàm à iure, quàm ab homine in talia perpetrantes inflictas, & promulgatas, ipſorumque perſonas deteſtabiles, & infames fuiſſe exponendas, & expoſuimus à Chriſti fidelibus capiendas. Et inſuper voluimus quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles, qui Crucis aſſumpto charactere, ad prædictorum Roberti, Ioannis, Geraldi, & Petri & aliorum damnatorum huiuſmodi captionem, & exterminium ſe accingerent, & eos pro poſſe perſequerentur; illa gaudeant indulgentia, illoque priuilegio ſint muniti, quæ accedentibus in Terræ Sanctæ ſubſidium conceduntur, prout in diuerſis noſtris inde confectis litteris in Romana Curia, & alijs diuerſis partibus publicatis; plenius continetur. Cupientes igitur, quòd præmiſſa omnia ad communem notitiam Chriſti fidelium deducantur, & ipſi fideles à prædictorum peruerſorum, qui alios ad præcipitium ſecum trahere moliuntur, aſtutijs præſeruentur, ac de tua prudentia, & circumſpectionis induſtria ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus, & præcipiendo diſtrictè mandamus, quatenus fidei loricam induens, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, aſſumens, contra prædictos ſciſmaticos, ac Dei, & eius Sanctæ Eccleſiæ inimicos, & adhærentes, & fauentes eiſdem, aduerſùſque omnes alios, qui famam noſtram denigrare, vel eorum falſis latratibus contra ſtatum, & honorem noſtrum, vel dictæ Eccleſiæ aliqua dicere, vel facere præſumpſerint, & præſertim contra iniquitatis alumnum, Ioannem olim Epiſcopum Aquinatenſem, qui prædictis Damnatis notoriè adhæret, & fauet, te accingas, & tanquam verus dictæ fidei pugil inſurgens, tàm in publicis, quàm etiam priuatis ſermonibus, & prædicationibus innocentiam noſtram, & Eccleſiæ prædictæ cauſam defenſurus aſſumas.* A *Nos enim tibi capiendi, ſeù capi faciendi, & carceribus mancipandi prædictos damnatos, & alios eidem Roberto Antipapæ credentes, & adhærentes, ſeù fauentes, & receptatores, & defenſores eorumdem damnatorum, & contra ipſos procedendi, nec non contradictores quoſlibet, & rebelles, cuiuſcumque dignitatis, gradus, ſtatus, præeminentiæ, Ordinis, vel conditionis extiterint, etiamſi Regali, aut Reginali, vel Imperiali, aut Pontificali, ſeù quauis alia Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſpoſita compeſcendi, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, non obſtantibus &c. plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Dat. Romæ, &c.*

B Petrum verò Abbatem, Vrbani VI. mandatis ſtudioſè, celeriterque fuiſſe obſecutum, ex litteris ab eo promulgatis aduertitur.

*Nos* [inquit] *volentes tanquam obedientiæ filij humiliter, & obedienter obedire mandatis Apoſtolicis, vt tenemur; vobis omnibus, & ſingulis, Prioribus, Abbatibus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Canonicis &c. de Terris Epiſcopatus, & Diœceſis Aquinatenſis, ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus in Eccleſia veſtra Populo coadunato, prædictis, dicatis, & pronuncietis vulgari Sermone, prædictum Ioannem olim Epiſcopum Aquinatenſem fuiſſe, & eſſe excommunicatum, ſciſmaticum, Apoſtatam, & Blaſphemum, &c. & reum criminis leſæ Maieſtatis, & contra* C *dictum Dominum noſtrum Papam, & Romanam Eccleſiam conſpiratorem, &c. ipſumque pro Ioanne priuato, & excommunicato, & anathematizato, & non pro Epiſcopo Aquinatenſi, nominari faciatis, nec nominetis, ſub pœna excommunicationis, & priuationis beneficiorum, & officiorum veſtrorum, quam in vos, & veſtrum quemlibet, ſi noſtrorum mandatorum (quod non credimus) contemptores fueritis, canonicis monitionibus præmiſſis, pro tribunali ſedentes proferimus in ſcriptis, vos, & veſtrum quemlibet incurrere volumus ipſo facto &c.*

Quamuis autem Vrbanus hiſce maximi momenti mandatis luculenter oſtenderit, quantum ſingulari Petri Abbatis ſapientiæ, rerumque gerendarum D maximo vſui, ac peritiæ deferret; adhuc tamen multò euidentius teſtatum reliquit, directo ad eumdem, quod hic ſubijciemus diplomate. *Vrbanus Epiſcopus &c. Dilecto filio Petro Abbati Monaſterij Caſinenſis, &c. Cum nos dudum ex certis, iuſtis, & rationabilibus cauſis, iniquitatis alumnam Ioannam olim Reginam Siciliæ, tanquam hæreticam, & ſciſmaticam, omnibus Regnis, & feudis, ac bonis, quæ ipſa olim obtinebat, priuatam fore declarauimus, & ipſam etiam priuauerimus, & propterea Regnum Siciliæ, quod ipſa Ioanna à Romana Eccleſia te-*

*nebus in feudum, cuiuſque ſupremum dominium, & omnimoda diſpoſitio ad nos, & eamdem Eccleſiam pertinet, vacauerit, & adhuc vacare noſcatur; Nos volentes quantùm cum Deo poſſumus, eiuſdem Regni, & Incolarum, ac habitatorum ipſius indemnitatibus præcauere; Te Vicarium noſtrum in temporalibus, in omnibus Caſtris, Terris, Villis, & locis Monaſterij tui Caſinenſis, tenòre præſentium vſque ad noſtrum beneplacitum conſtituimus, & etiam deputamus, & inſuper diſcretione tua exercendi, durante huiuſmodi beneplacito, auctoritate Apoſtolica per alium, ſeù alios ad hoc idoneos, in omnibus Caſtris, Terris, Villis, & locis prædictis, cum infra dictum Regnum exiſtant, temporalem iuriſdictionem cum mero, & mixto imperio, prout opportunum fuerit, ac ſtatui, & honori noſtro, & Romanæ Eccleſiæ prædicta videris expedire, plenàm, & liberam concedimus tenore præſentium poteſtatem. Datum Romæ &c.*

Regis quoque Caroli III. Regis Neapolis animum promeritus ſuppeditatis ad Regnum recuperandum auxilijs, totius Regni Magnus Cancellarius ab eo eſt, vt ex priuilegio ad ipſum Petrum Abbatem concepto. *Conſtantiſſimus, & tenaciſſimus Cultor fidei apud Sanctiſſimum D. N. Papam, ac S. Romanam Eccleſiam fuiſti, zelator noſtri nominis, & honoris, amator bonorum, correptor reproborum, quem non terruerunt tempore turbinum horrenda, & formidāda pericula: ſed quantò humana perfidia periculoſius te inuaſit, tantò fortior, & robuſtior, armatus veritatis clypeo ſurrexiſti ad pugnam, in virtute diuina, & fide Catholica, ad aliorum Regulam, & doctrinam difficultatem rerum, & ponderum ſuperando.*

Hæc vera fuerint? vel vanè excogitata, & ad excuſationem falsò inuenta? nodum ſoluant peritiores. Theodoricus namque Niem *lib. 1. ſciſmatis. cap. 37.* fuga & ſeceſſu Cardinalium expoſito aduersus Vrbanum V. ita ſcribit: *Neapolim acceſſi, cæteros de ipſis Cardinalibus, & Curialibus ibidem repertos ſollicitando, vt redirent ad ipſum D. Papam, prout ſublata mora fecerunt, excepto Cardinali Reatinenſi, qui nunquam ad eundem Papam redire voluit, Neapoli ſubſiſtendo, & res nouas contra ipſum ſollicitando, de quibus non modica poſt hæc ipſi Papæ, & Cardinalibus diſpendia.* Ipſe autem Cardinalis Reatinus ille fuit, qui omnium primus cum Bartolino de Placentia procuratore in Curia Romana cœpit quæſtionem exponere, & agitare; *An propter negligentiam Papæ, vel eius proteruiam, ex qua periclitatur Eccleſia Dei, poſſit ei dari Curator per Cardina-*
A *les?*

Si conſideretur itaque tanquam Cardinalis *Reatinas*, vt nominari ſolebat, acerrimus fuit hoſtis Vrbani VI. R. P. ſi verò tanquàm Abbatem Montis Caſſini, & Cancellarium Caroli V. Regis Neapolis appellemus, Ducem militiæ Regiæ & caſtrorum Præfectum in obſidioue caſtri Luceriæ, in quo incluſus erat Vrbanus Papa cum ſuis Curialibus, diſſimilem non inuenio apud eundem Theodoricum à Niem *lib. 1. c. 54.* è cuius manibus Pontifex vix euaſit adiuuantibus Germanorum copijs.

Nec latet, Cardinalem hunc Reatinum, Ciaconio, & Panuinio fuiſſe, non *Petrum de Tartaris, ſed*
B *Bartholomæum Mezzauacam* patria Bononienſem, Cardinalem creatum tit. *S. Marcelli* ab Vrbano, ab eodemque depoſitum, & poſtea à Bonifacio IX. reſtitutum. Sed quomodo Vvalſingamo tunc viuenti, & ſcribenti reſpondeam? non habeo. Lege Spondanum n. 3. An. 1384.

Deceſſit Petrus [auctore Marco Ant. Scipione] tertio Non. vel pridie Non. Iunij; An. 1395. in Mōte Caſſino perhonorificè ſepultus; ſed omnia incerta.

## Diaconi Cardinales.

15. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Matth. 23.



IAcobus Vrſinus natu Romanus, frater comitis Nolani, moribus pius, Iuriſprudentia clarus, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis *S. Georgij in Velabro* promotus à Gregorio XI. Anno 1371. coronauit Vrbanum VI. etſi extro ambitionis percitus, inuitatus à Gallis ad deponendum Vrbanum VI. quem ipſe elegerat, ſpe futuri Pontificatus, in eius depoſitione conſenſerit; deluſus tamen cum ad Gallos, & in Galliam vidit tranſlatam iterum Petri ſedem, dolore, mærore contabuit die 13. Kal. Septemb. 1374. Ad hunc habes litteras ſcriptas à S. Catherina Senenſi, Venetijs cuſas. Hunc Cardinalem Sanſouinus promotum dicit ab Vrbano V. ſibi contradicens, quod Iacobus duos promouerit Clementem VII. Antipapam, & Vrbanum VI. Si ab Vrbano V. promotus fuiſſet, tres promouiſſet, Gregorium XI. & Vrbanum VI. & Clementem VII. de eius obitu inconſtans Ciaconius ſcribit obijſſe ſub Clemente VII.
C Antipapa, Anno 1379. quod verius, die XV. Auguſti, in vico Varronis, cuius erat Dominus, in diæc. Tiburtina, ibique ſepultus.

Ciaconius, Panuinius, Auberij, Theodor. à Niem. Scipio Amirat. *Hiſtor. Florent.* Contelorius.

16. *In erroris via diutius errauerunt, Deos exiſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſuperuacua, infantium inſenſatorum more viuentes*, Sap. 12.

D 

PEtrus Flandrini Gallus patria Viuarienſis, Iuris Doctor Pontificij & Baiocenſis Decanus, Diaconus aſſumitur Cardinalis *S. Euſtachij iuxta templum Agrippæ*, Auenione à Gregorio XI. Anno 1371. Iudex delegatus in cauſa F. Ioannis de Latone Minoritæ, vnà cum Guillelmo Card. D. S. Angeli, tres damnauit errores.

1. Si Hoſtia conſecrata cadat, ſeù proyciatur in cloa-

cloacam, ſpeciebus remanentibus, ſub eis eſſe deſinit Corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis.

2. Si Hoſtia conſecrata à mure corrodatur, ſeù à bruto ſumatur, remanentibus dictis ſpeciebus, deſinit ſub eis eſſe corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis.

3. Si Hoſtia conſecrata à iuſto vel à peccatore, ſumatur; dum ſpecies dentibus teritur, Chriſtus ad Cęlum rapitur, & in ventre hominis non traycitur.

Examinauit etiam deliria Raymundi Lulij, *De inuocatione Dæmonum: & an infidelis teneatur obedire Canonibus Apoſtolicis?* eaque Gregorius XI. damnauit.

Gregorio defuncto promouit Vrbanum VI. An. A 1378. eodemque anno conſenſit in electione Clementis VII. Antipontificis, cuius in obedientia, Auenione, vita exceſſit, 10. Kal. Febr. 1381. ibidemque tumulatur ſciſmaticus.

Ciaconius, Frizonius Auberij, Panuinius, Contelorius.

27. *Tanquàm pueris inſenſatis iudicium in deriſum dediſti*, Sap. 12.



IOannes cum Frizonio, vel Petrus cum Ciaconio, & Panuinio, *de Verruco*, ſeù *de Vernego*, vel *de Verruto*, aut *Vernhio*, natione Gallus, patria Tutelenſis B laurea redimitus Iuris Pontificij, Eccleſię Rothomagenſis Archidiaconus, Auditor Sacri Palatij, Gregorij XI. Referendarius, Cardinalis Diaconus *S. Marię in via lata* aſſumitur Anno 1371. Vrbanum VI. cum liberè promouiſſet, eo deſerto bis ſciſmaticus duos inaugurauit Antipontifices Clementem VII. & Benedictum XIII. cuius in obedientia fato conceſſit, Auenione 1390. teſte Frizonio, qui oppidò fallitur, quia Petrus de Luna, cuius promotionis comitiis adſuit Ioannes de Verrucq Menſe tantum Septemb. 1394. proclamatur pſeudopapa; eodemque Anno ſubſcri- C bit eum Cardinalibus pro ſciſmatis extinctione, die 26. Septemb. Hieronymus Zurita inter Cardinales recedentes ab obedientia Benedicti XIII. Antipapę, *Petrum* recenſet ex Vernhio Diaconum Cardinalem patria Lemouicenſem. Ciaconius ipſe ſibi inconſtans poſtquam hunc Cardinalem retuliſſet mortuum, Anno Sal. 1390. eundem poſtea recenſet inter eos, qui vita exceſſerunt, ab Anno 1400. vſque ad 1409.

Ciaconius, Frizonius, Antifrizonius, Panuinius, Auberii, Florau. Martinel. de Diacon. S. Marię in via lata.

28. *Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur.* Matth. 12.



GVillelmus Nouelletti Gallus, patria Engoliſmenſis Legum Doctor ex Archidiacono Eccleſiæ Carnotenſis, in qua ſex recenſentur, Archidiaconi, quibus ſubduntur Decani rurales quindecim, Diaconus Cardinalis *S. Angeli* dictus à Gregorio XI. Anno 1371. & delegatus ab eodem ad examen errorum Raymundi Lulij; poſtea in Picenum miſſus, & Vmbriam, Bononiæ ſedem erexit Anno 1373. ibique per biennium regnauit pluribus arcibus erectis, & monimentis ſubſidiis, & extorſionibus ſubditos vexando, quibus irritatæ nationes, initium ſeditionis à Florentinis, duo explicuere vexilla, alterum communitatis Florentinæ. rubrum alterum, in quo cum litteris argenteis, & cubitalibus *Libertas* inſcripta: plures religioſos excarnificarunt; Vicarium Pontificium carceri addixerunt, deinde ſpoliatum cum ignominia abire coegerunt.

Promouit Guillelmus Pontificem vnum Vrbanum, & duos Pſeudopontifices, Clementem VII. & Benedictum XIII. quorum in obedientia bis ſciſmaticus obiit, Auenione, quarto Nonas Iulii, An. 1390.

Ciaconius, Panuinius, Auberii; Spondanus *in Annal.* Frizonius, Contelorius.

29. *In die illa proijciet homo Idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quę fecerat ſibi: vt adoraret talpas, & veſpertiliones.* 2. Iſaiæ. 20.

PEtrus de Luna Hiſpanus Diaconus Card. *S. Marię in Coſmedin* electus à Gregorio XI. C in ſecunda Patrum promotione, An. 1375. mortuo Gregorio, comitiis adſuit Vrbani VI. quem liberè elegit, ſed protinùs pęnitentia ductus Idolum erexit abominationis, Antipontificem promouendo Clementem VII. à quo legatus in Hiſpaniam, vt verum Pontificem Vrbanum VI. abiurarent, obtinuit, vt Clementem VII. ſuſciperent: quo mortuo, Petrus de Luna ſubrogatur nomine Benedicti XIII. Petri ſciſma præuidit Gregorius XI. quando enim Cardinalem eum declarauit, dixiſſe ei fertur, [teſte Spondano *ex M. S. Codice Eccleſię Burgalenſis*] *caueas, nè Luna tua patiatur Ecclipſim.*

Lege de eo apud nos *in vitis Rom. Pontif.*

## Vice Cancellarij S. R. E.

PEtrus de Monterueo P. C. tit. S. Anaſtaſiæ, S. R. E. Vice Cancellar. D

BArtholomęus Pregnanus Neapol. Archiep. Acheruntinus, poſt Barenſis Cancellarię Regens in Italia ab Anno V. ad finem Pontificatus.

# VRBANVS VI. P. CCII.

VRbanus VI. Quarto Idus Aprilis, Anno Sal. 1378. electus, obiit 3. Idus Octob. Anno 1389. Eius adfuere comitiis Romæ celebratis.

## Epiſcopi Cardinales Viuentes.

1. Anglicus de Griſaco Ep. C. Albanus abſens, Auenione erat. Ex Vrb. V.
2. Ægidius Ep. C. Tuſculanus abſens, Auenione ſedebat. Ex Innoc. 6. & Vrb. V.
3. Io: de Blanſaco Ep. C. Sabinus, aberat Auenione ſedens. Ex Innoc. 6. & Vrb. V.
4. Petrus Corſinus Ep. C. Portuen. Ex. Vrb. V. & Greg. XI.

A 5. Io: de Croſſo Ep. Præneſtin. Ex Greg. XI.

*Oſtienſis vacabat.*

## Presbyteri Cardinales.

6. Petrus de Monteroeo P. C. S. Anaſtaſiæ aberat. Ex Innoe. VI.

Ex Vrbano V.

7. Guillelmus de Agrifolio P. C. S. Stephani in Celio.
8. Franciſcus Thebaldeſcus P. C. S. Sabinæ.

Ex Greg. XI.

9. F. Bertrandus Logerij P. C. S. Priſcæ.
10. F. Guillelmus de Chinaco P. C. S. Vitalis aberat Auenione.
11. Robertus Gebennenſis P. C. SS. Apoſtol.
12. Simon de Borſano P. C. S. Io: & Pauli.
13. Hugo de Monte Longo. P. C. S. 4. Coronatorum.
14. Guido de Maloſieco P. C. S. Crucis in Hieruſalem aberat, teſte *Cacon.* aderat verò, teſte *Panuinio.*

B 15. F. Io: de Grangia P. C. S. Marcelli abſens in Tuſcia, superueniens conſenſit electioni Vrbani. VI.

16. Io: de Bernia P. C. S. Laur. in Lucina. Hunc Petrum appellat *Panuinius.*
17. F. Gerardus de Podio P. C. S. Clem.

## Diaconi Cardinales.

18. Hugo de S. Martiali D. C. S. Mariæ in portıcu, aberat Auenione.

Ex Gregorio XI.

19. Iacobus Vrſinus D. C. S. Georgij in Velabro.
20. Petrus Flandrini D. C. S. Euſtachii.
21. Guillelmus Nouelleti D. C. S. Angeli.
22. Petrus Verueco D. C. S. Mariæ in Via Lata.

C 23. Petrus de Luna D. C. S. Mariæ in Coſmedin.

## Epiſcopi Cardinales ab eo creati.

1 GVillelmus Patriarcha Hieroſolymitan. ex P. C. S. Stephani in Monte Cælio, Ep. C. *Tuſculanus.* Vide infra n. 7.

2 PHilippus de Alençonio, ex P. C. S. Mariæ Tranſtyberim, Ep. C. *Sabinus.* Vide infra nu. 8.

3 FRanciſcus Pregnanus ſeù Moricotus de Vico, ex P. C. tit. S. Euſebii, Ep. C. Præneſtinus. Vide infra n. 10.

4 PIleus Comes Pratę ex P. C. tit. S. Praxedis E. C. *Tuſculanus* vide infra n. 11.

D 5 IOannes de Piccolpaſſis, natu Bononienſis, Epiſcopus *Oſtienſis* dictus à Nicolao Paſqualino Alidoſio *lib. de viris Illuſtribus Bononien.* ſed per errorem, vt aduertit Vghellus *in Ep. Oſtien. p. 90. tom. 1. Italię*, ex inſcriptione lapidea Bononiæ in pauimento S. Proculi.

*Reuerendi in Chriſto Pa. D. Ioannis de Piccolpaſſis de Bononia Epiſc. Oſtonenſis ſpiritum Altiſſimo commendauit; Anno Dom.* 1383. *Menſe Iulij.* Vbi Alidoſius loco *Oſtonenſis* legit *Oſtienſis.* Vnde Vghellus ſeipſum corrigit *to. 1. Italia. S.* & ea, quę ſcripſit *in Addition. ad Ciaconium.*

6 Fran-

6 **F**Ranciſcus Carbonus, vel Carbonacius ex P. C. tit S. Suſannæ Ep. C. *Sabinus* Vide infra n. 45.



7 **G**Villelmus Patriarcha Hieroſolymitanus Succeſſor Ægidij Iſelnij in Ep. C. *Tuſculanum*, teſte Ciaconio, Anno 1378. promotus ab Vrbano VI. cum antea Presbyter A Cardinalis eſſet tit. *S. Stephani in Cęlio Monte*.

Vghellus in *Ep. Tuſculanis p.* 274. negat vnquàm ad purpuram aſſumptum fuiſſe Guillelmum, ſed Patriarcham, & Eccleſiæ Hidruntinæ adminiſtratorem fato ceſſiſſe, Anno 1392.

Frizonius Guillelmum de Gardia, purpura inſignitum refert Anno 1360. poſtea Hieroſolymorum Patriarcham, ex *Saxio*. Papyrius Maſsoous in Clemente VI. vocat Gardiam Guillotinum affinem Clementis, patria Lemouicenſem, & familia, quæ vſque in hodiernum diem nobilitate refulget. Fuit Guillelmus Ep. Arelatenſis, vnde a Draconeto de B monte Draconis, Guillelmus prò ſupremo eiuſdem municipij domino honoratus eſt ea lege, vt bello vrgente vel pace vigente, vrbis claues Epiſcopo redderentur Arelatenſi, Anno ſecundo ſui Epiſcopatus [ Ioanna domeſticis bellis preſsa, & Neapoli degente ] auctor Arelatenſibus fuit, vt in vrbe ducem crearent, qui apparatum bellicum curaret.

Ab eodem coronatum aſſerit Anno 1361. Carolum IV. Imperatorem, corona Arelatenſi, in templo S. Trophimi, præſentibus Sabaudiæ, & Borbonij ducibus, ac Prouinciæ ſeneſcallo.

In hunc Guillelmum inuehit Noſtradamus, obyciens cum Ludouico Ioannæ hoſte fædus percuſſiſse, C teſte *Alamanone*, apud quem Guillelmus impius, atheus, mortalium nequiſſimus exprobatur. Tabulas etiam Noſtradamus profert, quibus *Luqueto Gerardino de Piſtorio* perfidi præſulis cauſa delegatur, conſtatque diplomate illo, vrbes, municipia Arelatenſis Eccleſiæ, *Luquetum* Regiæ ſubiecisſe poteſtati, poſtmodùm de ſcelere cogniturum. Quæ omnia negat Frizonius; ex authenticis actis Guillelmum conſtanter exhibens ſpecimen optimi Præſulis.

Moriturus Guillelmus à Ioanne Francorum Rege, aſſignationis centum ſolidorum apud Belicadrum confirmationem obtinuit. Sacellum ſibi, patruoque Stephano conſtruxit in tumulum, & tres D Capellanibus, in quibus quotidie D. Bartholomæo, S. Margaretæ, ac vndenis Virginum millibus ſacrificaretur; in Petrum de Gardia Tutellenſem, iure tranſlato Patronatus.

Anno 1378. Guillelmum fato ceſſiſſe vult Ciaconius: Anno 1371. Frizonius. Diligenter tamen aduertas, plures fuiſse Guillelmos; Vnum Patriarcham Hieroſolymitanum; alterum Cardinalem tit. S. Stephani in monte Cælio: & fuit Guillelmus de Agrifolio: tertius fuit Guillelmus de Alta Villa: quartus Guillelmus de Curte Card. Ep. Tuſculanus; qui geſtis confunduntur, & nomine; memoriam, & veritatem obruente temporis ęuo.

8. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*
Pſal. 50.



**P**Hilippus Regij ſanguinis proles, filius Caroli Ducis d'Alencon, & Mariæ de Lacerda Hiſpanæ filius, in fonte baptiſmaris à Philippo Valeſio Rege patruo ſuſceptus, fratrem habuit Carolum ordinis Prædicatorum, Archiep. Lugdunenſem, qui renitens electus Anno 1367. Diuione Ioannem baptizauit Burgundię Ducem.

Epiſcopus Bellouacenſis, deinde Auxitaous, tandem Archiepiſcopus Rothomagenſis purpura ornatur Cardinalitia presb. *S. Mariæ transtiberim tit. Calixti*, prima Cardinalium promotione, Anno 1378, poſtea Ep. C. S. *Sabinus*, tandem *Oſtienſis* vices geſſit Romani Pontificis in D. Petri patrimonio, cum poteſtate ſcribendi milites, & ipſius Eccleſiæ oppida pignorandi, ea tempeſtate, qua Vrbanus Carolum III. Dyrrachij Ducem è Pannonia Neapolim euocauit contra Regiuam Ioannam ſeniorem, & Romæ Senatorem ac Reges Neapoleos coronauit.

Huius belli cauſam dedere Cardinales, qui poſt tertium ab electione Vrbani menſem, cum aduerterunt Pontificem nec purpuratis parcere, Ioannæ Reginæ freti auctoritate, vim & metum in Vrbani electione cauſantes, Menſe Septembri, Robertum Cardinalem Gebennenſem elegerunt in Antipapam nomine Clementis VII. qui anno ſequenti Salutis 1379. Auenionem cum Regina Ioanna ſe recepit. Dyrrachius armis toto regno potitus, An. 1381. Ioannam Neapolim reuerſam, eodem mortis genere afficit, quo illa Andream Regem maritum ſuum. Sic dies clauſit Ioanna poſtquam quatuor accepiſſet maritos. Neapoli iacet prope ſepulchrum parentis Caroli, cum ſequenti epitaphio, quod ſucceſſores tolli curarunt.

*Inclyta Parthenopes iacet hic Regina Ioanna.*
*Prima, prius fęlix, mox miſeranda nimis.*
*Quam Carolo genitam multauit Carolus alter*
*Qua morte illa virum ſuſtulit ante ſuum.*

Vita functo Murcado Patriarchæ Aquileienſi Philippus ab Vrbano ſubrogatur, reclamantibus Vtinenſibus, ac magnatibus Carni, & Fori Iulij, nolentibus tantum Sacerdotium turpiter Cardinalibus mancipari. Philippus porrò vi quæſiturus, quod non dabatur patienter, copias implorauit Pontificis, Ludouici Pannonię Regis, & Franciſci Carrarij Principis Patauini, quibus per ſex annos, Vtinenſes vexauit, vt ad obſequium Vtinenſes retraheret Sacris antea à ſe interdictos. *Iacob Canacius lib. 4. hiſtor.*

S. Iu-

*S. Iuſtinæ*. Pontifici tandem auſtero rebellis factus, ne à Gallis diſſonaret, qui partes tuebantur Antipapæ, propterea omni dignitate expoliatus, galero etiam Cardinalitio periuit contumax, & Vrbano ſuperuixit, donec à Bonifacio IX. reconciliatus, & poſtliminio reſtitutus cænobia S. Georgij Veronæ, & S. Georgij Ferrariæ commendata habens, Romæ obiit 8. Kal. Septemb. 1397. ſecundum Frizonium; vel Anno 1402. ſecundum Ciaconium, ſepultus ad S. Mariam trans Tyberim inſigni marmoreo cum eius effigie, & clypeis tumulo ſuper aram ab ipſo extructam parieti affixo: cum ſequenti epitaphio:

*Francorum genitas Regia de ſtirpe Philippas*
*Alenconiades oſtia titulatus ab Vrbe.*
*Eccleſiæ Cardo tanta virtute reluxit,*
*Vt ſub ſupplicibus cumulentur marmora votis.*
*Anno Milleno cum C quater, adde, ſed I ter*
*Occubuit, qua luce Dei, pia Virgoque mater.*

Annorum diuerſitas ab vna littera pendet in penultimo verſu. Si enim *Adde* legas, componunt numeros 1403. Si *Abde*, componunt numeros 1397.

Eius meminit S. Antoninus *par. 3. hiſtor. cap. 11. tit. 22. Ciaconius, Panuinius, Auberij, Frizonius, Claudius Robertus*, Vghellus, Spondanus, Contelorius; Garimbertus.

9. *Ille autem propter innocentiam ſuſcepiſti*, Pſal. 40.



THomas de Firignano, familia Bononiæ oriunda, (quæ Mutinæ poſtea conſedit, vbi nunc ſordeſcit) ordinem à puero profeſſus Minorum, Theologus eximius, concionatorque celebris euaſit. Bononiæ ex cathedra docuit, factuſque Miniſter Prouincialis, mox Aſſiſij, die 6. Iunij, 1367. in comitijs generalibus, cunctis electus ſuffragijs, totius Ordinis Generalis Miniſter; Anno ſequenti apud Pontificem accuſatus Romanum, malè de fide ſentire, ea de cauſa, quod quemdam fratrem *Paulutium* nomine cum alijs vitam profitentibus ſpiritualem à Miniſtrorum poteſtate exemiſſet; crimen vrgentibus Guillelmo ex Minorita, Epiſcopo Narnienſi, ac Miniſtro prouinciæ, S. Franciſci, per ſex Menſes, miniſterio ſuſpenſus iacuit; donec quæſtione abſoluta, Romę in Eccleſia S. Petri, publicè coram Cardinalibus, Clero, & populo innocens declaratus ex centum, & ſupra teſtium depoſitionibus, priſtinæ dignitati fuit reſtitutus. Anno 1371. bello ſæuiente ciuili in Vrbe Ianuenſi, Nuntius pacis miſſus à Gregorio XI. cum litteris ad Ducem, & Fliſcos, quarum tenor; *Vos ad reformandam concordiam, & vnitatem cum prædictis veſtros animos effectualiter diſponatis, pro cuius effectu votiuo, auctore Domino conſequendo, dilectum filium Thomam ſacra Theologia Magiſtrum Ordinis Fr. Minorum Generalem Miniſtrum, Apoſtolicæ Sedis Nuncium, virum vtique excellentium virtutum, pacis, & concordiæ, ac honoris, & ſtatus veſtræ domus, vt accepimus Relatorem, ad partes illas præſentialiter deſtinamus*. Thomæ verò Papa litteras dedit ſequentes.

*Dilecto Filio Thomæ, S. Theol. magiſtro, Ord. Fr. Minorum generali Miniſtro, Apoſtolicæ Sedis Nuntio.*

*Litteras tuas nuper benignè recepimus, & ipſas ac illas, quas dilecto filio Mag. Franciſco Bruni ſecretario noſtro direxiſti, perlegimus diligenter, & ſuper contentis in*
A *illis, prudentiam, & diligentiam multipliciter in Domino commendantes, ipſam exhortamur attentè, vt tua diligentia, ac ſollicitudinis ſtudijs, totiſque viribus innitaris, vt concordia, cuius tractatus in manibus tuis pendet, deſideratus affectus ſine alterioris moræ diſpendio ſubſequatur &c.* Legatione fæliciter abſoluta, reſtitutaque concordia, Menſe Maij. 1372. grates accepit ab eodem Pontifice. *Nouit tua diſcretio, quantum pacis negotium inter dilectos filios nobilem virum Ducem, Conſilium, & Commune ciuitatis Ianuenſis, & Nobiles de Fliſco inſidet cordi noſtro. Noſque etiam nouimus quantum ſollicitudo tua vigilauerit, & diligens ſtudium tuæ induſtriæ laborauerit in prædictis, &c.* Honeſtatus propterea Pa-
B triarchatu Gradenſi, vix cathedram tenuit, quod ad nouam reuocatus legationem, Genuam adijt ſecundò; vt eos à bello retraheret aduerſùs Cyprios, ea tempeſtate, qua Turcicum imminebat iugum. In arcanis etiam accepit, Venetos ac Patauinos reconciliare, Italos in Bernabouem, & Galeacium V. Comites excitare hoſtes iuratos Eccleſiæ Romanæ, quibus actis, Principibus charus plures eorum habuit apud Vrbanum VI. intercеſſores, vt inter Card. Presb. aſſumeretur *S. Nerei & Achillei, tit. Faſciolæ*. Stimulos addidit corona martyrij, qua eo tempore redimiti duodecim Fr. Minores Montis Sion, cum pluribus alijs Chriſtianis à Sarracenis capti. Exami-
C ni præfectus Reuelationum S. Brigittæ, eiuſque canonizationi, quæſtionem inſtruit; donec à Bonifacio IX. hiſce actibus probatis, relata eſt inter ſanctos. Epiſcopus fuerit Tuſculanus? dubium. Romæ Thomas obijt: Anno Sal. 1381. ſepultus in ęde Capitolina Aræ Cæli, ante ſacellum B. Virginis, lapide cum inſignibus, & inſcriptione, quę ferè exoleuit, cadaueri ſuperimpoſito,

*Mille currentibus Annis*
*Trecentis, quatuor vicenis, vno que iuncto.*

Hæc Ciaconius de Triuulrianis monumentis, F.
D Bartholomæus Piſanus Ord. Minorum Conformitatum lib. 1. & S. Antonin: *Hiſtor. par. 3. tit. 24. cap. 10. §. 21.* Oderiſ: in *Annal.* Vghellus in *Patriarch. Gradenſibus*.

Hunc Cardinalem cum alijs XXV. creatum fuiſſe ab Vrbano VI. ad firmamentum ſui Pontificatus cũ ſe deſertum videret à Cardinalibus, qui ad Clementem VII. Antipapam confugerant; auctor eſt Felix Contelorius, quorum nomina typis dedimus in *vita Vrbani VI. p. 364. n. 3.*

De

De eo lege Vuadingum, Aubetij, Andream Dandulum in *Chron*,

10. *Va qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè Domum Iſrael*. Amos. 6.



FRanciſcus Prægnanus, seù Moticottus de Vico Piſanus, Vrbani VI. ex ſorore nepos ex Primicerio ſublectus Archiep. Piſanus, Anno 1363., & à patruo reuocatus ad purpuram tit. *S. Euſeby*, Anno 1378. eodemque ſedente poſt exceſſum Ioannis de Croſſo, Epiſcopus Card. *Praneſtinus*, Anno 1383. eodemque tempore Antipapa Auenione exaltauit in Ep. *Praneſtinum*, Vidonem Cardinalem de Maloſicco. Pileo ſuſcepto purpureo Piſas ingreditur, more prophano, & pompa ſæculari in ſpeciem triumphi. Generalis tamen Vicarius, vel Legatus Pontificis per Campaniam Maritimam patrimonium S. Petri fideliſſimè adminiſtrauit, Pontificis in carne nepos, & in peregrinatione comes perpetuus; eo mortuo, comitijs adfuit Bonifacij IX. quo ſedente cum Romana Curia Aſſiſij eſſet; 7. Idus Februarij, An. 1394. Aſſiſij deceſſit; cuius cadauer Piſas delatum in marmoreum ſepulchrum apud ſacrarium Metropolitanæ Eccleſiæ intulerunt, vbi adhuc a prætereuntibus ſequens legitur Epitaphium, cum pileo Cardinalitio.

*Sep. Franciſci Moricotti Piſani, Card. S. R. E. Vice Cancellarij Patria Archiepiſcopi, Obijt Anno Dom.* 1395.

De eo lege Ciaconium, Aubetij, Chron. Piſanum, Ioſeph. M. Soareſium in *Antiquit. Preneſ.*

11. *Qui letamini in nihilo, qui dicitis: Numquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua*. Amos. 6.



PIleus Pratæ Comes familia nobilis in agro Concordienſi; vel ex Victorello, eius fuit gentis, quæ Comitum Purliliorum dicitur, vulgo de *Porzia*. Purlilia oppidulum eſt in Foro Iulio; gemina ſortitur inſignia; puta ſex Lilia candida in area rubri coloris; vel ſex aurea Lilia in area Cærulea; vnde nomen *Purliliorum*, quaſi *Pura Lilia*. Elati ingenii Pileus, & ad arcana natus Reipublicæ, ex Epiſcopo Taruiſino ad Patauinam tranſlatus Eccleſiam Anno 1359. quam piè, ac gregis laude adminiſtrauit plurimus in ea illatis beneficijs, vſque in Annum 1370. quo vocatus ad Rauennatem infulam, Anno poſtea 1375. iubente Gregorio XI. in Flandriam abit legatus Apoſtolicus, vt Gallos, & Anglos vniret in Turcas. Vbi cum ſurdis verba faceret, Romam redijt, ab Vrbano VI. Anno 1378. inter Purpuratos

aſſumptus tit. *S. Praxedis*, legatuſque ad Vuenceſlaum Boemiæ Regem deſignatum Imperatorem, vt omnem illam prouinciam veri Pontificis contra Antipapam Clementem imperio ſubiugaret; quod ei fæliciter contigit, Antipontifice reprobato ab omnibus Imperij Principibus, & ciuitatibus Liberis. In Italiam reuerſus vrbem Cornetum in Patrimonio tenuit: exitiali inter Vrbanum Papam, & Carolum Siciliæ Regem excitata diſcordia, multum pro pace inter eos ineunda, vltrò citròque commeauit Nuceriam, Neapolim, ſed incaſſum: quin cum Vrbano in ſuſpicionem veniſſet inſidi conſilij, custo-
A diæ datus, Ianuamque perductus, vbi Papa quinque Cardinales, vel ſacco incluſos in mari demerſit, vel in carcere ſtrangulatos in equorum ſtabulo humauit. Pileus verò Cardinalis Concordienſis tit, *S. Praxedis* Rauennas dictus ab Archiepiſcopatu, ac legatione Germanica, & Anglia olim pro Vrbano egregiè functus, ſiue de intentato veneno ſuſpectus, ſiue rigidum, & auſterum Papæ ingenium fugeret, eluſa cuſtodia, Auenionem ad Antipapam ſeceſſit. Priuſquam autem Italia cederet, pileum Cardinalitium, quem ab Vrbano acceperat, Papiæ in foro publico, ſpectante Ioanne Galeatio V. C. Mediolanenſium concremauit: poſtea Auenionem
B pergens nouum accepit pileum tit. S. *Priſca* ab Antipapa, cum antea diceretur *S. Praxedis*, & ampliſſimis redditibus auctus in Italiam tediis aduerſùs Vrbanum, qui eum pileo, & cæteris dignitatibus expoliauerat, mercede expoſita, & indicina ijs, qui Pileum in vincula traherent, vel vita priuarent, Pileus verò cum in Italiam veniſſet, fruſtrà tentatis Florentinis, quos Angelus Acciaiolus Archiep. Florent. & inter Cardinales aſſumptus ab Vrbano VI in fide ſeruabat; Vrbem Veterem ſe recepit magna auri copia ſibi ab Auenione tranſmiſſa, percuſſoque fœdere cum Raynaldo Vrſino Aquilano Principe, qui Cornetum, Spoletum & aliquot alia S.
C R. E. oppida vi occupauerat; atque Conrado, & Luca Monaldenſibus Berardi filiis, Vrbeuetanis Regulis, quos cum Regia poteſtate eiuſdem ciuitatis Vicarios, & Gubernatores pro S. R. E. conſtituit, vnius accipitris annuo cenſu, in die natali S. S. Apoſtolorum, ſoluendo impoſito, fortiſſimas copias centuriauit ſub ſignis, quibus oppida Vrbano ſubiecta multis afflixit clamitatibus, agros vaſtauit, oues abegit, mortales plures captiuos abduxit Vrbanum ipſum Pontificem non ſemel trepidare coegit. Vrbano tandem vita functo, aliquot Cardinalium interuentu, cum Bonifacio IX. Vrbani ſucceſſore pacem firmauit, & à Clemente VII. cuius
D adhuc Legatus erat, declinans, Viterbium, Montem Flaſconem, Narniæ Spoleti arces, cæteraque quæ Vrbano abſtulerat, reſtituit. Senatui proptereà reſtitutus, quo fuerat ab Vrbano priuatus, Idibus Ianuarii An. 1395. Epiſcopus Card. *Tuſculanus* cum legatione Picæni, Vmbriæ, & Æmiliæ, cum annuo trium millium aureorum ſtipendio, dictus deinceps per deriſum *Cardinalis trium pileorum*, ſiue *Capellorum* teſte Niemo *cap*. 61. Poſt eas Prouincias adminiſtratas, Peruſii & finitimarum regionum legatione fun-

ctus

Digitized by Google

ctus eſt Generalis Vicarius Sedis Apoſtolicę iu eiuſ-
dem iuriſdictione.

Fuit Pileus litterarorũ amator & patronus, quorum gratia, Patauii, Collegium *Pratenſe* litterarum ſtudioſis alendis (quod adhuc extat) à fundamentis ſua pecunia conſtruxit.

Vixit vſque in Annum 1401. Patauijque deceſſit, vbi Collegium fundauerat, in Cathedrali ſepultus tumba marmorea, prope Sacellum Corporis Chriſti, eum eius inſignibus, & effigie.

Epitaphium.

*Stirpe Comes Prata preclarus origine multis*
*Dotibus inſignis ſeclo celeberrimus vrbe*
*Defunctus ſtatuit, ſua ſic ſuprema voluntas*
*Hac Cardinalis Pileus tumulatus in vrna.*

Lege S. Antoninum *par. 3. hiſtor. tit. 21. cap. 2. n. 12. & 14. cap. 3. n. 1.* Ciaconium. Vghellum *in Ep. Taruiſinis, Patauinis, Rauennatibus, & Tuſculanis.* Spondanum *in Annal.* Niemium de ſciſmate.

Collegium Pratenſe ab eo Patauij excitatum, & redditibus auctum, ſolùm poſt eius obitum, Anno nempe 1420. abſolutum indicant adiecta Carmina lapide incisa in faſtigio portæ maioris, eiuſdem Collegij.

*Atria quanta vides ſinuoſos flexa per arcus*
*Dedita diuinis ſtudijs, & Canone Sacro*
*Magna Comes Prata Pileus dedit inclytus heros*
*Cardine Pontificum, celſos operatus honores.*
*Mille quadrigento bis denos auxerat Annos*
*Partus Virgineus, cum mænia ſtructa quierunt.*

Patauinum fuiſſe Præſulem probat imago coloribus delineata Patauii, in celebri Epiſcopi aula. Eorundem catalogus apud Angelum Portinarium *lib. de fœlicitate Patauij.*

Lege de eo Ciaconium, Vghellum, Spondanum, Auberij, Hier. Rubeum, Garimbertum, S. Antoninum, Laur. Schroderum de Monu. Italiæ: Andream Victorellum: Guillelmum Ongarellum *hiſtor. Patau.*

12. *Tulerunt Abſalon proiecerunt eum in ſaltu, in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum acervum lapidum.* 2. Reg. 18.



IOãnes Archiepiſcopus Corfienſis, vel Conſliccenſis, iuris peritiſſimus ad Presb. Card. tit. *S. Sabinæ* aſſumptus ab Vrbano VI. Romæ, Anno 1388. executioni dedit, & publicauit anathema latum ab Vrbano VI. contra Ioannem Henrici Caſtellæ Regem, tanquàm aſſeclam Clementis VII. Antipontificis. Delegatus etiam cum Guillelmo Presb. Card. S. Euſebij, quæſtiones colligere, & referre contra Robertum Gebennenſem Antipapam, ſuſpectus poſtea eum ipſo conſpirare Clemente. 4. Non. Ianuarij, cuſtodiæ traditur vſque in ſequentem Menſem Decemb. Interim equuleo torquetur, tandem cum alijs quatuor Cardinalibus, Vrbano iubente, ſecuri percutitur, vel in mari præceps datur, vel in equorum ſtabulo dicti Vrbani VI. in quadam foſſa, repleta calce, viua eorum corpora proiecta, & in ea totaliter combuſta in cineres ſunt redacta. Niemus *lib. 1. c. 60.*

Lege Ciaconium, Auberij S. Antoninum, Contelorium.

A



13 ..., Hiſpanus natu Epiſcopus *Vigelenſis*, aliàs de *Virſoglie* Presb. Card. tit. *S....* teſte Ciaconio, & *Panuinio*, qui in Triuultianis monumentis, atque Piſanis Annalibus ſcriptum inueniſſe teſtatur *Anno Dom. 1379. menſe Ianuario* Card. *alius nouus Piſas venit, vt Romam iret, hic erat Epiſcopus de Virgela, & Romam pedeſtris itinere profectus eſt. Huius Cardinalis apud reliquos hiſtoricos nulla mentio.*

B

14 ... Epiſcopum de edena ex iiſdem Triuultianis monumentis inter Cardinaler tranſcripſere Ciaconius, & Panuinius, titulo tamen omiſſo, ac ſuæ tempore electionis.

15. *Hæc eſt terra pro qua iuraui Abrahaam, Iſaac, & Iacob dicens. Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam.* Deuter. 34.

C



ANgelus Acciaiolus ſecundus, ciuis, & Epiſcopus Florentinus, filius Bartholomeę de Ricaſolis, & Iacobi; Epiſcopus primò Rampollanus in Regno Neapolitano, ad Florentinam transfertur eccleſiam Anno 1383. poſtea Presb. Cardinalis tit. *S. Laurentij in Damaſo* ſub Vrbano VI. die 19. Kal. Ianuarij. An. 1384. promotione quarta Florentinam adminiſtrauit Eccleſiam, vſque in Annum 1387. cui deinde, eccleſiaſticis propemodum oppreſſus negotijs remiſit nuntium. Vrbano VI. de-

D

functo, ea fuit in Conclaui apud Patres, Angeli exiſtimatio, vt paribus votis, & ſuffragiis certauerit de Pontificatu, cum Poncello Cardinale Vrſino. In qua quidem contentione cum alter alteri minimè ceſſurus videretur; Bonifacius IX. renuntiatur, priuſquàm ſciſma procos ſedè diſtraheret. Electus Bonifacius vt Neapolitano Regno ſub Ladiſlai Regis infantia perituro conſuleret, Angelum Acciaiolum legauit in ProRegem ac pueri tutorem. Legatus Caietam cum appuliſſet, Ladiſlaum coronauit in Regem vnà & eius coniugem Conſtantiam Kal Iu-

Iunii 1390. eumdemque proſecutus ad redimendum Regnum Vngaricum, re fæliciter geſta, denuò Ladiſlaum corona Pannoniç redimiuit. Romam reuerſus, Pontificem Vrſinamque gentem eum inueniſſet ad bellum excitatam ciuile, inter vtramque partem, pacem ſanciuit. Dictuş propterea ab eodem Bonifacio, in præmium virtutis *Epiſcopus Oſtienſis* & Veliternus, Anno 1397. prudentia ſua, eloquentia Rempublicam ſummoperè iuuit Eccleſiaſticam. Sciſmate namque ſęuiente Clementis VII. Angelus opuſculum inſigni pietate, atque doctrina refertum edidit ad Cardinales ſequaces AntiPontificis. Innocentii VII. iuſſu euius creationi interfuit, Monachorum S. Pauli, Romæ via Oſtienſi, lapſos mores, & ſolutam viuendi formam correxit. Piſas cum veniſſet ad conuentum ſibi indictum inter Cardinales vtriuſque obedientiæ, morte præuentus pacem aſſequi non valuit Eccleſiæ. Anno 1407. pridie Idus Iunii, hora 15. ineunte migrauit Sacramentis ritè munitus, in Cathedra i ſepultus funere tranſlatitio. Eius namque corpus Florentiam delatum in Carthuſianorum templum fundatum cum inſigni Cænobio ab Acciaiola familia. Sepulchrum; ne tanti viri periret memoria, Anno 1550. à poſteris magnificentiùs reſtitutum cum hoc epitaphio.

*Monumentum hoc Angelo Acciaiolo, Card. & Ep. Oſtienſi S. R. E. Vicecancellario, eiuſque, germano fratri Donato equiti clariſſimo, ſibique Donati inſtaurant, Anno Sal. M. D. L.*

De eo lege Leonardum Aretinum *Hiſtor. Florent.* S. Antonin. *par. 3. hiſtor. tit.* 22. c. 23. Paulum Corteſium *lib. 1. de Cardinalib. qui aliquid ſcripſerunt*, Ciaconium, Panuinium, Vghellum *in Archiep. Florent.*

Huius Cardinalis ęneum recurrit nummiſma, cuius in fronte, ipſius Cardinalis imago.

Ad hunc Cardinalem, S. Brigitta epiſtolam dedit conſolatoriam, in obitu Nicolai Acciaioli eius conſobrini, quæ M. S. extat Florentiæ, apud Carthuſianos. Inſignia eius gentilitia nutant in incerto. Leonem enim Cyaneum cum punicea bipenni. *Acciaiola* familiæ adiecit Petra Sancta in Teſſeris Gentilitiis: Ciaconius verò Leonem pingit erectum cum Cruce in ſiniſtra.

16\. *Nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt Reipublica poſcit vtilitas ferre ſententiam.* Eſther. 16.



ANdreas Martini Bontempus, Peruſinus, Lelii filius magni Iuris Conſulti, philoſophia, ac eruditione præclarus; Hic primùm præfectum S. Luciæ vltra Arnum Florentiæ egregiè functus, Anno 1353. Ab Vrbano. V. ex Canonico Cathedralis Eccleſiæ à Capitulo poſtulatus, ad Peruſinum aſſumptus eſt Epiſcopatum, *ep.* 31. *Vatic. Reg. fol.* 40. *lib.* 2. *An.* 2. *Pontif.* Cumque in explicandis peragendiſque negotiis, Eccleſiæ vniuerſali, magno vſui eſset; Vrbanus VI. eum vocauit ad purpuram Presb. tit. *SS. Marcellini & Petri*, Anno 1378. eundemque perpetuum Peruſinę Eccleſiæ adminiſtratorem declarauit. Vmbricą etiam Legatione ornauit, in qua paulò poſt creationem Bonifacii IX. Recineti vita deceſſit, An. 1390. ſepultus in Cathedrali, in quam Andreas brachium, & caput S. Herculani Mar. & ciuitatis patroni tranſtulerat Anno 1378.

17 . . . EPicopus de Seme, aliàs Scandienſis, vel Grandienſis Presb. Card. tit. S. . . . ita Ciaconius ex *Scriptis Triuultianis*.

18\. *Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atq. triſtitia.*
Eccl. 5.



F. Bartholomęus de Cucurno, vel Cucurro, vel de Cuthurno ex Clauari Liguriæ oppido, Genuenſis, Ligur, profeſſione Minorita S. Franciſci, ex prouincia, & cuſtodia Genuenſi, illuſtris Theologus, & concionator eximius, ex Archiepiſcopo Ianuenſi vocatur ad purpuram ab Vrbano VI. Anno 1378. *tit. S. Laurentij in Damaſo*; facultatem impetrauit ab eodem Vrbano Anno 1382. die 14. Martii concedendi mercatoribus, vt octo millium florenorum valore mercimonia impunè deferre poſsent ad terras infidelium: in qua quidem Bulla Epiſcopus appellatur Ianuenſis, & Cardinalis. Eodem Anno 1383. in Archiepiſcopatu Ianuenſi, Iacobus Fieſchus ei ſubrogatur. Cum enim Bartholomęus in ſuſpicionem perfidiæ Vrbano veniſſet, coactus fuit profugus irati Pontificis furorem effugere, vltròque ſolum mutare, quouſque intercedente Carolo Rege Neapolitano, in priſtinam gratiam reſtitutus, ſiue ſpecie reconciliationis deceptus, paulò poſt cuſtodiæ datus; cum aliiş quatuor Cardinalibus, & ſub tortura poſitus, vitam tandem ſub ſecuri reliquit, & ſacco inſutus in mare proiectus. *Niem. cap.* 60. Vghellus *to.* 4. *Italiæ p.* 1234. *Ciaconius.*

19\. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis protegat te nomen Dei Iacob.*
Pſal. 19.



AGapitus Columna Romanus, Petri filius Senatoris Vrbis, tranſlatus ab Eccleſia Aſculana ad Brixienſem, 2. Kal. Nouemb. 1369. excelſi animi vir, in Alemanniam ad Carolum IV. Imperatorem mox ad Henricum Caſtellę, & Ferdinandum Luſitanię Reges, Apoſtolicę Sedis Nuntius ſub Greg. XI. P. M. à quo ad Vlyſſipponenſem Archiepiſcopatum tranſlatus, Romam reuerſus dum coro-

maretur Vrbanus VI. ab eodem in prima Patrum creatione Presb. Card. *S. Priſcę*, Anno 1378. in Flaminiam legatus pro reſtituenda eccleſiaſtica diſciplina, in Hetruriam deinde, & Ciſalpina Gallia, tum ad Ligures, Venetoſque grauiſſimis de rebus, præcipuè exitiali bello diſcordes pacaret, alijſque egregiè functus Legationibus, Romæ eodem ſedente Vrbano, quieuit placidè, quinto Idus Octob. An. 1380. Sepultus in Liberiana Baſilica, non longè à tumulo Petri Cardinalis, cum inſcriptione ſequenti.

*.....Tenui, requieſcit Agapitus vrna.*
*.....Egregiorum, decus altus auorum*
*.....Ætatis, apex, ſpeciemque verendum*
*.....Cardine, natus. Honorem*
*.....Per, vdium, variosque recurſus*
*.....luſtrauit & æquora miles*
*.....& fluitantis iura regentem*
*.....nas, rapuerunt Fata ſub Vmbras.*

Hæc Ciaconius ex *monumentis Triuultianis. Piſtano Chronico*. Platina *in Vrbano 6.* Angel. Peruſino *Conſil.* 179. Iacobo de Bluij *in prob. Authent.*

20. *Condemnabit os tuum, non ego: labia tua reſpondebunt* B *tibi*. Iob. 13.



BArtholomęus Mezauaca, Bononienſis, Iuris vtriuſque Doctor, ex Rotę Auditore Epiſcopus Reatinus, Presb. Card. tit. *S. Marcelli* aſſumptus ab Vrbano VI. Anno 1388. die 14. Cal. Octob. miſſuſque ad Carolum III. Dyrrachij Ducem, vt Regno iam potitus Neapolitano promiſſa impleret, vigore fœderis cum Vrbano percuſſi; Butyllum ſcilicet nepotem ex fratre Pontificis, creando Ducem Capuanum, & Amalfitanum; neglectis iniquis Vrbani VI. poſtulatis, pro Legato hoſtem Papæ gerere viſus eſt; auctor namque fuit, vt Rex ea negaret, quæ Pontifex ex fœdere poſtulabat. Hinc rediens in vrbem, rebus improſperè geſtis Pontifici perfidiæ ſuſpectus, & condemnatus, omnibus dignitatibus, Purpura præcipuè ſpoliatus abijt: donec Vrbano mortuo, Bonifacius IX. cũ poſt liminio reſtituit. Romæ exceſſit die 20. Iunij, 1396. Corpus in Baſilica S. Mariæ ad Præſepe, ante aram B. Virginis ſepultum, cum inſcriptione ſequenti, teſte *Paulo de Angel. in Liber. Baſil.*

*Hic requieſcit corpus bonæ memoriæ RR. in Chriſto Pa-* D *tris DD. Bartholomæi de Bononia tit. S. Martini in Montibus Presb. Card. qui obijt Anno Domini M. CCCXCVI. die 20. Menſis Iunij.*

Ardua porrò quæſtio inter Hiſtoricos, an Cardinalis *Rheatini* nomine intelligatur Bartholomęus *Mezauaca* Bononienſis? vel *Petrus de Tartaris*? de quo ſupra *in Gregorio XI. n. 23.* Vide Spondanum *in Annalibus*: Vghellum *to. 1. Italia.* in Epiſcopis *Reatinis. p.* 118. Si vera tamen, quæ in tabulario Liberianæ Baſilicæ, de Bartholomęo Cardinali leguntur. *Bartholomęus Mezzauaca Card. Reatinus ab Vrbano VI. creatus iacet in terra, ad imaginem B. Mariæ.* Soluta eſt quæſtio Rem dignam memoria, de hoc Cardinali refert Felix Contelorius in *Elencho*; nempe Vrbano defuncto, Cardinales aliquot exiſtentes in caſtro Luceriæ, de Bartholomęi purpura expoliati agitaſſe promouere in Romanum Pontificem: tanta erat aduersùs Vrbanum indignatio; vt eius anathemata, vel flocci facerent.

De eo lege Ciaconium, Carolum Sigonium *de Ep. Bonon.* Victorellum Auberij, Leand. Alberti
A *deſcript. Italiæ*. Paul. Merul. *in Coſmograph.* Garimbertum.

Eius memoria, Bononiæ, recurrit in lapide, teſte Io: Paſchal. Alidoſio, de Vrbe Bononienſi.

*Bartholomęus de Mezauachis, tit. S. Marcelli, S. R. E. Presb. Cardin. creatus ab Vrbano VI. Pont. M. Anno D.* 1379.

21. *Eſto fidelis vſq. ad mortem & dabo tibi coronam glorię*. Apoc. 2.



FR. Nicolaus Moſchinus Carracciolus Neapolitanus, Ordinis Prædicatorum Theologus, ex Inquiſitore hęreticę prauitatis in regno Neapolitano Epiſcopus Meſſanæ, poſtea Catharina poſtulante Senenſi, Presbyter Card. tit. *S. Cyriaci in Thermis* creatus ab Vrbano VI. Anno 1378. plures geſſit legationes ad Peruſinos, ad Venetos, cum Cardinalibus Reatino, & Veneto ad Carolum Regem Neapolitanum, vbi cum Reatinus Regi faueret, Venetus medius incederet; ſolus Cardinalis *S. Cyriaci* conſtanter, & fideliter inſtetit, vt à Carolo Rege, vi fœderis cum Vr-
C bano, Butillus nepos Pontificis inaugurareretur Dux Capuanus, & Amalfitanus. Romam reuerſus eidem Vrbano VI. peregrinati ſemper adhęſit, & paulò ante Pontificis obitum, vita excedens, Romæ, 4. Kal. Aug. An. 1389. ad Prædicatores ſepultus eſt.

De eo Paulus Corteſius *lib. de Cardinalatu. c. 1. de Cardinalibus*, qui aliquid ſcripſerunt, hunc & aliquot alios vno agmine ſic commemorat: *Eodem modo intelligi debet, multos tum viros extitiſſe graues, qui in Senatum cooptati ſunt, & à quibus ſemper ſcriptioni continuata ę ſeruitum; quo ex genere Io: Morlandinus, Stephanus Lugdunenſis, Philipus Romanus, & Nicolaus Carracciolus Neapolitanus nominari poſſunt.*

D De eo Ciaconius *ex monumentis Triuultianis; Annalibus Prædicatorum.* S. Antoninus *par. 3. tit. 13. c. 11.* Vghellus, Auberij, Leander Alberti *de viris Illuſtribus Pręd.* Teſte Nomenclatore Cardinalium, ſcripſit Nicolaus *Summam de Pœnitentia*.

22. Scio

22. *Scio laborem & patientiam tuam & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt: & inuenisti eos mendaces.*
Apoc. 2.



FR. Ludouicus Donatus ciuis patritij Veneti nothus, Venetus ſed non patritius (claſſem namque Nobilium non ingrediuntur illegitimi) profeſſione Minorita Ordinis S. Franciſci, ex prouincia S. Antonij, & Cuſtodia Veneta, litteris deditus, præcipuè Theologicis, Inquiſitor Hæreticorum, Venetijs, & primus qui ex gente Veneta aſſumeretur ad purpuram Cardinalitiam, Presb. Card. tit. *S. Marci*, diro excitato ſciſmate, Vrbani partes ſequutus in locum Leonardi de Chiſono Minorum Generalis Miniſtri, deſertoribus Cardinalibus ex ſciſmaticis Clementis VII. adulterini Pontificis addicti ſubrogatus XXV. Ordinis Generalis Miniſter, & tertio nondum exacto menſe, Pileo decoratus purpureo, Anno 1378. ab Vrbano VI. ab eodemque legatus ad Carolum III. Neapolitanum Regem, vnà cum Card. S. Cyriaci, & Reatino; vt vi pacti, Regi perſuaderent, Butillo nepoti Pontificis poſſeſſionem tradere Capuani, & Amalfitani Principatus; quod cum incongruum videretur, homuncionem fictilem, ignauia & laſciuia perditum tantis donari Principatibus; vt apertè aſſerebat Cardinalis Reatinus, qui legatus à Pontifice, hoſtem agebat eiuſdem Pontificis, aduersùs Cardinalem S. Cyriaci, fideliter officio fungentem legationis; inter quos medius incedens Cardinalis Venetus (vt ex antiquo *Chronico Neapol.* refert Ciaconius in *Bartholomeo Mezauaca*) ad Pontificem redierunt inutiles imò de perfidia ſuſpecti. Quapropter ad tentandum Regem voluit ipſe perſonaliter Neapolim aſcendere *Niem. c.* 28. *lib.* 1. peregrinationis comite ſemper Veneto Cardinali: qui Vrbano Pontifice cuſtodiæ tradito cum Carolo Rege, omnem mouit lapidem, vt priſtinæ reſtitueretur Papa libertati, quot & factum: licet *plures ex ipſis Cardinalibus, qui tunc diligentiùs, & feruentiùs pro liberatione dicti Papa laborarunt, eo mandante, horrendè nimis poſtea fuerunt trucidati. Niem. c.* 32.

Suſpectus tandem cum Reatino Cardinale miſcuiſſe colloquia, & agitaſse quæſtiones; *Vtrùm Pontifici ceruicoſo, & inutili, cuius ignauia Vniuerſalis periclitabatur Eccleſia, poſſet dari Curator?* eius bona Fiſco adiudicata, in ciſternam detruſus diruptam, ſtrictiùs alligatus, & catenis vinctus carcerem ſubijt. c. 42. & 43. 45. Ex hac ciſterna, in qua diu recluſi fuerant, eductum Papa ipſe quæſtioni ſubiecit, *veniam promittens, ſi reatum, quem eis impoſuit, expreſsè confiterentur: attamen quemlibet ipſorum aſperè arguit, & quia aſſerebant ſe fore innocentes, ac eis impendi gratiam ardentiùs precabantur. Vrbanus nihilominùs ipſos ad locum, ſeu lacum priſtinum reponi iuſſit, in quo vſque ad ipſius receſſum ab eodem caſtro, videlicet ad octauam diem Menſis Auguſti adeò miſerè includebantur, vt frequenter audiui, fame, frigore, ſiti, ac vermibus plurimum cruciati; & numquàm commota ſunt dicti Vrbani miſericordiæ viſcera ſuper ipſos. cap.* 50. Poſt tres dies nouum inſtrui mandauit examen. Ad quod vocati ſinguli Cardinales in compedibus ferres, præſente, & ridente Butillo nepote Pontificis, veſtibus, excepto induſio, expoliati, torturam ſubiere omnes omniumque primus Cardinalis de Sangro. Secundus fuit Cardinalis Venetus (Niem. c. 52.) *quem Papa ipſe tandiu torqueri iuſſit, donec ipſemet audiret eiulatum illius. Baſilius* A (carnifex iſte) *altera die me, & alios ad examen deputatos ad ſe vocans, & dum venerimus ad locum in quo Cardinalis Venetus tenebatur, eum inde eripiens ad quamdam aulam dicta areis perduxit, veſtibus eum denudans, funibus in altum ſuſpenſis, ad terram vſque pendentibus ſatis ſtrictè ligauit, quem, licet eſſet fractus, morboſus, & ſenex, ac valde debilis complexionis, de mane tamen vſque ad horam prandij in equuleo aſſiduè, ac crudeliſſimè tormentauit. Ille autem quoties trahebatur in altum repetijt illum verſum.* Chriſtus pro nobis paſſus eſt. *Idemq. Vrbanus interim in horto inferiùs ambulabat altè legendo officium, ita quòd eum legentem in aula nos audiebamus volens per hoc dictum Baſilium reddere ſollicitum, vt mandatum de* B *diligenter torquendo Cardinalem non negligeret. Ego autem ipſas crudelitates ampliùs æquanimiter videre non valens, finxi caput dolere, & exiui. cap.* 54. His auditis Carolus III. Rex Neapolis caſtrum Luceriæ, in quo reſidebat Papa, obſidione cinxit, volens à tanta tyrranide Cardinales captiuos eximere, ſucceſſu tamen captiuis infauſto. Nam inde emergens Pontifex cum ſua Curia, Cardinales etiam captiuos ſecum traxit. In itinere quia Epiſcopus Aquilonenſis, vnus ex ſuſpectis, ob debilem equum, & ob tormenta adhuc membris confractus tardiùs equitabat, mandante Pontifice, ſub eius oculis trucidatur, cadauere inſepulto relicto. *Niem.* C *c.* 56.

Ianuam cum perueniſset; Cardinales tertiò ad torturam vocauit; fruſtra intercedentibus Ianuenſibus, vt miſericordiam ageret. Imò volens redire in Siciliam, *ſibique oneroſum credens dictos quinque captiuatos Cardinales ſecum ducere: quadam nocte, menſe decembri, vt quidam retulerunt, ſecuri eos percuti, & mactari iuſſit. Aliqui autem dixerunt: quòd in mare eos præcipitare fecit: qualitercumque ſit; vtique ipſi quinque Cardinales poſtea non videbantur. Fama erat, quòd in ſtabulo equorum dicti Vrbani, in quadam foſſa calce viua repleta, eorum corpora proiecta, & in ea totaliter combuſta, & in cineres conuerſa fuerint c.* 60. *Niem.* Anno 1385. Eius vene- D randa effigies penicillo expreſsa vetuſto, eique contemporaneo videtur adhuc Venetiis in Sacrario Fratrum Minorum. Sub quo legitur *Cardinalis creatus* 1380.

De eo lege Ciaconium, Vvadingum, Auberii, Iongellinum in *Elog. Card. Min.* Anton. Sumon. *hiſt. Neapol.*

*Periandrum par. 7. Sapient. Franciſcan.*

23. *Mendaces oſtendit, qui maculauerunt illos.*
Sap. 10.



LVcas de Gentilibus, Camers, Picens, Vmber, ex Archidiacono Epiſcopus Lucerinus, teſte Ciaconio, quamuis inter Epiſcopos Lucerinos non inueniatur, ſi de Luceria Saracenorum loquamur, Presbyter Cardinalis tit. *S. Sixti*, aſſumptus ab Vrbano VI. An. 1378. A Vmbriæ legatione functus (quæ Vicaria appellabatur Eccleſiæ Romanæ) Tudertinos feralibus inter ſe odijs diſſidentes pacauit, preterit is calumniatoribus, qui diſſidia excitabant; Vita exceſſit An. 1388. paulò ante Vrbani obitum, ſepultus in Cathedrali Camertium ſub marmoreo lapide, cum inſignibus, & epitaphio.

*Hic iacet inſignis Lucas rutilante galero*
*Tam celęber Iuris Doctor, quam cultor & omnis*
*Præcipuum exemplum virtutis, & regula morum.*

Extant adhuc Camerini, ędes huius Cardinalis, B cum elogio in ſuperliminari poſito ab Andrea Lucę nepote.

*Sedis Apoſtolicę Luca hac monumenta notari*
*Andreas patruus fecit, quo iuſtior alter*
*Haud fuit Heſperia tota, nec doctior alter.*
*Annos D. 1328. die ... Octobris.*

In porta non ędium Cardinalis, ſed ſuper Iuliam portam vrbis Camerinæ, exaratum ſcripſit Vghellus epitaphium. In Cathedrali verò Camerinenſi, ſequens legitur inſcriptio.

C

*D. O. M.*
*Lucæ Rodulphuccio Camerti*
*Tit. S. Sixti S. R. E. Card.*
*Qui huius Baſilicæ*
*Quondam Prior & Archid. Camerinenſis*
*Tum Ep. Nucerinus*
*Romæ, Gregorio XI. P. M.*
*Vic. fuit.*
*Deinde ab Vrbano VI. Cardinalis creatus*
*Atque in Pannoniam miſſus,*
*Poſtremo Pontifex cum legatione fungeretur*
*Obiens.*
*Oſſa Camerinum tranſlata*
*In templo S. Venantij ſepeliri mandauit*
*An. Sal. M.CCCLXXXIX.*
*Venantius Rodulphuccius eiuſdem Baſilicę*
*Prior Gentili ſuo*
*Monumentum antiquitate deformatum ornauit, poſuitque*
*Et Lauretanæ Virgini Sacellum erexit*
*An. Sal. M. DC. XIX.*

De eo lege *Ciaconium, Vghellum, Auberij.*

24. *Scio tribulationem & paupertatem tuam, & diues eſ*
*blaſphemaris ab his, qui dicunt ſe Iudęos eſſe,*
*& non ſunt, ſed ſunt Synagoga*
*Satanę.* Apoc. 2.



FR. Philippus Geza Romanus, Ordinis Prædicatorum Theologus, & Verbi Dei prædicator eximius, ex Epiſcopo Iſernienſi Tiburtinus dictus Antiſtes, poſtea Presbyter Cardinalis *tit. SS. Gabinij, & Suſannę*, Sal. An. 1378. ac in Vaticana Baſilica Presbyter Pænitentium (Minorem Pænitentiarium vocant) per totam Italiam, in feriis Quadrageſimæ, eiuſdem Vrbani Legatus diſcurrens, è ſacro ſuggeſtu concionari non deſtitit, Vrbani cauſam facundo ore confirmans, & in eius fide Italiam ſeruans nutantem; Clementem IV. vbiquè adulterinum Pontificem inſimulans; tantam gratiam, & fidem apud Vrbanum promeruit; vt etiam inuitis Epiſcopis, & Capitulis, quæcumque Eccleſiarum bona diſtrahere, vendere, Pontificis auctoritate valeret.

B Sub eodem Vrbano obiit, in monte Auentino, humili loco apud Prædicatores ſepultus Sal. Anno 1384.

De eo Paulus Corteſius *lib. 1. de Cardinalatu; c. 1. de Cardinalibus, qui aliquid ſcripſerunt.* S. Antoninus *par. 3. hiſtor. tit. 23. c.* 10. §. 1. Ciaconius ex *Chron. Triuultiano, & Piſano.*

Scripſit Philippus in libros Ariſtotelis, *De Phyſico Auditu.*

Eius memoria in materno epitaphio, in eccleſia S. Ioannis De Pinea.

C

*Iacet hic*
*Cæcilia Iacobi Gezzæ coniunx*
*Philippi Epiſcopi Iſernienſis mater,*
*Marito plus debeat, vel Filio*
*Voluit inteſtata mori.*

25. *In omnibus prouincijs oppidis, ac locis, ad quæ*
*crudele Regis dogma peruenerat; planctus*
*ingens erat apud Iudeos.*
Eſther. 4.

D



POncellus Vrſinus Romanus, Vrſi filius poſt Angelum de Ricaſolis inauguratus ab Vrbano V. Ep. Auerſanus Anno 1370. *ex lib. Prouiſion. Prælat.* poſtea Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis Anno 1378. Eccleſiam Auerſanam, iterum, interfecto Marino de Iudice Card. S. R. E. & Commendatario Eccleſiæ Auerſanæ, regendam ſuſcepit. Hic primò honoris ſibi collati memor, Vrbani aliquandiù fidus in frequen-

quenti peregrinatione comes , tandem duri Pontificis pettinacia victus , ab eo quum Nuceriæ eſſet, ſpecie eundi, vt animum relaxaret, auſugit , neque cum ampliùs vidit moram trahens in oppidis ſuis . Vrbano mortuo , Romam venit ad noua comitia , Anno 1389. in quibus cum primo ſcrutinio ſex Cardinales Poncellum Vrſinum , ac totidem Angelum Acciaiolum P.C.S. Laur. in Damaſo poſtulaſſent ; nec alter alteri cederc veller: inſtauratis comitijs , conuenere omnes in Petro Thomacello, qui dictus eſt Bonifacius IX. à quo Poncellus Sabinarum pro Apoſtolica Sede Vicarius Generalis conſtituitur : nec longè poſt obijt Romæ, 3. Idus Feb. 1395. A

Poſt eius obitum Hoſpitale S. Thomæ in monte Cælio, De redemptione Captiuorum , cuius commendatarius Poncellus erat ; Bonifacius IX. accepta pecunia, Menſę adiunxit Canonicorum S. Petri. Ciaconius ex *Niemo lib. 2. Annalibus Siculis, Trinultianis, & Archiuis Vaticanæ Baſilicæ*. Vghellus . Auberij Sanſouinus *De familia Vrſina*. Annal. Siciliæ. Octauius Pancirol. in *Thes. Vrbis*.

26. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum ? dixit eis Ieſus: Qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Ion. 6. B



RAinulphus de Selue , vel Monteruco , prouinciæ Femouicenſis agnatus Pontificis Innocentij VI. nepos Petri de Monteruco P.C.S. Anaſtaſiæ, & S.R.E. Cancellari , Epiſcopus Ciſtaricenſis ad Druentiam fluuium ſub Archiflamine Aquenſi. Hunc honore Cardinalitio Presbyterali Vrbanus VI. decorauit abſentem Anno 1378. *S. Pudentianæ tit. Paſtoris*. cuius vixerat in contubernio ante adeptum Pontificatum, viuente Petro de Monteruco. C Monachos conſtituit Rainulphus apud S. Pudentianam in Viminali, vbi lapis cruentę hoſtię oſtenditur, confirmati eo miraculo ſacerdotis de Tranſubſtantione malè dubitantis . Hic titulus Paſtoris erat, & antiquior reliquis Eccleſijs in vrbe. V. Cancellarius Sedis Apoſtolicę per quinquennium , abſente Petro de Monteruco . Cardinalis electus ab Vrbano VI. vt iram declinatet Clementis VII. terreſtri itinere Romam venit, nam maritimo à factione Clementis prohibebatur . *Chron. Piſanum An.* 1379.

Faroceſſit Romæ , Anno 1382. decimo octauo Kal. Septemb. iacetque in foribus S. Pudentianæ , D cum epitaphio marmori inciſo.

*Hic iacet P.P.R. Dominus Raynulphus*
*Tituli S. Pudentianæ Presb. Cardinalis , natione Lemouicenſis.*
*De genere D. Innocentij Papæ VI.*
*Qui in hoc titulo ſuo Monachos conſtituit*
*Anno 1382. die XV. Menſis Auguſti.*

Lege *Frizonium, Ciaconium, Auberij: Claudium Robertum*.

27. *Accenſiſq. animis Andronicum purpura exutum iubet circunduci, & in eodem loco , in quo in Oniam, impietatem commiſerat, vita priuari.* 2. Macc. 4.



ELeazarus, vel Elziarius, de Sabrano , natu Italus , Ariani Comitis filius, & Regis Neapolitani conſanguineus( vt Oldoinus refert nullo tamen argumento) ex Epiſcopo Theatino creato Anno 1373. à Gregorio XI. Cardinalis Presb. aſſumptus ab Vrbano VI. tit. *S. Balbinæ*, Sal. Anno 1378. ac S.R.E. Maior Pænitentiarius , iudex delegatus ad recognoſcendas reuelationes S. Brigittæ, quam veluti ſuæ vitæ magiſtram coluit, Cardinalatu ſpoliatur ab eodem Vrbano VI. Anno 1385. teſte *Panuinio*, & *Ciaconio* dicente: *Quid de hoc acciderit ? incertum; cum poſt eius priuationem non extet memoria*. Nec ſibi contradicit Ciaconius ; vt prætendit Oldoinus; dicens *ſedente Vrbano occubuiſſe*. Imò confirmatur ; ſi enim poſt eius priuationem factam ab Vrbano VI. nullum huius Cardinalis reperitur veſtigium; ſignum, cum reliquis occidiſſe, manu carnificis.

Eius mandata lychnus ardet ante Deiparæ imaginem in Baſilica S. Marię Maioris, legatis 300. Florenis ad emendum Oliuetum , vt in Archiuio eiuſdem Baſilicæ: vbi legitur : *Elziarius tit. S. Balbinæ P. C. ſuo teſtamento reliquit florenos 300. ex quibus emeretur vnum Oliuetum, ex cuius oleo ardeant perpetuò tot lāpades ante imaginem glorioſę Virginis. An. D.* 1394. Viuebat ergo An. 1394. non ergo periit Vrbano ſedente, qui præobijt An. 1389. Curreret oppidò illatio, ſi tabulæ teſtamentariæ confirmatę probarentur morte intercedente teſtatoris An. 1394. Quid autem prohibet, petijſſe Eleazarum, ſedente Vrbano: & ſolùm poſt Vrbani obitum ; publicatum fuiſſe teſtamentum ? eò vel magis, quòd ob Vrbani viuentis timorem, de vita vel nece Cardinalis inquirere nefas eſſet.

Lege *Ciaconium, Panuinium , Aubery*, Paul. de Angel. in *Baſil. Liber*.

28. *Morietur puer, planget eum omnis Iſrael & ſepeliet : iſte enim ſolus infeietur de Ieroboam in ſepulchrum ; quia inuentus eſt ſuper eo adeo ſermo bonus.* 3. Reg. 14.



PHilippus Carraſſa de la Serra Neapolitanus (Gens namque Carraffa in Nidi ciuiani, Neapoli relata ; in plures familias diſtribuitur , quarum vetuſtior ea eſt , quæ de Serra dicta Philippum hunc produxit ) vbi adoleuiſſet , Romam venit , ibi Epiſcopus primùm

Bono-

Bononienſis à Ciero electus, annuente electioni Vrbano VI. Anno 1378. eodemque Anno ab eodem Pontifice vocatus ad purpuram Presb. Cardinalitiam ſub titulo *S. Martini in Montibus*, functus eſt Æmiliana Legatione, vt ex litteris Vrbani, quibus ei mandat arces Bretinorij, & Caſtricari, Marino tradere Archiep. Tarentino, Papæ Camerario. Bononiæ cecidit lue aſſumptus Anno 1389. die 14. Kal. Ianuarij, ſepultus funere publico, vrbe comitante cum Magiſtratibus, quorum frequentia ob luem erat interdicta, in ſacrario Cathedralis Eccleſiæ, in cuius pręalto pariete inſignia adhuc viſuntur & inſcriptio,

*Hic eſt Corpus,*
*R. in Chriſto Patris, ac D. D.*
*Philippi de Caraffis*
*De Neapoli Cardinalis Bononienſis.*

Extant teſte *Ciaconio*, litteræ Summi Pontificis repetentis bona mobilia huius Cardinalis ad Eccleſiam Bononienſem pertinentia. Bononiam regente Philippo, ciues à Florentinis impulſi ad libertatem proclamant percuſſo nummiſmate; cuius in fronte Leo vexillum præferens libertatis, ſub titulo *Bononia docet*. Ex aduerſo imago S. Petri. Audita ſeditione Clemens Antipapa vt Bononienſes ab Vrbano auerteret, libertatem ſe obtulit confirmaturum, ſi eam ab eo vti legitimo Chriſti Vicario vellent accipere, & poſtulare. Illis autem negantibus ab Vrbano recedere, quem primum coluerant: gratiſſimè audiuit Vrbanus reſponſum, propterea Comitatum Imolæ eis per Philippum Ep. aſſignauit. Bononienſes inſulas, regente Philippo; Cænobiarchæ Prædicatores caput S. Dominici extraxerunt ex arca, loculo condiderunt argenteo, Philippo ſpectante cum Magiſtratibus; Cælo laudante religionem vrbis, & ſtellæ lampadem accendente ſuper Eccleſiam, donec arca patuit.

Lege *Ciaconium*, Carol. Sigon. *de Ep. Bonon.* Vghellum *in Italia*; Pompon. Vizan. *Hiſtor. Bonon.* Auberij.

29. *Porro Iudas, qui erat fortiſſimus inter fratres ſuos, de ſtirpe eius Principes germinati ſunt:*
1. Paralip. 5.



PEtrus Hiſpanus... ex Ep. Palentino (teſte *Panuinio*) non Placentinus, vt legitur apud Ciaconium; Presb. Card. tit. S.... tit. *in monum. Titulitanis*; licet apud Contelorium, & Auberij nulla huius recurrat mentio. Balthaſſar Porregnus in elogijs Cardin. Hiſpanorum, Petrum nepotem dicit Caſtellæ Regis, ex fratre Ioanne. Mag. Salmeron *hiſtor. ord. B. Mariæ de Mercede* & Io: Viues in *Viridario Mercenario*, ex nobili familia *Rodriquez de Torres* pingit, Theologum inſignem, illuſtrem verbi Dei pręconem, Regularem ordinis B. Mariæ, De mercede Captiuorum, ex Prouinciali Caſtellæ, Epiſcopum Pallentinum, Oratorem abijſſe Regio nomine ad Gregor. XI. tandem ab Vrbano VI. Cardinalibus adſcriptum; ſub quo obijt. Stephan. de Corber. *vita Mariæ de Socos*.

30. *Factus ſum eis in prouerbium.*
Iob. 10.



ADam de Eſton Herfordienſis, Anglus, natalibus incertis, (nobilibus vult Auberij; humilibus ſcripſit Vghellus) doctrinæ gradu, honores tenuit. S. Benedicti regulam amplexus adoleſcens, Noruuiaci, non minùs litteras imbuit, quàm pietatem. Oxonium miſſus, Theologiam docuit, idiomata quæſiuit, & *De linguarum origine* ſcripſit, ſermone excultus Gręco, & Hebraico. Gratiam cum inueniſſet in oculis Regis, cathedram dirigendam accepit Herefordienſem, vel Londienſem; poſtea eodem poſtulante Rege ab Vrbano VI. in ſecunda Cardinalium promotione, dictus Presb. Card. tit. *S. Cęciliæ*, cum coniurationem Cardinalium initam aduersùs Papam, huic non aperuiſſet; vel quòd in priuato colloquio Papam faſtus arguiſſet intolerabilis, vinculis datur, quæſtione excitata, crudeliter inquiritur, ecquleo torquetur, & tanquàm ſuſpectus honoribus expoliatus; donec Anglorum Rege Ricchardo rogante, dimittitur, non tamen liber, ſed ſub cuſtodia Clerici Galli tanquàm priuatus, & pauper Monachus, è cuius nutu pendere tenebatur Cardinalis, ad ſtudia redijt antiqua, faſtum deteſtatus mortalium, Niem. *lib. 1. c. 57.* Scripſit

*De Calamitate ſua.*
*De Poteſtate Eccleſiæ.*
*De Communicatione Idiomatum.*
*De Electione Pontificis.*
*Defenſorium Eccleſiæ.*
*Opus Vitæ contra Hæreticos.*
*De perfectione vitæ Spiritualis.*
*Modum conferendi beneficia*
*Formam procedendi contra Hereticos*
*Officium Feſti Viſitationis, B. Virginis inſtitutum ab Vrbano VI. in remedium Sciſmatis, & confirmatum à Greg. IX.*
*Dialogum Regis, & Epiſcopi.*
*De diuerſitate Tranſlationum.*
*De veritate Catholica.*
*Meteororum libros latinitate donauit*, Hebraicè *edidit.*
*Alphabetum Iudæorum Hebraicè*
*Textum Bibliorum. Hebraicè.*
*Poſtillam Hebraam.*
*Pſalterium Hebraicè*
*Expoſitionem Leuitici*
*Hebraica Saracani*
*Hebraica Sarchi Salomonis.*

Vrba-

Vrbano mortuo ad priſtinas dignitates reſtitutus eſt à Bonifacio IX. Imò huius Pontificis teſtimonio nunquàm dignitatibus fuit ſpoliatus ab Vrbano VI. Graui donatus elogio ab eodem Bonifacio IX. litteris ad Concilium Angliæ, *Magnus Regni Zelator* appellatur.

Romæ exceſſit XIII. Kal. Nouemb. 1397. ſepultus in Titulo ſuo, vrna marmorea, cum effigie, inſignibus, & inſcriptione.

*D. O. M.*

*Adam Anglo tit. S. Cæciliæ Presbytero Cardinali, Epiſcopatus Londinenſis perpetuo adminiſtratori, Integritate, Doctrina, & Religione præſtanti.*

*Artibus iſte Pater formoſus in omnibus Adam*
*Theologus ſummus, Cardiquenalis erat.*
*Anglia cui patriam, titulum dat iſta, Beatæ*
*Ædes Cæciliæ, morſque ſuprema polum*
*Anno 1397. Menſe Septembri XV.*

Hunc Cardinalem Ciaconius, & Panuinius ab Vrbano VI. Anno 1378. promotum volunt. Angli verò à Gregorio XI. cum tamen in inueſtitura regni Siciliæ, die 1. Iunij 1381. quam Carolo conceſſit Vrbanus; ſubſcribat Adam cum ijs, qui non erant Cardinales, tanquàm *Frater Adam de Anglia*, nulla facta mentione Cardinalatus.

31. *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem; fodere non valeo, mendicare erubeſco.* Lucæ. 16.



IOannes Oczho è familia Vlaſſinia Boemus, ex Præpoſito Omnium Sanctorum, in arce Bragenſi, fauore Caroli Boemię Regis, & Romanorum Imperatoris, Epiſcopatum Olmucenſem ſortitur, Conſiliarius, & Secretarius Regis, non multò poſt ad Metropolitanam Ecclesiam Pragenſem, omnium Canonicorum ſuffragijs, poſt Erneſtum à Poſtdubiz diù, multumque repugnans tranſlatus Pallium ab Epiſcopo accepit Spirenſi ſecundus Pragenſis Archiepiſcopus; cui aucta fuit dignitas à Pontifice Vrbano VI. qui paulò poſt primam Cardinalium creationem, iterum tres Vltramontanos in gratiam Caroli IV. Imper. partes tuentis Vrbani VI. reprobato Clemente VII. creauit.

Ioanni donauit Vrbanus Anno 1379. Crucem argenteam deauratam, rubrum pileum, Presbyteralem *tit. SS. XII. Apoſtolorum*, & cappam purpuream, vnà cum titulo Legati Apoſtolici; & verè Apoſtolicus Legatus magna auctoritate, & exemplo Prouinciam adminiſtrauit. In Vveſgrado, pauperibus hoſpitale erexit, & peregrinis ad loca Sancta: ea conditione, vt ibidem reciperentur primi, qui ex pinguiori fortuna mendicare cogebantur. Domum Archiepiſcopalem Pragenſem mirificè auxit, & in ea ſacella conſtruxit in honorem Paſſionis Dominicæ, Virginis Deiparæ, & Sanctorum Patronorum. Moniſterium in veteri Praga S. Iacobo dicauit; Moguntię Archiepiſcopum inaugurauit. Colligi curauit cadauera Epiſcoporum, eiuſdem eccleſiæ, & in vnum locum ordine collocari ſaxeo Sacrophago, tecta ſuperiìs de marmore, occultis amodò titulis. Orationem habuit in funere Caroli IV. Imperatoris, quæ extat apud *Raynerium Reynucium*. Apud Vvenceſlaum Caroli Succeſſorem, auctoritate plurimum polluit. Huic enim ſoli benè monenti Rex auſcultabat libenter, modumque aliquem ſuis cupiditatibus, A illo interueniente, ſtatuebat, cæteris omnibus contemptui habitis.

Poſt multa laudabiliter geſta ſenio confectus ex hac luce migrauit Pragę, in Boemia, Menſe Februario, Anni 1381. ibidem ſepultus in Eccleſia SS. Erhardi, & Ottholę. Ferunt aliqui, teſte Auguſtino Brunenſi præpoſito in *Catalogo Ep. Olmucenſium*, huic Ioanni Genitricem Dei Mariam, in arce Raudnik viſibiliter apparuiſſe; de quo plura in *Boemia Pia Georgij Bertholdi Pontani Olmucenſis Præpoſiti*. Eius audita morte Vrbanus Papa Pauoni Epiſcopo Palignonenſi Nuncio ſuo, & in ijs Prouincijs Quæſtori mandauit; vt quoniam conſuetudo eſſet, teſtamenta B Cardinalium Romano Pontifici præſentari; ipſe omnium bonorum defuncti Cardinalis indicem accuratè conficeret, ac Teſtamenti exemplum fidele tranſmitteret. *Ciaconius. Vghellus. Aubery. Hipp. Maracin. in pur. Mariana.*

32. *Reginam autem pro re quæ acciderat Regi, prolocuta ait: Eſt vir in regno tuo, qui habet ſpiritum Deorum Sanctorum in ſe.* Daniel. 5.



DEmetrius Vngarus Archiepiſcopus Strigonienſis Presbyter Cardinalis *tit.* *SS. Quatuor Coronatorum* aſſumptus ab Vrbano C VI. Anno 1379. vnde viſuntur adhuc eius inſignia ante fores Tituli SS. Quatuor Coronatorum. Rogante Rege Pannoniæ, commendauit ei Vrbanus Papa Eccleſiam Strigonienſem, 3. Idus Ianuarij, Anno III. Pontific. Extant etiam adhunc Cardinalem Vrbani litteræ in Pannonia commorantem, *lib. 5. Obligation. eiuſdem Vrbani*, quibus ſubiectis pœnis præcipit, vt quintamdecimam omnium reddituum Eccleſiæ, & Diœceſis colligeret Strigonienſis: ipſe pariter quinD tamdecimam ſuorum perſolueret prouentuum, *Ciaconius* ex Comment. Triuultianis. Heduigim Demetrius filiã natu minorem Eliſabethæ Reginæ Vngariæ; in coniugem Regi datam Polonię, traduxit ad thalamum magno ſplendore, & ſplendido comitatu, vt ſolent Pannones. Donatus à Sarmata pretioſo adamante, cum rediſſet in patriam, Reginę obtulit Eliſabethę, aſſerens non licere Legatis aliquid accipere à Regibus extraneis; ne hoc prętextu fides nutaret miniſtri. Quid iudicarit Regina? latet.

Lege

Lege *Ciacoinum, Auberij, Contelorinm*: Stephan. Damal. in *Ep. Vladiſl.*

33. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis, facta eſt: omnes qui glorificabant ea; ſpreuerant illam; quia viderunt ignominiam eius,* 1. Thren.



FRidericus Comes Saruuerdenſis, natu Germanus Cunonis Treuirenſis Archiepiſcopi nepos, ex Canonico Archiepiſcopus Colonienſis LXIII. ætate quidem iuuenis, prudentia vero, & legum peritia ſenex, Archipræſulatus confirmationem obtinuit à Gregorio XI. R. P. cum quo, Bononiæ litteris dederat operam. Tres Cæſares ſucceſſiuè, Vuenceſlaum, Rubertum, & Sigiſmundum elegit, conſecrauit. Nuceriæ ab Vrbano VI. pileo donatus Cardinalitio vnà cum Moguntino, & Treuerenſi Archiepiſcopis, Leodienſi, & Vratiſlauienſi Epiſcopis dignitatem parui faciens, quæ tunc temporis indignis conferebatur hominibus, recuſauit. Audi Niemum lib. 1. c. 44. *Poſt feſtum Epiphaniæ Domini ipſe in præfato caſtro, ad pronunciationem nouorum Cardinalium, in publico Conſiſtorio exorſus eſt ſermonem; Lætare Germania &c. nominans eos, inter quos erant Colonienſis adhuc viuus, atque Moguntinenſis, & Treuerenſis Archiepiſcopi, & Arnoldus Leodienſis defuncti, nec non Venceſlaus Vratiſlauienſis Epiſcopi, at D. Petrus de Roſembergh. nobilis genere, & honeſtę conuerſationis presbyter de regno Boemia natus: qui vnanimiter poſt longam deliberationem inter ſe habitam omni ambitione ſemota, huiuſmodi Cardinalatus honorem acceptare noluerunt, licet idem D. Papa Archiepiſcopis & Epiſcopis præfatis Eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus, quoad viuerent, eis etiam non petentibus conſeruaſſet. Tunc pronuntiauit multos Cardinales de Neapoli oriundos, inter quos inſignis ille Simoniacus Monopolitanenſis, ſed ipſi aſſumere timore dicti Regis Caroli non audebant talem honorem, ſed in hoſpitijs eorum diù vt vulpes in foueis, Neapoli latitantes, & ne deriderentur à vulgo: multæ Dominæ Neapolitanæ, quibus notæ fuerunt conditiones ipſorum Cardinalium nouorum, me quandoque audiente, dixerunt, videam maritum tuum Cardinalem. Noui enim Cardinales Neapolitani omnes dicebantur habere perſonam ſecundam penes ſe, ſicque honor flammei pilei viliſſimè habebatur in eadem ciuitate. Dictus enim Vrbanus rancore, & ira impeditus non reſpexit quales Cardinales pro vtilitate vniuerſalis Eccleſię tunc crearet &c.* [B] [C] [D]

Lege *Bruſchium de Epiſcopis Germaniæ*. Obijt Fridericus An. Sal. 1414. die 9. Aprilis: Bonæ, & poſtquam Annos 44. Eccleſiæ præfuiſſet Colonienſi, in cathedrali ſepultus eiuſdem Vrbis.

34. *Elegi abiectus eſſe in Domo Dei mei; magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* 83. Pſal. 11.



CVno, vel Simon Falckeſtein ex Archiep. Colonienſi, quem Epiſcopatum Friderico Seruuerdēſi nepoti ſuo reſignauit, Archiep. Treuirenſis 95. creatus, duabus prouinciis laudabiliter præfuit vir ſtrenuus, labori aſſuetus, & ad regimen natus. Cardinalis creatus recuſauit, vt tradit Theodoricus à Niem. *lib. 1. c.* 44. & ſupra in
A *Friderico Archiep. Colon.* Confluentiæ obijt Anno 1388. & ad S. Caſtorem ſepelitur. *Bruſchius in catalogo Colon. & Treuir. Archiep.*

35. *Nolite gaudere; quia ſpiritus vobis ſubijciuntur: gaudere autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in Cęlo.* 10. Lucæ.



ARnoldus de Horne natu Belga ex Epiſcopo Traiectenſi Epiſcopus Leodienſis, fugato *Euſtachio de Rupe forti*, quem Clemens VII. Antipapa Leodienſibus præpoſuerat, Leodium ampliſſimam Gallię Belgicæ vrbem, eiurato Clemente Antipapa, in obſequium Vrbani VI. traduxit; cuius rei gratia ab Vrbano inter purpuratos aſſumptus, adem cauſa, qua cæteri Germani antiſtites, recuſauit honorem ſuſcipere. *Niem. lib.* 1. c. 44. Anno 1389. apoſtemate perijt enato inter ſpaculas, die 8. Martij; ſepultus in Monaſterio Veſtalium Ciſtercienſium, in agro Hornienſi, cui nomen Keſerbos. Lege Ciaconium, Io: Capcauill. *de geſti, Pontif. Leod.* Rodulphum de Riuo.

36. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi vniuſcuiuſq. enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* 3. Cantic.



VVenceſlaus Boleſlai Ducis Signicenſis, Regia Poloniæ ſtirpe natus, ad Vrbano VI. ab Eccleſia Lubricenſi ad Vratiſlauienſem tranſlatus, inde Cardinalis creatus dignitatem ſpreuit deturpatam, & perſonis indignis collatam. *Niem. lib.* 1. c. 44. Vileſcit namq. dignitas indignis collata, quæ fortibus debetur; vt in lectulo Salomonis, quem ſoli viri cuſtodiebant fortiſſimi.

37. *Eſt malum, quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem ægrediens à facie Principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi.* 10. Eccleſ. 5.



PEtrus de Roſembergh *nobilis genere, & honeſta conuerſationis Presbyter de regno Boemię natus, qui* cum alijs Germanis, *poſt longam deliberationem inter ſe habitam omni ambitione ſemota, huiuſmodi Cardinalatus honorem accipere noluerunt.* Niem. *lib.* 1. c. 44. cum viderunt eam deturpatam aſſumptione hominum perditorum iniuſta.

38.

38. *Fiat pax in virtute tua.*
Pſal. 121.



STephanus Paloſius (vel Angelus ſi fides Contelorio) Normandus, Romanus, Canonicus S. Mariæ Maioris, poſtea Ep. Tudertinus creatus à Gregorio XI. Sanctęque Rom. Eccl. Camerarius ſublectus ab Vrbano VI. ac Romę Vicarius Presb. tandem Card. tit. *S. Marcelli*, A
Sal. An. 1380. Comitijs adfuit Bonifacij. IX. à quo Archipresb. dictus S. Mariæ Maioris, Tudertinam rexit eccleſiam vſque ad Annum 1396. Pacis amator, Guelphorum & Gibellinorum diſſidia in vrbe ſuſtulit Tudertina, iuramento præſtito ab Aptis, & Clareuallenſibus, qui factiones inflabant. Rebus compoſitis eccleſiæ ſuæ, ac legibus Capitulo pręſcriptis, Tudertino ſe exoluit Epiſcopatum. Romæ deceſſit die 3. Cal. Maij, 1398. apud S. Mariam Maiorem ſepultus propè Præſepium, iuxta altare S. Hieronymi cum inſcriptione ſequenti, vt ex tabulis Liberianæ Baſilicæ, teſte *Paulo de Angelis*.

*Hic iacet R. R. in Chriſto Pater D. Stephanus Paloſius* B
*tit. S. Marcelli P. Card. Archipresb. huius Baſilicæ, qui obijt Anno Dom.* 1398. *Menſ. April. die* 29. *cuius anima requieſcat in pace.*

Lege *Ciaconium, Panuinium.*

39. *Via Sion lugent; eo quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem.* 1. Ihien.



ADolphus Comes Anaxouicanus, Germanus natu, Epiſcopus Spirenſis electus omnium Canonicorum ſuffragijs, Anno Sal. 1372. poſtea ob mortem Ioannis Ducis Lucelburgenſis, & Comitis S. Pauli, *Galli* vulgò dicti, filij, Venceſlai Ducis Brabantiæ, & Lucemburgi, fratris Caroli IV. Imperatoris ad Eccleſiam poſtulatus Moguntinam à Capitulo Moguntino, Anno 1373. cum Ludouico Marchione Miſniæ, Epiſcopo Bambergenſi quem Papa Gregorius XI. Moguntinis paſtorem dederat, Annos octo digladiatus ſedem prohibitus aſſequi Moguntinam, tandem dum Ludouicus chorę vacaret. Pontificiam dignitatem parui faciens, cæleſti igne conſumptus; Adolphus Moguntinam laudabiliter tenuit Eccleſiam, & vſque ad obitum rexit, ſede etiam retenta Spirenſi; quamuis Nicolaus XII. vir Rotæ ab Vrbano VI. Spiram miſſus eſſet ad regimen illius Eccleſiæ; Hunc enim nonniſi poſt ſeptennium, regimen tenere ab Adolpho paſſus eſt.

Is Spirenſis Sacerdotij exordio Spiram rebellem armis domuit, deportato Henrico à Landouu viro inter Spirenſes præpotenti, & ſeditionis auctore. Dignitate ornatus purpurea ab Vrbano VI. ſpreuit: nec pallium petere voluit, exorto Sciſmate inter Vrbanum VI. & Clementem VII. Antipapam teſte Nicolao Serario *lib. 5. Mogunt. in Adolpho* 1. indignatus forſan, quòd Sede obſtante Romana ſerò Moguntinam obtinuiſſet Eccleſiam. Obijt Anno 1388. Haylgenſtadi, Menſe Februario, Anno 8. Pontif. Mog. Moguntię ſepultus; teſte *Gaſparo Bruſchio de Epiſcopis Germaniæ. to.* 1.

De hoc Cardinali nulla mentio apud Panuinium, qui in ſerie Cardinalium, qui pileum reſpuerunt, Adolphi loco ponit Ludouicum de Miſna Archiepiſcopum Moguntinum.

40. *Quare calcè abieciſtis victimam meam, & munera quę pręcepi vt offerrerentur in templo & magis honoraſtis filios tuos, quam me, vt comederetis primitias omnis ſacrificij Iſrael,*
1. Reg. 2.



VAlentinus Vngarius, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis aſſumptus ab Vrbano VI. An. 1379. inter Purpuratos tit. *S. Sabinæ*, vt rem Papa gratam faceret Carolo IV. Imperatori, qui partes ſequebatur Vrbani VI. contra Clementem VII. Antipapam. Pileo Valentinus recepto purpureo, in patria ſubſtitit iam ſenex & grandæuus, donec Vrbano mortuo, eique ſubrogatis Bonifacio IX. Innocentio VII. & Gregorio XII. in Italiam venit, vt Eccleſiam Catholicam duro Sciſmate quaſſatam, ad vnitatem reuocaret. Senas venit comitante Nobilium Vngarorum turma, perhonorificè acceptus à Gregorio XII. ibi degente. Verum morbo tentatus lethali, cum decumbens frequentiſſimè in hoſpitio haberet Pontificis conC ſanguineos, eius non incumbentes ſaluti, ſed incubantes diuitijs; ſtomachatus Curialium auaritiam, lectica vectus quaſi in grabato indignabundus ſeceſſit cum ſequenti ſalutatione, vel exprobatione. *Verè nec me habebetis, nec bona mea.* Nec mora nulla à Pontifice petita venia, quamuis prædura Hyeme, Venetias ſe deferri curauit, nec longè poſt in patriam reuerſus, fato ceſſit. *Niem. lib. 3. c.* 23.

Huius Cardinalis inſignia viſuntur adhuc in abſide S. Sabinæ de vrbe; & in Metropolitana Senenſi cum inſignibus aliorum XI. Cardinalium, qui cum Gregorio XII. Senas venerunt, vt Chriſtianæ conſulerent Reipublicæ ob ſciſma periclitanti. Huius D Sancti Epiſcopi memoriam Pannones ſeruant adhuc, & retouant, quoties exprobrare volunt auaritiæ Romanæ.

Lege *Ciaconium, Auberij.*

41. *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei; quia manus Domini tetigit me.*
Iob. 19.



MArinus de Iudice, aliàs de Vulcano, Amalphitanus, Archiepiſcopus Tarentinus & Comēdatarius Eccleſię Auerſanæ, Camerarius S. R. E. in Presbyterum Cardinalem *S. Pudentianæ, tit. Paſtoris* eleuatur ab Vrbano VI. menſe Decembri in quatuor Temporibus Aduentus, Anno 1381. & ſub eodem Pontifice legationes grauiſſimas ſubijt ad Florentinos, Peruſinos, Picentes, Inſubres vt Romanæ refractarios Eccleſiæ, Vrbano VI. reconciliaret. Legatus tandem ad Pannones litteras ab Vrbano VI. recepit cum titulo *Venerab. fratri Marino Archiep. Tarentino, Adminiſtratori Eccleſiæ Auerſanæ, Camerario noſtro. Anno 4. Pontif. Vrbani VI.* Læſę poſtea Maieſtatis ſuſpectus, Nuceriæ cum alijs quinque Cardinalibus captus, tortus, diù carcere incluſus, Genuę tandem in equorum ſtabulo ſuffocatus, & in mare proiectus. *Niem. lib. 1. c. 60.*

Inſignia huius Cardinalis mutauit Oldoinus; ſed cur à Ciaconio recedamus non aſſignat: propterea antiqua retine.

42. *Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in Domibus ſuis.*
Eccl. 44.



IVlius Corſus Romanus Presbyter Card. tit. *S. Mariæ Transtyberim*, vt ex clypeo gentilitio in eius antiqua domo inſculpto, & elogio ſepulchrali in Baſilica S. Mariæ Tranſpontinę, vbi ſepulcro eſt tumulatus marmoreo, teſte Ciaconio, qui vidiſſe, legiſſe, et anſcripſiſſe teſtatur.

*Iulius hic tegitur Coſſus Romanus in vrna,*
*Cui roſeus ſacro vertice fulſit apex.*
*Quo viuente olim, victricis gloria Roma*
*Vincere viſa fuit, quo moriente mori,*

Anno, die, quo creatus ... Sub Vrbano credit Ciaconius; aduersùs quem obijcit Oldoinus Titulum S. Marię Tranſpontinę, tunc temporis nondum erectum fuiſſe; ſed fallitur Olduinus; quia titulus S. Marię Tranſpontinę, quem credit erectum à Sixto V. non fuit erectus, ſed reſtitutus.

43. *Bonorum omnium mater eſt Sapientia.*
Sap. 7.



THomas Monachus Ordinis S. Dominici, natu Anglus, qui Regis Anglię Richardi II. Confeſſarius, ac demceps Presb. Card. tit. *S. Petri ad Vincula*, ſcripſit *Quodlibeta varia*, quę Anton. Senenſis de Conceptione ſcribit ſe legiſſe Toleti, in conuentu S. Petri Mar. in libro peruetuſto iuncto cum ſumma Alberti Brixienſis: ſcripſit etiam ſuper vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam. Ferdinandus Vghellus, Antonius Poſſeuinus in *Apparatu Sacro*, negant Cardinalem fuiſſe: licet Ioannes Pitſeus Thomam hunc Cardinalem faciat; cum *neque apud S. Antoninum, neque apud Leandrum Albertum, neque apud Antonium Senenſem, qui Cardinales Ordinis Dominicani recenſent, inueniatur.*

44. *In fraude circumuenientium illum, affuit illi, & honeſtum fecit illum.* Sap. 10.

A



STephanus Columna Agapiti germanus frater, non filius Stephani Senioris quem Petrarcha *ep. 4. lib. 3. famil.* virum vocat bellaciſſimum qui centum vixit Annos, cui ſeptem filij, & ſex filiæ fuerunt; quorum vnus S.R.E. Cardinalis, alius vel Cardinali maior futurus, niſi immatura morte ſublatus fuiſſet; Epiſcopi tres, & duo bellorum Duces,
B Patri militari gloria propè pares, *ep. 1. lib. 8. famil.* Non Stephani itaque filius Stephanus, ſed Petri Presb. Card. tit. *S. Priſcæ* eccleſiæ S. Audomari Morinenſis præpoſitus, Protonotarius Apoſtolicus, ſub Gregorio XI. ad Ianuenſium ducem de grauiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ rebus diù Nuntius Apoſtolicus, integritatis & ingenij laude abundans. Ab Vrbano VI. P. eadem die Anni 1378. cum Agapito germano fratre in populi Romani ſolatium, ſuæque Curiæ exiſtimationem, & ornamentum Diaconus Cardinalis *S. Euſtachij*, creatur. Anni vnius curriculo res maximas pro Pontifice, pro patria, pro que tollendo ſciſmate incluſit, ſommoque omnium dolore,
C Chriſtiano Orbi eripitur, Anno 1379. Cadauer in Patrum ſepulchro Liberianę Baſilicæ, terrę mandatum eſt. In Vaticanis libris, in quibus currentis ſciſmatis hiſtoria recurrit, ſub menſe Auguſti, 1379. ſuper examina teſtium hęc leguntur: Ego *Franciſcus de Senis medicinę doctor iui ad caſtrum Gallicani, vbi iacebat infirmus D. Stephanus de Columna Protonotarius, & tunc in Cardinalem electus. D. Agapitus de Columna, qui erat ibi ad viſitandum D. Stephanum, habens nouam, quòd de Gebennis Cardinalis erat electus; dixit mihi iſta verba formaliter: Doleo, quòd D. Meus Gebennenſis talem honorem aſſumpſit, quia eſt onus inſupportabile ſibi, & cuilibet; & non credo, quòd ipſe ſit factus Papa: ſed credo,*
D *quò ſit factus Caput, & director Collegij, vſque ad concordiam cum D. noſtro &c.* Ex illis verbis, *& tunc in Cardinalem* electus; videtur, quòd non in prima, ſed in ſecunda vel tertia electione promotus fuerit in Cardinalem. Lege *Ciaconium*.

45. Vi-

45. *Vigilate itaq; quia neſcitis diem, neq; horam.* Matth. 25.



FRanciſcus Carbonus Nobilis Neapolitanus, Monachus primò Ciſtercienſis nobilitatem generis quam à parentibus acceperat niorum grauitate, virtutis ſplendore, & Catholicæ Zelo Religionis illuſtrauit. Interprete fama, in Epiſcopum Monopolitanum aſſumptus ab Vrbano VI. poſtea Presbyter Cardinalis tit. *S. S. Sabinỹ, & Suſana*, Anno Sal. 1384. mox etiam Epiſcopus Sabinius, & S. R. E. Maior Pænitentiarius. Is (teſte Garimberto *lib. 1. de vitis Pontif. & Card.* Silueſtro Maurolico *in Oceano*, Bernab. Montalb. in *Hiſtor. Ciſtercien.*) auctor præcipuus fuit promouendi Bonifacium IX. ad Romanum Pontificatum: propterea pluribus Legationibus inſignitus pro Eccleſia Romana, cum ſumma poteſtate Vicarius præfuit Sabiniæ, Campaniæ, Maritimæ, Patrimonio, Tuſciæ, Vmbriæ, præcipuè Tudertinis, Vrbeuetanis, Tifernatibus, Narnienſibus, Fulginatenſibus, qui Romanæ Eccleſiæ rebelles aduersùs Andream Thomacellum Pontificis fratrem arma tractabant, eoſque vigilantia ſua, ſedi reſtituit Catholicæ, & fruge maiori, quàm Pontifex ipſe ſperauerat. Diligentiſſimus Procurator eccleſię aduersùs hæreticos, & infideles, concionatores miſit in Orbem, quorum chriſtiana eloquentia vulgato Iubilęo magna vis auri collecta, & argenti pro expeditione Terræ Sanctæ; quæ vt ſanctè congregata peſſimè diſtributa à Palatinis Pontificijs, Orbem Chriſtianum concitarunt aduersùs Pontificem. *Garimbert. loco cit.* Adfuit Comitiis Innocentii VI. apud quē conſilio reliquos fratres præualuit in arcanis Fidei, & Religionis. Anno deceſſit Salutis 1405. 17. Kal. Iulii, Romæ morte ferè repentina: cuius cadauer Neapolim tranſlatum, in eccleſia iacet Cathedrali, ſub marmoreo, ſpectabilique ſepulchro, cum ſequenti inſcriptione.

*Clarus in excelſa Carbonum Parthenopęa*
*Ingenua Tellure ſatus de ſtirpe columnas*
*Inter Apoſtolicos, velut igne micantius aſtrum*
*Cardineique chori lux, gloria, ſpes quoque multis*
*Cui Sabinenſis apex, titulumque Suſanna dedere.*
*Crimina, qui lauacro laxabat, cuncta ſecundo*
*Et pius in cunctis, ſolerſque ad myſtica rebus*
*Conſilÿ probitate nitens, duxque ordinis alti*
*Corpore marmorea iacet hic Franciſcus in arca,*
*Lętus in atherea plaudit, ſed ſpiritus aula,*
*Anno Milleno Domini quinto quatriceno*
*Octaua denaque die Iunÿ requieſcit.*

Hunc Cardinalem purpura expoliare, fuiſſe in animo Vrbani VI. refert Ciaconius. Morte dicitur cecidiſſe repentina, quæ tamen eum paratum inuenit, die ſacra Corpori Euchariſtico, cum in procinctu eſſet ad peragendam publicam ſupplicationem.

*Tom. II.*

De eo lege Ciaconium: Garimbertum: Auberti Syluest. Maurolic. *in Oceano*: Cæſar. Raſpon. *de Baſil. Lateran.* Songellinum *in purpura D. Ber.* Lucam Vuadingum. *in Annal. Min.* Lege etiam infra de Ioanne Carbono.

46. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis.* Matth. 23.



FR. Bonauentura Baduarius de Peraga Lombardus Patauinus, ſanguine clarus (teſte Scardeonio *l. 1. claſſ. 7. antiquit. Pat. & lib. 3. claſſ. 14.* in Balzanella Peraghina) die Lunę, 22. Iunii. 1332. natus, ab ineunte ætate, Eremitarum S. Auguſt. Ordinem profeſſus, Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudiis incubuit, magno plauſu: per omnium namque honorum gradus, Ordinis Magiſterium cum appuliſſet, poſt obitum Magiſtri Guidonis de Belloreguardo, maioribus comitijs Veronæ congregatis 16. Kal. Iunii, 1377. inter plures Candidatos, ipſe omnium ſuffragiis, toti Ordini præfectus, ſumma cum laude, Annis octo, habenas tractauit, ſtudiis tamen minimè remiſſis, pręcipuè diuinas litteras è pergamo populis interpretando, non ſolum antè Magiſterium adeptum, ſed in ipſo regimine, multa ſcripſit, ex quibus in *Libros Sententiarum,*

*Meditationes in vitam Chriſti.*
*Speculum Mariæ.*
*Vitas Sanctorum.*
*Commentaria in epiſtolas Iacobi & Ioannis.*
*Ternarium, ſeu primum bonum de Regimine Conſcientiæ.*
*Breuiloquium*
*Sermones de tempore - De Sanctis - Ad Clerum.*

*Orationem in funere Petrarchę*; quem vnicè dilexerat colueratque priuſquàm ad Purpuram conſcenderet, inter Euganeos colles, Arquade, iuſta ſoluere voluit, & pullata oratione celebrare, cui adfuere tota Ciuitas Patauina cum Principe Carrarienſi, Epiſcopo & Clero, Academia nobili, teſte Scardeonio *loco cit.* Fratrem habuit Bonauentura vterinum nomine Bonſemblantes, eiuſdem inſtituti, doctrina celebrē cuius in funere Petrarcha ad ipſum Bonauenturam amici litteras dedit conſolatorias, ex quibus liquet, quanti eum faceret vir Clariſſimus & litterariæ Princeps Reipublicæ. Eas habes *l. XI. Senilium, n. 14.*

Tempore ſciſmatis, Vrbani legitimi Pontificis partes ſecutus, inſcius, & nil tale cogitans Anno 1378. purpura decoratur Presbyterali tit. *S. Cęciliæ*, & primus, qui vrbem Patauinam, ac Ordinem Eremitarum Purpura honeſtaret. *Pamp. in Chron. Eremit. S. Aug.* Romæ tunc erat, qua nunquam diſceſſit poſt adeptam Purpuram: eo autem tempore orto diſſidio tuendæ eccleſiaſticę immunitatis cauſa, cum Principe Carrarienſi Patauino Regulo impijs profani Prin-

cipis poſtulatis conſtanter ſeſe lingua obijciens, & calamo, per occultos ſicarios (communis tunc fama percrebuit) ex mandato Carrarienſis Reguli, dum pontem Ælium ad Vaticanam Baſilicam pertranſiret, ſagitta ab incerto tranſmiſſa petitus occiditur, auctore ſceleris adhuc incognito, & incerto. Obijt Anno 1389. in eccleſia Eremitarum S. Triphonis ſepultus in labro marmoreo, cum eius inſignibus, pileo, inſcriptione, & effigie. Inſigni S. Auguſtini extructa Baſilica, eodem in Sacello S. Nicolai Tolentinatis iacet cum rudi epitaphio.

*Hic Bonauentura, qui doctus dogmate ſacro,*
*Auguſtine tuis Eremis iam praefuit Orbis*
*Padua prouectus ad ſolium Cardinis, inde*
*Anni Millenis decies, ſeptemque triceni*
*Additis his nouem Chriſti requieuit in Vrbe,*
*Cælis eius animam, tu poſſides oſſa ſepulchre.*

Volaterranus *lib.* 21. *Com. Vrb.* Trithemius *De Script. Eccleſ.* ornant palma Martyrij. Concordat Scardeonius *lib.* 2. *loco cit.* Paulus Corteſius *lib.* 1. *de Cardinalatu* rem breuiſſimè commemorat; *nec multò minùs acutè Bonauentura Patauinus eſt in ſententiarum ſelectu enodando verſatus, qui Reipublicæ tuendæ cauſa, eſt ſagitta à Patauino Tyranno confixus:* & alibi: *Hic doctrinæ ſanctitatem adiecit, vt pro Martyre ferè colatur.* Romę in inferiori porticu Auguſtiniani cęnobij, imaginem Bonauenturæ palmam manu tenentem, elogium, martyrium, & beatitudinem eius indicans adiectum aſpicere eſt. In Indice Sanctorum, & Beatorum Ordinis Auguſtiniani Eremitarum, Beati titulo, cum Alexandro Oliua Cardinali Pij II. decoratur: teſte Victorello. Eius memoria apud S. Catharinam Seneſem, quę Bonauenturæ epiſtolam ſcripſit de legitima creatione Vrbani VI. Eiuſdem recurrit memoria in inueſtitura regni Siculi facta Carolo ab Vrbano VI. die 1. Iunij, 1381. his verbis: *Fr. Bonauentura Presb. Card. S. Cæciliæ.* In diplomate etiam Clementis VII. Antipapę, Anno 1378. & An. 1379. Cardinalis appellatur Vrbani.

47. *Omnes amici eius ſpreuerunt eam; & facti ſunt ei inimici.* Thren. 1.

A GVillelmus Courteneius ab Herefordia, Epiſcopus Londinenſis, in Cardinalem aſſumptus ab Vrbano VI. quando is deſertus à Cardinalibus antiquis, gentem quærebat, qui eius Pontificatum fulcirent cadentem, *Felix Contelorius in Elencho Cardinalium.* Vide p. 367. *in tom.* 3. *noſtro Pontificum Rom.* Dignitatem reſpuiſſe Guillelmus legitur in M. S. Romæ ſeruato apud Ciſtercienſes, in Monaſterio S. Crucis in Hieruſalem.

48. *Timenti Dominum non occurrent mala.* Eccl. 31.

B IO: Ep. Vercellenſis (teſte Contelorio) electus ab Vrbano cum iſte populum quęreret ad firmandum nutentem Pontificatum aduersùs Cardinales antiquos, qui ad Clementem VII. Antipapā confugerant. Dubium tamen an Ioannes iſte acquieuerit? vel ſpreuerit Cardinalatum? De hoc lege in Ioanne Fliſco Ianuenſi, ſub Gregorio XI. *n.* 16.

## Diaconi Cardinales.

49. *Inuentus eſt ſine macula.* Eccl. 31.



GVillelums de Capua Comitis Altæ Villæ filius, Capuanus, electus Archiep. Salernitanus (ſucceſſerit Ioanni de Aquauiua, vel Guillelmo Sanſeuerino? dubium) electus ab Vrbano VI. Anno 1378. & ab eodem Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Coſmedin*, poſtea Presb. Card. *tit. S. Euſebij* eccleſiam obtinuit S. Laurentij de Rabacca, & plebem S. Mariæ de Caina, diœceſis Peruſinæ. Extrar citatio Cardinalium Salernitani, Veneti, Genuenſis, & de Petra Mala, poſtquàm Vrbanus Cardinalem priuauit Reatinum. Suſpicione purgata apud Vrbanum, ob quam citatus fuerat, gratia & auctoritate præualuit. Peruſij aliquando moram traxit, neſcio quo munere fungens, vbi Vrbanum Luca aduenientem excipiens, Romam comitatus, paulò ante eius obitum, Anno 1389. die X. Cal. Aug. diem clauſit extremum. Ex *Triuultianis Commentarijs* Ciaconius.

50. *Ne ſuſpicetur Rex aduerſus ſeruum tuum.* 1. Reg. 21.

C




LVdouicus de Capua, Campanus ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Card. *S. Mariæ Nouæ*, delegatus ad examinandum ſciſma Clementis VII. Antipontificis: cum Galeoto Cardinale de Petra Mala exijt ad fores Palatij ſciſcitans, num aliquis exiſteret, qui Roberti Gebennenſis Antipapæ cauſam patrocinari vellet? & neminem ſe reperiſſe retulerunt. Ita in proceſſu Antipapæ.

Obijt ſub eodem Vrbano VI. Sal. Anno 1380. & ipſe benefactori de perfidia ſuſpectus (vt in *M. S.*
D *Cornelio Piſcopia*). Huius Cardinalis inſignia nouiter mutauit Oldoinus aduersùs Ciaconium; ſed cur à Ciaconio recedamus non aſſignat. De eo lege Ciaconium, Auberij.

51. Mu-

51. *Mutatus es mihi in crudelem : & in duritiam manus tuæ aduerſaris mihi.* Iob. 30.



GEntilis de Sangro natu Aprutius de Baronum genere Legatus Apoſtolicus in Regnum Siculum, quando Carolus Dux Dyrrachij ab Vrbano VI. ex Vngaria euocatus, Regnum Neapolitanum, capta & occiſa Regina Ioannna Seniore, occupauit. Fuit Diaconus Cardinalis, *S. Hadriani*, A Gentilis nomine, ſed moribus crudelis & barbarus tyrannidem ſuam euomuit in ea Legatione in qua *ſanè nimis Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Presbyteros, & Clericos, qui dictæ Reginæ Ioannæ adhæſerent, aliud fortè facere non valentes, ſi ſuis prouentibus Eccleſiaſticis in ipſo Regno gaudere volebant, plurimùm afflixit, multos eorum in eculeo ſeù ad quæſtiones ponendo, Eccleſiaſticis etiam prælaturis, atque alijs titulis Eccleſiaſticis, rebuſque, ac bonis eorum inhumaniter ſpoliando, nec in hoc parcendo ætati, ſacerdotio, ſtatui, aut ſcientiæ, vel virtuti, nec compatiendo in hoc Prælatis, & Epiſcopis etiam quantumcumque miſeris, & in tanto diſcrimine conſtitutis Credidit enim ſacrificium ſe offerre Deo, ſic omnes miſeros pertur-* B *bando, quibus vt nihil deeſſet calamitatis, & miſeriæ, dictus Vrbanus alios ſubſtituit paſſim Archiepiſcopos, Abbates, Clericos in eccleſijs, monaſterijs, & beneficijs eorumdem, & adeò generaliter, & ſine perſonarum differentia, quòd vna die creauit dictus Vrbanus XXXII. Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes natione Neapolitanos, illos potiſſimè, qui partem dicti Caroli, in eius ingreſſu Neapolim fouerunt? quos omni honore dignos reputabat; & adeò miſer & iners Neapolitanorum clericus ea vice vix reperiebatur in urbe, qui non fieret Archiepiſcopus, Epiſcopus, aut Abbas, vel Prælatus per eumdem Vrbanum, dumodò talis vellet eſſe. Niem. cap. 26.*

Pridie poſtea Non. Septemb. in eccleſia S. Claræ, C præſente Carolo Rege, cum proceribus, & ciuibus Neapolitanis, Leonardum de Chifono, & Iacobum Idruntinum Clementis VII. pſeudopontificis Anticardinales, Caſellum Ep. Teatinum, & Abbatem Maſſellum eiuſdem factionis cum Regina Ioanna captos, coram ſe abiurare coegit Clementem pſeudopapam, pallium, cucullum Epiſcopale, & pileos comburere Cardinalitios, Tertio Nonas Nouemb. coactis regni comitijs in area Arcis Nouæ, lecto mandato Vrbani VI. Pontificis, Regnum Neapolitanum Carolo confirmauit. 7. Kal. Decemb. Margaritham de Dyrrachio Reginam coronauit, in eccleſia S. Mariæ de Coronata. Anno ſequenti, qui D fuit Sal. 1382. Legatus Beneuentum ſeceſſit duos Cardinales captiuos ſecum trahens cum Epiſcopo, & Abbate, quos omnes in arce Auerſana Prouinciæ Aprutij, ſub cuſtodia depoſuit. In Curiam ex legatione reuerſus Anno 1383. biennio poſt læſæ Maieſtatis reus dictus, & primus in quæſtionem vocatus, & torturæ ſubiectus, cum ad eum acceſſiſſent Curiales examinaturi inuenerunt, in loco, *qui adeo arctus erat, & breuis, quòd idem Cardinalis in eo vix potuit extendere pedes ſuos. Niem. c. 45.* Ad ſecundum poſtea euocatus examen *præfatus D. Cardinalis de Sangro per ſatellites, habens compedes ferreas, tunicam talarem ſine ſuperpelliceo, & breuem mantellum duplicem circumdatum, quia frigidi venti frequenter ſpirant in eodem caſtro, quod eſt in magno, ſpatioſo & alto monte collocatum: qui cum perueniſſet ad finem dicti cellarij, vbi funes de alto pendentes ſibi præparatos aſpexit, & per ſatellites mox exuebatur veſtibus, & femoralibus & camiſia vix relictis, & ſtrictiſſimè per carnifices ligabatur: quod videns ipſe Franciſcus haud remotè ſtans immoderatè ridebat: ego autem qui dictum Cardinalem dilexi, incepi tremere ac dolere, nec erat* A *locus fugæ tunc mihi aptus: ſed quid moror? dictus Cardinalis qui fuit vir ætatis maturæ, corpulentus, & longæ ſtaturæ, ligatus ter de terra trahebatur in altum, & demum cæpit viribus quaſi deficere, quod cum viderem, eo ad terram demiſſo ſub ſilentio dixi, Chariſſimè Pater, nunquid videtis quòd quæritur anima veſtra, propter Deum liberate vos dicentes aliquid, vt iſtorum manus iſta vice euadere valeatis: qui reſpondens, ait, neſcio quid dicam. Et eum tortores iterùm cum torquere vellent, dixi, Ceſſate, ſatis enim iam mihi dixit: ipſis autem, quæ dixit, à me ſcire volentibus reſpondi, quòd ea prius ſcribere, & poſtea eis reſeruare vellem. Et ſic eum illa vice amplius non torquebant, ſed ipſum trahentes ad oſtium dicti cellarij, ut refrigerium ali-* B *quod reciperet, collocarunt, qui dum ad ſe conuerſus foret, nobis aſtantibus dixit: Videte fratres, aliàs fui glorioſus & magnus in hoc ſæculo, ut vos ipſi vidiſtis, nunc autem ſum miſerrimus omnium & deſpectus, & utinam mihi daretur hoc pro gratia ſingulari, quòd nihil habens per mundum tanquam pauper presbyter in vita mea mendicare, ſicque vitam defendere poſſem: ſed proh dolor, tribulatio & anguſtia mihi Dei iudicio reſeruata ſunt, pro eo, quòd exercendo legationis officium in hoc regno pro domino non Papa, non peperci Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & alijs Eccleſiaſticis Prælatis atque Presbyteris & Clericis, aut ſtatus, vel ætati, credens me ſibi in hoc placere. Cui dictus Franciſcus dixit, quòd non deberet ti-* C *mere, aut in aliquo de Domino Papa dubitare, quia dominus Papa uellet ſecum humaniter agere, atque alia multa blandiuſcula eructauit, per quæ tamen Cardinalis conſolari noluit, timens uehementer atrocitatem Papæ.*

Poſt tantos truciatus, vitam amiſit ſecuri percuſſus, vel viuus cum alijs quatuor Cardinalibus, teſte *Niemo c. 60.* Anno Sal. 1385. quaſi canis ſepultus.

52. *Vxorem duxi, & ideo non poſſum uenire.* Lucæ. 14.

D 

STephanus Sãſeuerinus Neapolitanus ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Card. S.... ſpreto pileo Cardinalitio oblato ab Vrbano VI. (cum iſte viros quæreret ſanguine, & clientelis claros ad firmandum nutantem Pontificatum. *Felix Contelor. in Elencho* Cardinal. Lege vitam Vrbani VI. à me conſcriptam *p. 365.*) Regina præſente Ioanna, vxorem duxit. Lege de eo *Ciaconium, Auberij,* Summontium *Hiſtor. Neapol.*

53. *Ini-*

53. *Iniquitates meditatus eſt in cubili ſuo, adſtitit omni via non bonæ; malitiam autem non odiuit.* Pſal. 35.



GAleotus Tarlatus de Petra Mala, Aretinus, Tuſcus ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis *S. Agathæ*, Anno 1378. aſſumptus ab Vrbano VI. vnà cum Ludouico Card. S. Mariæ Nouæ, accuſata contumacia Roberti antipapæ, quum ad Palatij A fores quæſitum iuiſſent; *num aliquis, qui pro ſeipſo reſponderet, adeſſet?* retulerunt ſe neminem inueniſſe. Hic poſtea auſteri Pontificis, in cuius ſiniſtram opinionem inciderat, ſæuitiam deteſtatus, cum Genuæ eſſet, ab eo fugiens cum Pileo Card. Rauennate, ad Clementem VII. ſe contulit (*Niem. lib. 1. c. 61.*) Auenionemque ingreſſus III. Non. Maij 1387. à quo inter ſui Ordinis Cardinales ſuſceptus, mutata Diaconia S. Agathæ in titulum priùs data, Diaconiam *S. Georgij in Velabro* ſuſcepit. Vrbano defuncto, comitiis adfuit Benedicti XIII. Antipapæ. Nec longè poſt rebus humanis excedens, apud Aluerniam in ſummis Apenini iugis, B ad eccleſiam delatus Fratrum Minorum, ſepultus in ædicula, quam ipſe ſibi viuens extruxerat, vocaturque hactenus *Cardinalis Sacellum*.

Nec latet, ſecundum Hieronymum Garimbertum *p. 447. de Cardinalibus*, eorum fuiſſe, qui Aretii dominabantur Gibellinorum Capita, propterea in petitione Cardinalatus ſæpè repulſum ab Anteceſſoribus Vrbani VI. ab eo tandem aſſumptum, immemorem dignitatis ſuæ in benefactorem conſpiraſſe, ad Clementem Antipapam declinando: à quo noua perfidia recedens à Clemente, honoribus priſcis ab Vrbano reſtitutus, morte præmatura, vindictam declinauit, quam Vrbanus ſeruaC bat in corde. De eo S. Antoninus *par. 3. hiſtor. tit. 22. c. 2.*

Lege *Ciaconium*; *Auberij*; *Contelorium*: Ioannem Lydium in vita Nicolai de Clemangiis; vbi ſequentia leges. *Galeotus de Petra Mala Cardinalis S. R. E. (cui ipſe poſtea epitaphia ſcripſit) audita nominis eius celebritate eum Cardinalibus primum deinde Pōtifici Benedicto XIII. commendauit, qui eum Auenionem ad Curiam Romanam ſectandam euocandam & a ſecretis eſſe iuſſit. Quam inuitus ad illam Curiam ſit pertractus, docet Epiſtola XIV.* Nouerat enim cum Iuuenali, *Satyr. 5.*

*Maxima quæq. domus, ſeruis eſt plena ſuperbis*
& alibi Satyr. 19. D

*Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot*
*Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.*

Lydii non later odioſum nomen; quem ſolum vt Hiſtoricum in arenam deduxi.

54. *Dominantes in poteſtatibus ſuis, homines magni virtute, & prudentia ſua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ, populis ſanctiſſima verba.* Eccli. 44.



LAndulphus Maramaurus Neapolitanus, electus Archiepiſcopus Barenſis, Diaconus Cardinalis *S. Nicolai in carcere Tulliano* ab Vrbano VI. creatus, menſe Decemb. 1381. nec longè poſt tanquàm fautor Caroli Regis, & hoſtis Pontificis pileo priuatus ab eodem Vrbano: reſtitutus tamen vnà cum Adamo Anglico, & Barholomęo Reatino, à Bonifacio IX. Anno 1389. Hinc Æmiliç præfectus, & in cauſa Antonii Geltrii, Pandulfi, & Galeoti Malateſtarum, qui de Vrbinatium imperio, bello certabant acerrimo, iudex delegatus litigantes compoſuit, & rem penè deſperatam quamuis calamo deciſam à Ioanne Caracciolo, fæliciter abſoluit: propterea à Bonifacio IX. *Cardinalis benè agendi magis, quàm loquendi auidus* appellatus, B & in vtraque Sicilia citra, & vltra Pharum, legationis onere decoratus, eò maximè tempore, quo in regno Neapolitano aduersùs Ladiſlaum Regem, Regni Proceres ſeditioſi mouebant, ſua induſtria cuncta pacauit, data executione Bullæ eiuſdem Pontificis, vt patet in fine libri IV. Bullarum Bonifacij IX. Comitiis cum adfuiſſet Innocentii VII. ab eo Peruſium Legatus, ibidem ſubſtitit, vſque ad noua comitia, in quibus cum cæteris Cardinalibus iurauit, vt ſi contigeret ipſum in Papam eligi; pro pace eccleſiæ reſtituenda iurabat Deo, ſe throno exceſſurum; ſi aliter comprimi ſciſma nequiret. *Niemius lib.* 3. Quibus præmiſſis, electus fuit in RoC manum Pontificem Gregorius XII. Landulpho aduerſante; quem propterea Patres Piſis congregati ad Robertum legarunt Romanorum Regem, vt Germanos aduersùs Gregorium excitaret, vt Papam cogerent ſtare promiſſis. Landulpho itaque inſtante, coguntur Francofurti comitia, in feſto Epiphaniæ, in quibus Moguntinus adfuere & Colonien. Archiepiſcopi. Perorauit Antonius Ep. Portuen. Gregorii XII. nepos aduerſus Landulphum ſciſma promouentem, obtinuitque vt à Cęſare Legati Piſas dirigerentur, qui nomine Gregorii Pontificatum deponere obtulerunt; ſi Cardinales ad Concilium conuenirent Æcumenicum tertio loco celebrandum. D Diſſentiētibus porrò Patribus Piſanis, receſſere Legati; vt habes in Greg. XII. vita per nos exarata *n.* 2. Interfuit propterea Landulpus nouis creandi Pontificis comitiis, in quibus ſucceſſiue promoti Alexander V. & Io: XXIII. cum quo Piſis Conſtantiam, ad Generale Concilium profectus, eiuſdem Pontificis adſtitit abrogationi; paulòque poſt, die ſcilicet 17. Kal. Nouemb. 1415. rebus exceſſit humanis, ad Prædicatores ſepultus. Eius memoria in Conſtantienſi Concilio, cui ſubſcripſit *Landulphus*

*Baren-*

*Bar enſis S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis*, Imò in ſeſſionibus plurimis eiuſdem Concilii, *Landulphus* abſolutè appellatur *Barenſis*, ab Archiepiſcopatu, quem rexit, retinuitque vſque ad obitum ſuum.

55. *Reformamini in nouitate ſenſus veſtri*, 12. ad Rom. a.



PEtrus ſeù Petrinus filius.... *Thomacelli*, & *Gratimola Philimarina*, natione Italus, patria Neapolitanus ex Nidi curia, genere *Cybo*, Diaconus Card. *S. Georgij in Velabro*, poſtea Presb. Card. *S. Anaſtaſij* ab Vrbano VI. creatus Anno 1308. Papa futurus nomine *Bonifacij IX.* quamuis in animo Vrbani VI. fuerit, eum purpura expoliate. *Ciaconius*. De reformatione gregis Chriſtiani procurata à Bonifacio IX. lege eius vitam à me exaratam.

56. *Lætantur cum male fecerint; & exultant in rebus peſſimis*. Prouer. 2.



THomas Vrſinus de Manupello, Romanus ex Protonotario Apoſtolico Diaconus, Card. *S. Mariæ in Dominica*, ab Vrbano VI. creatus, Anno 1381. menſe Decembri, inde in Patrimonium Legatus eo tempore, quo Raynaldus Vrſinus Aquilanus Princeps, & Taliacotij Comes, Vrbem Veterem, Spoletum, & finitimas Eccleſiæ Romanæ Vrbes vi occupauerat, Cornetum etiam eidem Legato eripuit, Hinc Corneto amiſſo, in Vmbriam profectus Legatus Narniam deditione accepit Bucciolo capto, qui eam tyrannicè tenebat, & Ameriam, ciuibus ſe ſponte dedentibus, Romanæ acquiſiuit Eccleſiæ. Viterbium etiam occiſo à ciuibus Angelo de Vico vrbis tyranno, non ſine Romani Pontificis conſenſu, nomine accepit Eccleſiæ Romanæ, eique tanquàm Vicarius præfuit, mandante Pontifice; quamuis non multò poſt ob ſuſpicionem læſę Maieſtatis, quòd aliquot in Patrimonio oppida vendere voluiſſet, reuocatus fuerit: eique Papa alium ſubrogauerit, qui tamen regimen aſſequi non valuit, ſeditione in eum concitata Viterbienſium, dolo Cardinalis Manupelli. Hinc iratus Pontifex Cardinalem ad ſe accerſiuit, & Peruſiam proficiſcentem medio itinere, per *Beltot* Anglicum magnum Capitaneum in Italia carceri tradidit, & vix Magnatum precibus adduci potuit, vt liberaret. Beltot verò paucos poſt dies caſtellum ingreſſus *Villa* dictum inter Vrbem, & Reatem, vt cibum caperet ignorans dictum caſtrum eſſe Comitis de Manupello fratris dicti Cardinalis irruentibus ruſticis confoſſus cecidit, non ſine tamen vltione: nam Paulus Vrſinus expugnatum caſtrum, ſolo æquauit; & Comes de Manupello profugus coactus panem oſtiatim quærere vſque ad obitum Vrbani VI. quo mortuo, Cardinalis de Manupello lætitia exuberans ob mortem Pontificis, electioni adfuit Bonifacij IX. eiuſque coronationi, non longè tamen ſuperſtes (*Theodoricus à Niem. lib. 1. c. 67.*) die 6. Iulij 1390. è vita migrauit ſepultus in Vaticano.

Lege Ciaconium, Ant. Beatil. *in hiſtor. Baren.* Contelorium. Auberij: Cæſ. Raſp. *de Baſil. Lateran.*

57. *Vocauit duos domeſticos ſuos, & militem metuentem Dominum*. Act. 10.

A 

RAimundus Vrſinus natu Romanus, Comitis Nolalis filius, vel Nolenſis, dictus de Baucio, opere potens, & ſermone in Apulia, indignum credens, Romanum Pontificem detineri captiuum, Nuceria Barium duxit, & inde Ianuenſium triremibus Ianuam. *Niem. lib.* 1. c. 44. In præmium facinoris dictus eſt Raymundus Diac. Card. S.... teſte Ciaconio; Sal. An. 1385. Cardinalium promotione quarta; quamuis ex antiquis tabulis Contelorius Ciaconio diſſentiat. In eis namque legitur *Ray-*
B *mundellus de Baucio, de Vrſinis filius Nicolai Comitis Nolani, miles ſtrenuiſſimus S. R. E. & athleta Chriſti maximus, equitum & peditum multitudine venit in ſuccurſum Vrbani VI. qui in caſtro ciuitatis Luceriæ obſidebatur à Carolo de Duratio olim Rege Hieruſalem, & Siciliæ, diſſoluit obſidionem, exercitum Caroli, cui Petrus Tartari Abbas Caſſinenſis præerat, in fugam vertit, & Vrbanum, & Curiales ad tutum locum deduxit. Ideoque Vrbanus pro florenis triginta millibus, quos ratione expenſarum promiſerat, tradidit in pignus Cænam Benedictinam, & Gregorianam, quas Ianuæ redemit.* Scribuntur Tabulæ iſtæ die XV. Nouemb. 1385. Non ergo (concludit Contelorius) Raymundellus Cardinalis Diaconus
C erat Anno 1384. cum Anno 1385. ſe gerat pro milite: neque Cardinalis appelletur. Hunc Raymundum Sanſouinus *lib. de Vrſina famil.* inter Cardinales non recenſet Vrſinos; ſed pace reſtituta in Regno Neapolitano; Principatum à Carolo obtinuit Tarentinum, quem vxoratus tranſmiſit in filios.

58. *Dedit ei Dominus locum pænitentiæ*. Iob. 24.

D 

LVdouicus Fliſcus nobilis Ianuenſis ex Comitibus Lauaniæ Nicolai filius quondàm Luchini, agnatus Ioannis Cardinalis de Fliſco, & Epiſcopi Vercellenſis, ob cuius obitum, Epiſcopatum Vercellenſem Anno Sal. 1384. accepit ab Vrbano VI. eodemque Anno vocatus ad purpuram Diaconalem *S. Hadriani*, cum adminiſtratione Epiſcopatus Vercellenſis, ad beneplacitum Apoſtolicum, ſui memor benefactoris (inquit Oldoinus) Vrbanum Luceriæ obſeſſum, nauibus Ianuenſibus in liberta-

berratem vindicauit; quod falſum. Sola namque opera, & gladi Raymundi Vrſini, qui ratione expenſarum tabulam Benedictinam in pignus accepit, Vrbanum libertati reſtituit: de quo ſupra lege in *Raymundo Vrſino*. Conclaui interfuit, in quo Bonifacius IX. Papa eſt renuntiatus: à quo in Campaniam Adminiſtrator illius Prouinciæ miſſus, & Agri Fundani diligentia ſua Anagniam è manibus ereptam Sciſmaticorum Sedi reſtituit Romanæ. Genuam Legatus vt populum illum firmaret nutantem in obedientia Bonifacij, rem tepidè geſſit. Imò mortuo Bonifacio, huicque ſuffecto Innocentio VII. (cuius comitijs non adfuit) ad interceſ- A ſionem Galli Regis, cuius Legati Genuam venerant, perfidè, & doloſè contra fidem ſuſceptæ legationis, eiurato Innocentio VII. ad Benedictum XIII. Antipapam declinauit, cum quo Auenionem profectus in eius obſequio perſeuerauit; purpura expoliatus, & Vercellenſi Epiſcopatu donec in Piſano Concilio congregati Patres, & ipſe tanquàm Cardinalis acclamatus legitimus Alexandrum VII. promouerunt. Adfuit etiam comitijs Ioannis XIII. à quo, mortuo Cardinali Minutulo ſubrogatus fuit in legatione Bononiæ, Romandiolæ, & Ferrariæ, Magno adfuit Concilio Conſtantienſi, lato ſuffragio in creatione Martini V. cuius Legatus abijt ad B Siculos. Obijt Anno Sal. 1413. 3. Nonas Aprilis, Romæ cuius cadauer Genuam tranſlatum in æde quieſcit S. Laurentii, in ſepulchro maiorum ſuorum. Martinus Papa eius funus honeſtauit collatis mille aureis depromendis ex futuris diſtributionibus. Lege Ciaconium. S. Antoninum *par. 3. hiſtor. 22. c. 4.* Vghellum, Auberij: Feder. *hiſtor. famil. Fliſca.* Ferter. *in vitis Ep. Vercellen.*

*59. Faciliùs eſt Camelum per foramen acus tranſire; quàm diuitem intrare in regnum Cælorum.*
Matth. 19.

C



MArinus Bulcanus Neapolitanus, ex Subdiacono & Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis *S. Mariæ Nouæ*, ac Camerarius S. R. E. promotus ab Vrbano VI. An. 1384. priuſquàm inter Purpuratos aſſumeretur, Legationem ſubiit Vrbani nomine ad Carolum III. Regem Neapolitanum, vt ex litteris eiuſdem Vrbani *Dilecto filio Marino Bulcano Priori ſæculari Eccleſiæ S. Nicolai Barenſis Subdiacono noſtro in regno Siciliæ, & in terris citra Pharum pro nobis, & S. R. E. Theſaurario Ge-* D *nerali*. In quibus muneribus cum minùs laudabiliter & ſimoniacè ſe geſſiſſet, abſolutionem pro ſe ac miniſtris ſuis poſtulauit à Bonifacio IX. cuius in comitiis, ei maximè fauerat. Simonia notatur; aliàs abſolutione opus non fuiſſet. Diem clauſit extremum 6. Idus Auguſti, An. 1394. ſepultus in ſua Diaconia ſub Pario lapide cum inſignibus, inſcriptione, & effigie.

*Cardinibus Sanctæ Cardo famoſus in almis*
*Eccleſiæ, cuius Camerarius omnia toto*
*Geſſit amore vigili maior quàm mente gerendis*
*Semper erat magnus animo conſultus aperto*
*Parthenope natus Bulcana ex prole Marinus*
*Aſtra petens pulchro liquit ſua membra ſepulchro,*
*M. ſemel, & C. ter, nouies I. quater adde.*

Hyperbolem, & adulationem epitaphii abſolutio redarguit huic Cardinali collata à Bonifacio IX. pro muneribus laudabiliter geſtis.

Lege Ciaconium, Auberii; Antonium Beatillum. *in vita S. Nicolai:* Contelorium, Vghellum *in addition. ad Ciacon.*

*60. Perierunt quaſi qui non fuerint, & nati ſunt, quaſi non nati*. Eccli. 44.



FRanciſcus Renrius Alliphanus, ſanguine iunctus cum Papa Vrbano VI. ab hoc, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis dicitur *S. Euſtachij*, appellatus *de Allipha*. (Ciuitas eſt inter Venafrum, & Beneuentum) Vicarij munere functus Apoſtolici in prouincijs Campaniæ, & Maritimæ, nil memorabile poſteritati reliquit. Comitijs interfuit Bonifacii IX. quem ſuffragio promouit, ſub quo obijt 5. Kal. 1390. Romæ. Leonem cum tribus ſtellis, huic Cardinali adiecit Ciaconius pro inſignibus, quæ tanquàm adulterina reiicit Auberii.

*61. Vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum; & ſenes eius prudentiam doceret.*
Pſal. 104.



RAynaldus Brancatius Neapolitanus, ex Acolytho, & Protonotario Apoſtolico Diaconus Card. *SS. Viti & Modeſti, in macello Martyrum*. Statura iſte procerus, humero tenus communem hominum excedens staturã ore magno, naſo excelſo Aquilino, ceſiis oculis, grandis animi, liberalis, litteratum amator, Purpuratis venerabilis, & ſacri director Collegii, cum Vrbano ſemper conſenſit, à quo aſſumptus fuerat inter Cardinales Anno 1384. Poſt eius obitum, Bonifacii IX. comitiis adfuit, cum quo Roma Senas veniens, ſuſpicatus peruicacem Gregorium minimè concordiam eccleſiæ deſiderare, ſed velle in Pontificatu perſiſtere; clandeſtinè diſceſſit, Piſas veniens ad Concilium celebrandum propterea purpura ab eodẽ Gregorio expoliatus Cardinalitia, ad Concilium appellauit Piſanum, à quo irrita declarata ſententia Pontificis, ſedit inter Patres Cardinalis innocens & legitimus; *Seſs. XVI. Concil. Piſani*. Promouit poſtea Raynaldus Alexandrum V. Ioannem XXII. dictum XXIII. & thiara ornauit Pontificia, ab eoque

miſsus

miſſus in Campaniam, & Maritimam, prouinçias illas iuſtè,& laudabiliter rexit. Viçarius tandem Sedis Apoſtolicæ, ſumma cum poteſtate Neapolim miſſus, cum Rege Ladiſlao amiçitiam iurauit. Comitiis interſuit Martini V. in Conſtantienſi Concilio; quo iubente, finem Concilio impoſuit, data omnibus abeundi facultate, ex ſuggeſto, clamans, *Domini ite in pace*. Eodem Martino iubente, Auerſani Epiſcopatus adminiſtratione ſuſcepta, Anno 1418. perſeuerauit vſque ad 1422. quo eam Petro Caracciolo Caſſano ceſſit. Vitā protraxit vſque in Annum 1427. & die 27. Martii, Romæ iam ſenex in ædibus Tranſtyberinis vitam poſuit. Cadauer ex teſta- A mento Neapolim tranſlatum in eccleſia iacet S. Angeli ad Nidum, quam ipſe cum proximo Xenodochio conſtruxit, dotauit, coacernatis ære ſuo vtenſilibus omnibus ad vitam, & ægrotos neceſſariis; vt ex diplomate Martini V. die 29. April. 1426. Sacellum etiam familię ſuę ædificauit in eccleſia Patrum S. Dominici Neapoli. Archipresbyter fuiſſe dicitur S. Mariæ ad Præſepe; ſed nutat in incerto.

Tumulo, quem ſtatuis exornauit Donatellus Florentinus ſculptor inſignis, ſequentem poſteri adiecere inſcriptionem.

*Raynaldus Brancacius S. R. E. Cardinalis*
*Huius Eccleſiæ, & ſacri Hoſpitalis fundator.*
*Obijt 27. Martij, Anno Dom. 1427.*

Octauius Brancacius aliam in eadem eccleſia, hiſce temporibus poſuit inſcriptionem.

*D. O. M.*

*Raynaldo Brancaccio S. R. E. Card. huius eccleſiæ fundatori, Ludouico, Thomæ, Marinello, Nicolao, Landulpho Brancacijs, à Cæleſtino V. Vrbano VI. Greg. XII. Ioanne XXII. Purpuratorum Patrum Collegio cooptatis. Paulo quoque & Marino Brancacijs, illi Nuceriæ Ladiſlai Regis; huic Noiæ Comiti, ac Ferdin. II. Regis Neapol. militiæ ſummo Duci, Buſilla Brancacio Niſſani in Ægæa* C *Mari inſulæ Regulo, & Philippo Brancacio Campaniæ Comiti, Sacræque Rom. Eccleſiæ exercitus Imperatori, Octauius Brancacius Mutij, ac Sarræ Brancaciæ F. nouum hoc antiquiſſimæ memoriæ.*

*P. A. D. M. DC. V.*

Lege Ciaconium, Auberii; Cæſar de Engen. *in famil. Neapol.* Vghellum *in Italia S.* Sumontium *Hiſtor. Neapol.*

*62. In medio magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu Præſidis apparebit.*
Eccli. 39.



IOannes Stephaneſcus Romanus de Traſtyberim ex Protonotario Apoſtolico D. C. *S. Georgij in Velabro*, poſtea Presb. C. tit. *S. Cæciliæ*; nam in vtraque Eccleſia ſuperſunt eius inſignia. Ita Ciaconius; cui reclamat Felix Contelorius; quia Inſignibus non ſit adiectum nomen; & ea applicari valeant Petro Cardinali de Stephaneſcis creato ab Innocentio VII. Veruntamen Ciaconius non arguit Ioannem Cardinalem fuiſſe ex Inſignibus, purpuram namque in publicis monumentis adnotatam inuenit: ſed ex Diaconia S. Georgii in Velabro, tranſiiſſe Ioannem ad Eccleſiam S. Cæciliæ.



*63. In manu artificum laudabuntur; & Princeps populi in ſapientia ſermonis ſui; in ſenſu vero Seniorum verbum.* Eccl. 9.



F. Angelus de Anna de Summa Ripa Neapolitanus Monachus Camaldulenſis ex electo Epiſcopo Laudenſi, Diaconus Card. *S. Luciæ in Septiſolio*, electus ab Vrbano VI. Anno Sal. 1384. inde Presb. Card. *S. Pudentianæ tit. Paſtoris* ſub Bonifacio IX. tandem Ep. *Prænestinus* aſſumptus in prima promotione facta à Io: XXIII. Anno 1411. An fuerit Epiſcopus Laudenſis? negat Vghellus in *Ep. Prænestinus* ex Serie Preſulum Laudenſium: quamuis dictus fuerit Cardinalis *Laudenſis*, quòd Laude Pompeia, quæ eſt vrbs ad ripam Addę fluminis; in Inſu- B bria ſuam originem traheret, vt narrat *Defendens Ladius* vir eruditus *in hiſtoria Laudenſi*, vel in *diſcurſu Accademica De Angelo Card. Anna*, etſi poſtea praua opinione corruptus duos Cardinales faciat vnum *de Anna*; alterum *de Summa Ripa*: cum tamen vnum fuiſſe conſtet Cardinalem Laudenſem, qui ortu Neapolitanus erat, origine verò Laudenſis. Patriæ fuiſſe Epiſcopum teſtatur ex aduerſo Auguſtinus Florentinus *par. poſter. lib. 4. Hiſtor. Camaldul.* Interfuit tanquàm Presb. Card. tit. *S. Pudentianæ*. Conclaui Innocentii VII. Anno 1404. & An. 1406. electioni Gregorii XII. in cuius manibus reſignauit Carcerum cænobium, vt Ordini aggregaretur Ca- C maldulenſi, conſtituta ſibi penſione Aurearum 300, Senas cum eo profectus, cum inde clanculò, & reclamante Gregorio XII. ad Concilium ſe cōtuliſſet Piſanum, purpura priuatus fuit; irritam declarante ſententiam Piſano Concilio, ſedit cum aliis Cardinalibus ad electionem noui Pontificis. Poſt abdicationem verò Benedicti XIII. & Gregorij XII. creato Alexandro V. dubitatum an penſio illa deberetur, vnioque Carcerum valida eſſet? propter depoſitionem Pontificis? Suſpenſa propterea penſione, noua penſio Monaſterio Corporis Chriſti Venetiarum decreta. Habito poſtea I. C. conſilio, & tanquàm validis geſtis receptis Gregorij XII. penſio rurſus D ei, ad rationem Florenorum 225. annua eſt conſtituta, extincta illa, quæ Monaſterio Corporis Chriſti fuerat deſtinata.

Conclaui interfuit Io: XXIII. Anno 1410. à quo Epiſcopus *Prænestinus* dictus Anno 1414. in tertia Cardinalium promotione. Interfuit comitiis Martini V. Conſtantiæ, Anno 1414. Defuit creationi Eugenii IV. Anno 1431. morti proximus. Plures legationes ſubiit Eccleſię nomine, teſte Panuinio *in epitome*, præcipuè ad Neapolitanos, vt Regni Proce-

res diſcordantes componeret. Romæ deceſſit non Anno 1431. vt ſupra adnotauit cum Auguſtino Florentino, ſed 1428. die 12. Iulij, vt ex epitaphio. Eius cadauer Neapolim poſtea tranſlatum iacet in eccleſia S. Mariæ ad Portam Nouam ſepulchro marmoreo.

*Hic iacet in tumulo ſacri de Cardine cœtus*
*Anna, fuit generoſa domus, ſed amabile nomen,*
*Laudenſis dictus Senior. Pater optimus iſte*
*Angelus Angelicam pia mens reuolauit in aulam*
*Mille CCCC. bis denis, octoque iunctis*
*Currebat Chriſti menſis quoque Iulius Anni.*

Ex hoc epitaphio geminus colligi poſſe videtur; Cardinalis Laudenſis. Si enim *Senior* hic appellatur; *Iunior* alter ſupponitur. Errat qui eum Seniorem dicit, quia ætate longæuum, & Sacri Collegij Decanum, Annos enim ſupra 40. vixit in Cardinalatu; ſed comparatione Iunioris, ſenior dici debet.

Lege Ciaconium, Vghellum, Ios: Mar. Soareſium, Auguſtinum *hiſtor. Camaldul.*

64. *Vigilate ergo, quia neſcitis; qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Matth. 24.



FRanciſcus Caſtagnola Neapolitanus, Pauli filius ex Protonotario Apoſtolico, Diaconus Card. S.... dictus ab Vrbano VI. Anno 1384. priuſquàm poſſeſſionem nanciſceretur Diaconiæ, Genuæ obijt, 17. Kal. Decemb. An. 1386. [*Ciaconius ex monumentis Triuultianis, & Annal.*

A *Neapolitanis*] non ſine venei ſuſpicione, lego in *M. S. Cornelio.*

63 IOannes Carlonus, vel Carbonus Neapolitanus Diaconus Cardinalis S.... ab Vrbano VI. aſſumptus ſub eodem moritur, teſte *Andrea Victorello in Additionibus ad Ciaconium*: contradicente Felice Contelorio, qui Ioannem patrem dicit fuiſſe Franciſci Carboni Cardinalis, non cardinalem.

## Cancellarij S. R. E. ſub Vrbano VI.

Petrus de Monturuco P. C. tit. *S. Anaſtaſiæ*, ab Anno 1. Pontif. ad octaui partem.

Rainulphus de Monturuco P. C. tit. *S. Pudentianæ*, Regens Cancellariæ Apoſtolicæ, abſente Petro de Monturuco, ab Anno 1. ad 5.

Franciſcus Pregnanus Neapol. P. C. tit.... Can- B cellariæ Apoſtolicæ Rector, abſente Petro de Monturuco, ab Anno V. ad 8.

Idem Franciſcus Ep. C. Prænestinus, Vicecancellarius S. R. E. in obedientia Vrbani VI. ab Anno VIII. ad finem Pontificatus.

# CLEMENS VIJ. ANTIPAPA XXXIV. CONTRA VRBANVM VIJ. P. R. CC J.

CLemens intruditur die 19. Septemb. Anno Sal. 1378. Obiit die 16. Septemb. Anno 1394. cadente Anno XVI. eius vſurpationis.

Cardinales viuentes & adſtantes eius intruſioni.

## Epiſcopi Cardinales.

F. Anglicus Ep. C. Albanus Decanus ex Vrbano C V. aberat.

Ægidius Ep. C. Tuſculanus ex Innoc. VI. & Vrb. V. aberat.

Io: de Blanſaco Ep. C. Sabinus ex Innoc. VI. & Greg. XI. aberat.

Petrus Corſinus Ep. C. Portuen. ex Vrb. V. & Greg. XI.

Io: de Croſſo Ep. C. Prænestinus ex Greg. XI.

Fr. Bertrandus Ep. C. Oſtien. ex Greg. XI. & Vrb. VI.

## Presbyteri Cardinales.

Petrus de Monturuco P. C. S. Anaſtaſiæ, ex In- D noc. 6. aberat Auenione.

Guillelmus P. C. S. Stephani in Cælio Monte, ex Vrb. V.

Ex Greg. XI.

Fr. Guillelmus de Chanaco P. C. S. Vitalis tit. Veſtinæ.

Robertus P. C. Baſilicæ Apoſtol.

Simon P. C. SS. Io: & Pauli, tit. Pam.

Hugo P. C. SS. IV. Coronat.

Guido P. C. S. Crucis.

F. Io: P. C. S. Marcelli.

Petrus P. C. S. Laur. in Lucina.

F. Gerardus de Podio P. C. S. Clem.

Dia-

## Diaconi Cardinales.

* Hugo D. C. S. Mariæ in Porticu S. R. E. Archid. ex Innoc. 6.

Ex Greg. XI.

Iacobus Vrſinus D. C. S. Georgii in Velabro.
Petrus Flandrini D. C. S. Euſtachii. A

Guillelmus Nouelletti D. C. S. Angeli.

Ex Gregorio XI.

Petrus, vel Io: de Veruco D. C. S. Mariæ in via lata.
Petrus de Luna D. C. S. Mariæ in Coſmedin.

Qui ſtella notantur in margine, abſenres erant in promotione Antipapæ Clem. VII. qui XIIJ. promotionibus plures creauit Anticardinales.

## Epiſcopi Pſeudo Cardinales promoti à Clem. VII.

1 NIcolaus Brancatius ex Archiep. Coſentino P. C. S. Marci, poſtea Ep. C. *Albanus*, Vide infta *n*. 10.

2 PEtrus Soracenacus ex P. C. S. Mariæ Tranſtyberim, Ep. C. *Sabinus*. Vide infra *n*. 11.

3 M. F. Leonardus Geoſonenſis ex P. C. tit. SS. Silueſtri, & Mar. in Montibus, Ep. B C. *Oſtienſis*, Vide infra *n*. 14.

4 BErtrandus Lagerij.

5 NIcolaus Brancatius ex P. C. tit. S. Marci, Ep. Card. *Albanus*. Lege infra *n*. 10.

6 IOannes de Nouo Caſtro, ex P. C. tit. SS. IV. Coronatorum Ep. C. *Oſtienſis*: vt infra *n*. 19. C

7 IAcobus de Arragonia ex P. C. tit. S...., Ep. C. *Sabinus*: vt infra *n*. 33.

8. *Quia reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia & tumultu, & innixi eſtis ſuper eo: propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio eius*. 30. Iſaiæ, 14.



IO: de Rupecauardi, Gallus è Dominis de Charos inter Bituriges; Biturigenſis primò, deinde Arelatenſis Archiep. ab Aotipapa Clemente VII. Epiſcopus Card. *Oſtienſis*, creatus Anno..... animam efflauit (teſte *Frizonio*) Anno 1402. vel ex Claudio Roberto, An. 1391. vnde tempus promotionis nutat incertum: An idem, vel diuerſus à Ioanne de Broniaco? dubium.

## Presbyteri AntiCardinales creati a Clemente VII. R. P.

9. *Surgent enim Pſeudo Chriſti, & Pſeudoprophetæ*. Matth. 24.



IAcobus de Viſs natu Gallus, Hidruntinus Archipræſul; & Patriarcha Conſtantinopolitanus, primus inter Pſeudo Cardinales creatos à Clem. 7. tit. *S. Priſcæ*, Anno 1378. die XVII. Kal. Ianuarij, Fundis in Campania, in quàtuor Temporibus Aduentus, vbi primam promotionem fecit Pſeudopontifex. Neapolim Legatus à Clem. VII. ad Reginam Ioannam (dum Regnum Carolus III. de Dyrrachio armis repoſceret) & ab ea, ac Regni proceribus honorificè acceptus, paulò poſt à Carolo III. Rege, carceri datur vnà cum Leonardo Geoſonenſi pſeudoCardinali, antea Ordinis Minorum Generali Miniſtro; quorum inſignia Cardinalitia, pridie Kal. Septemb. Neapoli, in eccleſia S. Claræ, Gentilis de Sangro Cardinalis Legatus Vrbani VI. præſente Rege Carolo, publicè combuſſit, eoſdemque Anticardinales Beneuentum, deinde Aprutium, Auerſam cum quibuſdam alijs Prælatis captiuis ſecum adduxit; dimiſſos tandem Iacobus D Auenionem repetit narraturus Clementi exitum infeliciſſimæ legationis: vbi obijt Anno 1387. in obedientia Antipapæ: quamuis ſecundùm alios in carcere perierit veneno abſumptus.

Lege Ciaconium, Frizonium, Barthol. Chiocarel. *in Catal. Archiep. Neapol.* Spondanum.

10. *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.*
2. Reg. 12.



NIcolaus Brancatius Neapolitanus ex Archiepiſcopo Coſentino pſeudo Cardinalis Presb. tit. *S. Marci* promotus à Clemente VII. Anno 1378. eodemque Anno Ep. C. *Albanus* in ſciſmate contra Vrbanum VI. eiuſdem ſciſmatis promotor, & protector etiam A ſub Benedicto XIII. vſque ad Piſanum Concilium, in quo cum Benedicti Antipapæ obedientiam abiuraſſet, ab Alexandro V. Papa Catholico purpura eſt decoratus. Florentiæ obiit An. 1412. die 29. Iunii, ſedente Io: XXIII. ſepultus apud S. Mariam Nouellam, Dominicanorum nobile templum, in medio Chori.

Epiſcopus dicitur Bononienſis à Ciaconio, penès quem fides: cum in Sigonio de *Ep. Bononienſibus* nulla mentio.

11. *Mortuus eſt diues.* Lucæ. 16.



PEtrus de Sortenaco, vel Soraccnacus Epiſcopus Viuarienſis à Gregorio XI. creatus Presb. C. tit. *S. Laurentij in Lucina*, Anno 1375. die 20. Decemb. poſtea Ep. *Sabinus* obiit Anno 1390. die 16. Auguſti, ſub obedientia Benedicti XIII. Antipapæ. *Vghello* teſte. Vel cum *Petro Frizonio*, & *Claudio Roberto*, Petrus Soracenicus *de Sorcenati*, Ordinis S. Benedicti Monachus, Ebredunenſis Archipræſul Auditor Rotæ, (cum *Panuinio*) in qua ſede prædeceſſorem habuit Bertrandum de De- C uico Cardinalem. Ex Archipræſule Ebredunenſi in Presbyterorum Cardinalium numerum relatus tit. *S. Mariæ Tranſtyberim*, *tit. Callixti*, tandem Ep. C. *Sabinus*, Auenione vitam poſuit in obedientia Clementis VII. Antipapæ ibique ſepultus ſciſmaticus, plenus diuitiis.

Sorinicium villa in agro Toloſano fuit, ſic appellata à fluuiolo, qui eam abluit, vt ex antiquo lapide in fundamentis reperto Cœnobii Soricinii à Sectariis deſtructi, Ordinis Benedictini, Diœc. Lauaurenſis.

*Soricini laudes cantemus Muſa callentes, omnibus anteit eius ager, niſi flatu venti rigidi Auſtralis lædantur* D *fructus amant: ibi magnus Abbas præſidet Religioſis: Cœmeni montes vallant eius mœnia, fruges ibi, formoſa nymphæ nunc candidiores: nomen dat vrbi Soror amnis agros irrigans: ibi plantatur alba vitis, nigra relicta, vrbs antiqua gaudet Rege Pipino fundata, manet in æuum vrbs lanifica fœlix.*

12. *Melior eſt qui velat inſipientiam ſuam; quàm qui abſcondit ſapientiam ſuam.*
Eccli. 20.



M. F. Nicolaus de S. Saturnino, Dominicanus, natu Claramontanus, ex Aruernia, ſtudiis ſacræ Theologiæ clarus, per omnes honorum gradus aſcendens Magiſter Prouincialis dictus eſt, poſtea Generalis Magiſter totius Ordinis Prædicatorum, Lector Sacri Palatii, à Cardinalibus Piſarum in vrbe congregatis miſſus ad Regem Galliarum, & Pariſienſes Doctores, vt eis vota communicaret Piſani Concilii, ad Pſeudopapam tranſiit, à quo Presb. Card. dictus in pſeudo promotione prima, Anno Sal. 1378. vt ſcribit Ciaconius; vel cum Contelorio, tit. *SS. Silueſtri, & Martini in Montibus*, doctrinam ſuam ambitu, & ſciſmate conſputcauit; in obedientia nanque Antipapæ, Auenione è vita migrauit; die X. Cal. Feb. 1382. apud ſuos Prædicatores ſepultus; ſciſmate propagato, quod minuere ſaltem valuiſſet.

De eo lege S. Antoninum *par. 3. Hiſtor. tit. 23. c. 1.*
B Ciaconium, Vghellum; Huius inſignia à Ciaconio poſita tanquam adulterina accuſat Soareſius, & Vghellus, propria Petri de Pitigniaco, non Fr. Nicolai de S. Saturnino.

13. *Sapientiam prætereuntes non ſolum lapſi ſunt, vt ignorarent bona; ſed inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam; vt in his, quæ peccauerunt nec latere potuiſſent.*
Sap. 9.



PEtrus de Bareria natu Gallus, ex Epiſcopo Eduenſi deſignato Anno 1377. Presbyter Card. tit. *SS. Marcellini & Petri* promotus à Clemente VII. Antipapa in prima Cardinalium electione, Anno 1378. in cuius obedientia migrauit Idibus Iunij, 1384. in eccleſia Cathedrali Auenionenſi ſepultus. Eſt, qui aſſerat creatum fuiſſe Petrum Cardinalem ab Vrbano VI. cuius ſpreto pileo, maluiſſe cum Sciſmaticis dehoneſtari. De his Pſeudo Cardinalibus creatis a Clemente VII. Antipapa, ſequentia ſcripſit Trithemius Chron. Hirſaug. Sal. An. 1380. p. 276. *Eo tempore* D *ſciſma Catholicam grauiter perturbabat Eccleſiam; cum Vrbanus VI. Germanis, Italiſque & Vngaris, Romæ ſedem habens ſummum ſe præſtaret Pontificem Clemens, quem ſe nuncupauere VII: Auenione reſidens. Gallos, & Hiſpanos ſibi vt Papa haberet obedientes. Hæc de Rom. Pontificatu altercatio maius Gallis, quàm alijs nationibus incommodum attulit; propterea quòd Clemens ſuis partibus cupiens adiungere viros, præter quinque priores, à quibus fuerat electus, viginti quinque de nouo Cardinales aſſumpſiſſet, quorum nemo poterat ſatiare cupiditatem? Nam*

Car-

*Cardinalei XXX. Clementis cauſam ſecuti, cum eſſent more vulturum antiquorum inſatiabiles, quoſdam per Gallias exploratores conſtituerant, qui eccleſiarum prebendas vbique locorum inquirerent, quas poſſeſſorum morte vacantes mox ſibi à Clemente dari, vt proximi poſtulabant. Vnde & ſententiam tulit idem Clemens ad iſtantiam ſuorum vulturum de beneficijs vacaturis, quam pro lege habitam gratiam nominauerant.* Expectatiuam, *per quam ad eccleſias vacantes ſoli Pontifici dare introitum liceret. Vnde lege, ſeù conſtitutione ſoli Cardinales & potentes ad eccleſias pinguiores promouebantur: decimæ quoque à Clero exigebantur per Clementem, & quoties maiori alicui Eccleſiæ inſtituebantur Antiſtes; primi Anni* A *fructus, quos Romani vocant Annatas Pontifex ſuis vſibus reſeruabat.*

14. *Sex ſunt, quæ odit Dominus: ſeptimum deteſtatur animæ eius, eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Prouer. 6.



M. F. Leonardus Geoſonenſis, natu Campanus, cuſtodiæ & Diæceſis Salernitanæ, Theologus eximius, & in Diuinis ſcripturis apprimè eruditus B ſcripſit.

*In IV. Libros Sententiarum.*
*In Cantica Canticorum.*
*Summam Theologicam.*
*Sermones.*

Doctrina interprete, Genaralis Miniſter totius Ordinis Minorum S. Franciſci factus in locum Fr. Thomæ Bononienſis fato functi intercedente Regina Ioanna à Clemente VII. Antipapa in prima Cardinalium promotione, Presbyter Card. aſſumptus C fuit *SS. Silueſtri, & Martini in Montibus, tit. Equitij* Anno 1378. Quo tempore notatu dignum [teſte *Frizonio in Gallia Purpurata*] Franciſcanos poſt aſſumptionem Leonardi Generalis in Cardinalē, duos alios inſtituiſſe Generalés; vnum, qui obediret Vrbano VI. Pontifici; alterum, qui ſequeretur partes Clementis VII. ita ſciſma fouentes graui totius Ordinis dedecore; quaſi Eccleſiam omnes Franciſciſcani crederent bicipitem.

Cardinalis dictus, Legatus abijt ad Reginam Ioannam Neapoli ſedentem, ſed ſorte improſpera. A Carolo IV. namque Dyrrachio captus, qui Regnum poſcebat armatus, & à Card. Sangro Vrb. VI. D Legato coactus abiurare Clementem, inſigniaque Cardinalitia publicè coram Rege Carolo comburere, longo præduroque carcere pœnam ſciſmatis luere detentus, tandem dimiſſus, Auenionem venit, vbi à Clemente tanquàm Cardinalis ſuſceptus, in eius non ſolùm obędientia perſeuerauit ſed etiam Benedictum XIII. promouit, à quo electus C. Ep. *Oſtienſis & Veliternus* Auenione obijt Anno 1405. ad Minores ſepultus in obedientia Benedicti XIII. *Liber Conformitatum. Chron. Ord. Minorum Abbas Tritheminus. Liber M. S. de Regno Siciliæ apud Ciaconium. S. Anton. par. 3. Hiſtor. tit. 24. c. 10. Panuinius, Ciaconius.*

Vghellus in ſuis Epiſcopis Oſtienſibus Leonardum Geoſonenſem non agnouit. Contelorius Leonardum vixiſſe contendit ad Annum 1407. die namque 17. Martij 1407. Papa Benedictus XIII. Maſſiliam datis litteris eum vocauit pro vnione inſtauranda eccleſiaſtica.

15. *Ite & inuocate Deos quos elegiſtis: ipſi vos liberent tempore anguſtiæ.* Iud. 10.



CVncterus vel Gualterus Gometij de Luna, Arrago, Presbyter Card. *SS. Io: & Pauli tit. Pam.* aſſumptus Anno 1382. in ſecunda Cardinalium promotione, interprete Petro de Luna Cardinali, & tunc apud Hiſpanos Legato, qui nomine Pſeudo Pontificis, Cuncterum inſigniuit abſentem. Fuerat iſte, rogante Rege Caſtellæ, ab Vrbano VI. Presbyter Card. *S. Crucis in Hieruſalem,* electus Menſe Sept. 1378. verū, cum à Petro de Luna Rex ſeductus ad Antipapam defeciſſet; etiam Cūcterus nè diſſonaret a Rege, remiſſo pileo Cardinalitio ad Vrb., creari maluit Presb. Car. ab Antipapa tit. *SS. Io: & Pauli*: cuius legatū egit per Hiſpanias & in eius obedientia deceſſit Idibus Ianuarij 139. renuens eſſe in Domo Dei, vt habitaret in Regum tabernaculis peccatorum.

Lege Ciaconium, Contelorium, Balthas: Porreg. *in elog. Card.* Hiſpan.

16. *Caue, ne declines ad iniquitatem: hanc enim cepiſti ſequi poſt miſeriam.* Iob. 36.



FR. Thomas de Claſſę, aliàs Caſſaeo Gallus Monachus, & Abbas S... Presb. Card. tit. *S. Sabinę* aſſumitur à Clemente VII. Anno 1382. ſolus in tertia Cardinalium promotione. Fuit iſte vitæ exemplaris, & non indoctus, errore deceptus Gallico perijt in obedientia Antipapæ, Auenione 15. Kal. Iunij, An. 1390. *Ciaconius, Frizonius, Panuinius.*

Eſt qui Thomam Dominicanum pingat, & Fidei Inquiſitorem apud Lombardos, Confeſſarium Comitis Sabaudi, quo intercedente, promotum ad purpuram, ætate iam decrepitum, ambitione iuuenem raptum ad Sciſmaticos.

Lege *Ciaconium Frizonium.*



Digitized by Google

17. *Multis autem ſacrilegijs in templo a Lyſimaco,commiſſis Menelai conſilio, & diuulgata fama congregata eſt multitudo in Lyſimacum, multo auro exportato.* 2. Macc.4.



PEtrus de Croſſo Lemouicēſis Gallus, oriundus de Calima ſorri, Monachus S. Martialis Ordinis S. Benedicti, Præpoſitus de Braſſaco, Cellerarius Tullenſis Eccleſiæ, & Prior de Volra Ordinis Cluniacenſis, A Diæceſis S. Flori, deinde Abbas Monaſterij Trenorchienſis Cabilon. Diæceſ., poſtea Eoiſcopus S. Pauli, poſtmodū Archiep. Bituricēſis, eodemque tempore Camerarius aſſumptus à Gregorio XI. R. P. quo mortuo, orto Sciſmate aduerſùs Vrbanum VI. primus ab eo ſeceſſit, Anagniam veniens nulla petita à Pontifice licentia, ad Cardinales ſeditioſos ibi ſtantes, ſacra omnia ſecum ferens ornamenta Pontificum, thiaras, cruces, veſtes, quas ipſe tenebat in poteſtate. Hinc à Clemente VII. Antipapa Anuo Sal. 1383. in quarta Cardinalium promotione, in præmium ſurti ſacrilegi; dictus Carditalis Presb. tit. B *SS. Nerei, & Acchiles.* Coram eo pro tribunali ſedenti duodecim Cardioales Vltramontani, qui Conclaui interfuerant, & creationi Vrbani, tanquàm iudici Ordinario depoſuerunt ſe coactos, & metu Romanorum adductos ſimulatè conſenſiſſe in electione Vrbani: *Spondanus ex Antiquis Monum.* Propterea non Papa, & Apoſtolicus, vt ſe nominabat Bartholomæus Archiep. Barenſis, ſed iuxta Apoſtolicam doctrinam Apoſtaticus, & anathematizatus Antichriſtus, Chriſtianitatis illuſor, atque deſtructor meritò nominandus. Die coronationis ipſius Antipapæ, quæ contigit 21. Septemb. ante eccleſiam maiorem Fundanam, Regnum Petrus ſubminiſtranit Pontificium, quod, vt ſupra diximus, ſecum tulerat: poſtea in Galliam Pontificem comitatus plura cum eodem Pſeudo Papa ſubſcripſit.

Atelate Sacellum poſuit Lemouicenſium Apoſtolo Martiali, dotauitque, vt ſingulis in eo diebus Miſſa celebraretur, æternæ quietis exorandæ cauſa, Clementi VI. ſuiſque parentibus. Auenione Collegij, & Xenodochij (ſub titulo D. Martialis) fundamenta iecit, redditibus locupletauit; Diuique Throphimi cineres argentea imagine affabrè incluſit elaborata cum epigraphe: *Hoc opus B. Throphimi Chriſti diſcipuli factum eſt, regnante D. Ioanna Regina Siciliæ, & Prouinciæ Comitiſſa; & D. Petro de Croſſo* D *Archiep. & Principe Arelatenſi, Anno D.* 1381. Subcanonicos etiam Canonicis adlegit S. Martialis, & ad certum numerum reduxit, quos condito teſtamento, annuis decorauit legatis. Celebrauit Bituригibus Sponſalia Mariæ de Berrij, & Ludouici de Chaſtillon An. 1385.

Arelate Mauſolæum ſibi parauerat, quamuis Auenione mortuus ibidem humum ſubierit in templo D. Martialis, Anno 1388. cum inſcriptione.

*Hic iacet bonæ memoriæ Reuerendiſſ. in Chriſto pater D. Petrus de Croſſo oriundus de Calamiforti Lemouicenſis Diœceſ. Decretorum Doctor, qui primò fuit Monachus S. Martialis Lemouicen. Ordinis S. Benedicti, & inde præpoſitus de Roſſaco Dictorum Ordinis & Diœceſ. poſtmodum Cellerarius Eccleſiæ Tutelenſis, & poſt prior de Volta Ordinis Cluniacen. S. Flori diœceſ. & deinde Abbas Monaſterij Trenorchienſis Cabilon. Diœceſ. & poſt Epiſcopus S. Pauli, poſtmodum Archiep. Bituricen. & exiſtente Archiepiſcopo factus fuit Camerarius Domini noſtri Papæ per S. memoriæ D. Gregorium Papam XI. & deinde Archiep. Arelatenſis, & de Eccleſia Arelatenſi, & Cameriaratu prædictis fuit aſſumptus in tituli SS. Nerei. & Achillei Presb. Cardinalem, qui ſanitate fungens hic ſuam elegit ſepulturam. Orate pro eo.* Lege *Panuinium, Ciaconium, Frizonium, Spondanum, Bzouium, Claudium Robertum, Vghellum.*

18. *Et in peccato veſtro moriemini,* Io: 8.



FAiditus de Agrifolio Lemouicenſis Gallus [ cuius familia duobus alijs Cardinalibus fuit decorata] Epiſcopus Auenionenſis Presb. Card. tit. *SS. Silueſtri & Martini in Montibus, tit. Equitij*, aſſumptus à Clemente VII. Antipapa in quarta Cardinalium promotione, Anuo Sal. 1383. Cal. Ianuarij [non Anno 1389. vt in Ciaconio ſignatur errore impreſſoris] Auenione obijt in obedientia pſeudo Pontificis, Anno 1391. ſepultus in eccleſia Cathedrali.

19. *In iniquitate ſua morietur,* Ezech. 3.

C



IOannes de Nouo Caſtro [ hoc eſt ad lacum ſui nominis in Sequana *Neoburgh* vulgò dictum] ex militum Thebæorum ſtirpe, Burgundus Theobaldi ex Ioanna Chalonia filius, Clementis *VII.* conſobrinus [ quem Theologum Dominicanum pingunt Ciaconius, & Panuinius, Lectoremque Sacri Palatij, peſſimè Hiſpanum dixere aliqui] ex Canonico Edueuſi Præſul Niuerneoſis electus Anno 1358. poſtea Tullenſis, Inſulis ornatur Cardinalitijs tit. *SS. IV. Coronatorum* in quarta promotione facta à Clemente VII. Antipapa, Anno Sal. 1383. D poſtea Ep. C. *Oſtienſis & Veliternus*, Benedictum XIII. Antipapam conſacrauit (teſte Vghello *in Ep. Oſtien.*) die 6. Octobris, 1398. ſed male; ſi verum eſt epitaphium eidem Ioanni appoſitum ab Vghello; in Monaſterio Villæ Nouæ Carthuſienſium prope Auenionem, vbi ſepultus dicitur.

*Hic iacet RR. in Chriſto Pater bonæ memoriæ D. Ioannes miſeratione diuina Ep. Oſtien. S. R. E. Cardinalis de Nouo Caſtro nuncupatus, qui obiit Auenione, Anno Domini M. CCC. XCVIII. quarta die Octobris.*

Huic

Digitized by Google

*Huic Deitas parce, quæ ſumma viuis in arca,*
*Colluſtrant Calos, ſis ſibi dulce melos,*
*Et ſecuramen, ſonet omnis Spiritus, Amen.*

Quomodo enim die 6. Octobris 1398. coronat Bened. XIII. ſi ſepultus iacet die quarta eiuſdem Menſis?

Ciaconius Gentilitia inſignia huius Gentis tres faſcias pingit argenteas in campo rubro, ex Roberto: Frizonius verò in *Gallia Purpurata*, muricatum faſcia exaratum. Carolus Joſeph Morotius in ſuo *Theatro Chronol. Ord. Carthus. p.* 53. Monachum dicit Carthuſienſem, & primum, qui in eum Ordinem purpuram intulerit; auctoritate fultus Franciſci A Ducheſne, *to. 1. Patrum* Purpuratorum Gallicæ nationis. Is imagine exhibita antiquiſſima inſpiciendum circumfert ſub Carthuſienſium cucullo, quem induiſſe ſubdit, poſtquàm nuntium miſiſſet Ordini Prædicatorum. Huic opinioni adſtipulantur Ricchardus Hamburgenſis, Theopbylus Raynaudus qui eius pietatem collaudant, & incæptam ab eo vitæ auſteritatem, cilicio ſemper retento, etiam in culmine dignitatum concelebrant. Viro ſanè optimo vnum defuit ſtudium erga concordiam, & vnitatem Eccleſiæ, quam ſciſmate fædauit.

20. *Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea a* B
*te non ſunt abſcondita.* Pſal. 68.



IAcobus de Montenaio, Gallicè *de Montenay*, Archidiaconus eccleſiæ Rhemenſis [dignitas, quæ antiquitùs maiori fulgebat iuriſdictione, quamuis lapſu temporis diminuta langueat] & Clementis VIII. Cubicularius, ab eodē Presb. aſſumitur Card. tit. *SS. Marcellini, & Petri*, An. 1383. vbi olim Quietis ædes. Iacobo tribuunt alij titulum *S. Clementis in monte Cælio*, vbi Regulares degunt S. C Ambroſij, & eiuſdem cuſtodiunt venerabile corpus. Auenione obiit Kal. Maij, An. 1391. in obedientia Pſeudopontificis. Lege *Ciaconium, Frizonium, Contelorium.*

21. *Taeris quaſi vnus de Inſipientibus.*
2. Reg. 13.



PEtrus *Amelij* [legit Ciaconius] *Hiſcelini* Frizonius, & Vghellus, vel *de Liſtenoi*, Monachus S. Benedicti, & Prior S. Martini de Campis, Pariſijs eiuſdem Ordinis, teſte *Franciſco* D *Belforeſti lib. 1. ſuæ Coſmographiæ*: Vuione *lib. 2. Ligni Vitæ*: Claudio Roberto, Epiſcopus Laudanenſis creatus Anno 1370. poſt Robertum Coq, qui proditionis accuſatus in Arragoniam fugerat. Hoc tempore Collegium de monte Acuto ſui nominis, Pariſijs inſtaurat. Presb. Card. tit. *S. Marci*, quarta promotione, Anno Sal. 1383. facta à Clemente VIJ. Anno ſequenti, Epiſcopatu ſe abdicauit, ſucceſſorem habens Ioannem de Rouſſiaco. Rhemis moritur non ſine veneni ſuſpicione; eiuſque cadauer terræ datur in S. Martini templo, Pariſijs, vbi Prior fuerat XXXVJ. cum ſequenti epitaphio, teſte Iacobo Brulio in Antiquitat. Pariſinis.

*Hic iacet in tumulo R. R. in Chriſto Pater D. Petrus de Monte acuto S. R. E. Presb. Card. Laudunenſis nuncupatus, huius eccleſiæ adminiſtrator, Conſiliariuſque D. noſtri Francorum Regis excellens, & magnificus, qui Rhemis in ſeraſtio dicti D. noſtri Regis, diem ſuum clauſit extremum, Anno Incar. D. M. CCC. LXXXVIII. menſis Nouembris die octaua, pro cuius animæ ſalute velitis Deum orare.*

Eadem dies obitus notatur in Necrologio Pariſienſi: licet Onuphrius, & Ciaconius ad IV. Idus Aug. 1389. reijciant.

Fratrem Petrus habuit Ægidium Aiſcelinum Ep. Morinenſem, Ioannis Galliæ Regis Cancellarium, atque Cardinalem inuictæ fidei virum. Ex veteri Martyrologio Narbonenſi alterum notauit Ægidium Aiſcellinum Frizonius in *Gallia Purpurata*. Lege *Ciaconium, Claudium, Robertum, Vghellum.*



HAymericus de Monacho, Gallicè *de Magnac*, Lemouicenſis Gallus, ex Decano Epiſcopus Pariſienſis XC. creatus Anno 1373. cuius mentio habetur in dedicatione Capellæ Collegij Nauarrici, die 16. Octob. 1373. & in tranſlatione bracchij S. Opportunæ, Anno 1384. vnde ei Gregorius XI. Auenione reſcripſit pro collegio magiſtri Geruaſij Chriſtiani. Confirmat Haymericus ſtatuta Collegij Cameracenſis, Anno 1380. Pariſiis, 27. Iulii.

C In Presbyterum Cardinalem tit. *S. Euſebij* aſſumptus à Clemente VII. in quarta promotione Anno Sal. 1383. fato ceſſit Pariſijs, Anno 1385. die 12. Kal. April. ſepultus in eccleſia Pariſienſi, cum ſequenti epitaphio, teſte Claudio Roberto in *Gallia Chriſtiana.*

*Hic iacet in Chriſto Pater Reuerendiſſ. D. Haymericus de Magnaio natione Lemouicenſis in villa S. Iuniani ex nobilibus parentibus creatus vtriuſque iuris profeſſor: quondam Regum Ioannis, & Caroli V. Conſiliarius, & Magiſter Requeſtarum Hoſpitij, primò fuit Decanus eccleſiæ Pariſienſis nominatus deinde ad Pontificalem aſſumptus eſt dignitatem: tandem factus fuit tituli S. Euſebij S. R. E.* D *Presbyter Cardinalis. Obijt autem Auenione 20. die Martij, Anni 1383. cuius corpus integrum intra Pariſios aſportatum ſub hac tumba quieſcit, anima cuius requieſcat in pace. Amen.*

Lege *Ciaconium, Frizonium, Claudium Robertum, Vghellum, Nomenclatorem Cardinalium.*

23. *Comparatus eſt iumentis inſipientibus*. Pſal. 13.



MArtinus Luſitanus Hiſpanus, Ep. Vlyſipponenſis, Presb, Card. tit. S.... promotus Anno 1383. ab Antipapa Clemente VII. exceſſit in Benedicti XIII. obedientia, quem promouerat (teſte *Panuinio*, & *Ciaconio*) cum in legatione eſſet ad Regem Galliarum, nomine Fer- A
nandi Regis Luſitaniæ, vt eum ad obſequium Benedicti conuerteret. Lege Ciaconium, Porreg. in *elogijs Card. Hiſpan.* Cruces Hieroſolymitanas huic Cardinali Oldoinus appoſuit; ſed vnde habuerit? latet; cum Ciaconius nullum ei dederit inſigne.

24. *Occultus propter metum Iudæorum*. Io: 7.

GValterus ex Epiſcopo Glaſquenſi Presb. Card. tit. S.... teſte *Ciaconio*, & *Panuinio*, migrauit ſub obedientia Bened. XIII. Natu Scotum, familia *Vvandelam* eſt, qui cum pingat, cui abſenti pileum B
miſit Clemens VII. Antipapa, Anno 1383. non propterea Auenionem Gualterus aſcendit, ſed in ſua migrauit Diæceſi, dubius cui adhęreret, & clam forſan cum Vrbano ſentiens.

Lege *Ciaconium: Contelorium*.

25. *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis*. Sap. 17.



BErtrandus de Chanaco, patria Lemouicenſis Gallus, I. V. doctor Patriarcha Hieroſolymitanus, nepos Bertrandi de Chanaco C
Archiep. Bituricenſis Cardinalis (teſte *Frizonio*) Clericus Cameræ Apoſtolicæ cum eſſet ſub Clemente VI. & Podienſis Epiſcopus, ab Antipapa Clemente VII. non à Gregorio XI. Patrum promotione quinta, vt habetur *in lib. Obligation*. Presb. Card. aſſumitur tit. *S. Pudentianæ*, 12. Iulij, 1385. & dictus eſt Bertrandus Iunior, Cardinalis Hieroſolymitanus. Ad Patriarchatum euehitur Anno 1382. in locum Philippi, eique commendata fuit Eccleſia Anicienſis, cui præerat ante aſſumptionem ad eccleſiam Hieroſolymitanam. Cardinalis dictus Piſas venit cum reliquis D
pſeudo Cardinalibus Gallis, vt vnà cum Cardinalibus Italis, ſciſma abiurarent, ſed magis confirmarunt, electo in Pontificem Alexandro V. à quo denuò Anticardinalis dictus. A Benedicto XIII. factus Ep. Card. *Sabinus*, Anno 1396. Auenione deceſſit XII. Cal. Iunij, 1404. ſepultus in templo Fr. Prædicatorum, iuxta Cardinalem de Chanaco patruum, cum ſequenti epitaphio.

*Hic iacet Reuerendiſſ. in Chriſto Pater, D. Bertrandus de Chanaco Lemouicenſis Diæceſ. genere nobilis, qui doctor vtriuſque iuris, Archiep. Bituricen. poſtmodum Patriarcha Hieroſolym. & Adminiſtrator eccleſiæ Anicienſis extitit, & deinde in S. Rom. Eccl. titulo S. Pudentianæ Presbyterum Cardinalem aſſumptus, & demum Sabinenſis Epiſcopus effectus. Obdormiuit in Domino, die 20. Maij, An Dom. M.CCCC.IV.*

Si verum, & legitimum hoc epitaphium; decipitur Andreas Victorellus aſſerens Bertrandum Conſtantienſi interfuiſſe Concilio, in quo creatus eſt Martinus V. quem ſequutus Bertrandus Florentiam ibidem obijt, 4. Cal. Iulij, 1419.

26. *Princeps qui libenter audit verba mendacij; omnes miniſtros habet impios*. Prouer. 29.



THomas Ammanatus, Piſtorienſis Hetruſcus nobili familia natus, parentes habuit Donatum, & Lippam Riccardam. Vir fuit peritia legum inſignis, & rerum experientia clarus. Ab adoleſcentia in aula enutritus Romana ſub Vrbano V. & Gregorio XI. varia munia obiuit egregiè, & in Germaniam ad Carolum IV. Imperatorem eiuſdem Gregorij Nuncius Apoſtolicus labores compleuit. Gregorio mortuo, quia nouo Pontifici Vrbano VI. non adeò probarentur mores eius, faſtu tumidus, & impatiens declinauit ad Antipapam Clementem VII. cum quo Auenionem conceſſit, & ex Auditore Sacri Palatij, poſt obitum Bernardi Caturcenſis Archiepiſcopi Neapolitani, Archiepiſcopus electus Anno 1380. cum iam Epiſcopus Nimocienſis eſſet, pro Neapolitano Sacer-
dotio ſolitum ſoluit ſubſidium die 17. Febr. eiuſdem Anni, nulla tamen Neapolitani Sacerdotij poſſeſſione recepta. Ad Britannos deinde pro eodem Clemente VII. Legatus, & inter Cardinales Presbyteros, Anno 1385. promotione quinta, tit. aſſumptus *S. Praxedis*, nomen Archiepiſcopi retinuit vſque in Annum 1388. quo fructum dignitatis Archiep. minimè aſſecutus, eam liberè reſſignauit in manu Clementis. Auenione deceſſit peruicax in obedientia Benedicti XIII. (quem cum alijs promouerat) Anno 1396. Fratrem germanum habuit celeberrimum I. C. ab eodem Benedicto XIII. creatum Diaconum Card. *S. Hadriani*. Eius memoria apud Io: Chenu in *Chronolog. Archiep. Galliæ*, in Epiſcopis Nanetenſibus, Henricum le Barbu, profeſſione Monachum, Venetenſis vrbis conſecratum fuiſſe Epiſcopum in minori Britannia à S. Thoma Ep. Neapolitano, Pontificis Rom. apud Britannos Legato. Sed error irrepſit in littera S. non enim tempora conueniunt; vt à S. Thoma Archiep. Neapolitano eligatur Henricus le Barbu.

27. *Adducit conſiliarios in ſtultum finem.* Iob. 12.



AMelinus ex Lautrecēſium familia apud Gallos nobiliſſima (Sicardus namque Comes Lautrecenſis, Anno 1176. Synodo adſuit Albienſi, in Hæreticos Albigenſes) Epiſcopus Conuenarum, teſte *Claudio Roberto in Catalogo dictæ Sedis*, ex Referendario Clementis VII, Antipapæ, Presb. Card. aſſumitur ab eodem, promotione quinta, Anno 1385. ad firmamentum potentiæ, tit. *S. Euſeby*. Diem clauſit extremum Auenione VII. Idib. Iunij, 1399. *Ciaconius*, *Contelorius*, A

28. *Vos eſtis ſoli homines: & vobiſcum morietur Sapientia*, Iob. 12.



IOanues *de Minolijs*, teſte Frizonio ex Ciaconio, & Panuinio; vel *de Morelys* cum Vghello, natu Gallus ex Vicecomitibus *d'Eſlain*, ex Epiſcopo Gebenneſi Presbyrer Cardinal. *S. Vitalis, tit. Veſtinæ*, in quinta promotione creatus à Clemente VII, Antipapa, Anno 1385. Auenione animam exhalauit, eiuſque corpus Claromontem delarum, & apud Aruernos in æde Franciſcanorum, humo datum; ſub obedientia Benedicti XIII, quem pſomouerat. Anno incerto. B

Lege *Ciaconium, Vghellum, Claudium Robertum*.

29. *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Matth. 18.



IOannes de Placentinis Gallus (teſte *Panuinio, & Ciaconio*) natu, quod falſum; Parmæ namque natus, dictus eſt cognomento *Lombardus*, Epiſcopus Ceruienſis ab Vrbano V. ad Eccleſiam tranſlatus Patauinam X. Cal. Feb. 1370. eodemque Anno ad Vrbeuetanam vt mores declinaret Franciſci Carrarienſis Reguli Patauini, poſtea ad Caſtellanam Venetiarum tranſiuit, Anno 1379. quo Anno in Seruitarum templo Sacellum dicauit, vt ibidem vulgaris prodit inciſus lapis, *Anno 1379. di Settembrio in di de S. Michiel fù ſagrada queſta Capella per meſſer Giouanni de Placentini Veſcouo di Venexia, in lo ſo primo Anno, & per meſer Piero Nadul Veſcouo di Eſolo*. Partes ſequutus Clementis VII. Antipapæ, Presbyter creatur Anticardinalis tit. *S. Cyriaci in Thermis*, voluitque appellari *Cardinalis Venetiarum* die 12. Iulij, 1385. In libris Obligat Sacri Collegij, ſub eodem Antipapa Clemente, die ſupradicta, deſcriptis Cardinalium nominibus recenter creatorum, inter eos ſeptimo loco numeratur *Ioannes de Placentinis Epiſcopus Caſtellanus abſens à Curia*. Ex eodem libro apparet, quòd die 20. Maij, 1387. Curiam adierit Auenionenſem. Hinc clarè patet errare eos, qui Ioannem de Placentinis confundunt cum Ioanne Amedeo Veneto, vel cum Io: Archiep. Corfienſi, quem Vrbanus VI. purpura decorauit An. 1378. & poſtea crudeli morte mulctauit. Ioannis de Placentinis meminit Bernardus Vidonus in vita Clem. VII. Antipapę, & inter eius Cardinales *Ioannem* appellat *de Placentinis Lombardum Epiſcopum Caſtellanum, ſeù Venetiarum*. Concordat Boſquettus in notis ad eundem Vidonem in Fuxenſi bibliotheca, Cardinales referens ex obedientia Clementis VII. Antipapæ, qui Benedictum XIII. Clementi mortuo ſubrogarunt, his verbis: *Ioannes de Parma Lombardus dictus Venetiarum tit. S. Cyriaci in Thermis*.

30. *Poſtquam coanguſtiatus eſt: egit pænitentiam valde coram Deo.* 2. Paral. 33.



IOannes *Rolland*, vel *Rotlandi* Gallus ex Antiſtite Ambianenſi Presbyter Cardinalis tit. S.... à Clemente VII. Antipapa, quinta promotione aſſumptus; Anno 1385. Morta les artus deſeruit in obedientia Benedicti XIII. Antipapæ [quem promouit] Auenione die XVII. Septemb. 1388. in cathedrali ſepultus, vbi in epitaphio vocatur *virtutis thalamus, & pauperum, quos hæredes reliquit largiflluus adiutor*. Nulla tamen Cardinalatus mentio in eo epitaphio. *Vghellus, Frizonius, Ciacon. Panuinius*. Ex hoc epitaphio crederem abiuraſſe ſciſma, & ſpreta purpura, concordiam Fidei Catholicæ quæſiſſe; cum de Cardinalatu ibidem nulla mentio. Inſignia hic appoſita ex Frizonio deduximus. C

31. PIleus de Prata Presb. Card. tit. *S. Priſcæ*, de quo ſupra *in Vrbano VI. n.* 11.

32. *Impulſus ſum vt caderem; Dominus autem ſuſcepit me.* Pſal. 117.



IAcobus de Arragonia regio prognatus ſanguine, filius Petri Comitis Prataţű Ioannis Foxij, & Iacobi Aragoniæ Regis nepos, Presb. Card. tit. S..... aſſumptus Anno 1388. octaua promotione, à Clemente VII. Antipapa, poſtea Ep. *Sabinus*, deceſſit in Arragonia, ſeſe conuoluentis menſis Maij die penultima, Anni 1396. Adminiſtrator eccleſiæ Valentinæ, in Hiſpania, quam obtinuit à Clemente VII. D

Lege Ciaconium, Balthaſſarem Porregnum in *elog. M.S. Card. Hiſpan.* Sciſma iſte fouit, vrgente

conſanguinitaris titulo cum Alphonſo Hiſpaniarum Rege, quem ſępè ad concordiam retrahere tentanit, ſed incaſſum.

33. *Ego noui ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui.*
1. Reg. 17.



IOannes *de Talaru* in territorio Lugdunenſi, famiſia ex qua viri prodiere Clariſſimi Ioannes frarer Matthæi de Talaru, qui iure dotali factus eſt Dominus de Chalmazel, & Amedeus Centeſimus primus Archiep. Lugdun. & Hugo Archid. Lugdun. Archiep. deſignatus Anno 1498. Ex Archiepiſcopo Lugdunenſi Ioannes Presb. Card. tit S...... à Clem. VII. Antipapa, nona promotione, Anno 1389. ad petitionem Caroli VI. Francorum Regis Auenione degentis. In Annalibus Victorinis vir doctus appellarur, & probus. Concilium habuir Prouinciale Lugduni, Anno 1376. Deſiit viuere propugnator Benedicti XIII. octauo Kal. Octob. 1392. & in ſacello S. Petri, in eccleſia Cathedrali Lugdunenſi ſepultus iacet. *In Archiuis eccleſiæ Lugdunenſis, libro Mortuorum legitur. Anniuerſarium R. D. Ioannis de Talaru Cardinalis, & Archiepiſcopi, ad opus eiuſdem eccleſię, & Capellę S. Petri ibi fundatæ, in qua fuit ſepultus. Fundauit ibi qualibet die vnam Miſſam ſuper bonis patrimonialibus Bellicaſtri, & de Vallibus; pariterque in feſto S. Annemundi; fundauit alium ſocium ſacriſtę S. Stephani, ad iuuandum, miniſtrando luminaria & neceſſaria altari.*

Lege *Ciaconium, Victorellum; Io: Chenu: Claudium Robertum; Frizonium.*

34. *Qui cum interrogaretur a viris loci illius ſuper vxore ſua, reſpondit: ſoror mea eſt. Timuerat enim confiteri; quod ſibi eſſet ſociata coniugio.* Geneſ. 26.



MArtinus Salua Nauarrus, Hiſpanus ciuis & Epiſcopus Pampilonenſis. Decretorum doctor, Papę Referendarius, Presb. Card. tit. *S. Laurenty in Lucina* aſſumitur à Clemente VII. Antipapa, decima promotione, Anno Sal. 1390. die X. Kal. Aug. ad petitionem Caroli II. Regis Nauarræ; quamuis non ſemel pileum ſibi oblatum à Clemente VII. reieciſſet viuente Carolo I. ſciſmatis inimico: quo mortuo, ne diſcreparet à Carolo II. Rege ſuo, cuius erat Cancellarius, in partes ſeceſſit Pſeudo Pontificis cum Rege, Auenione obiit in obedientia Benedicti XIII. ſepultus ad Carthuſianos, in eccleſia S. Mariæ de Bonopaſſu, 6. Kal. Nouemb. 1403.

Martinum Panuinius Gallum dicit non Hiſpanum, ex familia *de Salegijs, de Balnes.* Lege *Ciaconium, Ioan. Tamaium, Balthas. Porreg. in elog. M. S. Card. Hiſpan.*

Epitaphium.

*D. O. M.*

*Hic requieſcit Reuerendiſſ. in Chriſto pater, & D. D. Martinus de Salua, Nauarrus de ciuitate Pampilonenſi oriundus, primò Decretorum Doctor, poſtmodum Referendarius per D. Gregorium Papam XI. deinde Epiſcop. Pampilonen. factus, demùm tit. S. Laur. in Lucina Presb, Card. per D. Clem. Papam VII. aſſumptus: qui obijt die 27. Men. Octob. An. 1403. Cuius anima requieſcat in pace.*

35. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæue conuentio hominum Dei ad viros Belial? aut quę pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus iuſtitiæ cum iniquitate?* 1. Cor. 6.



IOannes Flandrini Gallus ex Archiepiſcopo Auxitano Presb. Card. *SS. Io: & Pauli, tit. Pam.* à Clem. VIJ. Antipapa aſſumptus in promotione XJ. Anno 1390. menſe Octobri, apud Bellocadium Diœceſ. Arelatenſis, vnà cum Petro de Podio, qui Benedictum XIIJ. deſeruit, vt Piſano adhæreret Concilio. Ioannes verò pertinax in ſciſmate, Benedictum creauit XIIJ. pſeudopapam, à quo Epiſcopus creatus *Sabinus* ſecundùm Ciaconium, non verò ſecundum Panuinium, cum quo concordat Vghellus. Obiit in obedientia Benedicti XIIJ. licet deſerti à reliquo ſuo Collegio, ante ſententiam Concilii Conſtantienſis.

Lege *Ciaconium, Frizonium, Claudium Robertum in catalogo Archiep. Auxenſium.*

36. *Non inuenit pœnitentiæ locum.*
Heb. 12.



PEtrus Gerardi de Podio, Lemouicenſis Gallus Presb. Card. *tit. SS. Ioannis, & Pauli, tit. Pammachy*, promotus à Clemente VIJ. in creatione XJ. Pſeudo Cardinalium, Anno 1390. qui, deſerto Benedicto XIIJ. Concilium adiit Piſanum pro concordia celebrato, in quo legitimus Cardinalis declaratus, comitiis adfuit Alexandri V. qui Tuſculanam dignitatem, qua illegitimè Petrus ornatus fuerat a Benedicto XIIJ. Antipapa, etſi legitimè collatam Henrico Minutulo à Bonifacio IX. ei confirmauit cum maiori Pœnitentiaria: ne iterum pertinacia, rabieſque ſciſmatis deſęuiret. Henrico verò Minutulo Sabinam contulit tunc vacantem. Adfuit etiam comitijs Ioannis XXIIJ. tandem Auenione deceſſit, in Cathedrali ſepultus, Anno 1415. Arguunt aliis ex litteris Bened. XIIJ. deceſſiſſe poſt 16. April. 1417.

37. *In.*

37. *Induratum eſt cor Pharaonis.* Exo. 7.



PEtrus de Tureijo natu Gallus ex Ciaconio(nulla apud Frizonium mentio) ex Epiſcopo Maleacenſi,ad fluuium Separim, in Pictauienſi Comitatu,ſub Archiep. Burdegalen. Presb. Card. tit. *S. Suſannæ*, aſſumptus ab Antipapa Clemente VII. Cardinalium promotione quinta; 4. Idus A Iulij, 1385. & ab eodem Neapolim Legatus,abiurata eius obedientia, cum alijs pſeudo Cardinalibus Gallis Piſas venit, vbi creato Alexandro V. ſciſma propagauit. Ab eodem Alexandro V. Piſtorij Legatus dictus, in Gallias cum Franciſco Archiepiſcopo Narbonenſi S. R. E. Camerario, & primo Auenionis Legato, poſt Curiæ receſſum Romanæ, abijt,vbi etiam obijt, Ioannis XXIII. comitiorum minimè particeps, Anno obijt 1412. vel ex Contelorio, die 16. Aprilis, 1417.

Lege *Ciaconium, Claudium Robertum.*

## Pſeudo Cardinales Diaconi.

38. *Reuertatur puluis in terram ſuam: & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Eccleſ. 12.



AMadeus de Marchionibus Salutiarum,Italus Subalpinas, electus Archiep. Valenſis, & Dienſis,Diaconus *S.Mariæ Nouæ* aſſumptus Anno 1385. à Clemente Antipapa, in quarta promotione, poſt obitum Clementis VII.creauit Benedictum XIII.in Antipapam. Longi tandem eum Cardinales tęderet ſciſmatis; Itali abiuato Gregorio XII.Galli Petro de Luna vel Benedicto XIII.in Piſano Conciliabulo,Alexandrum V.caput Eccleſiæ deſignarunt; Cannonicè, vel tyrannicè? lege, quod nos dedimus in *vita Gregorij XII.* Amadeus porro legatus ab Alexandro V. à quo in Cardinalatu confirmatus fuerat,ad Ianueſes,ibi permanſit,donec mortuo Alexandro, Concilium celebratum eſt C Æcumenicum, in quo ſe abdicante Gregorio XII. Martinus V. creatus, ipſo ſuffragante Amadeo, qui nouum comitatus Pontificem, Florentiam vſque, ibi migrauit 4. Kal. Iulij, 1419. in obedientia Martini V. veri Pontificis.

Lege *Ciaconium*; *Fr. Franc. Buyl. hiſtor. Imag. B. Mariæ de Pace.*

39. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* 8.Rom.



PEtrus de Pitigniaco, Gallus, I. V. Doctor, & Aduocatus D Curię ſupremę Pariſienſis,& Canonicus Lutetiæ in eccleſia Cathedrali, Protonotarius Apoſtolicus, in Diaconum Card. *S. Mariæ in Aquiro* electus ab Antipapa Clem. VII. in quarta promotione, Anno 1385. in viuis eſſe deſijt Auenione, Nonis Nouemb. 1392. cuius cadauer terræ mandatum fuit apud Cæleſtinos cum ſequenti epitaphio.

*Hic requieſcit bona memoria D. Petrus de Pitigniaco, generenobilis, vtriuſque Iuris Doctor, qui Aduocatus Parlamenti, & Canonicus Pariſienſis exiſtens & pugil Eccleſiæ, inde immeritus per D. Clementem Papam VII. aſſumptus fuit in B. Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, qui obijt Anno Dom. 1392. die 4. Nouemb. Anima cuius requieſcat in pace.*

Lege *Ciaconium, Frizonium, Nomenclatorem, Contelorium.* B

40. *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam: & imprudentia ſtultorum errans.* Prouer. 14.



GVillelmus filius Ioannis de Vergego Domini de Fouuenes; & de Champlit, & Ægidiæ de Vienne è filia Guillelmi de Vienne Domini à S. Gregorio, & à S. Cruce, Archipręſul Biſuntinus Philippum excommunicauit Burgundiæ Ducem, eo quòd intra iura ciuitatis Biſuntinæ monetam Axonæ: hinc Giaci ſtans obſeſſus à Philippo, relicto Archiepiſcopatu, Auenionem ſe recepit, vt furorem declinaret Philippi. Ibi à Clem. VII. Antipapa, duodecima promotione, Anno 1391. die 16. Kal. Maij, ſolus aſſumptus Presb. Card. *tit. S. Cęciliæ*, ei bona fide adhæſit, & in eius obedientia migrauit Anno 1407. eodemque Anno in ſua Mettopolitana ſepultus, in ſacello D. Nicolai. Vnus ex eis Guillelmus, qui errore facti deceptus, vnam voluit Eccleſiam, eiuſque vnicum caput, ſed aberrauit in indiuiduo.

Antiquiſſima fuit hæc familia, è qua Manaſſes ille Burgundię Comes, qui (teſte *Vignerio in Chron. Burg. An. 924.*) Monaſterium S. Vincentij fundauit Vergiacenſe.

Lege *Ciaconium*; *Iacobum Chifletium*, *Vghellum*, *Claudium Robertum, Frizonium.*

41. *Eſt via , quæ videtur homini iuſta nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.*
Prouer. 14.



PEtrus Fernandi Frias Hiſpanus, Medinæ natus, Epiſcopus Oximenſis, à Clemente VII. Antipapa Presb.Card.20.Ianuarij,1394. promotione XIII.titulum poſtea *S. Praxedis* ei deſignaute Benedicto XIII. è cuius obedientia ſe ſubtraxit cum alijs Cardinalibus Sciſmaticis, & in Piſano Concilio, munere ſe abdicauit Pontificio ; cuius humilitatis præmium fuit confirmatio purpuræ à Concilio benignè oblata . Comitiis interfuit Alex. V. & Ioannis XXIII. à quo Ep. C. *Sabinus* dictus Anno 1412. Conſtātienſi etiam interfuit Concilio, & Martinum V. promouit ; quo ſedente, in eius obedientia deceſſit Florentiæ, 5. Idus Septemb. 1420. ſepultus in eccleſia S.Marię Angelorum. Eius cadauer Florentia in Hiſpaniam relatum, humo traditur in eccleſia cathedrali Burgenſi. Balthal. *in elog. M. S. Card. Hiſpan.* Ioanni Marianæ ſi fides *in hiſtor. Hiſpan*. Naſcitur obſcuro genere Petrus , fortuna tenui, ſed forma conſpicuus, ſtatura mediocris ; induſtriam, atque dexteritatem à natura ſortitus, Regum gratia Henrici atque Ioannis, ampliſſimos ſubijt honores, quos vita turpiſſima , auaritiæ ſordibus, atque libidine conſpurcauit . Burgis cum Segobienſi Epiſcopo Io: Tordeſilla rixaretur ; quidam è familia Cardinalis eodem die fuſtè Epiſcopum dolauit, inſcio tamen Cardinali, quamuis hunc atrocis facinoris inuidia grauaret, Hinc expoſtulantibus proceribus, ſuperbiam hominis immodicam, & priſtinæ ſortis obliti edomandam: coactus fuit Cardinalis in Italiam ſecedere, pecunia onuſtus, quam congeſſerat ex Regio marſupio: cauſa etiam præcipua maturādi exilij. Sic malè pereunt, perduntutque theſauri prauè quęſiti. Sacratis viris nullum certius, quàm in pietate præſidium . Huius opus eſt nobile cænobium Spegię, Religioſis S. Hieronymi à fundamentis erectum, dotatumque annuis redditibus.

Lege *Spondanum*, *Ciaconium*, *Vghellum* , *Contelorium*.

42. *Riſus dolore miſcebitur , & extrema gaudijs luctus occupat*. Prouer. 14.



LVdouicus Allobrox natu, ex familia militum de Ponduax in Prouincia *Breſſia*, vulgò appellata, ex Epiſcopo Maurienſi in Sabaudia, inter PſeudoCardinales aſſumitur à Clemente VIJ. Antipapa, Anno 1394. promotione XIIJ. Presbyter S. *Cæſarei in Palio* , *de Gorreuodo* nuncupatus, teſte *Ciaconio*, & *Andrea Victorello* . Ridendo decidit cum Sciſmaticis.

43. *Effuſa eſt contemptio ſuper Principes: & errare fecit eos in inuio & non in via.*
Pſal. 106.



PEtrus de Lucemburgo Guidouis filius, frater Valeriani Comitum S. Pauli & Andreę Epiſcopi Cameracēſis regio, & imperatorio ſtemate clarus, ſed doctrina, virtute, & pietate inſignior , die naſcitur
A 20. Iulii An. 1369. Linęi in diœc. Tullenſi ex matre Mathilde de Chaſtillon Comitiſſa S. Pauli, domina de Fiennes, quæ in Arteſia Comitatum Sampaulinum, alioſque fundos tulit in dotem, quæ proprio lacte, non aduentitio (vt ſolent fœminæ nobiles) infantem enutriuit. Annum ętàtis quintum vix exceſſerat, eum florem caſtitatis Deo vouit. A pueritia in pauperes liberalis panem, carnes ex patris culina ſurripiens eis donabat. Aliquando deprehenſus à patre, & quid ſub pallio ferret interrogatus, *Roſas fero* reſpondit . Amouit pallium genitor , carneſque in roſas verſas aſpexit . Anno ætatis XI. cum nil præter annulum
B haberet, ex digito detractum vendi iuſſit, ne pauper ſtipem petens indonatus abiret . Singulari acumine ingenii prędittus ſtudia coluit bonarum artium, breuique ſcientiarum orbem confecit Deo magis magiſtro, quàm homine. Ætate penè puer, ſed vir ſenſu, Canonicus Pariſienſis, indeque Carnotenſis Archidiaconus factus, Anno decimo quinto ob morum pręſtantiam, & vitę ſanctitatem , primo Metenſis Epiſcopus deſignatus, ſolemni, ſed mirabili pompa Metenſem ingreditur ciuitatem, Chriſti verè diſcipulus, qui Magiſtri humilitatem, vt miratus ſic imitatus non in equo, ſed in pullo aſinæ, nudis pædibus, fratre natu maiore comite, vrbem petiit, nec longè
C cum Suffraganeo eccleſias adiit Diœceſanas, imminutam reſtituens diſciplinam, cultumque diuinum lege, & exemplo : ita namque domando corpori deditus, vt flagris, ſingulis diebus corpus cederet vſque ad ſanguinem, cilicioque præduro lumbos cingeret. Forma corporis mirificè præſtās, Angelicam quamdam referebat pulchritudinem, eiuſque vultum, tanquàm vultum Angeli intuebantur mortales, eiuſque aſpectu ad ſupernam contemplationem, quaſi cęleſti radio excitabantur mortales. Non longè poſt (cum Chriſtianus Orbis diuiſis ſententijs, duos ſupremos Eccleſiæ Antiſtites veneraretur ) ab eodem Clemente VII. Antipapa , à quo Metenſis Epiſcopus
D dictus fuerat, inter Diaconos Cardinales *S. Georgij in Velabro* aſſumptus , breui ex vitę auſteritate in morbum incidens , totis ſex menſibus eo detentus gaudens migrauit in Cælum per Chriſti veſtigia, quem in extaſi poſitus è Cruce pendētem, corporeis oculis in aere meruit intueri: teſte Molano in *natali SS. Belgij 6. Non. Iulij*. Migrauit per mortem ad auctorem Vitæ, Anno ætatis XIIX. Salutis 1387. die 2. Iulii. Quinta Iulii ſepultus eſt Auenione in Cæmeterio S. Michaelis, vbi nunc eſt Monaſterium
Cęle-

Cæleſtinorum de Lucemburgo, in quo loco, eius meritis, intra duos ſui obitus Annos, nongenta, & ſexaginta quatuor miracula contigiſſe leguntur. In ſuprema Mortis lucta, Humilitatem ſibi excidere minimè paſſus, mandauit: vt ſi extra Auenionenſem ditionem è viuis migraret: Corpus Pariſios delatum vliſſimis obtectum pannis, in pauperum cœmeterio; ſi verò intra ditionẽ Auenionenſem obitus obtigiſſet, in cæmeterio S. Michaelis, ſub dio, cũ pauperũ cadaueribus tumularetur. Tres ſolos cæreos in ſui funere ardere volebat; at ſuorũ victus precibus in ſuo teſtamento duodecim permiſit. Humato corpore ad eius venerationẽ protinus confluxerunt populorum turbæ: quare id erutum, a priùſque conditum & crate ferrea munitum, ei ſacellum ſuperimpoſuere ligneum, ex præcepto Mariæ Reginæ Hieruſalem. Inter miracula, quæ illo tempore probata ſunt, quadraginta mortuorum ſuſcitatio contigit: quibus valdè exaltata eſt factio Clementis VII. Antipapæ: cum viderent homines tanta diuinitùs teſtimonia ſanctitatis in eo viro, qui Clementem colueat vt verum Pontificem. Hinc ab eodem Clemente Antipapa, ad Petri monumentum, erectum Cæleſtinorum cœnobium, cum videret non tam Petrum, quam ſeipſum in eo honorari.

Huius B. viri geſta ſcripſere Molanus, G. Gazęus *S. Magdalenæ apud Atrebatenſes Paſtor hiſtor. Belgij*; Iacobus Meyerus *lib. 14. An: Flandriæ*. Ludouicus de Barlaymont Ieſuita in Paradiſo puerorum. Franciſcus Suareſius *oratione typis data in laudem B. Petri* tradit extare Auenione apud Cæleſtinos, geminos Codices auctoritate Concilij Conſtantienſis conſcriptos cum iudicio honorifico de B. Petri admirandis, de eiuſque ſanctitate, & virtutibus.

Philippus Dux Burgundiæ, & Brabantiæ, Anno 1436. litteris ex villa Bruxellis datis ad Concilium Baſileenſe, & die 9. Martij, in eo lectis, recenſitis miraculo inauditis adoleſcentis, petijt eum conſcribi in Albo Sanctorum. Habetur epiſtola *to. 4. Concil. edit. Colon. in append. ad Baſil. Concilium*. Canonizatio porrò non fuit obtenta fortè, quòd Cardinalatum à Clemente VII. Antipapa acceperat, & in eius obedientia deceſſiſſet: ita *Spondanus n. 3. An. Sal.* 1387. Eius tamen ſacras reliquias demùm Clemens VII. Mediceus Anno 1527. honorificè eleuari ipſumque pro *Beato* coli conceſſit, non tamen eum Cardinalem, ne Clementis in eo creando legitimã auctoritatem probare videretur, appellans, ſed Reuerendum in Chriſto Patrem. Adiungit idem Clemens VII. Mediceus legitimus Papa. *Non intendimus propterea eoſdem Petrum, & Ludouicum* (loquitur de Ludouico Alamando Cardinali) *in catalogu Sanctorum eſſe relatos, donec ſeruatis debitis ſolemnitatibus in SS. Canonizatione ſeruari ſolitis, ad illorum Canonizationem deuentum fuerit*.

Cum tranſlatum fuit corpus auctoritate Clementis VII. Franciſco Claramontio Card. Legato Auenion. B. Petri epitaphium ibidem appenſum, lectum fuit, quod antiquum exiſtimauit Io: Soareſius, quo teſte, viſuntur adhuc in æde Cæleſtinorum, ſequentia carmina.

*Hoc colitur templo, legitur ſimul aurea virtus*
*Clara* Lucemburgi *ſoboles, nitidiſſima merces*
*Orbis; & vnus honos, mortali corpore Cœlum*
*Transfertur meritis Petrus inter Numina Numen.*
*Annis Millenis ſepelitur; ſicque trecentis*
*His ſeptem iunges octoginta ſuperaddes*
*Et quinta Iulij florens virtutibus altis,*
*Aſſiduo populo veneratur quolibet Anno.*

Conſules, & Monachi Cæleſtini, Anno 1628. libellum obtulere ſupplicem Vrbano VIII. R. P. petentes, vt eis celebrare annuatim liceat diem feſtum B. Petri, totamque Octauam Officio Duplici primæ Claſſis.

De eo lege Binium *to. 4. Concil.* Cratepolium *de Sanctis Germaniæ*. Philippum Ferrarium in *Catalogo generali Sanctorum qui deſunt in Rom. Martyrologio, die 2. Iuly*. Hunc Petrum Claudius Robertus innui putat à S. Antonino *tit. 22. cap. 2.* cum inquit: *Vtraque pars ſeu Obedientia habuit etiam Religioſiſſimos viros, & quod maius eſt, etiam miraculis fulgentes*.

Hinc grauis, & penè inexplicabilis difficultas conſurgit: *Quis Petrum de Luxemburgo, ex Collegio Clementis VII. Pſeudo-Pontificis Cardinalem in Beatorum numerum relatum non mirabitur? Itane verò ex ſciſmate illo longiſſimo, & ex Pontificis Seiſmatici Collegio vir pietate, & ſanctitate ſpectatiſſimus prodire potuit?*

*Mirari prorſus deſine* (reſpondet Frizonius) *illudque paulò attentiùs meditare; potentem eſſe Deum etiam ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ: & certo certius perſuaſum tibi habeas etiam illo tempore, quo quaſi procellis iactabatur vniuerſus Orbis Chriſtianus; ex deterioris partis hominibus aliquem extitere potuiſſe, qui non vulgata Sanctitatis radijs refulgeret; nempè Epiphanium ex antiquioribus Annalium Eccleſiaſticorum monumentis Chryſoſtomo infenſum Virum Sanctiſſimum, Viro Sanctiſſimo, & pene æquè ſantum acceperunt: at ille ſingulari floruit Claude Sanctitatis. Mirabilis vtique Deus in ſanctis ſuis Deus Iſrael, qui dedit virtutem, & fortitudinem Petro Luxemburgio Thaumaturgo, dedit ſanctitatem, lucernamque illum poſuit, vt omnibus qui in Domo Dei diſſentiebant, refulgeret*.

His tamen minimè eliſam credo difficultatem, qua premuntur Catholici Romani. Si vna eſt eccleſia, eiuſque vnus paſtor, *Erit vnum ouile, & vnus paſtor Io: 2.* extra quam, vt extra arcam Noe nulla ſalus *e. audiuimus. c. loquitur. 24. q. 1.* quomodo cum Sciſmatico capite conuiuunt & moriuntur viri ſancti, Petrus Lucemburgicus cum Clemente VII. Antipapa. S. Vincentius Ferrerius (ad eius concionem cum conuenirent Perſę, Medi, Arabes, & Elamitæ vnuſquiſque lingua ſua eodem tempore eũ audiebat loquentem) cum Benedicto XIII. Antipapa, cui à ſecretis Pœnitentiæ, atque concionator erat Vincentius, contra Pontifices Vrbanum VI. & Innocentium VII. legitimè electos, & Petri ſucceſſores cognitos, & declaratos? Salus ergo extra vnitatem Eccleſiæ? vel Pontifices legitimi erant Clemens VIJ. Bened. XIIJ. non Vrbanus VI. Boniſ. IX. Innocent. VIJ. Gregorius XII.

Diſſi-

Difficultatem augent miracula patrata à Benedicto XIII. Tantæ difficultati ocurram primò negando miracula, quæ ſalſò adſcribuntur Benedicto XIII. Ipſi enim ſciſmatici ea trãſcribere non audẽt. Vnus eſt Jlleſcas, qui geſta Pontificum idiomate collecta Hiſpano poſteris tranſmiſit audita non viſa; dolo ficta non vera, præcipuè ab Alphonſo Rege Arragoniæ, vt tutela Antipapæ, regnum extorqueret Neapolitanum à Romano Pontifice aduersùs Ludouicum Andegauenſem. Hinc mortuo *Petro de Luna*; nè hoſtis Martino V. deeſſet, curauit Alphonſus, vt nonnuli ſacrilegi ab eodem Petro Lunenſi ante obitum creati dicerentur Cardinales; cum tamen A liquidò conſtaret, neminem ab illo nominatum: ſed ne ſciſma deficerer, fabulam cõfixere ridiculam. Mortuo etiam Lunenſi, cum Ægidius Mugnoz, vel Nunius Canonicus Barcinonẽſis à ſolis duobus Anticardinalibus *Iuliano Dobla, & Carthuſiano* temerariè ſubrogatus, toto Orbe reclamante Terrarum, oblatum recuſaret honorem; nutantem confirmauit Alphonſus, auctorque fuit ineundi Pontificatum. Vni ergo Hiſpano geſta referenti antiqua, & Rege mandante fabuloſè inuenta ad grauamen inimicorum, quando reliquæ ſilent nationes in eadem cauſa non minùs vigiles, & ſollicitæ; qualis fides?

Adde ad veritatem Miraculi non ſufficere rem eſ- B ſe ſupra naturam, vt docuimus in tractatu *de Summa Trinitate, & Fide Catholica*: quot enim illuſiones atque præſtigia Dæmonum non ſolùm inter Gentiles, ſed etiam Chriſtianos, inter quos Satan induit Angelum lucis, vt Mortales decipiat? Benedicti aſſerta miracula quis probauit? ſine quæſtione oppidò & inquiſitione, homines inter Sanctos non tranſcribit Eccleſia. Miracula quidem audit, ſed lydio inquiſitionis & teſtium lapide veſtigat, ruminat, iudicat, probat. Si Concilium Conſtantienſe, cui colla ſubmiſit Orbis Terrarum, Clementem VII, & Benedictum XIII. damnauit tanquàm ſciſmaticos; vbi eorum miracula? cur non adducta coram Con- C cilio ad Benedicti tutelam?

Eſto tandem, quòd vt ſuos Deus cribaret fideles, rem minimè naturalem permiſiſſet in Benedicto XIII. non propterea eum Vicarium ſuæ præpoſuit Eccleſiæ. Etiam Aſina Balaam patrauit miraculum, vocem articulando humanam, Aſina tamen erat, & remanſit. *Numer.* 22. In Ægypto Malefici Regis Pharaonis fecerunt quidem & ipſi per incarnationes arcana quædam, proiecere virgas, quæ verſæ ſunt in dracones; ſed virga Aaron deuorauit virgas Pharaonis. *Exodi* 7. Plura Benedictus coegit comitia, & conciliabula, quę tandem à Conſtantienſi Concilio Æcumenico per Gregorium XIJ. & Io: XXIIJ. congregato diſſipata ſunt.

Quòd viros ſanctos Pſeudopapæ habuerint in partibus; excuſat S. Antonius *tit.* 22. *c.* 2. quòd quęſtio de ſciſmate ante Conſtantienſe Conciliũ definiri non potuit, quia apud plurimos dubia remaneret. Quamuis enim opus ſit credere *Vnam* Eccleſiam, *vnicumque* eius paſtorem, iuxta illud, *Fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Io:* 2. non eſt tamen neceſſe credere hunc vel illum paſtorem eſſe legitimum, quando per ſciſma plures creãtur, ãtequàm à Cõcilio Æcumenico declararetur qualis ſit paſtor legitimus. Fateri ſatis, *Vnam* eſſe Eccleſiam; *Vnicumque* eius paſtorem, & hoc *de iure*, ſaluti eſt neceſſarium: ſecùs *de facto* Barenſem agnoſcere pro paſtore legitimo, & non Lunenſem. Errabant ergo Viri Sanctiſſimi Petrus Lutcemburgicus, Vicentius Ferrerius: ſed horum error *Facti* erat: non *Iuris* Obiit Petrus de Lutcemburgo paulò poſt adeptam purpuram ſub Clemente VIJ. antequam ab Eccleſia Vniuerſa B in Concilio ęcumenico congreta decideretur; qualis litigantium eſſet legitimus paſtor: excuſabilis propterea Petrus Lutcemburgicus ſi in obedientia decederet Antipontificis. Non Sic Vincentius Ferrerius, qui audito decreto Concilii Conſtantienſis, nõ ſolùm Benedictum XIII. Antipapam cui à ſecretis Pænitentiæ erat, ipſe deſeruit, ſed etiam Regem Arragonię ab obedientia retraxit pſeudo-Pontificis: teſte *Petro Rauzano: in vita S. Vincentij. c.* 19. Culpa equidem non vacauit Clemens VII. Bened. XIII. ac reliqui Antipapæ, qui non ignari legitimę aſſumptionis Vrbani VI. Boniſacij VIII. Sanctiſſimis abuterentur hominibus; vt eorum larua popu- C lum deciperent ſimpliciorem.

44 **G**Aleotus Tarlatus de Petra Mala Diacon. Card. *S. Georgij in Velebro* in ſeptima promotione aſſumptus; de quo lege ſupra in *Vrbano VI. n.* 51.

## Cancellarij ſub Clemente VII. Antipapa.

Petrus de Montutco P.C.S. Anaſtaſiæ ab Anno 1. vſque ad 7.

Ioannes de Broniaco P.G.S. Anaſtaſiæ ab Anno 7. vſque ad finem Antipontificis; & ſub Benedi- D cto XIII. Antipapa.

BONI-

# BONIFACIVS IX. P. R. CCIIJ.

Bonifacius IX. Eligitur Anno Sal. 1389. die 4. Non. Nouemb. Obiit Kal. Octob. An. Sal. 1404. cuius adfuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Franciſcus Moricottus de Vico Piſanus Ep. C. Prænestin.

## Presbyteri Cardinali.

2. Poncello Vrſinus P. C. tit. S. Clem.
3. Andreas Bontempus P. C. tit. SS. Petri, & Marcellini.
4. Stephanus Paloſius P. C. tit. S. Marcelli.
5. Angelus Acciaiolus P. C. tit. SS. Laur. & Damaſi.

A 6. Franciſcus Carbonus P. C. tit. S. Suſannæ ad duas Domus.
7. Petrus Thomacellus P. C. tit. S. Anaſtaſiæ.
8. Io. Stephaneſcus P. C. tit. S. Cæciliæ.

## Diaconi Cardinales,

9. Thomas Vrſinus de Manupello D. C. S. Mariæ in Dominica.
10. Ludouicus de Fliſco Genuen. D. C. S. Hadriani.
11. Marinus Bulcanus D. C. S. Mariæ Nouæ.
12. Franciſcus Rentius, Alliphanus D. C. S. Euſtachij, iuxta thermas Agrippę.
13. Raynaldus Brancatius D. C. SS. Viti & Modeſti in macello Martyrum.
14. Fr. Angelus de Anna D. C. S. Luciæ, in Septiſolio.

Hi omnes creati ab Vrbano VI.

B Panuinius inter Presb. Card. adiungit *Valentinum Vngarum tit. S. Sabinæ.* Viuebat iſte, ſed aberat, teſte Ciaconio; vti etiam aberant Philippus de Alenconio Ep. Card. Oſtienſis & Petrus Hiſpanus P. C. tit. S....

## Epiſcopi Cardinales creati à Bonifacio IX.

1. Henricus Minutulus ex P. C. tit. S. Anaſtaſiæ, Ep. C. *Tuſculanus*, demùm *Sabinus*. Vide infra *n. 6.*

2. Philippus de Alenconio ex P. C. tit. S. Marię transtyberim Ep. C. *Sabinus*. Lege infra *n. 11.*

3. Pileus de Prata ex P. C. tit. S. Praxedis, Ep. C. *Tuſculanus*, promotus à Bonifacio IX. promotione Cardinalium ſecunda, Anno 1391. Idib. Februarij. Vide in *Vrbano VI. n. 11.*

4. Antonius Caietanus P. C. tit. S. Cæciliæ. Ep. C. *Portuenſis*. Lege infra *n. 12.*

5. Angelus Acciaiolus ex P. C. S. Laurentii in Damaſo, Ep. *Oſtienſis*. Lege ſupra in Vrbano VI. *n. 15.*

6. *Videntes autem Petri conſtantiam, comperto, quod homines eſſent ſine literis & idiotæ, admirabantur, & cognoſcebant eos, quod cum Ieſu fuerant.* Act. 3.

C



Henricus Minutulus patritius, atque Archiepiſcopus Neapolitanus claro ſanguine, ſed virtute minutus, teſte *Garimberto lib. 6. cap. 5.* Anno 1389. ſucceſſit Zanaſio Archiep. ſed ſponſam nunquàm viſitauit. Nam eodem Anno, in prima Cardinalium promotione facta à Bonifacio IX. quamuis Pontifex oculatus viros moribus, & virtute conſpicuos pręeligere ſoleret, modò promotionem propè fædauit, ho-
D minem eligendo, & primum reliquis præferendo, cui vna gloria, & hæc aliena, nempè parentum ſuorum. Annis plus minus decem cum Archiepiſcopatum abſens ſuſtinuiſſet, dignitatem liberè in manibus Bonifacij IX. dimiſit Anno 1400. Epiſcopus Card. *Tuſculanus* dictus. Ibi portam marmoream Cathedralis eccleſiæ erigi curauit Anno 1407. quam Abbas Barboſus de Piperno inſignis eius cui ſculptor cælauit, opus ſane mirandum ſtatuis, artificio,

Digitized by Google

ficio, porphyreticis exornatum columnis, vbi Henrici marmoreum ſimulacrum flexis genibus ante B. Virginem Deiparam conſpicitur cum inſcriptione ſequenti.

*Nullius in longum & ſine ſchemate tempus honoris*
*Porta fuit rutilans, ſum nunc plena decoris.*
*Me meus, & ſacræ quondam Minutulus aulæ,*
*Excoluit proprijs Henricus ſumptibus huius*
*Præſul Apoſtolicæ, nunc conſtans cardo columnę*
*Cui precor incolumen vitam poſt fata perennem,*
*Hoc opus exactum mille currentibus Annis*
*Quo quater centum ſeptem Verbum caro factum eſt,* A

Conſtruxit idem Henricus in eadem Cathedrali ſacellum SS. Triadi dicatum: Altare quoque in ſacello SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli à ſuis maioribus condito, erexit atque redditibus locupletauit, Archiepiſcopale Palatium Cathedrali attiguum maiori ſucceſſorum commodo exędificauit. Comitijs interſuit Innocentij VII. Gregorij XII. & Alex. V. in Piſano Concilio, in quo cum Cardinales etiam Sciſmatici permiſſi fuiſſent ſuas retinere dignitates, nè recrudeſceret Sciſma; & eandem Tuſculanam Eccleſiam duo reperirentur titulo tenere, iniuſto quidem Petrus Gerardi, iuſto verò Henricus Mi- B nutulus, iſte, eccleſia dimiſſa Tuſculana, ad Sabinam tranſijt tunc vacantem. Promouit tandem Ioannem XXIII. à quo Bononienſi Legatione, & Generali Vicariatu Ferrariæ, & Rauennæ & Foriliuij Exarchatu donatus nonnullas edidit conſtitutiones. Sub Gregorio XII. Camerarius dictus Collegii, vnà cum Amadeo Cardinale Salaſſo libros emit ab Apoſtolico ęrrario, quingentorum aureorum pretio (vnicum bonum in vita huius Cardinalis ſcribit *Garimbertus*), Romæ deceſſit XV. Kal. Iunij, An. 1412. cuius cadauer tranſlatum in Cathedralem Neapolitanam, marmoreo quieſcit ſepulchro. Volunt alij deceſſiſſe Bononiæ, vbi legatum agebat Apoſtoli- C cum, die Veneris XVII. Iunij, 1417. Eſt qui hunc Cardinalem doctiſſimum pingere conetur auctoritate Bartholomæi Chiocarelli *in catalogo Archiep. Neapol.* eadem tamen ratione refellitur, qua Garimbertus: quòd iuniores ſæcula inquirant præterita.

7. *Vir prudens & literatus.*
1. Paralip. 27.



FRr. Bartholomæus Vliarius humili, ſed honeſto genere Patauij natus inter Lombardos, virtute præfulſit eximia ſacræ D Theologiæ, ac cognitione Sacrarum Scripturarum. Iuuenis nomen dedit inter aſſeclas Minores Ordinis S. Franciſci, inter quos cum vitæ Sanctitate, atque doctrina cæteris anteciret, factus eſt etiam totius Ordinis Generalis Miniſter; poſtea Epiſcopus Anconitanus, inde ad Florentinam tranſlatus Eccleſiam An. 1387. ac poſt duos Annos, à Bonifacio IX. in prima Cardinalium promotione aſſumptus Presb. Card. tit. *S. Pudentianæ.* Adepta purpura, Florentinam dimiſit Eccleſiam, Pontifici ſemper fidelis, à quo Neapolim Legatus vt ſcribit Ciaconius; vel cum Scardeonio in Siciliam miſſus, vt Inſulam regeret, Caietę die 16. Cal. Maij, Anno 1396. Pontificatus Bonif. IX. ſeptimo, vita exceſſit ad Minores ſepultus cum inſignibus, & epitaphio.

*Vnica Cardinei qui fuerat gloria cœtus,*
*Hæc te petra tegit, Patauinis manibus ortum,*
*Almas inter nunc animas lætaris Olympo,*
*Miſſus eras partes demum legatus ad iſtas;*
*Quem tibi viuaces Mors inuida ſuſtulit Annos,*
*Vnanimis quicquid conditum munere fama*
*Scire datus ſtudijs ſublimi mente locaſti.*
*Longa tuum meritis clarum per ſæcula nomen*
*Non adimet ſuprema dies, tua viuida virtus,*
*Nunquàm morte cadens omnis memorabitur. æuo.*
*Hic iacet Reuerendiſſ. in Chriſto*
*D. Bartholomęus de Vliaris de Padua*
*Dei gratia tit. S. Pudentianæ*
*Presb. Card. Paduanus,*
*Regni Siciliæ Apoſtolicæ Sedis Legatus*
*Qui obijt die 16. April. An. 1396. Ind. IV.*

B

Lege Scardeonium *lib. 2. Claſſ. 6. Antiquit. Patau.* Angelum Portinarium *lib. 9. c. 1. de felicit. Patauij.* Bartholomæum Piſanum *lib. 1. par. 2. Conformit. S. Franciſci*: Vvadingum, & Toſſignanum *lib. 2. Hiſtor. Seraphici Ordinis*, apud quem diſtichon legitur ſequens:

*Te ingenij valuiſſe bonis, Sanctuſque Senatus*
*Regnaque Parthenopes Bartholomęo docens.*

Garimbertum: Iongelinum: Contelorium: Philip. Tomaſinum *in elog. vir. illus.*

8. *Vos Sacerdotes, qui fallitis nomen meum, & dixiſtis in quare fefellimus nomen tuum?*
1. Malac.



COſmatus Melioratus Sulmonenſis, diœceſ. Valuenſis Aprutinus, in Pelignis, adoleſcens vtrique iuri operam dedit, cuius laurea inſignitus, Capuæ primò Cancellarium egit, inde Capellanus Vrbani VI. poſtea Collegij adhæc, Clericus Cameræ Apoſtolicæ, ab eodem Vrbano Nūcius & Collector Reddituum eiuſdem Cameræ, in Anglia deſtinatus fideliter functus officio ſuo, perpetuus adminiſtrator Exarchatus & Archiep. Rauennatis deſignatur ob priuationem Pilei Cardinalis. Paulò poſt Epiſcopus Bononienſis, P. C. tit. *S. Crucis in Hieruſalem* Papa futurus nomine Innocentij VII.

9. *Ho-*

9. *Honeſtauit illum in laboribus.*
Sap. 10.



CHriſtophorus Maro Romanus Ep. Eſernienſis Presbyter Card. tit. *S. Cyriaci in thermis* â Bonifacio IX. prima promotione poſtea Archipresb, S. Petri, cum ante adeptum Epiſcopatum præfuiſset Monaſterio SS. Alexii, & Bonifacii in monte Auentino, poſt cuius A
obitum, illud monaſterium adiectum fuit Baſilicæ Vaticanę. Fuit Chriſtophorus iuriſprudētia clarus, & in forenſi Subſellio peritiſſimus, hinc vna cum Bartholomæo Caraſa Vrbis Priore, & Franciſco Cardinali Monopolitano arbiter electus inter Bonifacium IX. Papam, & Paulum Sabellum Lucæ filium; queſtione litis de poſſeſſione oppidorum Aſpe, Zarani, Cignani, Montisboni, & Rochetarum, vt conſtat ex codicillis Bonifacij IX. qui adhuc ſuperſunt.

Exceſſit Romę Pridie Non. Decemb. 1404. ſepultus in Petri Baſilica, cuius erat Archipresbyter tumba marmorea muro aſſixa, propè ædiculam S. B
Thomæ cum clypeis, & inſcriptione.

*Qui legitis carmen lachrimabile fundite fletus*
*Fundite, & hoc multis lachrimis ornate ſepulchrum,*
*Maxima Cardinei cubat hic nam gloria cætus.*
*Corpore Chriſtophorus, ſed ſpiritus inſidet aſtris*
*Fidus Apoſtolicæ per tot fluctantia cymbæ*
*Naufragia Eccleſiæ fuit, & tunc terno ſalubris*
*Multiplici virtute nitens, & ornator honeſti*
*Vir erat, euecto cui tanti culmen honoris*
*Nominis alme tui titulum Cyriace dediſti.*
*Anno Domini MCCCC. IV.*

Lege *Ciaconium*, *Contelorium*, *Fran; M. Turrig. de Cryptis Vatic. Aubery.*

10 BArtholomæus Mezauacea Bononienſis, Ep. Reatinus reſtituitur ad Cardinalatum tit. *S. Martini in Montibus* a Bonifacio IX. in prima Cardinalium promotione, Anno Sal. 1389. Vide ſupra *n.* 20. in Vrbano VI.

11 PHilippus de Alenconio Cardinal. Presb. tit. *S. Mariæ Transtyberim*, poſtea Ep. *Sabinus* reſtituitur à Bonifacio IX. in ſecunda Cardinalium promotione, Anno Sal. 1391. Idibus Februarij. Vide ſupra *in Vrbano VI. n.* 8. Contelorius negat hunc Cardinalem vnquàm purpura fuiſſe priuatum.

12. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.*
Sap. 1.



ANtonius Caietanus Iacobi Comitis Fundani filius, ac Sueuæ Sanſeuerinæ Patriarcha Aquileienſis dictus die XII. Feb. 1395. eccleſiam adminiſtrauit vſque ad Annum 1402. inde à Bonifacio IX. ſecunda Cardinalium promotione, Presb. Card. tit. *S. Cæciliæ* renuntiatus, eccleſiam dimiſit Aquileienſem, aſſumptus Epiſcopus C. *Prænestinus*; comitijs adfuit Gregorii XII. R. P. à quo ob inſignem virtutem, & morum probitatem meruit facultatem corrigendi, & reformandi minores Vrbis Pænitentiarios. Gregorio relicto Piſano adfuit Concilio, in quo promoto Alexandro V. R. P. Præneſtinam dignitatem ceſſit Guidoni de Maloſicco pſeudo-Cardinali Clementis VII. ad tollendum ſciſma, & dulcedine dignitatis alliciendos ſciſmaticos ad Eccleſiam Dei. Purpura propterea ſpoliatum à Gregorio Concilium firmauit, ſententia abrogata Gregorii tanquàm iniuſta. In eodē
B Concilio Feſulanum obtinuit Epiſcopatum Commendæ nomine, & eccleſiam *Portuenſem*, *& S. Ruffinę*. Non aliter componi valuere diſſidia, quàm factioſos palpando honorum cumulo. Extat huius Cardinalis diploma ad Carolum de Malateſtis, cuius initium: *Antonius miſeratione Diuina Ep. Præneſtin. S. R. E. Card. Aquileien. nuncupatus, Magnif. D. Carolo de Malateſtis, D. Arimini fratri noſtro cariſſimo, ſalutem in illo, qui omnibus attulit in Chriſto ſalutem, & cum executione operis ad vnionem S. Matris Eccleſiæ. &c.*

Romę obiit Antonius 4. Idus Ianuarij, 1412. ſub Io: XXIII. ſepultus ad S. Petrum in ſacello Bonifacii VIII. gentilis ſui. Dicunt alij humo traditum
C Antonium in eccleſia Prędicatorum S. Mariæ ſuper Mineruam, cuius abſidem, vt probant inſignia ibi appoſita, ędificauit, Habet etiam in eadem eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam ad ſiniſtram Arę Maioris ſequens epitaphium.

*Hic requieſcit Reuerendiſs. in Chriſto Pater D. Antonius Caietanus Epiſcopus Portuenſis, S. R. E. Cardinalis, qui obijt Anno Domini M.CD. XII. Men. Ian. die XI. In.* *V.* Nomenclator p. 19.

Lege *Ciaconium*; *Scipionem Amirat. de Ep. Feſulan. Aubery. Aug. Triumphi monumenta. Garimbertum,*
D *Vghellum, Ioſeph. M. S. Soares: in Præneſte Antiqua.*

## Diaconi Cardinales creati à Bonif. IX.

13. *Omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia Idola eius ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſq. ad mercedem meretricis reuertentur.* Michęe. 1.

13 BAlthaſſar Coſſa Diacon. Card. *S. Euſtachij*, tertia Cardinalium creatione promotus à Bonifacio IX. Anno Sal. 1391. Papa futurus nomine Ioannis XXIII. depoſitus in Concilio Conſtantienſi. Lege eius vitam à me exaratam.

14. *Potentior omnium eſt Sapientia.* 10. Sap. 11.



LEonardus Cybo Genuenſis, I. V. D. eximius, D. Card. *SS. Coſmæ, & Damiani.*

15. *Sectare iuſtitiam, pietatem.* 1. Timoth. 6.

ANgelus Cybo Genuenſis, Diac. C. *SS. Silueſtri, & Martini in Montibus.*

# INNOCENTIVS VII. P. R. CCIV.

INnocentius VII. Electus die 16. Kal. Nouemb. Anno Sal. 1404. Obiit die 7. Nouemb. A 1406. eius adfuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Angelus Acciaiolus Ep. C. Oſtien. ex Vrb. VII. & Bonif. IX.
2. Fran. Carbonus Ep. C. Sabinus. ex Vrb. VI, & Bonif. IX. A
3. Henricus Minutulus Ep. C. Tuſculanus: ex Bonif. IX.

## Presbyteri Cardinales.

4. Valentinus Vngarus P. C. S. Sabinę: ex Vrb. VI.

Ex Bonifacio IX.

5. Coſmatus Melioratus P. C. S. Crucis in Hieruſalem.
6. Chriſtophorus Moronus vel P. C. S. Cyriaci in Thermis.
7. Fr. Angelus de Anna P. C. S. Pudentianæ tit. Paſtoris: ex Vrb. VI. & Bonif. IX.
8. Antonius Caietanus P. C. S. Cæciliæ ex Bonif. IX.

## Diaconi Cardinales.

Ex Vrb. VI.

9. Lodouicus de Fliſeo D. C. S. Hadriani. B
10. Raynaldus Brancarius D. C. SS. Viti, & Modeſti, in macello Mar.
11. Landulphus Maramaurus D. C. S. Nicolai in carcere: ex Vrb. VI. & Bonif. IX.
12. Balthaſar Coſſa D. C. S. Euſtachij: ex Bonif. IX.

## Epiſcopi Cardinales creati ab Innocentio VII.

1 ANtonius Caietanus Romanus ex Presb. Card. tit. S. Cæciliæ, Bonifacii IX. Epiſcop. Card. *Praeneſtinus* aſſumptus Anno Sal. 1405. ab Innocentio VII. Vide ſupra *n. 12. in Bonif. IX.*

## Cardinales Presbyteri creati ab Innoc. VII.

2. *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſoluerunt labores eorum.* Sap. 4. C



CHŭradus Carraciolus Neapolitanus, ex Nidi Curia, nobili ortus genere ad Curiam accedit Romanam, ſedente Vrbano VI. à cuius ſucceſſore Bonifacio IX. eccleſiæ S. Stephani propè Apulleiam præpoſitus, poſtea Subdiaconus Apoſtolicus, & Procamerarius, vt *ex lib. 5. Obligat. Vrb. VI.* Archiepiſcopus Nicoſienſis in inſula Cypri, deinde cum eiuſdem Archiepiſcopatus commendatione, Epiſcopus Meliteuſis ab Innocentio VII. cuius fuit Procamerarius, Camerarius dictus & Presb. Card. tit. *S. Chryſogoni*, comitiis adfuit Gregorij XII. cuius mandato, Paulum conduxit Vrſinum Copiarum ducem, aduersùs Ladiſlaum Regem Neapolitanum, qui Eccleſiam vexabat. Gregorio verò deſerto, cum ad Piſanum aſcendiſſet Concilium, purpura expoliatus à Gregorio, ad Concilium prouocauit, per quod iniuſta declarata ſententia Gregorii, ſedit cum Patribus, & in Pontificem promouit Alexandrum V. à quo in Galliam legatus Ciſalpinam, oppida confirmauit nutantia in obſequio Eccleſiæ Romanæ. Adfuit etiam Io: XXIII. comitijs, eoque ſedente, abſentis Camerarij officium adminiſtrauit, donec 15. Kal. Martii, 1411. vel die 25. Feb. debitum naturæ ſoluit, Bononiæ, in Cathedrali ſepultus, cum ſequenti epitaphio.

*Conrado Caracciolo Neapolitano, tit. S. Chryſogoni Presb. C. S. R. E. Camerario Bononiæ Legato, ſupremam* D *uitalis ſtadij metam emenſo XV. Kal. Martij,* 1411.

Familia hæc, (ſi Franciſco Petrio fides in *Chronol. familia Caracciola*) eadem cum Caraſa, ex Leonardo Aretino, Philibertus Campanilius nonnullas inſcriptiones congeſſit, in quibus Caraccioli appellantur Caraſa.

*Hic requieſcit D. Matthaeus Caracciolus dictus Caraſa, Miles: qui obijt An. Dom.* 1315.

Hic

*Hic iacet corpus quondam nobilis viri D. Thomasij Caraccioli, dicti Caraſa de Neapoli: qui obijt An. Dom.* 1332.

De eo lege *Ciaconium, Panuinium; Aug. Triumphi Monum. Victorellum, Vghellum; Auberij.*

3. *Vere Iſraelita, in quo dolus non eſt.* 1. Io: 47.

ANgelus Corrarius P. C. tit. *S. Marci*, Papa futurus Gregorius XII. qui pro bono pacis, throno ſe abdicauit, cum verè Papa eſſet.

4. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipſi quoq. contra ſanguinem ſuum inſidiantur & moliuntur fraudes contra animas ſuas. Sic ſemitæ omnis auari, animas poſſidentium rapiunt.* 1. Prouer. 7.



IOrdanus Vrſinus Romanus, filius Ioannis Comitis Taliacotij ex Bartholomæa Spinella de Iuuenatio filia Nicolai, Magni Regni Cancellarij, frater Comitis Caroli, & Franciſci Vrbis Præfecti, ex Canonico Capuano Archiep. Neapolitanus electus a Bonifacio IX. An. 1400. magnæ auctoritatis apud Ladiſlaum Regem ſatis vtile & honorificum impetrauit priuilegium pro ſuæ Eccleſiæ Vaſſallis, quod legitur apud Vghellum *p.* 210. *in Archiep. Neap. to.* 6. *Italiæ S.* Dilectus Pontifici Innocentio VII. ob ſuam eximiam virtutem, prima Cardinalium promotione facta pridie Idus Iunii, Romæ, Anno 1405. purpura exornatur Presb. tit. *S. Martini in Montibus*, nuncio remiſſo eccleſiæ ſuæ. Longo vixit tempore in Cardinalatu, vnde plures promouit Romanos Pontifices, præcipuè Gregorium XII. ea lege, vt is Regnum deponeret, ſi opus eſſet, ad tollendum Sciſma. Gregorio porrò ſegniùs ſe gerente; Iordanus vnà cum reliquis Cardinalibus, in Piſano Concilio Alexandrum V. promouit; à quò ex titulo Equitij, quem nulla neceſſitate coactus reliquit, ad ditiorem titulum (oh auri Sacra fames) *SS. Laur. & Damaſi* primùm transfertur. Sedente poſtea Io: XXII. cuius comitiis Bononiæ celebratis interfuerat, legatione decoratus Hiſpana ad ſedandos motus, quos Antipapa excitauerat Petrus de Luna, abijt ſed nullo fructu. In Italiam regreſſus Legationem Piceni laudabiliter adminiſtrauit; executioni dedit diploma eiuſdem Papæ de reſtitutione bonorum facienda Eccleſijs, Monaſterijs, Hoſpitalibus, & locis pijs. Nomine eiuſdem Pontificis, monaſteria Vrbis, cæteraque pia loca viſitauit, datiſque legibus œconomicis, reformauit. Bona Monaſterij S. Andreæ de Tractis in Baſilicam tranſtulit Liberianam. *Paul. de Angelis.* Nouiſſimè ex Presb. Card. Epiſcopus creatus *Albanus*, retento etiam primo Titulo, ſpetie *Commendæ* (inuentio & hæc ad exſaturandam auaritiam) ac Maximus Pœnitentiarius, Concilia adiit Piſanum, & Conſtantienſe, in quibus exauctorato Io: XXIII. veteris ſimultatis oblitus cum familia Columnenſi (Vrſini namque & Columnæ odio mutuo vſque ad ſanguinem digladiantur antiquo) Othonem Columnam D. C. S. Georgii, in Pontificem inaugurauit nomine Martini V. ſuoque ſuffragio cæteris prætulit Purpuratis. Ab eo legatus ad Angliæ & Galliæ Reges pro inſtauranda Eccleſię vnitate, Anno 1418. vnà cum Guillelmo C. S. Marci; deinde in Vngariam, Boemiam, cæteraque regna Septemtrionalia, Anno 1425. ad extirpandas, quę pullulauerant, Huſſitarum, & Vviclephitarum hæreſes, omnem lapidem mouit vt rem promoueret Catholicam, ſed ſemper incaſſum. Martino mortuo, promouit Eugenium IV. quo ſedente ſola auaritiæ cauſa, infula Albana remiſſa, Sabinenſe Sacerdotium præpinguius

A ſibi delegit, die 2. Martii 1431. peſſimo quidem exemplo ad poſteros; cum non adhuc Senatus morem admiſiſſet: vt qui ſemel vnus è ſex, qui adſtant Pontifici, fuiſſet electus, ad alium tranſiret Epiſcopatum. Legatus poſtea de latere ad Baſileenſe Concilium à Martino V. indictum ab Eugenio IV. confirmatum, cum Petro de Fuxo Ep. Albano, & duobus aliis Cardinalibus, vt nomine Sedis Apoſtolicæ prę eſſet, conſtantiſſimè partes propugnauit Romani Pontificis, & præcipuè quum orto inter Pontificem, & Patres diſſidio, de transferendo in Italiām Concilio, iſti reclamarent. Legatus nouiſſimè ab eodem Eugenio IV, obuiam Sigiſmundo Imperatori Senas

B vſque Romam petenti pro coronatione Imperiali, eum in vrbem honorificè deduxit. Paulò poſt ad balnea Petriolana valetudinis cauſa ſecedens, ibidem deceſſit omnibus ęquè gratus, & Princeps deſignatus Concilii Ferrarienſis, in quo Gręci venturi erant atque Latini pro vnitate, & concordia. Anno 1439. die 5. Kal. Iunii, Eius corpus Romam delatum, in Baſilica iacet Vaticana Sacello ab ſe extructo, doteque locupletato. Vir ſanè Magnus, futurus Maximus, ni auri & argenti cupidus reliquas virtutes auaritia obruiſset.

Templum, Bracciani, erexit dicatum S. Mariæ Ordinis S. Auguſtini (teſte *Franciſco Sanſouino*)

C Bibliothecam conquęſiuit ex totius Orbis terrarum finibus, quam Vaticanæ teſtamento legauit.

Lege Ciaconium, Vghellum, Auberii, Garimbertum, Sanſouinum *in famil. Vrſina*. S. Antoninum. Vvadingum Annal. Minor. Paulum Mauroçenum *Hiſtor. Vene.* Cherub. Ghirardac. *hiſtor. Bonon.* Bartholom. Chiocarel. *Neapol. Archiep. catal.* Aloyſium Manzinum *in Card. Albergati.* Hypol. Marac. *purpur. Mariana.* Contelorium. Fran. Mat. Turrig. *de Crypt. Vatic.*

5. *Videamus, quid ſit melius.* Iob. 34.

D 

IOannes Melioratus, *Sulmonenſis* nepos ex fratre Innocentii VII. eximius iuris interpres, patruo ſuccedit in Archiepiſcopatu Rauennę 17. Kal. Octob. 1400. Anno verò 1405. purpuram Cardinalitiam tit. *S. Crucis in Hieruſalem* cum perpetua adminiſtratione Archiepiſcopatus Rauennatis accipit ab eodem patruo. Co-

mitiis adſuit Gregorii XII. Alexandri V. & Ioannis XXIII. ſub cuius pontificatu, Anno primo Salutis 1410. die 17. Kal. Aug. deceſſit Rauennę, ibidem in Cathedrali ſepultus teſte Ciaconio ; vel Bononiæ ſecundum Paulum Rubeum *lib. 6. Rauen. Hiſtor.* ſepultus in D. Petronii templo, cum epitaphio:

*Ioanni Meliorato Salmonenſi, Innocentij, VII. Papæ nepoti S. R. E. Cardinali tit. S. Crucis in Hieruſalem. XVII. Cal. Nouemb. 1410. è viuorum numero ſublato.*

Lege *Ciaconium, Panuinium, Auberij.*

6. *Multi tyranni ſederunt in throno.* 11. Eccli. 5. A

FR. Petrus Philargi Græcus, Cretenſis, Ordinis Minorum. Presb. Baſilicæ *SS. XII. Apoſtolorum.* Papa futurus Alexander V. qui poſtea throno ſeceſſit, vt in eius vita.

7. *Principatus ſuper humerum eius.* Iſai. 9.



ANtonius Archionius Romanus, è nobili Archionia gentę, Regionis Montium, cuius ædes in Quirinali intra Thermas Conſtantinianas fuere, Epiſcopus primò Aquinas, poſtea Aſculanus ad reformandos Clericorum, atque Laicorum mores, Aſculanam Vrbem Eccleſiaſtico ligauit interdicto ; eo quòd Ciues caſtrum Crucis, quod pleno iure ad Epiſcopatum ſpectabat, violenter occupauerant. An. 1390. ad Aretinam tranſlatus eccleſiam à Bonifacio IX. eam breui tenuit. Angelum enim Riccaſolum Epiſcopum Fauentinum ad eccleſiam Aretinam Reſpublica poſtulauerat Florentina. Hinc Antonius aliquandiù eccleſia orbatus remanſit; donec F. Benedictus Antonii ſucceſſor in Aretina Eccleſia, ad Caſtellanetenſem tranſlatus Antonio iterum locum dedit. Antonius autem cum præcipuè doctrinę prærogatiua præſtaret, à Bonifacio IX. electus Romæ Vicarius tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, eo plauſu Populi Romani prę fuit, vt etiam mortuo Bonifacio IX. trepido oneri humerus ſubſerre coactus fuerit, ſedente Innocentio VII. à quo in gratiam Populi Romani Presb. Cardinalis adlectus tit. *S. Petri ad vincula*, Anno 1405. prima Cardinalium promotione, breui in luctum verſa cithara, eodem Anno deceſſit 7. Kal. Aug. humo datus in eccleſia S. Mariæ ad Præſepe, prope aram S. Hieronymi lapide ſuperimpoſito cum inſignibus, & epitaphio.

*Quem pia Romuleo genuit natura fauori*
*Tegmine Cardineo dedit hoc Antonius artus*
*Hunc apice euecto, ſacrique ad vincula Petri*
*Semper . . . . . us Vrbi s ſolamen, amicum*
*Lumina vt extinxit terra Germana profundo,*
*Spiritus hoſpitium Mundi melioris adiuit.*
*Anno Dom. MCCCCV. V. die 26. Iulij.*
*Obijt Antonius Cardinalis de Archionibus.*

Legitur etiam in tabulario eiuſdem eccleſiæ: *Antonius Archionius Romanus, Card. S. Petri ad vincula ab Innoc. VII. Papa creatus iacet in terra ad altare S. Hieronymi.*

Iuſtitiam cum quæreret non argentum, pauca reliquit præter bonum nomen ; cum etiam agros paternos Epiſcopatui indulſiſſet Aſculano. *Paulus Langius. Ciaconius. Paulus de Angelis in Liberiana Baſilica*, *Vghellus, Auberij.*

8. *Fili ſerua mandata mea, & vt viues: & legem meam quaſi pupillam oculi tui.* Prouer. 7.

A



ANtonius Caluus Romanus, ex regione Montium Canonicus S. Petri, & Aduocator Conſiſtor. familia apud Romanos vetuſta & grata Populo Romano, cuius in gratiam ab Innoc. VII. prima Cardinalium creatione facta An. 1405. ſeptimo loco inter Sacros Senatores eleuatur tit. *S. Praxedis*, ex Epiſcopo Tudertino, ad quem gradum vocatus fuerat ex electo Imolenſi è Bonifacio IX. An. 1396. Comitiis interfuit Gregorii XII. à quo Archipresbyter factus S. Petri facultatem accepit reformandi ipſam Baſilicam, & ſolutam Canonicorum diſciplinam. In Piſano Concilio cum iis fuit, qui elegere Alexandrum V. à quo ex Presbyterio *S. Praxedis* tranſlatus fuit ad titulum *S. Marci*, vt veterem S. Praxedis relinqueret Petro de Hiſpania Tranſalpino Cardinali ex obedientia Sciſmaticorum. Promouit etiam Io: XXIII. cuius Anno ſecundo, Salutis 1411. die 6. Non. Octob. migrauit ad Dominum, Romæ in Vaticana Baſilica, Sacello quod ipſe viuens extruxerat, ſepultus. B

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Vghellus, Contelorius; Turrigius *de Cryptis Vatican.* Carol. Carthar. C *in Catal. Aduocat. Conſiſtor.*

9. *Sapiens non odit mandata, & iuſtitias, & non illidetur quaſi in procella nauis.* Eccl. 31.



FRanciſcus Hugucionius Vrbinas, Picenas, vtriuſque iuris interpres clariſſimus, Archiepiſcopus Burdegalenſis in Aquitania creatus & Nuncius Bonifacii IX. R. P. ad Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, & Nauaræ Reges, vt ſua prudentia, qua plurimùm pollebat, regna D illa ad obedientiam Bonifacii retraheret, & ſciſma abiurarent Clementis VII. illum Curia longinquũ, & in Aquitania paſcendo intentum gregi ſuo Innocentius VII. P. Cardinalem *SS. IV. Coronatorum* cum creaſſet; non propterea venit in Curiam, Burdegalæ ſubſiſtens vt ſuam curaret Diæceſim, & ſenex valdè ſolummodò acceſſit cupidos inſtaurandę vnionis, & pacis, magna Theologorum, & Canoniſtarum

ſtarum comitatus caterua, Sauonam applicuit primò in Liguribus, tollendo ſciſmati deſtinatam, vbi iam Benedictus acceſſerat, à quo eiuſque Cardinalibus benignè ſuſceptus, è naui in terram deſcendere detrectauit, ne cum Benedicto communicare videretur, quem pro adulterino exiſtimabat Pontifice, exiſtimans pius Pater, Gregorium XII. eò venturum iuxta pacta conuecta, non ſine graui corporis incommodo, morbo ingruente & ſenectute. Certior autem de Gregorij incoſtantia, ad eum laborioſo & periculoſo venit itinere, Senis commorantem, & à ſancto abdicationis propoſito alienum nullis rationibus, vel precibus, vt ſaltem ad tollēdam A infamiam, cum iter Sauonam proſequeretur incæptũ, perſuadere nõ valuiſſet; Cardinalibus acceſſit; qui Gregorium deſeruerant. Hinc à Gregorio citatus, purpura expoliatus iacuit, & Epiſcopatus prouentibus, quos Collectores Cameræ Apoſtolicæ, mandante Gregorio, in Aquitania diſtraxerunt. Tantis calamitatibus ſemper ſuperior, pectore ferreo, prudens & pius Piſanum ingreſſus Conuentum cum alijs Cardinalibus Alexandrum V. ſuo calculo Pontificem deſignauit; & Bononiæ, Ioannem XXIII. cuius Pontificatus Anno III. Salutis 1412. die 12. Kal. Sepremb. Florentiæ migrauit è corpore Cadauer Romam relatum in Diaconiam S. Mariæ B Nouæ, ſub tumulo quieſcit Gregorij XI. ſub tabula lapidea cum inſcriptione, & inſignibus.

*Cardinei qui ſummus honor, qui gloria cætus.*
*Alta fuit, paruo ſub marmore clauditur iſto*
*Hicque Coronatos vir ſanctus quatuor Annos*
*Hinc titulum tenuit nulli virtute ſecundus,*
*Spiritus egregijs meritis præclarus in aſtris*
*Franciſci reſidet. Cælique locatur in aula.*
*Obijt Anno Domini M.CCCC.XII. Menſe auguſto.*

Natale ſolum huius Cardinalis in Anglia voluit Auberij & eum eo Vghellus *to. 2. Italiæ*: ab Vrbano VI. Anno 1380. Fauentinam ſedem in Italia obtinuiſſe, quam tamen grauioribus implicitus Eccleſiæ negotijs nunquàm inuiſit. Translatus poſtea ad Beneuentanam eccleſiam, tandem ad Burdegalenſem, ibi quieuit. Eos conſule.

10. *Pacem peccatorum videns.* 73. Pſal. 3.

OTho vel Odo Columna, Romanus Diac. Card. *S. Georgij in Velabro* creatus ab Innoc. VII. Anno 1405. tertia Cardinalium promotione, Papa futurus Martinus V. pacem reſtituit Eccleſiæ D Catholicæ, extincto ſchiſmate.

11. *Ecce Mater tua & fratres tui, foras ſtant quærentes te.* Matth. 12.



PEtrus Stephaneſcus, Romanus familia nobili, regione trans-Tyberina aliàs de filiis Stephani dicta bello, litteriſque clara, ex ea prodiit Conſtantia mater petri Hannibaldi, qui iure materno de Stephanenſcis dictus eſt eum hæreditate oppidi Molarij, quod cognomen eidem familiæ ſuperaddidit de Molaria.

Petrum adhuc iuuenem Bonifacius IX. Papa Protonotarium, & Acolythum creauit Apoſtolicum; Innocentis VII. Anno Sal. 1405. in tertia Cardinalium promotione Diaconum Cardinalem *S. Angeli*, non immeritò. Ea enim virtute, & exiſtimatione præualuit in Vrbe, vt populum furentem, & nefaria cæde bacchãtem ipſe & Otho Columna valuerint Pontifici reconciliare pacatum. Duorum comitijs Pontificum interfuit, Gregorii XII. & Alex. V, ab illo Vicarius relictus in Vrbe cum annuo ſex millium aureorum Salario, & libera poteſtate oppignotandi, alienandi Arces Eccleſiæ, præualente Rege Ladislao, Vrbe amiſſa cum arcibus Eccleſiaſticis, Senas profugit ad Gregorium, à quo benignè ſuſceptus, occaſionem aperuit ſuſpicandi, quòd ad propagãdũ ſciſma Gregorius ne cogeretur Pontificatu abire, clanculò Ladislaum Regem Romam vocaſſet. *Garimbertus: Ciaconius.* Extant tria eiuſdem Gregorii diplomata, quibus rigidè comminatur huic Cardinali, vt ad ſe veniat, quòd ab omnibus derelictus ſolus apud Lucanos remanſiſſet. His tamẽ præteritis Petrus Piſas aſcendit cum reliquis Cardinalibus Alexandrum V. promouit, à quo ex Diaconia *S. Angeli*, quam Petro Serræ Cardinali ſciſmatico permiſit pro bono pacis, ad *SS. Coſmæ, & Damiani* translatus, non longè poſt, vita functo Petro Serræ, veterem ſuam S. Angeli recepit. Hoc interprete Cardinali, & intercedente pro *Conſtantia* Alexandri V. matre; Papa Salarium menſtruum quadraginta Florenorum, quoad iſta viueret, ex Eccleſiæ redditibus dono dedit; ſi *Ciaconio* fides: nam Alexander V. moriens (teſte Niemio *l. 3. c. 52.*) proteſtatus eſt, ſe nunquàm nouiſſe patrem, vel matrem. Mortuo Alexandro V. promouit Petrus Ioannem XXIII. à quo Legatus cum plena poteſtate in regnum Neapolitanum, vt vnà cum Ludouico Andegauenſi Rege regnum repoſceret è manibus Ladislai Dyracchini eccleſiæ rebellis, qui contra decreta Piſani Concilii, Caietæ Gregorium XII. adorabat, & in eius venerationem regnicolas compellebat; rem ſtrenuè geſſit. Lege Alexandri diploma. *Ioan. Ep. Seruus Seruorum Dei. Quum dilectum filium noſtrum Petrum ad recuperationem Regni Siciliæ, & terræ citra Pharum miſerimus, vt pacis deſiderabilis & optata bono, populi potiantur, & gaudeant.* Ab eodem tandem Ioanne Legatus atque Vicarius Generalis totius ditionis Eccleſiaſticæ cum menſtruo 400. Aureorum ſtipendio cõſtitutus, quando Pontifex Italia exce-

excedens, Conſtantiam venit ad Concilium, diplomate eſt decoratus ſequenti. *Io: Ep. Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Petro Diacono Cardinali &c. in Alma Vrbe, eiuſque comitatu, territorio, ac diſtrictu, eiuſque prouinciys Campaniæ, Maritimæ, Sabinæ, Patrimony D. Petri in Tuſcia, Ducatu, Spoletani, Marchæ Anconitanæ, Præſidatus Farfenſis, nec non ciuitatibus, & terris ſpecialis commiſſionis Arnulphorum pro nobis, & eadem Eccleſia, cum plurima poteſtate Legati de latere in Spiritualibus, & temporalibus Generali Vicario: Datum Bononiæ 7. Kal. Decemb. Pontif. noſtri Anno IV.* Horum vigore imperio præfuit Eccleſiaſtico, Annis plus minus quatuor, dum Conſtantienſe celebraretur Concilium, & ſemper cũ laude. Pace tamen optata potiri non potuit, morte præuentus, antequam crearetur Martinus V. nempè pridie Kal. Nouemb. 1417. ætate iuuenis, conſilio ſenex, ſepultus in Baſilica S. Mariæ transtyberim, ſepulchro marmoreo, cum inſignibus, & epitaphio.

*Cui ſua promeritus radiantem fronte galerum*
*Cardineum tribuit virtus, ætate virenti*
*Aſpice cum lacrymis lector, quo marmore clauſum*
*Impia Mors rapuit, formam natura nitentem*
*Angelicam dederat ſapiens, & doctus in omni*
*Præfuit eloquio, titulum cui Sancte dediſti*
*Angele Petrus erat, nomen ſtat linea prima*
*De Stephaneſcis materno cardine natus*
*Fulſit ab Hannibale tam longi tramitis æuo.*
*Oſſa terit tellus, animæ ſtat gloria Cœli.*
*Obijt An. Domini M. CCCC. XVII. Menſis Octob.*
*Adi vltimo. Magiſter Paulus fecit hoc opus.*

*Ciaconius, Panuinius, Vghellus. Auberij. Anton. Luſitan. in Chron.*

12. *Qui timet Dominum nihil trepidauit, & non pauebit: quia ipſe eſt ſpes eius.* Eccl. 31.



IOannes Ægidij Normandus Gallus I. V. Doctor, Eccleſiæ Leodienſi Præpoſitus ab Vrbano VI. cuius partibus conſtans ſemper adfuit aduersùs Clementem VII. Antipapam Auenione ſedentem per Annos ſexdecim. Inde inter Rotæ Auditores aſſumptus, & litterarum Contradictarum Auditor creatus, poſtea in Colonienſi, Treuerenſi, & Rhemenſi diœceſibus deſtinatus ab eodem Vrbano VI. ibidem perſeuerauit vſque ad obitum Innocentij VII. à quo abſens Cardinalis Diaconus *SS. Coſmæ & Damiani*, creatus prima Cardinalium promotione; Anno 1405. iiſdem in locis magnas opes conquiſiuit (proh dolor) Audita Innocentij morte, Romam venit, & Conclaui interfuit, in quo creatus fuit Gregorius XII. ea conditione, vt Pontificatum, deponeret ſi hæc abdicatio foret neceſſaria ad extinguendum Sciſma, quod ab Annis triginta vexabat Eccleſiam Dei. Segniùs porrò procedente Gregorio; imò nouos Cardinales contra pacta deſignante; quamuis prohibitus ſub pœna priuationis Cardinalatus, quia diſcedere, concepto timore, ne vi detinerentur; Ioannes Ægidius primus omnium Cardinalium Piſas ſe recepit, voto reintegrandæ vnionis: vix tamen inter eundum manus effugit Pauli nepotis Gregorij, qui manu armata eum inſecutus, eius domum expilauit, & familiares torſit. Huius Cardinalis exemplo cæteri Purpurati, deſerto Gregorio XII. Piſas venere; omnium ipſe Leodienſis ſumpta tutela, & defenſione, quòd non contra Gregorium coiuiſſent, neque ab eius obedientia recedere voluiſſent; ſed vnitatem ſolummodò meditantes in eccle- A ſia Catholica; litteras vulgauit Apologeticas, directas Theodorico Niemio, quas habes *lib. 6. Nemoris, c. 21.*

*Venerabilis Amice Chariſſime ſcripta veſtra vidimus per latorem præſentium nobis oblata, quibus per ſingula reſpondere nun permittit temporis anguſtia, & etiam lator ipſe cauſam impedimenti latiùs referre poterit. Vnum non intendemus tamen omittere, quòd ab obedientia & ipſius iuſtitia hactenus obſeruatis, nunquam recedere certò conclusum eſt, & iuramentis ac obligationibus efficaciſſimis firmatum: & ſic apparet mendaciſſimè illa, quæ ſcribitis, fuiſſe diuulgata. Vnum ſolum eſt ſtudium vſque ad mortem etiam incluſiuè perſequendum, votis atque promiſſis & iu-* B *ramentis per mundum vniuerſum iam publicè diuulgatis, & vnioni eccleſiæ velle inſiſtere, & ſi auctoritatum rationumque multiplicata congeries locum habent ſuis intellectibus locisque & temporibus cogitata, Iſta tamen eſt vera & ſana doctrina, quæ in nullo aduerſatur eiſdem, quòd Deo magis obediendum eſt quàm hominibus: & quòd, vbi mandatum hominis cuiuſcumque etiam præſidentis mandato Dei aduerſatur, ei potiùs obediendum ſit, clarè habetur. Si enim illa mandet, vel ad illa cogere velit, quæ animas in præcipitium ducunt, & animæ perditionem includunt, ſibi, non foro obediendum, iure diuino & humano notiſſimum eſt, ſecundùm Auctores Sanctos, Auguſtinum Ambroſium, Bedam, & alios: imò & non obediendo, & pro-* C *pter hoc eius ſeueritates ſuſtinendo & cenſuras, meretur homo. Iſta pro nunc ſufficiunt, vt taceamus de modis hactenus obſeruatis in faciendo & non faciendo, & lapſu temporis tanti, in quo quid & quantum actum ſit in cauſa Dei, & ſub quibus collocationibus, & quantum fundatis: ex quibus quanta fuit affectio tollendi ſciſmatis, et ſi illa ad fautores iam magis pertineant, non intendimus nos dilatare. Poſtea tamen de hoc videri poterit pleniùs, & quid mundus quoad hoc reputet, teneatur, vnuſquiſque poteſit perpendere. Vnum eſt, quod nihil aliud agitur, niſi mundo & Chriſtianitati languentibus & conſcientiæ atque famæ prouidere cum omni ſinceritate & charitate, prout cunctis hoc fiet manifeſtum, Aliud, præmiſſis non obſtantibus, cum feſti-* D *nantia duximus adiungendum, quòd quicumque ſunt illi, quibus talentum à Domino quale & quantumcumque creditum eſt, & maximè, qui ſtatu Eccleſiaſtico glorıantur, ſuntque illuminati ſcientia, & ſe vnionis zelatores eſſe profitentur, ſe ad currum deberent adiungere, & etiam cooperatores exiſtere, illi maximè quibus innoteſcit, quanta fuerunt hactenus adhibita molimina, non ad vnionem veniendi iuxta promiſſa, & iurata, ſed potiùs impediendi, & eam expreſsè reprobandi. Valete. Scriptæ in craſtino Aſcenſionis Domini.*

Au-

Auctor præcipuus cum fuiſſet Concilii Piſani, illud tamen videre non potuit, paulò enim antequam aperiretur Conuentus, menſe Iulio, An. 1407. Piſis moritur, ira diſponente Deo, ad terrorem illius Conuentus, in quo Gregorius XII. legitimus Papa abrogandus erat. Eius cadauer Leodium tranſlatum, in Cathedrali quieſcit Eccleſia, permittente Alexandro V. qui familiaribus defuncti conceſſit Saluum Conductum; vt oſſa transferrent cum gaza, quæ magni ponderis erat atque valoris,

A

*Ciacon. Frizon. Auberij, Vghellus, Contelor.*

### Vice Cancellarij S. R. E. ſub Innocentio VII.

ANgelus Acciaiolus Ep. C. Oſtien. S. R. E. Vicecancellarius.

## BENEDICTVS XIIJ. A. P. IN INNOCENTIVM VIJ. R. P. CCIV.

Antipapa BEnedictus XIII. intruditur 4. Kal. Octob. An. Sal. 1394. Obijt 10. Kal. Iunij, An. Sal. 1424. Eius adfuere comitijs.

### Epiſcopi Cardinales.

1. Petrus Corſinus Ep. C. Portuen. Decanus. Ex Vrb. V. & Greg. XI.

B

Ex Greg. XI. & Clem. VII.

2. Hugo Ep. C. Tuſculanus
3. Guido Ep. C. Prænestinus

Ex Clem. VII.

4. Nicolaus Brancatius Ep. C. Albanus
5. Iacobus de Aragonia Ep. C. Sabinus
6. Fr. Ioannes Ep. C. Oſtienſis, & Veliter.

### Prèsbyteri Cardinales.

7. Guillelmus P. C. S. Stephani in Cælio monte: Ex Vrb. V.

Ex Greg. XI.

8. Fr. Ioannes de Grangia P. C. S. Marcelli.
9. Petrus de Bernhia P. C. S. Laur. in Lucina.

Ex Clemente VII.

10. Fr. Leonardus de Chiffono P. C. S. Xiſti
11. Martinus Luſitanus P. C. S. ....
12. Gualterus P. C. S...
13. Bertrandus P. C. S. Pudentianæ, tit. Paſtoris.
14. Thomas P. C. S. Praxedis.
15. Io: P. C. S. Vitalis tit. Veſtinæ.

C

16. Io: P. C. S. Anaſtaſiæ. S. R. E. V. Cancellar.
17. Petrus de Turego P. C. S. Suſannæ.
18. Io: P. C. S. Cyriaci in Thermis.
19. Io: Rothlandi P. C. S...
20. ... Lugdunenſis P. C. S...
21. Martinus de Salegijs P. C. S...
22. Io: Flandrini P. C. SS. Io: & Pauli, tit. Pam.
23. Petrus de Podio P. C. S. Clem.
24. Guillelmus de Vergeijo P. C. S...
25. Petrus Fernandi Frias P. C. S....

### Diaconi Cardinales.

Ex Greg. XI.

26. Petrus de Veruco D. C. S. Mariæ in via lata.

D

27. Petrus de Luna D. C. S. Mariæ in Coſmedin.
28. Amadeus D. C. S. Mariæ Nouę. Ex Clem. VII.

### Pſeudo Cardinales Epiſcopi creati à Benedicto XIII. Antipapa.

1. BErengarius Angleſola ex P. C. S. Clementis, Ep. *Portuenſis, & S. Ruffinæ*. Lege infra *n.* 5.

2. LVdouicus de Barro ex Diac. Cardinali S. Angeli Presbyter Card. SS. XII. Apoſtol. poſtea Ep. C. *Portuenſis*. Vide infra *n.* 28.

3. IOannes de Broniaco ex P. C. S. Anaſtaſiæ, Ep. C. *Oſtienſis*. Lege infra *n.* 6.

4. *Eſſun-*

## Antipresbyteri Cardinales.

4. *Effunde iram tuam in gentes, qui te non nouerunt: & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.*
Pſal. 78.



FErdinandus de Calniello (teſte Ciaconio & Panuinio) vel cum Ferdinando Vghello, ex *Indice rerum Arragoniæ ab Anno 626. Ad Annum* 1410. *lib.* 3. Ferdinandus Pereſius Caluillius Taraſonæ, oriundus, Epiſcopus Taraconenſis dictus poſt obitum Petri Caluilij fratris ſui, inſigni, litteratura ſacra profanaq. præditus, in ſecunda promotione facta Anno 1397. die XII. Kal. Octob. Auenione Presb. Card. *Baſilica SS. XII. Apoſtol.* ad Francorum Regem legatur nomine eiuſdem PſeudoPontificis, cuius partes adeò obſtinatè propugnauit, vt à cæteris pſeudoCardinalibus derelictus, vnus & ſolus in Palatio Auenionienſi obſeſſus remanſerit. Quando obierit? incertum. Litteræ cum appareant Benedicti XIII. Anno 1404. præſumptio eſt, poſt hanc diem obijſſe. Habuit Ferdinandus in palatio Epiſcopali Tarraconenſi ſequens elogium: *Iurium & amplitudinis, ac dignitatis Epiſcopalis Præſentia defenſor, conſeruatorque.*

Adyce

*Peruicax Sciſmatis propugnator.*

Moriens enim ſuum Pſeudopontificem inuocabat.

5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*
Att. 5.



BErengarius Angleſola Hiſpanus Diæceſ..... Epiſcopus Gerundenſis, inter Antipresb. Card. tit. *S. Clementis* aſſumptus Anno 1397. die 12. Kal. Ian. Auenione, ab Antipapa Bened. XIII. poſtea Ep. *Portuenſis, & S. Ruffinæ*, Anno 1406. in feſto Pentecoſtes, vt ex *lib.* 3. *Geſtorum Arragoniæ*, in eiuſdem obedientia deceſſit An. 1408. vt Regi gratum faceret, malens hominibus obedire quàm Deo.

Ciaconius, Vghellus. Contelorius, Auberij, Porregnus *elog. M. S. Card. Hiſp.* Oldoinus pro inſignibus excogitauit geminam Lunam, inter triangulos decuſſatos: nullo fundamento.

6. *dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.*
Pſal. 44.

IOannes de Broniaco, ſeu Embroniaco obſcuris parentibus Ancij in Sabaudia natus ſtemma gentilitium familiæ dedit *d'Alonzier* cum Symbolo *Chriſte crucem cruentaſti* ſuis claruit artibus & ingenio. Litteras optimè calluit, & Pontificibus familiaris. Viuario primùm in ripa Rhodani datus Epiſcopus, poſtea Presb. Card. tit. *S. Anaſtaſiæ* ab Antipapa Clemente VII. (ſi Vghello fides) vel ſecundum Ciaconium, & Frizonium, purpuram accepit non ſciſma à Benedicto XIII. Antipapa, à quo poſtea *Oſtienſis*, ac *Veliternus* electus Epiſcopus, omnem mo-
A uit lapidem, vt Benedictus abiurato ſciſmate pacem redderet Eccleſiæ. Eo verò renitente, Ioannes ad Concilium deſcendit Piſanum, in quo cum alijs Cardinalibus Alexandrum erexit in thronum Papalem, ab eoque iterum Epiſcopus electus Oſtienſis, imò & Cancellarius S. R. E. comitijs adfuit Ioannis XXIII. Conſtantienſi tandem interfuit Concilio tanquàm Decanus, in quo Patres vnanimes Pontificem dixere Martinum V. cui ſemper ob excellentes animi dotes cariſſimus fuit.

Fuit primò Epiſcopus Viuarienſis, vt ſupra notaui, inde Geneuenſis in extremo Allobrogum oppido Heluetijs proximo, ſibi collegium ædificauit
B ampliciſſimum, in cuius templo viſitur adhuc ſtemma purpurea duplici inſignitum cruce. Ædem etiam conſtruxit D. Michaeli ſacram Auenione, apud Cæleſtinos: ibidemque ad pauperes edocendos Collegium excitauit *Magnum* appellatum, licet in diuitum vſum abierit. Huic ędem D. Nicolao ſacram addit, in qua diętim ſacrificium peragitur, deſignatis ſenis librarum millibus ad alendos alumnos. Supellectilem in templo pretioſam. Bibliothecam ſeptingentorum voluminum poſuit. Lege *Saxium Canon. Arelatenſem Hiſtor. Arelat.* Arelatenſis cum eſſet Antiſtes, cuius eccleſia cum prima in Gallis Fidem acceperit; & prima Domini Ieſu Cru-
C cem portauerit, priuilegio gaudet vt ſub Metropolitanæ Eccleſiæ vnico vexillo, in proceſſionibus ſolemnibus, ac funeralibus omnes Eccleſiæ Collegiatę, & Parochiales, imò & Religioſorum Ordines quamuis exempti Crucem demittant, & ſub vna Cruce incedant Cathedralis Eccleſiæ. Priuilegium quidem antiquum, ſed quæſtione exorta inter Dominicanos & Eccleſiæ Canonicos confirmatum Anno 1413. ab eodem Archiep. Io: de Embroniaco: teſte *Frizonio pag.* 425. *Gallia Purpurata*. Obijt Ioannes 26. Feb. 1426. Romæ, ibique ſepultus. Vghellus *in Ep. Oſtien.*

Lege Ciaconium: Io: Chenu: Claudium Rober-
D tum: Petrum Saxo *hiſtor. eccleſ. Arelat.*

7. Pi-

7. *Filij hominum vſquequo graui corde intelligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*
Pſal.4.



PEtrus Rauarius Archiep. Toloſanus inter Pſeudo Cardinales Presb. tit. S...... adſcribitur Anno Sal. 1409. à Benedicto XIII. Peniſcholæ, quum audita ſua depoſitione facta in Concilio Piſano, ad augendum Sciſma creauit quinto A pſeudo Cardinales *Ciacon.* Gemino Sciſmate torquebat Rauarius Eccleſiam Dei: pſeudopurpura, & pſeudopallio, Cum enim Vitalis de Caſtro Maurono à Capitulo Toloſano electus legitimè fuiſſet Antiſtes, electionem confirmante Archiep. Bituricenſi Aquitaniæ Primate. Benedictus XIII. Antipapa mandauit per Commiſſarios ſuos, Petrum Rauarium tunc S. Pontij Thomeriarum Antiſtitem, in poſſeſſionem immitti Toloſani Archiepiſcopatus, adiecto excommunicationis fulmine aduerſùs contradicentes, Hinc iurgia, ſeditiones, & prælia, quibus motus Carolus Rex Francorum mandauit bona Archiepiſcopatus ſub Regia B protectione teneri, Vitalis propterea ad Alexandrum V. Piſis ſedentem, ſe recepit, à quo obliteratis litteris Benedicti XIII. nouam ſui Archiepiſcopatus confirmationem ſuſcepit. *Erizonius.*

Obijt Petrus tempore Conſtantienſis Concilii, ſed in Bened. XIII. obedientia, Contelorius Petrum Rauarium eumdem facit cum Petro de Fuxo, qui erat Archiep. Toloſanus. Oldoinus inſignia huic Cardinali apposuit, nullo tamen fundamento. Claudius Robertus inter Præſules Toloſanos neque Rauarium, neque de Fuxo recenſet; ſed Petrum de S. Martiali.

8. *Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, adorauerunt* C *dicentes: Hi ſunt Dij tui, qui te eduxerunt de terra Egypti*, Ex. 32.



IOannes de Arminlaco, Gallicè d'Armagnac natu Gallus, Archiep. Caſtrenſis, non Rothomagenſis vt per errorem notauit Ciaconius, Presb. Anticardinalis aſsumptus à Bened. XIII. promotione V. Peniſcholæ facta, ad propagationem Sciſmatis, Anno 1409. Peruicax Ioannes Benedictum nunquàm de- D ſeruit, perire voluit Sciſmaticus, loco & tempore incertis. *Ciaconius, Frizonius, Contelorius.*

9. *Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta*, 1. Iſaię. 14.

...... ARchiep. Roſanen. Presb. Cardinal. tit. S.... Sciſmaticus à Bened. XIII. An. 1409. In Quatuer Septembris Temporibus dictus ad propagandum Sciſma. *Ciacon.*

*Tom. II.*

10. *Arripiens vitulum, quem fecerant, combuſſit, contriuit vſq. ad puluerem.*
Ex. 32.



M. Petrus de Fuxo frater comitis Fuxenſis, & Alphonſi Regis Arragoniæ conſanguineus, Gallus, nomen cum dediſſet Ordini Minorum S. Franciſci, Bearni in conuentu Morlanenſi adoleſcens, & aliquandiù Iuris doctrinam profeſſus eſſet Publicè in Accademia Monte Peſſulana, factus eſt Epiſcopus Conuenarum, & Leſcarenſis ſemel, & iterum; in primis Anno 1405. & iterum Anno 1433. duobus intermediis Epiſcopis, puta Arnaldo de Salies, & Arnaldo d'Abdie, Anno 1405. Diaconus Cardinalis *S. Angeli* aſſumptus à maledicto Petro de Luna, ab eo defecit Anno 1409. Piſiſque cum alijs Cardinalibus abiurato Benedicto Alexandrum V. creauit; vel ſecundum aliorum ſententiam, Presb. Card. dictus tit. *S. Stephani in monte Cælio* Anno 1399. partes pſeudo Pontificis vſque ad Conſtantienſe Concilium pertinaciſſimè fouit. Seiſma tandem abhorrens, ad Conſtantienſe confugit Concilium; vbi à Patribus tanquàm Cardinalis legitimus benignè ſuſceptus; in Martino V. Columna creando Pontifice, ſuo iunit ſuffragio. Sub hoc Pontifice in Hiſpaniam legatus ad Regem Alphonſum, Anno 1426. prò vnitate conciliandа eccleſiæ in Regnis Nauarræ & Arragoniæ, quæ Petrus de Luna deceperat, teſte *Zurita lib. 15. de reb. Arragon.* Auenionem eum perueniſſet præmiſſis ad Regem Nunciis, reſponſum accepit, quòd Alphonſus nolebat eum pro Legato ſuſcipere, donec Martinus V. (de quo multum querebatur) ab eo poſtulata concederet. Multis propterea perendinationibus fatigatus poſt annum ſolummodò, ad eum venit Religioſus Dominicanus cum Regiis poſtulatis, 1. vt Corpus vel ſaltem Caput S. Ludouici Maſſilienſibus ereptum permitteret Papa in regno Arragoniæ collocari: 2. Iura Cameræ Apoſtolicæ à certo quodam tempore erepta remitteret: 3. Oppidum Rocqnalos militum Rhodiorum, Regi concederet. Horum primum abſolutè negauit Legatus ne iniuriam Gallis inferret. De ſecundo ſpem fecit; ſi idolum abominationis, Pſeudo Pontificem Paniſchola eyeceret. Tertium tanquàm iniurioſum Rhodiis, qui pro tutela illius oppidi ſanguinem ſuderant; reiecit. His exacerbatus Alphonſus prohibuit ſuæ ditionis Prælatis communicationem cum Martino V. ſub pæna amiſſionis bonorum: quam pænam Legato ipſi nunciari mandauit. Quibus certior factus Martinus V. anathema tulit aduerſùs Alphonſum, Anno 1426. Idibus Iulii: quod licet non extet, eius tamen mentio recurrit in conuentis inter ipſum Regem & Legatum Anno ſequenti, quibus Rex petiit, ſententiam abradi de Regeſtis Apoſtolicis. Anno itaque 1427. Rege permittente Valentiam venit in vigilia S. Bartholomęi, occurrente Rege extra ciuitatem,

I

tem, tantaque reuerentia, vt dextera in inceſſu recuſanti ceſſerit, & detecto ſemper capite, Legato Galerum Cardinalitium geſtante proceſſerit. Hæc omnia tamen in ſpetiem honoris; die namque ſequenti cum Cardinalis in valuis eccleſiæ & Palatij libellos affigi curaſſet pro aperiendo tribunali iuſtiſtiæ. Rex grauiſſimè commotus publico probibuit edicto, ne quis ad iudices Apoſtolicos recurrere auderet, vel eorum litteris vti: quod patienter diſſimulauit Legatus contentus mutuas hinc inde poſtulationes conferre, & ad Pontificem mittere, imò Legatus ipſe deferre. Anno tandem 1429. pro extinctione Sciſmatis quinquagenarij miſſus iterum Pe- A trus ad Alphonſum, Barchinonem venit die 12. Maij honorificè exceptus à Clero, & Archiepiſcopo ipſoque Rege extra ciuitatem obuiam procedente, animo tamen obſtinato contra datum iuramentum nolens reuocare decreta, quæ ipſe contra Sedem publicauerat Apoſtolicam; quin priùs Legatus litteras publicaret de eius excuſatione à fauore Sciſmaticis præſtito. Quod cum negaret Legatus, poſt longas altercationes receſſere diſcordes: Rex tamen ille, in cuius manibus ſunt corda Regum, victus Legati patientia; poſtridie ſuperueniens Legatus ad vltimò interpellandum Regem, vel promulgandum Interdictum, difficulter ęgreq. impetrata audientia; B cum labores referre cœpiſſet, quos in ea Legatione paſſus fuerat; Rex momento in alterum commutatus, pręoccupans verba Legati, ſe ſcire reſpondit; quanta Legatus pro Dei & Eccleſiæ bonore, pro ipſoqne Rege fideliter ſuſtinuiſſet: ideoqua ob Dei & Eccleſiæ reuerentiam, atq. ipſius Legati offerre ſe omnia iurata ſeruare; cunctiſque mirantibus, ac præ gaudio lacrymas effundentibus, Rex cum Ioanne fratre ſuo Nauarræ Rege, latera ſtipauit Legati vſq. in Eccleſiam, vbi ſolutis Deo landibus; acceptaque Legati benedictione equum conſcendit ad bellum Caſtellanum. *Mariana lib.* 21. *c.*1. Die ſequenti ab abitu Regis, promulgata reuocatione edictorum C Regiorum, venere Paniſcholam Regii Conſiliarij; coram quibus die S. Annæ, Ægidins ſe pro Clemente VII, gerens, de ſede deſcendens Papali, depoſitis veſtibus priuatam ac propriam Doctoralem vti ſimplex doctor ſæcularis aſſumpſit rogans ſuos Cardinales conſciſmaticos, vt alium eligerent indubitatum, qui ſeruato ritu Catholico in Martinum V. conſenſerunt. Duo obſtinatiores in carcerem truſi fuerunt, qui tandem veniam poſtularunt. Ipſe autem Ægidius Epiſcopus Maioricenſis creatus finem ſciſmati impoſuit, quod à die 26. Septemb. 1378. intruſi Robetti Gebennenſis, nomine Clementis VII. vſq. ad abdicationem Ægidij Munionis ſactam D die 26. Iulij 1429. qui nomine Clementis VIII. pſeudo Pontificis, in Hiſpania degebat, vno & quinquaginta Annis perennauerat.

His fœliciter præſtitis Legarus Concilium *Dertuſę* celebrauit, in cuius Diæceſi *Paniſchola* erat, ex omnibus Arragoniæ ac Valentiæ Prælatis, in qua plura decreta ſunt ad fauorem eccleſiaſticæ Immunitatis; obtenta ægrè à Regę Arragonum, abeundi licentia, & à Pontifice Legationis dimiſſione, quam laudatiſſimè ingenti Catholicè Eccleſiæ bono, æternaque ſui nominis gloria, atque Sacri Collegii gratulatione exercuit. Eius Acta acuratiſſimè conſcripſit *Bernardus de Roſergio Decretorum Doctor, & Cancellarius Toloſanus*. Romam reuerſus Petrus propè in triumphum Anno 1430. Id. Martij, ac deinceps ab Eugenio IV. declararus Epiſcopus Card. *Albanus* Anno 1431. die 2. Id. Maij, vnà & Auenionenſi legatione decoratus in locum Alphonſi Carriglii Card. tit. *S. Euſtachy* vita ſancta, in ea legatione triginta duos Annos permanſit ſub Nicolao V. Callisto III. Pio II. Paulo II. eximia cum laude *Bonus Legatus* ſemper appellatus à ſubditis, quorum amorem ſibi conciliauerat Iuſtitia, magnificentia, pietate, Poſt quinquaginta ſex Annos in Cardinalatu emenſos, Anno 1. Pauli II, Auenione Idibus Decemb. Anno 1465. obijt, iacetque apud Franciſcanorum eccleſiam cuius anteriorem partem ſubtruxit, cum epigraphe ſepulchrali,

*Sub humili iacet loco Fr. Petrus de Fuxo creatus Card. Anno ætatis ſuæ 22. qui in Concilio Conſtantienſi cum Cardinalibus, & in Hiſpania Legatus ſciſma deleuit, & duos Hiſpaniæ Reges confæderauit. Tiaram B. Silueſtri Lateranenſi Eccleſia reſtituit; Auenionem, & diuerſas prouincias vt Pater Patriæ, Annis XXII. rexit; Iacobi & Salome Marias alta locauit. Tandē An. 1464. men. Decemb. animam Cælo reddidit, quam Sancta de terra ſuſcepit Lucia. Pauli P. M. Anno 1.* Lemma illius Sarcophago inſcriptum. *Seruire Deo, regnare eſt*. Parmam Gentilitiam babet quadripartitam. In 1. & 4. quadrante aureo palus tripartitus miniatus. In 2. & 3. aureo vaccę duæ gradientes coccincę cornubus, collari, & cymbalo ceruleis: in quas quidā luſit vates Minorita

*Quod cernis Comitem geminos geſtare iuuencos*
*Acquiri edocuit Regna labore poli.*

Celebrauit Auenione Prouinciale Concilium, In municipio trium Mariarum ad Mare in agrorum Camariæ Inſulæ finibus, pręcibus Regis Renati; & Nicolai V. auctoritate, diuarum Mariarum Reliquias, quę in ſubterraneo iacebant, alto eleuauit loco. Anno 1448. ſuæ ſedis primo cum plebe Arelatenſi tranſegit, qui inuito Epiſcopo, pecudum greges deducebant in Craui Campos, vt ex quouis grege, iure Cenſus, ouem vnam perſoluerent; quam tranſactionem Renatus adprobauit Rex Siciliç: eidemque Archiepiſcopo municipia reddidit Ferrariarum S. Mitrii Caſtriueteris. Palatium Petrus ædificiis ornauit Epiſcopale Arelatenſe: Eccleſiam Arelatenſem Sacello auxit: Caſtrum Salonis illuſtrauit; & vt qualibet die, Miſſę Sacrificium in matrice Eccleſia celebraretur, datis inſtituit redditibus: Domum Cęleſtinorum Auenione fundauit: Collegium Fuxienſe in villa Toloſana, ſub titulo S. Hieronymi, & S. Franciſci, in quo adoleſcentes 25. Iuri operam darent, quorum vnus pręeſſet tanquàm Rectori collegarum electus ſuffragiis; & quatuor Presbyteri Capellę eiuſdem Collegii, quam Sanctorum Reliquiis & eccleſiaſticis ornamentis ditauit, dietim Miſſam celebrantes. Redditibus aſſignatis pro omnium alimonia. Copioſa etiam decorauit bibliotheca, quam ex Benedict. XIII. Antipapę libraria

con-

coogeſſerat. Hoc collegium, Romano indulgente Pootifice, hæredem fecit, ſcriptis tabulis die 13. Aug. 1464. quarum ſunt fragmenta apud Vvadingum, *Annal. Minorum*.

*In nomine S. &c. Notum ſit omnibus.*

De eo lege *Ciaconium*, *Panninium*, *Frizonium*, *Vghellum*, *Spondanum*.

Petrus de Fuxo an idem fuerit cum Petro Fonſeca? lege Spondanum n. 8. An. 1420. Plura in morte legauit ad pias cauſas.

11. *Educes me de laqueo hoc, quem abſcon derunt mihi: quoniam tu es protector meus.* Pſal. 30.



FR. Ioannes Martinius Murilios, Hiſpanus diæceſ.... Canonicus Regularis & Abbas Monaſterij Montis Arragonum, Presb. Card. tit. *S. Laurentij in Damaſo*, à Benedicto XIII. Antipapa, promotione V. An. 1409. auctorem ſuum proſequutus vſque ad damnationem eius in Conſtantienſi Concilio, in quo Patres Martinum V. creauere Pontificem, cuius pertinaciam peroſus, nepotem miſit ad Concilium Conſtantienſe, impe- B
trataque venia, venit poſtea Ioannes Florentiam Anno 1429. vbi erat cum Curia Martinus, à quo tanquam legitimus Cardinalis ſuſceptus, Romam abiit, & obiit: 8. Idus Octob. 1420. Scripſit vt in M. S. Cornelio Piſcopia,

*De Sciſmate aduerſus Bened. XIII.*

Ciaconius. Montal. *Hiſtor. Ciſter.* Arnol. Vvion *ligno vitæ*: Vghellus: Auberii, Porregnus *elog. Card. Hiſpan. M. S.*

Hirci caput pro inſignibus gentilitiis Oldoinus appoſuit, ſed nullo fundamento.

12. *Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini: & qui* C
*ab ortu Solis, gloriam eius: cum venerit quaſi fluuius violentus, quem Spiritus Domini coegit: & venerit Sion Redemptor, qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* Eſai. 59. n. 19.



EXimius, vel Eximinus Dahæ, vel de Anche Hiſpanus Doctor eximius Iuris Canonici, Pſeudo Presb. Card. tit. S. *Laurentij in Lucina* aſſumptus à falſo Pontifice Benedicto XIII. tempore incerto, pertinax in ſciſmate etiam poſt obitum Benedicti, *Ægidiū Mugnotium* ſubrogauit in Antipapam nomine Clementis VIII. propterea adueniente in Arragoniam Petro de Fuxo Legato Martini V. pro vnione Eccleſiæ reſtituenda in illis Regnis, modum *Eximius* reputans repentinum, & Eccleſiæ inutilem, quamuis Conſciſmatici conuenirent cum Legato Apoſtolico, de abiurando ſciſmate; nè Eximius alios turbaret, & in obſtinationem ſeduceret, carceri traditur, donec adueniente Legato, in huius manibus ſciſma abiurauit, die 23. Aug. 1429. confecto publico Inſtrumento, obedientiæ, & fidelitatis ſoluens iuramentum ipſi Legato nomine Martini V. *Spondanus*, *Frizonius*, *Ciaconius*, *Vghellus*. Inſtrumentum legere vales apud Bzouium Anno 1429. n. 45. in quo Eximinus *reintegratur ad omnes honores eccleſiaſticos, beneficia, & dignitates in poſterum aſſequendas* non tamen declaratur, quòd Purpuram retineret. Huic Cardinali nullum inſigne Ciaconius appoſuit.

Lege Vghellum.

A 13. *Ejce deriſorem & exibit cum eo iurgium; ceſſabuntq. cauſa & contumelia*, Prouer. 22.



IVlianus *Dobla* vel de *Lobla* Hiſpanus Arragonenſis, merito armatæ militiæ in fauorem Benedicti XIII. Antipapæ aduersùs Marchionem Boncicaudi (qui Auenionem venerat, vt Antipapam cum ſuis ſequacibus in carcerem traheret) meruit ab eodem Benedicto Abbreuiator aſſumi litterarum Apoſtolicarum, poſtea Presb.
B Card. tit. *S. Clementis*, tandem Epiſcop. Cardinal. *Oſtienſis*, & *Veliternus*, vt patet ex renuntiatione, & abiuratione facta in manibus Petri de Fuxo, apud *Bzouium An.* 1429. *n.* 39. pertinax in Benedicti XIII. obedientia, eo mortuo Ægidium Mugnotium ſubrogauit, qui à Martino V. ſpoliatus occaſionem dedit etiam Iuliano à Loba ſpontè abiurandi ſciſma in manibus Petri de Fuxo Legati Apoſtolici. Lege *Ciaconium*, *Bzouium*, *Spondanum*, *Vghellum*. Nullum huius Cardinalis inſigne apud Ciaconium.

14. *Peccaui quid faciam tibi cuſtos hominum? quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi grauis?* Iob. 7.



FR. Dominicus de Bonaſpe, vel Bonafide, Hiſpanus Carthuſianus Domus B. Mariæ de Montallegre, diæc. Barcinonēſis à Benedicto XIII. Presb. Card. tit. *S. Petri ad vincula* aſſumptus Anno 1409. vel 1424. promotione quinta poſt obitum Benedicti cum pertinax promouiſſet Antipapam Ægidiū Mugnotiū nomine Cle-
D mentis VIII. quo ſciſma abiurante, adhuc peruicax perſeueraret, & nouum meditaretur Antipontificem *Cardinalem S. Stephani in Monte Caſio*; à Clemente diro Paniſcholæ carcere conclusus meritas diu pœnas dedit. Præterea à Martino V. ſemel, iterumq. diris deuotus, fortunis expoliatus, carcere detentus ab albo expungitur Cardinalium. Miſerijs obſeptus, ſeù verius diuina clementia ſuis cum fauoribus circumſtipante, reſipuit & corpore emigraturus inſignia Cardinalitia per nefas aſſumpta ſpõ-

te depoſuit; Antipontifices eiurauit, Martino V. obedientiam præſtitit, *reintegratus ad omnes honores, beneficia & dignitates in poſterum aſſequendas*: non tamen quòd Cardinalatus titulum retineret. Codicem abiurationis habes apud Bzouium *to.* 15. *Anno* 1429. *n.*46.

Ciaconius, Bzouius, Vghellus, Contelorius, Balthaſſar Porregnus *elog. Card. Hiſpan. M.*

15. *Opus manuum ſuarum adorauerunt*, Iſai. 2.

ANtonius Venenz, Hiſpanus, Epiſcopus Legionenſis, Presb. Card. tit. S.... teſte *Panuinio*, & *Ciaconio*, aſſumptus ab Antip. Bened. XIII. Anno 1409. Paniſcholæ, promotione V. ad firmamentum potentiæ. Inſignia nullo apponuntur fundamento ab Oldoino. A



16. *Cum extenderitis manus veſtras; auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* 1. Iſaiæ. 15.



FR. Chriſtophonus, vel Rodulphus Amerius Hiſpanus natu, profeſſione Monachus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Presb. Card. aſſumitur tit. *S. Crucis Hieruſalem* à Benedicto XIII. poſt Concilium Conſtantienſe, adheſit Martino V. ita Didacus Morillus *Hiſtoria Cappellæ B. V. de Pilar.* B

Hiſpani omnes, & Regulares B. V. de Mercede Redemptionis Captiuorum.

17. Fr. Ioannes Vrſinus
18. Fr. Arnaldus Laurentius
19. Fr. Bartholomeus Celſor
20. Fr. Bernardus de Riera.

Lege Bern. Vergas in *Chron. Ord. B. Mariæ de Mercede*. Stephanum Corbera in *vita Mariæ de Socos*. Iacob. Io: Viues *in Viridario*. Melch. Rodriquez de Torres *lib. 6. Agricul. Anima*.

21. *à quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neq. quæ loquuntur, neq. de quibus affirmant*, 1. Timoth.

IOannes Carrerius natu Gallus, diæc. Ruthenenſis, Baccalaureus in legibus, Archidiaconus S. Andreę, in eccleſia Ruthenenſi, a Benedicto XIII. Anno 1408. vel 1409. vel Septembri 1424. Presb. Card. aſſumitur tit. *S. Stephani in Monte Cælio*, carceri datur Paniſcholæ cum Fr. Dominicano de Bonaſpe, quòd cum iſto nouum Antipapam meditaretur, poſt abrogationem Benedicti XIII. vt in *M. S. Vaticano de Legatione Petri Fuxij Card.* Hunc Contelorius à Ioanne de Arminiaco non diſtinguit. *Vghellus*. Omnia incerta, vt incertiſſima inſignia hic depicta.

22. *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino vobis poteſtas, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quia cum eſſetis miniſtri regni illius non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ.* 6. Sap.

C 

RAymundus de Anignone Abbas Montiſarragoni, Epiſcopus Ilerdenſis, inter Cardinales aſſumitur à Benedicto XIII. teſte Martino Carillio, *hiſtoria S. Valerij*. Sepultus iacet in eccleſia S. Dominici, Auenione.

## Anti Diaconi Cardinales.

23. *Reſpondete obſecro abſq. contentione: & quod iuſtum eſt, iudicate*. Iob. 6.



PEtrus Blani Gallus, Gabalitanus, vtroque parente nobilis, e proſapia Vrbani V. R. P. ex ſtirpe *Leut*, vt dicitur in epitaphio, Diæceſ. Mimatenſis, I. V. Doctor, ex Referendario Apoſtolico Diaconus Card. *S. Angeli* primus inter Anticardinales aſſumptus à Benedicto XIII. Pſeudopontifice, Anno 1396. die 3. Kal. Ian. Auenione, cum vidiſſet promotorem ſuum ſciſmatis auidum, ad Synodum deſcendit Piſanum Anno 1409. vbi cum alijs Cardinalibus creauit Alexandrum V. Auenionem reuerſus Anno exeunte 1409. terrenam deſeruit purpurã primò, vitam poſtea, ſepultus in æde S. Angeli apud Monachos Benedictinos prope Auenionem; vel cum Suareſij notis M. S. in eccleſia S. Andreæ. D

Epitaphium ex Nomenclatore.

*Hic iacet Reuerendiſſ. in Chriſto Pater D. Petrus Blani, natione Gabalitanus, ex vtroque parente de militari genere procreatus ac de propinquo genere fel. record. D. Vrbani V. Decretorum Doctor egregius, S. Angeli Diaconus Card. qui obijt Anno Dom. M. CCCC.IV. die* 12. *Decemb.*

Aliud

Aliud Characteribus Gothicis inciſum lapidi in pariete S. Andrçe, Ordinis S. Bened. ſecus Auenionem ad Thorum,

*Hac tegitur petra Petrus cognomine Blani*
*Gaballitanus, ſit ſibi Chriſte pius*
*Liuida, quam redimit Leo candidus, area ſignat*
*In clypeo proauis, quòd fuit iſte cluens.*
*Virtutum meritis hunc induit infula bina*
*Canonis iſta Sacri, Cardinis illa fuit*
*Prabuit huic titulum ſacer Angelus, ordine fulcit;*
*Quem tenet alma leui ſtirps bene promerita.*
*Officiumque ſuum bene geſſit, dum fuit illi*
*Ceu petra firma fides, iuſtitiaque libra*
*Huic pretium, fauor, & odium, timor, & fuit hoſtis;*
*Mens intenta tamen tota placere Deo.*
*Templa gemunt, inopes plorant, viduęque puella,*
*Quò patronus abeſt, publica reſque ſimul.*
*Prudens, & caſtus, humilis, pius, atque benignus,*
*Sobrius, & largus, & requietus erat.*
*Spiritui carnem docuit ſeruire domatam,*
*Stratus cui durus, ſitque carina cibus.*
*Carmine Dauidico Dominum placare ſolebat*
*Sæpeque cantare, tu Miſerere mei.*
*Sectio tum veſtis Domini fuit inſtamenti*
*Huius ſarciri ſi queat arte bona;*
*Sed contendentum Petri retinere curile*
*Ambitio turpis obſtitit inde ſibi.*
*Huius nempe rei teſtis Synodus Generalis*
*Eſt ſacra, qua Piſis concelebrata fuit.*
*Heu mors ſaua virum metit hunc dum craſtino ſancta*
*Paſſio Lucia commoranda foret.*
*Mille quatercenti annis ter iungito ternos*
*Chriſti, dic iterum, ſit ſibi Chriſto pius. Amen.*

24. *Ibi impij ceſſauerunt à tumultu: & ibi requieuerunt feſſi robore.* 3. Iob. 17.



ORlādinus Vulpellius Luceēſis Diac. Car. *S. Maria in via Lata* in prima Anticardinalium creatione aſſumptus à Bened. XIII. Anno 1396. Auenione, teſte Ciaconio, & Florauante Martinello; reclamante Contelorio, qui è catalogo Cardinalium expungit.

25. *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, proditores proterui, voluptatum magis amatores, quàm Dei.* 2. Timo. 3.



IAnfridus de Ronijl natu Gallus, teſte Panuinio, & Ciacōnio ſed falsò Gallus aſſeritur, cum Hiſpanus fuerit ex regno Valentiæ *Gaufredus Bolbus* appelatus in indice recenſito geſtorum à Regibus Arragoniæ; legatus Regis cum veniſſet ad Benedictum XIII. (etiam ad Clementem VII. Antipapam ſimili legatione functus fuerat) Diaconus Cardinalis *S. Maria in Aquiro*, nullo intercedente, aſſumptus ab eodem Benedicto, Auenione, in ſecunda promotione, Anno Sal. 1397. die 12. Kal. Octob. ibidem cum ſuo Antipapa obſeſſus à populo Auenionenſi, egregiam militis, & Ducis nauauit operam, & in eius obedientia vſque ad finem permanſit, à quo quamuis carcere clauſus abduci non potuit. Mortuus dicitur die 7. Nouemb. 1401. vel cum Balthaſſare Porregno *in elog. M.S. Card. Hiſpan.* Anno 1406. *Ciaconius. Auberij.*

A 26. *Docete me, & ego tacebo: & ſi quid forte ignoraui, inſtruite me*, Iob. 6.



PEtrus Serra diæceſ..... in regno Valentiæ, apud Hiſpanos, Epiſcopus Catanenſis, & primus inter Conſiliarios Regis Arragoniæ, Diaconus Card. *S. Angeli* cognomento *Senior* aſſumptus à Benedicto XIII. Antip. An. 1397. ſecunda promotione. *Senior* dicitur ad diſcrimen alterius Petri D. Card. *S. Angeli* Obedientiæ Italicę. Concilio adfuit
B Piſano (ſi Ciaconio fides) Orator Ioannis Regis Hieruſalem; Obijt verò ante Piſanum Concilium, Genuæ dum illuc vnà cum Benedicto ſuo Antipapa appulliſſet, pro eccleſiæ vnione procuranda. Vnde non obijt Anno 1409. in Hiſpania, ſed Genuę Anno 1404. ita Auctor Indicis geſtarum Arragonen. *lib. 3. Anno 1404. 8. Id. Octob. quod Genua peſtilentia graſſaretur, Benedictus Sauonam regreditur. Petrus Serra Catanenſis Cardinalis a contagione infectus decidit.*

Lege Ciaconium. Vghellum, Auber.j, Contelorium: Io: Bap de Groſſis *in notis eccleſ. Catan.* Porregnum *elog. Card. Hiſpan. M.S.* Vghellum.

C

27. *Crucifixi ſunt cum eo duo latrones.* Matth. 27.



BOnifacius Amanatus Donati filius ex Lippe de Ricciardis, frater Thomę Amanati, pſeudoCardinalis Clementis VII. Piſtorienſis, Hetruſcus Iuriſprudentia, publicaque politia clariſſimus, ſciſma ſubiens hęreditarium ſibi à fratre tranſmiſſum, ex Protonotario
D Apoſtolico Diaconus Cardinalis *S. Adriani* à Benedicto XII. Antipapa, Auenione, Anno 1397. promotione III. vocatus in locum Thomę Amanati fratris ſui qui Auenione deceſſerat Anno 1396. pręclariſſimus I. Conſultus: nè tanti viri morte, ſua infirmaretur Obedientia, Benedictus eius fratrem ſubſtituit virtutibus, æquè clarum, & fide. Adeo enim Benedicti ſtudioſus fuit, quòd nec morte imminente ab eo ſeparari potuerit, præcipuè in ſeditione populi Auenionenſis contra Benedictum, cuius cauſa

Boni-

Boniſacium vnà & Cardinalem Pampilonenſem carceri tradidère (*Index citatus geſtorum Arragoniæ*) è quo dimiſſus rediit ad Benedictum, vt cum eo vel crucifigeretur. In eius obedieutia deceſſit An. 1399. menſe Martio; vel Anno 1403. quum Petrus de Luna iam deſertus à ſuis pſeudo Cardinalibus iaceret.

Ciaconius, Auberij, Vghellus, Scipio Amirat. *de Famil. Florent.*

28. *Inuolutæ ſunt ſemitę greſſuum eorum; ambulabunt in vacuum, & peribunt* Iob. 7.



LVdouicus Barri Dux, Gallus A
Roberti filius Barri Ducis, & Mariæ Ioannis Regis Galliæ filia, Blondæ Arragoniæ Reginæ frater, Galliarum Reginæ conſobrinus, cum Lingonienſis eſſet Epiſcopus à Bened. XIII. Antipapa, Auenione promotione III. facta Anno 1397. Diaconus Cardinalis *S. Agathæ* cooptatur. Statuta edidit ſynodalia in diæc. Lingonienſi; eiuſque Cathedrali reliquias donauit S. Florinę & Valeriæ, aureo vaſe incluſas. Synodo interfuit ad Tumbam propè Mo-
naſteriolum, pro fœdere firmando inter Duces Bur- B
gundum & Aurelianenſem, Anno 1408. Euangelia manu tenens, in quibus iurauit Philippus Bonus Dux Burgundiæ, in eccleſia Carnotenſi coram Carolo VI. Francorum Rege prò Eccleſię pace, comites habuit Petrum de Alliaco poſtea Cardinalem, & Io: Gerſonem Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, & abiurato Benedicto XIII. Alexandrum V. promouit in Romanum Pontificem, à quo ad titulum translatus Presbyteralem *Baſilicæ SS. XII: Apoſtol.* & Franco furtum Meni legatus, teſte Niemio. *lib. 1. de ſciſmate*, c. 3. vbi cum Oratoribus Angliæ & Francię conuenerant totius Germanię Principes.

Præſens etiā fui comitiis creandi Ioannis XXIII. C
Anno 1410. à quo Ludouicus creatus fuit Epiſcopus *Portuenſis & S. Ruffinę*, legatione functus eſt ad Germanos Gallos, Anglos vt obſequium exigeret noui Pontificis. Ab Eccleſia poſtea Lingonienſi ad Catalaunienſem translarus, ab hacque ad Virdunēſem, cuius Cathedrali Deiparæ, dicatę multum auri erogauit pro fundatione. Peculiari namque cultu honorabat Virginem Matrem. Ex ędificiis ab eo conſtructis, Collegium eſt Marchianum Lutetiæ, Franciſcanorum cęnobium. Anno 1419. Barri Du-
catum Renato Andegauenſi paruo nepoti Comiti D
Guyſiæ (quem matrimonio iunxit cum Iſabella Lotharena Caroli Ducis filia) ea conditione donauit, vt eius ſucceſſores inſignia tenerentur deferre Barrentia. Vocatus poſtea ad Conſtantienſe Concilium elegit cum alijs Martinum V. à quo Ludouicus Andegauenſis filius Yolandę nepotis Ludouici Cardinalis Barrenſis, declaratur Rex Neapolitanus, exauthorato Alphonſo Arragonenſi ob eius ingrati animi labem.

Antiſtes tandem Ludouicus eligitur Pictauienſis Anno 1423. agens in Curia Franciæ: qua promotione Canonici Virdunenſes vacare prętenderunt Epiſcopatum Virdunenſem, & prouentur ſibi ipſis competere.

Moritur Ludouicus Varanij vrbis ſui Epiſcopatus Virdunenſis, menſe Iunio, vigilia S. Io: Baptiſtę, Anno 2430. Delatum corpus in Cathedralem D. Mariæ Virdunenſis, tumulatum in oratorio S. Eliſabeth. cum ſequenti epitaphio.

*Hic ſitus eſt fulgens Ludouicus laude perenni*
*Quem Barri genuit gens generoſa Ducum.*
*Filia Regis erat genitrix, de culmine ſummo*
*Francorum, & cuncta nobilitatis apex*
*Hunc decus & mores, quondàm celebrare ſolebant*
*Dum Portuenſi Cardine dignus erat.*
*Egregius pariter præſentis paſtor ouilis*
*Ac Virdunenſis Pontificalis honos*
*Ambiguis certa præponens tuta timendis*
*Spreuit opes Orbis Religione fruens:*
*Et quia non moritur virtus, quid Parca tuliſti?*
*Clara per æternos ſtat ſibi fama dies*
*Mille quatercentum ter denos iunxerat Annos*
*Delius, & Iuny tempora Menſis erant,*
*Nunc Matris precibus æterna dona quietis*
*Illi pro meritis det Deus Omnipotens.*

Theodor. à Niem. Ciaconius, Auberii, Frizon. Contelor. Hippol. Marrac. *in Purpur. Marian.* Vghel. in *Ep. Portuen.* Panuin. *Index Geſtorum Arragoniæ* Claud. Robert. in *Gallia Chriſtiana*. Io: Chenu *Chronologia Ep. Galliæ*. Eius memoria in Laudanenſi Eccleſia, vbi Anniuerſarium fundauit pro Yolanda ſorore ſua, vxore Io: Regis Arragoniæ.

29. *Traditor autem dedit eis ſignum.* Marci. 14.



ANtonius de Calanth, vel cum Claudio Roberto Ioannes Monachus Sabaudienſis Allobrox electus Epiſcopus nō Archiepiſcopus, quia Veſnnſionenſem Metropolitanum agnoſcit Lauſanenſis: Diaconus Card. *S. Marię in Via lata* promotione quarta facta ab Antip. Benedicto XIII. Auenione Anno Sal. 1404. poſtea Presb. Card. *tit. S. Cęciliæ* à Ioanne XXIII. promotus. Comitiis adfuit Alexandri V. in Piſano Concilio, vbi abiurato authore ſuo Benedicto XIII. cum aliis vtriuſque obedientię Cardinalibus promouit Alexandrum V. & ex ſuggeſtu adorationem excitauit pro Papa & Eccleſ. Rom. In Angliam Legatus à Io: XXIII. poſtea vnà cum Frāciſco Zabarella ad Sigiſmundum Imper. pro ſtatuendo loco Concilii partibus non ſuſpecto, Pontificem prodidit, vrbem eligendo Conſtantiam Cęſari ſubiectam, in qua Io: XXIIJ. fuit depoſitus. Comitijs adfuit Martini V. in Concilio Conſtantienſi, quibus breui ſuperuixit. Lauſaniis obiit 3. Nonas Septemb. 1417. ibidem in Cathedrali ſepultus: vel Anno 1418.

Lege

Lege Ciaconium, Vghellum, Frizon. Auber. Contelor.

30. *Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie*: Iob. 5.



Michael de Salua Nauarrus Hiſpanus ciuis & Epiſcopus Pampilonēſis Diac.…. Card. *S. Georgij in Velabro*, nepos ex fratre Martini Pſeudo Cardinalis Pampilonenſis I. V. Doctor ab A Antipapa Benedicto XIII. aſſumitur promotione quarta, Auenione, Anno Sal. 1404. cum obierit An. 1406. apud Portum Herculeum Monacum in Liguribus Diœc. Nicienſis die 17. Cal. Septemb. antequàm crearetur Alex. V. ignoratur an Sciſma abiurare voluerit. Eius cadauer Auenionem relatū ſepultum eſt propè Patruum in eccleſia Carthuſianorum S. Mariæ de Bono paſſu cum ſequenti epitaphio. & habuit ſucceſſorem Lancellotum I. cognomento Nauarrum.

*Hic iacet R R. Pater Michael de la Salua legum Doctor, natione Nauarrus S. Georgij ad Vellum Aureum* B *Diacon. Card. Obijt apud Monacum Nicienſis Diœc. die 16. Aug. An. 1406. & fuit nepos D. Martini Cardinalis Pampilonen. vulgariter nuncupati, in hac capella etiam ſepulti. Quorum animæ requieſcant in pace. Amen.*

Ex toties vero citato Indice Geſtorum Arragon. *Vghello teſte, Anno 1406. 9. Kal. Septemb. Michael tit. S. Georgij ad Vellum Aureum Pampilonenſis Cardinalis Senioris Cardinalis Pampilonenſis ſobrinus, & Nicea in Fratrum Minorum cœnobio conditur.*

Ciaconius, Vghellus, Auberij, Balthaſſar Porreg. *Elog. Card. Hiſp.* M.S. Nomenclator.

31. *Hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore, non* C *parcat; nec contradicam ſermonibus Sancti*. Iob. 7.



Carolus de Vrrias, vel Viries Hiſpanus Diæc. Diaconus quidem Cardinalis ab Antipapa Benedicto XIII. aſſumptus *S. Georgij in Velabro* Anno 1409. promotione V. vel Anno 1406. promotione Perpiniani facta, vt ex *Indice Geſtorum Arragonia*; non tamen ex iis, qui mortuo Benedicto pertinaces alium ſubrogauere Antipapam, ſed ex illis, D qui poſt Conſtantienſe Decretum, ad Martinum V. Florentiæ ſedentem, ſe contulerunt, & in purpura fuere permiſſi pro Eccleſiæ pace. Die 16. Kal. April. 1419. Romæ deceſſit in regione Tranſtyberim, die 6. Id. Octob. 1420.

Ciaconius, Contelorius, Vghellus, Porregnus *lib. cit.*

32. *Peccata tua eleemoſinis redime*. Daniel. 4.



Alphonſus Carillius, Concanus (Vrbs hæc in Aſturia apud Hiſpanos) Gometij filius Cubicularij apud Regem Caſtellæ Ioannem II. & Vriacæ Gometiæ de Albornotijs, Diaconus Cardinalis *S. Euſtachij*, à Benedicto XIII. creatus, Anno 1409. ſed ex iis, qui audito Conſtantienſi Concilio, ad Martinum V. R.P. Florentiæ ſedentem ſe contulerunt, & in purpura perſeuerare permiſſi. die 16. Cal. April. 1419. Comitijs adfuit Eugenii IV. R.P. & ab eo Auenionem Legatus Comitatus Vainaiſini cum plena poteſtate, qualem antea habuerat à Martino V. Archiepiſcopus Narbonenſis S.R.E. Camerarius; cum is, quem Eugenius illi ciuitati Vicarium dederat non admitteretur à Synodo Baſileenſi, videlicet Petrus de Fuxo Ep. C. Albanus, Sciſmatis Paniſcholenſis extinctor; Petrus cum fratribus Comitibus Fuxi & Conuenarum, bellum Alphonſo intulit tanquàm intruſo, & Auenionenſibus; quibus tandem ſuperatis, ciuitatem obſidione expugnauit, & tenuit Petrus vſque in Annum 1464. Baſileam autem reuerſus Alphonſus, ibidem mortalibus relictis migrauit, Anno 1434. ſepultus cum epigraphe ſequenti, teſte Io: Tonniola *in Baſilea ſepulta*. p. 213.

*Anno Domini M.CCCC. XXXIV.*
*V. Kal. Martij obijt*
*Reuerendiſſ. in Chriſto Pater*
*Dn. Alphonſus de Carillo*
*Cardinalis S. Euſtachij.*

Multum auri, & argenti reliquit Alphonſus inter Epiſcopos pauperes diſtribuendum, qui ad Concilium venerant Baſileenſe. Alphonſi morte vulgata, Rex Caſtellæ, pullatus cum filio & Regina, publicis in templo adeſſe voluit exequijs, vt pro tanto viro preces funderet. Imperator, & Præſules, qui Concilio aderant, publicè parentarunt in eccleſia principe, oratione recitata funebri, à …. Corpus in Hiſpaniam relatum; ſepultum iacet in eccleſia Oxomenſi, cuius eccleſiæ fuerat Adminiſtrator, iubente Romano Pontifice. Romæ, cum eccleſiam reſtauraſſet SS. IV. Coronatorum, ſequens legitur memoria.

*Hæc quæcumque vides veteri proſtrata ruina,*
*Obruta verbenis hederis, dumiſque iacebant;*
*Mon talit Hiſpanus* Carillo Alphonſus *honore*
*Cardineo fulgens, ſed opus licet occupat ingens*
*Sic animus magnos reparat palatia ſumptu*
*Dum ſedet extincto Martinus Sciſmate Quintus.*

Ciaconius, Auberii, Spondanus, Contelorius, Cæſar Raſpon. *de Baſil. Lateran.* Porregnus *lib. cit.*

33. *Glo-*

33. *Glorificauit eum in conſpectu Regum.*
Sap. 45.



PEtrus Fonſeca Portugallenſis Diaconus Card. *S. Angeli* à Benedicto XIII. Antipapa aſſumptus, Anno 1409. audito Conſtantienſi decreto, & aſſumptione Martini V. abiurato ſciſmate, Florentiam venit, vbi à Martino V. in purpura perſeuerare permiſſus, die 16. Kal. April. 1419. ab eodem Legatus in Hiſpaniam Anno 1421. ſequenti verò Neapolim ad Alphonſum Regem Arragoniæ, tandem Byzantium ad Manuelem Imperatorem, vt tanquam vir in omni facultate doctiſſimus cum Græcis ageret de arcanis Fidei. Petrum hunc Fonſecam Elias Appamienſis *in historia* confundit cum Petro de Fuxo; cum tamen in epitaphio Petri de Fuxo, enumeratis eius legationibus, de hac Conſtantinopolitana nulla mentio.

Vicouarij obijt diæc. Tiburtinæ, 13. Kal. Septemb. 1422. Romę ſepultus in Vaticana Baſilica, in Sacello S. Thomæ, marmoreo eleganti ſepulchro cum epitaphio.

*Ortus in Hiſpanis Præſul digniſſimus oris*
Fonſeca *de prole Petrus, lux gloria magni*
*Sanguinis, & patrij ſuperexaltator honoris,*
*Hic iacet, a Sacro titulum Michaele recepit*
*Cardineum, cuius ſapientia claruit, altas*
*In laude ſenſati animi, mirabilis iſte*
*Doctor erat, Diuina colens, & amator honeſti*
*Mente pius, recti prudens moderator, & æqui;*
*Venit amara dies, qua dira Syncopa mortis*
*Heu patrem hunc rapuit, Domini labentibus Annis*
*Mille quadringentis bis denis, atque duobus,*
*Dum vigena dies Auguſti panderet, Aſtra*
*Spiritus in Cœlo tecum, Sacer Angele viuat,*

A Ciaconius, Auberij Contelorius, Spondanus; Raſponus *de Baſil. Later.* Porregnus *lib. cit.* Turrigius *de Cryptis Vatican.*

34. *Timor & tremor venerunt ſuper me.*
Pſal. 54.



B IOrdanus Hiſpanus Diac. Card. S. . . . aſsumptus Anno 1409. à Benedicto XIII. Antipapa, teſte *Ciaconio*, & *Panuinio*; audito decreto Conſtantienſis Concilij, adhæſit Martino V. Hæc inſignia vnde Oldoinus deduxerit ignoratur.

# GREGORIVS XII. R. P. CCV.

GRegorius XII. Eligitur die 2. Nouemb. An. Sal. 1406. Pontificatu ſe abdicat 4. Iulii 1415. Eius adfuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Angelus Acciaiolus Ep. C. Oſtienſis ex Vrb. 6. & Bon. f. 9.

Ex Bonif. IX.

C 2. Henricus Minurulus Ep. C. Tuſculanus.
3. Antonius Caietanus Ep. C. Prænestinus.

## Presbyteri Cardinales.

4. * Valentinus Vngarus P. C. tit. S. Sabinæ. Ex Vrbano VI.
5. Fr. Angelus de Anna P. C. S. Pudentianæ tit. Paſtoris. Ex Vrb. VI. & Bonif. 9.

Ex Innoc. VII.

6. Chunrados Caracciolus P. C. S. Chryſogoni.
7. Angelus Corrarius P. C. S. Marci.
8. * Franciſcus Huggucçionus P. C. *SS. IV.* Coronat.
9. Io: Vrſinus P. C. SS. Silueſtri, & Mar. in Montibus tit. Equitij:

D 10.Klelioratus P. C. *S.* Crucis in Hieruſalem.
11. * F. Petrus Philargi P. C. Baſilicę XII. Apoſtol.
12. Antonius Caluus P. C. *S.* Praxedis. Ex Innoc. VII.

## Diaconi Cardinales.

13. Raynaldus Brancatius D. C. SS. Viti & Modeſti in macello Mar. Ex Vrbano VI.
14. Ludouicus de Fliſco D. C. S. Hadriani. Ex Vrbano VI.

15. Lan-

15. Lundulphus Maramaurus D. C. S. Nicolai in carcere Ex Vrb. VI. & Boniſ. IX.

16. *Balthaſſat Coſſa D. C. S. Euſtachij, Ex Boniſ. IX.

Ex Innoc. VII.

17. Otho Columna D. C. S. Georgij in Velabro.

18. Petrus Stephaneſcus D. C. S. Angeli.

19. Io: Ægidij D. C. SS. Coſmæ & Damiani.

Qui aſteriſco notantur, abſentes erant.

## Epiſcopi Cardinales creati à Gregorio XII.

1. ANtonius Corarius ex P. C. tit. S. Chryſogoni, Ep. C. *Portuenſis*, demùm *Oſtienſis & Veliternus*, Lege infra *n*, 3.

## Presbyteri Cardinales,

2. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* 4. Pſal. 9.

GAbriel Condulmerius Venetus, ex ſorore Gregorij XII. nepos Presb. Card. tit. *S. Clementis*, Papa futurus nomine *Eugenij IV.* ſolummodò tamen poſt Conſtantienſe Concilium agnitus vt Cardinalis,

3. *Etenim ſederunt Principes & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.* Pſal. 118.



FR. Ioannes Dominici, Florentinus, Dominici filius in plebe nati, & qui labore B manuum ſuarum victum quæreret: familia adeò ignota, vt cognomine careret, & nomen patris proprium, pro gentilitio Familiæ ad poſteros per Cardinalem fuerit tranſmiſſum. Adoleſcens honeſtè educatus virtutis ſtudijs, cum anima nobilis in illo ergaſtulo ignoto quidem ſed non ignobili, alta promitteret, inter Prædicatores Dominicanos ſuſceptus, obſtantibus genitoribus, quos alere, & ſubſidio eſſe in ſenectute deberet: ſatisfaciebat Chriſti verbis: *Qui amat patrem ſuum, magis quàm me, non eſt me dignus.* Diſciplina imbutus Theologica, Concionatoribus omnibus ſui temporis anteiuit. *Is ante purpuram* (ſunt verba Sixti Senen.) *longo, eoque non interrupto Annorum internallo, ſingulis Quadrageſimis, Florentia in Cathedrali, & S. Mariæ Nouellæ templis, & bis in die conciones habuit; cum maxima gratia* (ita S. Antonin. *par. 3. hiſtor. tit. 25. c. 11.*) *& fructu propter fragrantem odorem Sanctitatis eius, & facundiam, & ſapientiam.* Memoria tantùm viguit, vt ſemel lecta obliuiſceretur nunquàm.

Fundauit Feſulis monaſterium, quò ſe recepit cum pluribus diſcipulis, qui illius vitæ, & morum ſectatores, ſeminarium vitæ religioſæ meditaban- D tur. Piceno percurrens, & Lombardia, Venetijs plures collegit ſodales. Sub eius diſciplina floruere præclariſſimi viri Antoninus poſtea Ep. Florentinus inter Sanctos relatus, Bartholomæus Lapparius, Io: Maſius Florentinus, Andreas Duccius, Ioannes Pictor. S. Vincentius Ferrerius eius ætate clariſſimus à Florentinis inuitatus eò accedere, negauit ad eas venire ciuitates, quæ alteri creditæ inſtituebantur;

A corrigebantur doctrina, & modeſtia viri Religioſi; Ioannem Dominici annuere volens, Collutius Poeta vir quidem excellens, cum *de Fato & Fortuna* librum edidiſſet, licentia poetica falſa hæc nomina extollens; alium Ioannes edidit *Lucullam* appellatum in quo errores emendauit Poetę. Plura Ioannes ſcripſit, præcipuè

*In Eccleſiaſticum*
*In Cantica Canticorum*
*In Euangel. Matthei*
*Gloſſas ſuper* Magnificat
*Laudes Deiparæ.*
*Conciones de Maria Virgine*
*Conciones Quadrageſim.*
*In Pſalmos*
*In Epiſtolas Pauli*
*Itinerarium deuotionis*
*De Amore Charitatis, de poſſeſſionibus*
*Oratio in funere Ludouici Bonits.*

Gregorius XII. eius fama, & Sanctitate motus eum primò Archiep. Raguſinum, Anno poſtea 1408. prima Cardinalium creatione Lucæ ab eo facta, inter Candidatos primum publicauit, Presbyterum tit. *S. Sixti*, menſe Iunio; vt eius opera atque C conſilio vteretur in Sciſmate, quod tunc graſſabatur: cum vt Florentinorum gratiam mereretur: qui tamen ingrati propter amicitiam, quam clanculò fouebant cum Ladiſlao Rege Neapolitano, Ioannem Dominici accuſarunt, tanquàm hyppocritam triſtem, qui ambitu dignitatem illam procuraſſet; cum tamen reluctans & inuitus purpura ornatus fuiſſet. Audi S. Antoninum: *Cardinalem inſtituit* Ioannem Dominici Gregorius *non illu quærentem, ſed reſpuentem: præualuit tamen voluntas Pontificis, ne Diuinæ voluntati videretur obſiſtere i loco eit.* Huius creationi, vt nec cęterorum, quos promouit Gregorius XII. aſſiſtere recuſarunt veteres Cardinales quanquàm à Gregorio rogati; quia contra datam fidem Papa eos promouiſset: Hinc loco Cardinalium, in Conciſtorio conſiſtere fecit quoſdam alios Epiſcopos, & Cauſarum Auditores. Negari quidem haùd poteſt, quòd Ioannes Dominici moram Gregorij XII. ſcriptis propugnauerit defendendo, excuſando renunciare nolentem. Scripta namque habes apud Nieмium *tractat. 4. c. 1. 8. 9. Tract. 5. c. 1*, ſatis prolixa:

quorum cauſa forſan Ioannes non benè audijt; nam obiurgatus legitur epiſtola *nomine Sathanæ, ex ciuitate Ditis ad Ioannem Dominici P. C. S. Sixti*, apud eumdem Niemium, *c. 29. Tract. 6.* cum ſuis reſponſiuis. Non tamen obſtinatus perſtitit, ſed cognito Eccleſiæ deſiderio, in partes & ipſe exoptatę abdicationis abijt, auctorque fuit, vt Gregorius ſe abdicaret, & ab hoc legaretur ad Conſtantienſe Concilium vnà cum Carolo Malateſta Ariminenſi Regulo, vt coram Patribus, publica abdicationis inſtrumenta conficeret. Facta renuntiatione, Cardinalis Raguſinus ad ſcamnum deſcendit Epiſcoporum, volens deponere Cardinalatum quod minimè paſſi Patres, ac Sigiſmundus Imperator, Legatum in ea Synodo conſtituerunt. Concilio abſoluto volens eum comitem itineris ſecum ducere Imperator, Martinus V. Papa legatum declarauit ad Vngaros & Bohemos. Budæ, quæ eſt Capitalis Regni, ſubſtitit, & tantum valuit ſuis prædicationibus, & eleemoſinis, vt pater communiter appellaretur. Morienti inferias Pannones celebrauere Regias, comitantibus Summis Principibus, & Magnatibus, vniuerſa nobilitate, Clero, & populo in conuentu S. Pauli primi Eremitæ, ob famam Sanctitatis, & miracula, quæ ad ſepulchrum patrabantur. Sacramentis ritè munitus, in extrema lucta adſtantes præclara erudiens oratione, ſic loqui cæpit. *Quamuis ego multa, fratres, & filij mei in præſenti vita, pro mea, & aliorum ſalute ex Deo conſequi deſiderauerim, nihil tamen tantopere cupiui, quàm ab huius miſeria carnis diſſolui, & eſſe cum Chriſto &c.* Lege *Ioannem Caroli Florentinum, eiuſdem Ordinis Monacum*, qui vitam ſcripſit *Ioannis Dominici*. Sixtum Senenſem. Leandrum Albertum *lib. 3. de Viris illuſtribus Ord. Domin.* Antonium Senenſem *in Chron. Ord. Prædic.* Obijt Anno 1420. die X. Iunij: vel 1419. Anno 1422. Menſe Maio, cum S. Philippi Nerij vexillum, Romæ ad ædem S. Io: Bapt. Florent. ſacro ritu, frequentiſſimo hominum cætu, delatum eſſet; exteriorem ædis frontem, virorum Florentinorum ſanctitate præſtantium imagines coloribus delineatę decorabant; & inter eas effigies Ioannis Dominici Cardinalis, titulo Beatitudinis inſignita conſpiciebatur; teſte *Andrea Victorello*.

In Monaſterio Feſularum, eius cura à fundamentis erecto, ipſius imago conſpicitur cum epigraphe.

*Beatus Ioannes Dominici de Florentia, Archipræſul Raguſinus, & Presb. Card. Regularis vitæ, in Italia reparator, ac huius cænobij fundator.*

Eius geſta conſcripſit Ioannes Carolus; & Verinus, de *illuſtratione Florentiæ*, hæc habet.

*Dominici plebea domus ſplendore Ioannis*
*Emicat illuſtris morum probitate, vel ipſa*
*Doctrina inſignis, vitęque exemplar honeſtæ*
*Dominici Sancti Feſulanam condidit ædem*
*Cardineumque apicem ſola virtute recepit.*

Lege Ciaconium, Chron. Prædicat. Hyacinthum Cambi *par. 3. hiſtor.* Leandrum Alberti *de vir. illuſtrib. Præd. & in Italia* Auberii, Scipionem Amirat. Hippol. Marrac. *in Purpura Mariana*. Michael Ponuiat. *de Script. Florent.* Spondan. Contelor. Garimber.

4. *Qui timent Dominum inuenient iudicium iuſtum, & iuſtitias quaſi lumen accendent.*
Eccl. 31.

ANtonius Corarius Venetus ex fratre nepos Gregorii XII. vnde eius inſignia habes in eodem Gregorio XII. Canonicus Sęcularis appellatus *S. Georgij in Alga* Venetiarum. *Vir timoratus, Mundique contemptor*, à D. Antonino *par. 3. Hiſtor. tit. 23. c. 11.* nuncupatus; à Blondo *in Italia regione 8. ea morum, & vita ſanctimonia, quæ priuatos quoque celebres reddere potuiſſet*, imò Auctor illius Congregationis vt late probat. *Philippus Tomaſinus in Annal. Canonic. Secul. p. 70.*) Anno 1407. electus Ep. Bononienſis, mox Camerarius S.R.E. Patriarcha Hieroſolym. ac Presb. Card. tit. *S. Chryſogoni*, volunt alii *S. Petri ad vincula tit. Eudoxiæ*, eique vulgò cognomen inhęſit Cardinal. Bononienſis, quamquam eius ciuitatis, quę patrui partes oppugnabat, Epiſcopatus poſſeſſionem nunquam inierit, quam eo tempore duo Æconomi adminiſtrabant. Anno propterea 1412. annua ſibi penſione retenta eam reſignauit eccleſiam.

Plura Canonicis Secularibus S. Georgij in Alga Venetiarum impetrauit priuilegia a patruo Gregorio XII. puta immunitatem decimarũ, Vectigalium, gratuiti, etiam ſubſidij. Cęnobium præterea S. Leonardi, in monte Dominico prope Veronam ipſis donauit, electo eius loci Priore D. Benedicto Ariminenſi ſuo quondam domeſtico. Cęnobium pariter S. Marię Tremiranę in inſulis Diomedeis: omnia intercedentibus Antonio Corrario, & Gabriele Condulmerio. Extat inſuper erga Canonicos ſupradictos eximium Antonij Corrarij & Gab. Condulmerij ſtudium, quorum ille S. Ioannis in Viridario, Patauij Commendam à patruo conceſſam liberaliter dictis Canonicis Regularibus reliquit: hic alteram Commendam S. Saluatoris Venetijs &c.

Conſtantienſi interfuit Concilio, vbi patruus ſeſe abdicauit: ipſe autem inter Purpuratos confirmatus Martini V. partes ſincerè ſequutus, ac poſtea Eugenii IV. R. P. ſui conſobrini, à quo Ep. *Oſtienſis* dictus eſt *Veliternus*. Ab eodem S. Angeli Prioratu Veronę donatus, ſuæ memor Congregationis Canonicorum Sęcularium S. Georgij in Alga, die 18. Cal. Feb. 1419. eumdem locum liberaliter tradidit. Migrauit ad Superos Anno 1445. cum omnium ſententia ſanctiſſimè vixiſſet, & illibatè virginitatem ſuam coluiſſet. Scripſit (teſte *Garimberto*) hiſtoriam ſui temporis, quæ M. S. olim Venetiis aſſeruabatur. Patauii in cænobio S. Io: Decollati, Ordinis ſui, ſpiritum Deo reddidit, 19. Ianuarii, 1445. ætatis 76. Venetiis ſepultus, vt mandauerat, apud S. Georgium in Alga, candido tumulo, cum hoc epitaphio.

*Sepulchrum piiſſimi Patris D. Antonij Corarij Beatæ memo-*

*memoria Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis Bononienſis, Fundatoris huius Congregationis, qui obijt Anno à Natiu. Domini M.CCCC. XLV. die 19. Ianuarij. Orate pro eo ſemper.*

Vitam eius ſcripſit Veſpaſianus Florentinus. Plura de eo in Annalibus Io: Phil. Tomaſini: de quo hęc in fine. *Maphęi Contareni præfectura, nil gratius accidit Cardinali* Corrario, *qui iam aliquot annis in D. Ioan. Decollati cœnobio pientiſſimus pater cum filijs tranquille ſenectutem ducebat, Cellulam hic ſibi nihilo alijs ampliorem ſelegerat: communi victu, precibus, ieiunijs, cęteriſque antiqui instituti moribus peculiare nihil pręſeferebat. Piorum & doctorum hominum conuerſatione* A *è vicina urbe, mirificè recreatus, ut pręcipuè Bibliothecam ſuam rarioribus libris eleganter conſcriptis refertam, patere voluit: nec doctrina tantum, ſed conſilijs ſanctiſſimis monitis omnes iuuare. Mira eius in omnes liberalitas, maximeque in pauperes, & egenos colonos ijs temporibus nuperis bellis exhauſtos. Nec diſpar eius in religioſos ſtudium: Binas enim Abbatias, nō infimę ſortis Veronę, & Patauij Benedictinis reddidit, aliaque loca, quæ Summi Pontificis benignitate accepta ferebat, primis poſſeſſoribus reſtituit. Ita Patauino Cœlo ſoloq. delectatus, & Maphei ſuauiſſimo conſortio exhilaratus, poſtquàm per tot Annos vitam ſanctiſſimè Deo conſecraſſet, neque longè abeſſe cognoſceret corporis diſſolutionem, quæ ſupererant facultates diuerſo-* B *rum religioſorum locis, & pauperibus reliquit. Conuocatis autem quorundam cœnobiorum procuratoribus, partem ſuæ ſuppellectilis reſeruato ſibi calice, & quatuor patinis argenteis his verbis diſtribuit. En portionem fructuum ex veſtris locis accipite, quam diligenti cura vobis ſeruaui. Gratias Deo agite, & pro me orate. Mapheo verò veluti Societatis ſuæ clariſſimo alumno die III. Martij eiuſdem Anni hæc ſacra veſtimenta pro Eccleſia S. Georgij in Alga conſignauit, quorum ex codice archiui S. Georgij perue tuſta cenſum totidem verbis ad maiorem fidem huc transferimus; & primum, Pluuiale album pulchrum cum capucio, Planetam albam pulcram. Dalmaticam albam. Tunicellam albam cum ſtolis & manipulis. Amictum vnum cum* C *frixio aureo. Cingulum cum perlis laboratum. Camiſum vnum pulchrum. Gremiale vnum album de ſerico. Tobaliam vnam ad cooperiendum altare. Item duas alias tobalias. Item alteram cum armis Domini Cardinalis Corrarij. Duas ampullas argenteas aureatas. Pectorale argenteum cum tribus nodis de perlis. Duos calices magnos pulchros cum duabus patinis. Duæ burſę corporalium. Plures tobaliæ laboratæ de ſerico. Duo altariola. Item reliquię Sanctorum cum vaſis ſuis argenteis. Eodem quoque die viginti ſupra centum manuſcriptos Codices in aſſerculis, aliosque abſque tabellis in membrana conſcriptos, quos longo tempore, magniſque impenſis parauerat, eodem affectu ipſi tradidit, quibus poſtea teſtamenti executores alios iun-* D *xerunt, vt in bibliotheca S. Georgij recente perpetuum aſſeruarentur. Tanti Viri res geſtæ temporum iniuria deperdita, vna cum eiuſdem lucubrationibus, è quibus præſertim non ſine deſiderio eruditorum eius temporis Hiſtoriam ibi repoſitam, malis artibus, vel noſtrorum incuria cum alijs amiſſam dolemus; maximèque quod tanti Auctoris noſtri memoriam ea iactura exteris non parum obſcurauerit. Nulla tamen dies eam delebit, quem rara virtus ſuperis amicum reddidit: quibus perenni caſtitate vitæ integritatem vſque ad exitum probauit. Ad quorum conſo... cium tranſlatus paucis poſt menſibus vitam LXXVI. annos inculpatè geſtam beato fine hic præſentibus Patribus clauſit die 19. Ianuarij, M.CCCCXLV. Horum primi funus ſolemni pompa debitiſque iuſtis mæſti Venetias proſequuntur: vbi ex teſtamento in æde S. Georgij in Alga Venetorum nobilium, ciuiumque expoſitum, communi ordinum luctu, non ſine ſanctitatis opinione ſub candido marmore hoc breui titulo conditur.*



De eo lege *Sigonium*, *Vghellum*, *Blondum Ciaconium*, *Garimbertum Spondanum*.

*5. Super capita Montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thimiama: ſubtus quercum, & populum & terebinthum: ideo fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtrę adulterabunt.* Oſeę. 5.



LVdouicus Brancatius I.V. Doctor (ſi Ciaconio fides) cum Vghello verò in *Archiep. Piſanis, to 3. Italia.* Ludouicus *Bonitus*, non *Brancatius*, patria Agrigentinus, origine Neapolitanus ex vrbe Scalenſi, cuius maiores nobiles, & patritios cum Andrea de Bonito An. 1272. in Siciliam migraſſe creduntur, ibique honores aſſecuti & dignitates, inter quos Odo ſub Rege Roberto Anno 1338. Sedilis Nili, vt vocant procurator, magnæ exiſtimationis miles, Regi charus, dominuſque Boniti oppidi, à quo vel eius familia, vel ipſum oppidum nomen retinuiſſe dicitur. Ex hac gente Ludouicus Agrigenti ortus, bonis artibus delibatis, I. V. doctor euaſit, regioque fauore, Eccleſiæ præficitur Panormitanæ pallio donatus ab Vrbano VI. Anno C 1386. iuuenis adhuc & immaturus. Annos nouem cum eam adminiſtraſſet, nec parum detrimenti Eccleſia paſſa eſſet propter imprudentiam Ludouici, qui in Regem Martinum Claramontanis fauebat; quando Martinus Panormum recepit, Anno 1391. Ludouicus ſua ſede pulſus Romam transfugit, à Bonifacio IX. benignè ſuſceptus, ſub quo poſt annum exilij quartum, remiſſo eccleſiæ Panormitanæ titulo, Antibarenſem in Albania recepit, Anno 1395. Anno ſequenti, Archipræſul dictus Theſſalonicenſis: Anno 1399. vt *in lib. Prouiſionum, & Obligationum Prælatorum Vaticani Archiuij*, ad Bergomenſem in Inſubria tranſlatus Epiſcopatum ex deceſſu Branchi- D ni Beſuti, quem nec vidit, nec longo tempore adminiſtrauit: Anno tandem 1400. die 15. Nouemb. ad Piſanam Tuſciæ Metropolim aſſumptus, Romæ tamen in arduis peragendis occupatus, etiam quintam ſponſam Annis quinque per alios moderauit; donec promouente Innocentio VII. cum Tarentina permutauit inuitus Anno 1406. quam vſque ad obitum retinuit, quæ nec ipſa faciem ſponſi videre meruit. Ad Ladiſlaum namque Regem Neapolitanum legatus ab Innocentio VII. & à Gregorio XII. in ea-



Digitized by Google

dem legatione confirmatus & ad purpuram Presbyteralem tit. *S. Mariæ Tranſtyberim*, Cardinalis Tarentinus appellari voluit in honorem quartæ ſuæ ſponsę, infractoque animo per varios caſus, per tot Chriſtiani Orbis diſcrimina rerum, in illo portentoſo Benedicti XIII. ſciſmate, Gregorium ſuum, quamuis depoſitum in Piſano Concilio, vagantem ſemper ſequutus, Arimini tandem omnibus mærentibus febri abſumptus An. 1413. die XIII. Septemb. ſolemni pompa elatus, Sacra operante Antonio Corario nepote Greg. XII. cum pluribus Cardinalibus, Epiſcopis, & Abbatibus, in æde S. Franciſci, die 15. eiuſdem Menſis, oratione laudatus funebri, à Joanne Dominici Cardinali Raguſino in medio Ecclesiæ conditur ſub lapide quadrato marmoreo, cum eiuſdem Ludouici effigie, & inſignibus gentilitijs, in extremitatibus tabulæ, carmine inciſo ſequenti.

*Hic animo, moribus, ſenſu, virtute ſenecta,*
*Conciliorum potens Ludouicus ſtirpe Boneto,*
*Agrigentina Siculæ telluris, ut ipſe igenio clarus*
*Sic dignitate ſerenus, in Sacro famam, Romanęque*
*Tarentum præbuit, eccleſiam per mille pericula*
*Papa Gregorio ſub uera tenens fuit uſque ſecutus.*

B Effigiem habes cum ſupradicta inſcriptione, apud Vghellum *to. 3. Italiæ in Archiep. Piſanis*, *p.* 552. De eo lege Cæſarem Clementinum, in *hiſtor. Ariminenſi par.* 1. vbi ex patriæ monumentis refert, Io: Ep. Bononienſem ſacra operatum in funere Ludouici Boneto, adſtante Sacro Senatu. Hinc Ciaconium corrige in cognomine *Brancatij*, & in ſtemmate gentilitio.

In Cathedrali Amalphitana ſequens legitur inſcriptio.

*Ludouico Boneto S. R. E. Cardinali, inclita progenie conſpicuo, Panormitanę, Antibarenſis, Theſſalonicenſis, Bergomenſis, Piſanę, ac Tarentinę eccleſię Antiſtiti. Ab* C *Innoc. VII. Neapolim legato ad Ladiſlaum Regem. A Gregorio XII. Legatione obita, in Purpuratorum Patrum collegium cooptato Arimini vita functo A. M.CCCC. XIII. Idib. Septemb. A Cardinali Raguſino, funebri oratione laudato. Marmoreo tumulo ibidem in eccleſia S. Franciſci quieſcenti Gentiles eius P. P.*

Brancatię genti Cardinalem hunc plures tribuere ſcriptores, Inſignibus etiam à Ciaconio falsò appoſitis familiæ Brancatiæ. Sed inſcriptio reſiſtit ſepulchralis. Familiam Bonitam apud Siculos habes, Neapoli, & Amalphi, cuius inſignia hic non iniuſtè appoſita.

6. *Non in perſuaſilibus humanę ſapientię verbis, ſed in doctrina ſpiritus.* 2. Cor. 2.



Angelus ciuis, & Epiſcopus Recanatenſis electus ab Vrbano VI. ſub quo Marchię Anconitanæ, Spoliorum etiam Collector Anno poſtea 1408. die XIIX. Septemb. à Gregorio XII. promotione II. purpuram accepit Presbyteralem *tit. S. Stephani in Monte Cęlio.* Recanati fato functus
A die 21. Iunij, 1412. in Cathedrali, humo datur, cum hac inſcriptione.

*Reuerendiſſ. D. D. Card. Recanati obijt XX. Anno 1412. Cuius anima requieſcat in pace.*

7. *Et diſciplina tua correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit.* Pſal. 17.



Angelus Barbadicus Venetus illuſtri atque claro ſanguine natus, eccleſiaſticæ diſciplinæ cultor eximius, iuſti amator, pauperum patronus, I. V. D. ex Epiſcopo Chiſmenſi, ad Veronenſem aſsumptus die 2. Septemb. 1406. vrbem ingreditur pompa ſolemni (teſte *Bartholomęo de Oliueto in Diarijs*) die Iouis 6. Epihaniæ Anno 1407. *aurea veſte velatus, niueo ſonipode conſedendo, purpureoque tegmine, quod à praſtantiſſimis huius vrbis iuuenibus ferebatur coopertus cultui religionis vacaturus, exoptatum ciuium oculis ſui conſpectum obtulit, in cuius honorem Clerus, & populus Veronenſis, vexillis artium erectis extra urbem obuiam occurrerunt, ipſumque Paſtorem uenientem Pontificali infula, & baculo decoratum, multiſque nobilibus Venetis comitatum, & non modicis noſtris* C *praſtantioribus ciuibus circumdatum, mœnia huius ciuitatis inter effuſam ad officium ſpectaculum eius turbam intrantem cum iubilo mentis aſpexerunt, & ad aram ſacratiſſimi magni Templi Veronenſis, ipſius triumphalem reuerētiam, & paternitatem uenerati ducendo, ubi ſuam benedictionem, & Indulgentię largitionem condonauit, illaviter aſſociauerunt tanquàm Angelum ſalutarem ſibi Diuinæ prouiſionis munere deſtinatum.*

Annis ferè duobus Veronenſem rexit Eccleſiam, poſtea cum eſset Gregorij XII. ex ſorore nepos, An. 1408. promotione Cardinalium ſecunda, vocatus ad purpuram Presbyteralem, tit. *SS. Petri, & Marcellini*, Veronenſi ſe exoluit Epiſcopatu, Synodo
D interfuit Conſtantienſi, ex quo euerſus eum Martino V. R. P. Geneuæ, non Genuæ, morbo perijt oppreſsus Anno 1418. Kal. Septemb. in Cathedrali ſepultus.

Ex titulo SS. Marcellini, & Petri, tranſlatum fuiſse Angelum Barbadicum ad titulum *S. Praxedis* auctor eſt Ciaconius. Agnatus iſte Gregorii Barbadici, qui S. R. E. Cardinalis ſanctè rexit eccleſiam Patauinam.

*Ciaconius. Contelorius. Vghellus. Panuinius. Auberij.*

8. *Ho-*

8. *Homo pacis meę in quo ſperaui*, Pſal. 40.



BAndellus de Bandellis Lucenſis Tuſcus, I. V. D. Epiſcopus Tiphernas dictus die 16. Septemb. 1388. vt in *lib. obligat.* ducatus Spoleti, & Etruriæ Spoliorum Collector ad Ariminenſem transfertur Eccleſiam An. 1407. Sequenti verò Presb. Card. tit. *S. Balbinę* aſſumitur à Gregorio XII. promotione ſecunda. Huius Cardinalis epiſtolam directam Abbati S. Saluatoris de Monte Amiato ci- A
tat Vghellus *to. 1. Italiæ par. 2. p.* 230. cuius in cera obſignatoria, eius ſtemmata ſpectantur gentilitia, tres ſcilicet regulæ, quas *Sbarras* vocamus, Scutum



ex obliquo ſecantes. Inſigne longè diuerſum ab eo, quod eidem Cardinali Ciaconius tribuit. An. 1413. B
die Epiphaniæ, Gregorium XII. promotorem ſuum ſolemni pōpa in Cathedrali excepit Ariminenſi penè profugū, & ad Malateſtam amicū ſuū manuduxit, vt tutiori loco teneretur. Omnia cōſtant ex priuilegio dato Cathedrali S. Columbæ, ab eodem Gregorio XII. apud Vghellum in *Ep. Ariminenſib. p.* 436.

Lege *Ciaconium*, *Vghellum*, *Aubery*, *Contelorium*.

9. *Saule Saule cur me perſequeris*, Act. 9.



PHilippus Repingtonus Anglus natu Canonicus Regularis S. Auguſtini Leicenſtrenſis, Oxonium miſſus ab adoleſcētia ſua, non vulgarem in litteris progreſſum faciens, vt ex Lelando ſcribit Pitſeus *de Scriptor. Eccleſ. Angliæ*; laurea inſignitus fuit Theologali. Deceptus, & ſeductus in ſua iuuentute à Vvicleſiſtis plura pro concione inculcauit, imò & Scriptis in publicum emiſit, quæ ab Eccleſia damnata ſunt. Deo tamen auſpice, & ab alto clementer illuminante, errores agnouit, retractauit publica palynodia, veniam ſolemniter expoſcens in ſua concione ad Crucem D. Pauli, Londini, Anno 1382. abiuratis viginti quatuor articu- D.
lis; quos ſanior factus vſque ad obitum execratus eſt. Hinc non longe Abbas electus ſui Cœnobij, poſtea Ep. Lincolinenſis, tandem Anno 1408. promotione ſecunda à Gregorio XII. Presbyter Card. *SS. Nerei, & Achillei*, plura ſcripſit piè, & doctè. Obijt poſtquàm eius promotor Gregorius XII. abrogatus fuiſſet in Piſano Concilio, imò Martini V. adfuit promotioni, in Concilio Conſtantienſi, Anno 1417. Plura ſcripſit Philippus.

*Defenſorium Vvicleffi præceptoris ſui, & hæreſiarchæ.*
*Pro eiuſdem doctrina morali.*
*Homilias per Annum In Euangelia Dominicalia.*
*De Sæculari Dominio Quæſtiones diſputatas.*

Claruit etiam Poeſi, & inter eius epigrammata; lepidum illud occurrit aduerſùs Poetam *NecKam* dictum,

*Et Niger & nequam cum ſis cognomine NecKam.*
*Nigrior eſſe potes, nequior eſſe nequis.*

Iniuriam tamen rependit NecKam epigrammate ſimili, & argutiori.

*Phi nota fœtoris, Lippus malus omnibus horis*
*Phi malus, & Lippus: totus ergo malus Phillipus.*

Nullum inſigne huic Cardinali Ciaconius appoſuit. Lege Ciaconium, Auberij, Vghellum, Nomenclatorem; Pitſeum *de Scriptor. Angl.* Franc. Godeuuinum de *Ep. Linconien.*

10. *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adycientur vobis.* 6. Matth. 33.



MAtthęus natu Germanus, teſte Ciaconio, vel Polonus ſecundùm Antonium Democharem, Claudium Robertum, & Gaſparem Bruſchium in Catalogo Ep. Vormacien. Sacrarum Matthæus Scripturarum Doctor, in Accademia Pariſienſi, & Pragenſi Rector plura ſcripſit, quæ in Monaſterio aſſeruantur Franchentalenſi. Ruperti Imperatoris Cancellarius, huius patrocinio Epiſcopus eligitur Vormatienſis, vbi Annis quinque præfuit ſumma prudentia, eiuſque Eccleſiæ vtilitate. Tandem Anno 1408. à Gregorio XII. promotione ſecunda Card. Presb. tit. *S. Cyriaci in Thermis* abſens electus nunquam Romanum vidit Pontificem, Sciſmata fugiens. Vormaciæ
C vale dixit huic mortali ſęculo, die 5. Martij, vel Maij 1410. ſepultus in medio Chori, Vormatienſis Baſilicæ.

Scripta

*De Amore Charitatis.*
*In Cantica Canticorum.*
*In Eccleſiaſtem.*
*In Matthęi Euangel.*
*In ep. ad Romanos.*

10. *Væ Vobis Scribę & Phariſęi Hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis; quæ foris apparet hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & ſpurcitia. Sic vos foris paretis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.* Matth. 23.



LVcas Manzolius, vel Manzolus Florentinus, claris natalibus ortus, Ordinem ingreſſus Humiliatorum, in Hetruria, in cęnobio *Omnium Sanctorum*, quem titulum Oldoinus malè conuertit ad familiam Gentilitiam, adoleſcens optimis præceptoribus traditus, litterarum ſtudia cum pie-

tate

tate religione, Sanctitate coniunxit. Hinc temporis progreſſu Sacræ Theologiæ Magiſter celeberrimus ſcripſit.

*Summam Caſuum Conſcientiæ*
*De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

Simulatoque nomine *Laurentij de Ridolphis* Concilium vulgauit pro Cardinalium Collegio aduerſùs Antipapas, ambitum deteſtatus dignitatum, præcipuè Gregorij XII. ( teſte *Garimberto lib. 1. p. 149.*) renuentis ſe abdicare Pontificatu: propterea malè audijt tanquàm Hyppocrita apud grauiſſimos viros, A quòd ipſe, qui ambitum damnauerat Gregorij XII. R. P. ab eo poſtea in ętate decrepita Cardinalis electus manum lubens dediſſet. Dignitas palpat quandoque ipſos viros Sanctos.

Priuſquàm Cardinalis crearetur, propter ſingularem conceptam prudentiam, & famam ſanctitatis, Vicarius electus Generalis ſui Ordinis, poſtea rogāte Republica Florentina Epiſcopus Feſulanus, tandem Presb. Card. *S. Laurentij in Lucina* a Gregorio XII. Anno 1408. promotione ſecunda, cum ſua nutante Fortuna, & rebus propemodum deſperatis Papa patronos quæreret. Anctorem ſuum fidelis ſequutus, quamuis in Piſano Concilio depoſitum cum B Cardinalibus ſuis, quos veteres Purpurati in conſortium recipere renuerunt; & ij ſolummodò fuere confirmati, qui Concilio ſuperuixere Conſtantienſi, in quo ſe abdicauit Gregorius, cuius abdicationi Lucas pręobiit Florentiæ, die 14. Septemb. An. 1411. Corpus maxima populorum deuotione veneratum, ad lęuam ſub fornice, prope Organum, in eccleſia Omnium Sanctorum marmoreo tumulo, in quo pręter eius inſignia, cernitur etiam parma gentiliria Gregorii XII. Tanti viri ne periret memoria, Florentina Reſpublica epitaphio ibidem inciſo decorauit.

*Exemplar vitæ, morum, virtutis, & almę*
*Protector legis, qualem vix nouerit ætas.*
*Noſtra parem, fuit hic Lucas ex Ordine noſtro.*
*Cardinis ad culmen Romanæ ſponte vocatus.*
*Eccleſiæ, verùm Legatus poſtea Summi*
*Pontificis moritur, Cælum mens ipſa uolauit*
*Anno Domini M. CCCC. XI. die XVI.* C

In verſu ſecundo aduertas legere *qualem*, non *æqualem*. Ex Prępoſito Generali Vicario aſſumptus dicitur Cardinalis, ſed in Catalogo eiuſdem Ordinis Generalium, à Vvione *lib. 2. Ligni Vitæ c. 60.* non inuenitur. Sui quidem Monaſterii Præpoſitus, non D Generalis extitit, vt *Tabula Humiliatorum* indicant.

D. Antoninus *par. 3. Hiſt. tit. 22. c. 5. §. 1.* Lucam dicit *Magni conſilij virum, S. Theologiæ profeſſorem peritum magnæ famæ, & probitatis.* De eodem Valerianus Florent. Abbas S. Saluii, *de Cardinal. Florent.* In Tabulis Ordinis Humiliatorum ( quem extinxit Pius V.) pro *Beato* habebatur: vnde in Martyrologio Monaſtico ſcribit Arnoldus Vvion 18. Kal. Octob. *Florentiæ depoſitio Beati Lucæ Manzoli Præpoſiti Ordinis Humiliatorum, & S. R. E. Cardinalis ampliſſimi, ſummæ doctrinæ, & Sanctitatis.* Iiſdem ferè verbis eum extollit Anonymus M. S. in *bibliotheca Morandiana.*

Ciaconius, Vghellus, Auberii, Valerian. Florent. *de Card. Florent.* Garimb. Nomenclator, Anton. Demochar. Claudius Rober. Gaſpar Iongellin. Scipio Amirat *hiſtor. Florent.* & in *Ep. Feſulan.*

12. *Vir verſutus odioſus eſt.*
Prouer. 17.



FR. Vincentius de Arragonia Hiſpanus Prior Montis Ferrati, Ordinis S. Benedicti, Decretorum Doctor, Presb. Card. tit. *S. Anaſtaſiæ* vocatus à Gregorio XII. Anno 1408. ad ſubſidium ſuæ calamitatis, promotione ſecunda; quando Papa præmebatur à Cardinalibus, ſede abire Papali, vt concordia reſtitueretur Eccleſię; & Vincentium oratorem ageret apud ipſum Gregorium nomine Martini Regis Arragoniæ. Obijt poſt exauctoratum Gregorium à Concilio Piſano, circa Annum 1410. in Hiſpania, quò ſe contulerat; ne appareret cum quo ſentiret.

Ciaconius, Auberij Porregnus *elog. M. S. Card. Hiſpan.* Anton. de Lepes *hiſtor. Montiſferrati.*

13. *Pro lege & patria mori parati.*
a. Maccab. 8.



OCtauianus de Octauianis claro apud Florentinos ſanguine natus, & in arcanis Reipublicæ prudentia, & peritia ſingularis, verè Reipublicę filius patriam ſincero amore proſequutus, ſpectabilem opinionem apud Principes meruit, præcipuè apud Gregorium XII. cum *iſte viros* ſpectatiſſimos quæreret, qui eius cauſam fulcirent labantem, inter Presb. Card. tit. S.... aſſumptus Anno 1408. teſte Ciaconio, & Vghello ex monumentis *Ioannis de Gorbo*, hęſitante Contelorio, qui hoc nomen in Vaticanis Regeſtis non inuenit.

Ciaconius, Vghellus.

Diaco-

## Diaconi Cardinales.

14. *Medice cura te ipſum*. 1. Lucæ. 4.



IAcobus, vel Iacobinus Vtinenſis; Foroiulienſis, vir religioſus, & pius, teſte *S. Antonino*, poſtquam Medicinæ operam dediſſet fama virtutis, ad caſtra ſeceſſit Eccleſiæ, in qua ex Protonotario Apoſtolico, in prima Cardinalium creatione facta à Gregorio XII. Anno Sal. 1408. cui adeſſe negarunt veteres Cardinales; quarto loco Diaconus Card. S. . . . . ſine Diaconia, paulò poſt *S. Maria Noua* aſſumitur, Arimini dicitur obijſſe cū ad Venetos Legatus pergeret, pro Gregor. XII. auctore ſuo, poſtquàm iſte in Piſano Cōcilio fuiſſet depoſitus: Iacobus autem nunquàm inter Cardinales receptus fuiſſet; vt cauſam ſui ageret, & alienam, ſed nihil profecit; Republica Veneta Concilio acquieſcere volente.

Arimini ſepelitur Anno 1412. in templo S. Ioannis Euangeliſtæ, vbi viſitur adhuc eius imago. Contelorius die 19. Feb. 1431. obijſſe refert.

15. *Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus*. Prouer. 8.



PEtrus Maurocenus Venetus. Artium Doctor & peritiſſimus Iure Conſultus ſcripſit Iuris varia Conſilia: Commentaria in Sextum Decretalium, quæ non mediocri Iuris iactura puluere corroſa iacent in Vaticana Bibliotheca (teſte Marco Mantua Patauino) Explicauit C etiam Patauii ex cathedra eumdem Sextum Decretalium librum, vt apud Riccobonum *lib. 1. c. 12. de Gymnaſio Patauino*. Trithemius *de Scriptor. Eccleſ.* appellat eum *diuinis litteris, & iure Canonico doctiſſimum, litterarum ſæcularium non ignarum, ingenio præſtantem, vita & conuerſatione inſignem*. Fama virtutis cognitus à Gregorio XII. ex Protonatario Apoſtolico Diaconus Card. aſſumitur *S. Maria in Dominica*, Anno 1408. ad firmamentum eius Pontificatus; Proſdocimum Comitem Patauinum procum paſſus, qui mul- A tæ eruditionis habitus ius Pontificium docebat in Patria. Floruit in Conſtantienſi Concilio cum Martino V. cuius Legatus Regnum obiuit Neapolitanum. Romæ deceſſit die XI. Auguſti, 1424. ſepultus in eccleſia S. Mariæ Nouæ, cum ſequenti epitaphio.

*Hic iacet præclaræ memoriæ Reuerendiſſ. in Chriſto Pater DD. Petrus S. Mariæ in Dominica Diaconus Cardinalis Venetiarum Iunior nuncupatus, qui obijt Anno M.CCCCXXIV. die XI. Men. Aug. Cuius Anima in pace requieſcat.*

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Antonium Poſſeuinum in *Apparatu Sacro* Trithemium *de Scriptor. Eccleſ.* Petrus Poſſeuinus Venetum di- B cit patritium; quod apud alios Scriptores ſub ſilentio. De eo plura apud Pancirolum *lib. 3. de Claris Iuris interpret. p. 448.* Venetum ego credo Patritium propter inſignia Maurocenæ Gentis, quę à primordio Venetam tractauit Remp. Lege Socinum *Conſ. 241. Col. 4. lib. 2.* Ciaconium.

## Cancellarius ſub Gregorio XIII.

ANgelus Acciaiolus Ep. C. Oſtienſis. S. R. E. Vice Cancellarius ab Anno 1. ad initium Piſani Concilij, in quo mortuus eſt.

# ALEXANDER V. R. P. CCVI.

ALexander V. Eligitur die 26. Iunij, An. Sal. 1409. Obiit die 4. Maii, An. Sal. 1410. Eius adfuere comitiis Cardinales vtriuſque obedientiæ, num. 26.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Guido de Malo ſicco Ep. C. Præneſtin. ex Greg. XI. & Clem. 7.
2. Henricus Minutulus Ep. C. Tuſculanus, ex Bonif. IX.
3. Nicolaus Brancatius Ep. C. Albanus, ex Clem. VII.

D

4. Anton. Caietanus Ep. C. Præneſtin. ex Bonif. IX. & Innoc. VII.
5. Io: de Bronhiaco Ep. C. Oſtien. ex Clem. VII. & Bened. 13.
6. Petrus Gerardi de Podio Ep. C. Tuſculan. ex Clem. VII. & Bened. XIII.

Presby-

## Presbyteri Cardinales,

Ex Clem. VII.

7. Petrus de Turrego P. C. tit. S. Suſannæ.
8. Io: Flandrini P. C. SS. Io. & Pauli tit. Pam.
9. F. Angelus de Anna P. C. S. Pudentianę tit. Paſtoris. ex Vrb. VI. & Bonif. IX.
10. Petrus Fernandi Frias P. C. S. Praxedis: ex Clem. VII.

Ex Innoc. VII.

11. Conradus P. C. S. Chryſogoni.
12. Franciſcus Huguccionus P. C. SS. IV. Coronat.
13. Iordanus P. C. SS. Sylueſtri, & Martini tit. Equitij.
14. Io: Melioratus P. C. S. Crucis in Hieruſalem.
A 15. Fr. Petrus Philargi, Baſilicæ XII. Apoſtol. P. C.
16. Antonius Caluus P. C. Praxedis, vel S. Marci,

## Diaconi Cardinales.

17. *Ludouicus de Fliſco D. C. S. Hadriani: ex Vrbano VI. abſens erat in Hiſpania.
18. Amadeus de Salluciis D. C. S. Mariæ Nouæ ex Clem. VII.
19. Raynaldus Brancatius D. C. SS. Viti & Modeſti, in macello Martyrum: ex Vrbano VI.
20. Landulphus Maramaurus D. C. S. Nicolai in carcere Tulliano ex Vrb. VI. Bonif. IX.

Ex Bened. XIII.

21. Petrus Serra D. C. S. Angeli.
22. Ludouicus de Barro D. C. S. Agathæ.
23. Balthaſſar Coſſa D. C. S. Euſtachii ex Bonif. IX.

Ex Innoc. VII.

24. Otho Columna D. C. S. Georgii in Velabro;
25. Petrus Stephaneſcus Hanibaldus D. C. S. Angeli in foro piſcium.
B 26. Antonius de Calancho D. C. Mariæ in Via lata: ex Bened. XIII.
27. Alphonſus Carriglius D. C. tit. SS. IV. Coronatorum Hiſpanus ex Gallica obedientia, ſolum poſt electionem Martini V. relicto Bened. XIII. Romam venit, ſub obedientia Martini obiit.

# IOANNES XXIII. R. P. CCVII.

C

IOannes XXIII. Die 14. Maii, An. Sal. 1410. creatus, deponitur die 29. Maii An. Sal. 1416. Eius adfuere comitiis, qui nullo notantur aſterico.

## Epiſcopi Cardinales viuentes, quando creatus eſt Io: XXIII.

1. *Guido de Malo ſicco Ep. C. Prænestinus: ex Greg. XI. & Clem. VII.
2. Henricus Minutolus Ep. C. Sabinus ex Bonif. IX. & Alex. V.
3. Nicolaus Brancatius Ep. C. Albanus: ex Clem. VII.
4. *Antonius Caietanus Ep. C. Præneſtin. ex Bonif. IX. Innoc. VII. ex Alex. V, à Panuinio dicitur Ep. C. Portuenſis,

ex Clem. VII. & Bened. XIII.

D 5. Io: de Bronhiaco Ep. C. Oſtienſis.
6. Petrus Gerardi de Podio Ep. C. Tuſculanus

## Presbyteri Cardinales,

Ex Clem. VII.

7. *Petrus de Turego P. C. S. Suſannæ.
8. *Io: Flandrini P. C. SS. Io: & Pauli, tit. Pam.
9. Fr. Angelus P. C. S. Pudentianæ, tit. Paſtoris: ex Vrb. VI. & Bonif. IX.
10. Fr. Angelus P. C. S. Pudentianæ, tit. Paſtoris: ex Vrb. VI. & Bonif. IX.
10. Petrus Fernandi Frias P. C. S. Ptaxedis: ex Clem. VII.

Ex Innoc. VII.

11. Conradus Caracciolus P. C. S. Chryſogoni
12. Franciſcus Huguccionus P. C. SS. VI. Coronat.
13. Iordanus Vrſinus P. C. S. Laur. & Damaſi.
14. Io: Melioratus P. C. S. Crucis in Hieruſalem.
15. Antonius Caluus P. C. S. Marci.
16. *Ludouicus de Barro P. C. SS. XII. Apoſtol. ex Bened. XIII. & Alex. V.

Diaco-

## Diaconi Cardinales.

17. *Ludouicus de Fliſco D. C. S. Hadriani: ex Vrbano VI.

18. *Amadeus de Sallutiis D. C. S. Mariæ Nouę Legatus in Germania: ex Clem. VII.

19. Raynaldus Brancatius D. C. SS. Viti, & Modeſti in macello Mat. ex Vrbano VI.

20. Landuldhus Maramaurus D. C. S. Nicolai in carcere: ex Vrb. VI. & Bonif. IX.

21. Balthaſſar Coſſa D. C. S. Euſtachii: ex Bonif.

Ex Innoc. VII.

22. Otho Columna D. C. S. Georgii in Velabro.

23. Petrus Stephaneſcus Hannibaldus D. C. S. Angeli.

A 24. Antonius de Calancho D. C. S. Mariæ in Via Lata: ex Bened. XIII.

## Epiſcopi Cardinales creati à Io: XXIII.

1. F. Angelus de Anna ex Presb. Card. *S. Pudentianæ tit. Paſtoris* ſub Bonif. IX. Epiſcopus *Preneſtinus* aſſumitur à Io: XXIII. promotione Cardinalium prima facta, Anno 1411. Romæ. Lege ſub *Vrbano VI. n. 61.*

2. PEtrus Fernandi Frias ex Presb. C. *S. Praxedis* ſub Clemente VII. Ep. C. *Sabinus* promotus Anno Sal. 1412. Lege in *Clem. VII. n. 41.*

3. IOrdanus Vrſinus ex P. C. tit. *Damaſi*, Ep. C *Albanus* Anno 1412. Lege n. 4. ſub *Innoc. VII. n. 4.*

4. LVdouicus de Barro ex Presb. Card. *SS. XII. Apoſtolorum* Ep. C. *Portuenſis*, & *S. Ruffinæ* dictus Anno 1411. à Io: XXIII. Lege in *Benedicto* B *XIII. n. 28.*

## Presbyteri Cardinales ab eo creati.

5. ANtonius de Calancho ex Diacono Cardinali *S. Mariæ in Via lata* ſub Benedicto XIII. Presbyter Card. *tit. S. Cæciliæ* Lege in *Bened. XIII. n. 29.*

*6. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Act. 7.



GVillelmus Carbonus Neapolitanus olim Archidiaconus Aquilęienſis, & Protonotarius Apoſtolicus, poſtea Epiſcopus Theatinus, aſſumptus à Bonifacio IX. Anno Sal. 1396. in præmium virtutis, frater namque germanus Franciſci Cardinalis Carboni, purpuram æmulabatur germani virtute eximia, atque pietate. Hic Anno 1398. cum iter haberet ad Romanam Curiam, à Landulpho captus Columna, & carcere mancipatus indecoro, ad Bonifacium IX. R. P. prouocauit, qui Landulphum diris deuouit, donec Guillelmum liberum dimitteret, eique ablata reſtitueret. Ita factum. Manumiſſus Guillelmus alius ProtoMartir ad Pontificem ſupplex venit veniam poſcens perſecutori ſuo, & impetrauit. Inde ad eccleſiam reuerſus Theatinam, ea charitate gregem moderatus eſt, vt opes paternas in pauperum alimoniam omnes effuderit, celebri plauſu etiam apud exteras nationes. Hunc Io: XXIII. ad auram conciliandam regimini ſuo, Cardinalem dixit Presb. tit. *S. Balbinæ* Anno 1411. promotione Cardinalium prima: eique Abbatiam commendauit S. Marię de Arabona ſuæ diœ-
C ceſis. Cardinalem fuiſſe Guillelmum S. R. E. teſtis eſt Martinus V. R. P. cum litteris ſuis (quæ extant in *lib. de diuer. formis Martini V. f. 233.*) profert Nicolaum Ep. Spoletanum ad Theatinam tranſlatum Eccleſiam, vacantem per aſſumptionem olim Guillelmi Carboni Epiſcopi, qui à vinculo Theatinæ eccleſiæ abſolutus fuerat à Balthaſare tunc Io: 23. ad Cardinalatus honorem. Quo die obierit, & quo in loco? incertum. Cum tamen Neapolitana Eccleſia die 22. Nouemb. Anniuerſarium celebret Guillelmi; coniectura eſt, eo die obiiſſe Neapoli, ante creationem Martini V. Neapoli iacet apud Franciſcum Carbonum fratrem ſuum in eccleſia princi-
D pe, in ſacello familiæ Carbonæ, in quo vſque in hodiernum diem, geminum inſpicimus pileum Cardinalitium; argumentum duos ibi iacere Cardinales.

Lege Vghellum in *additionibus ad Ciaconium.*



Digitized by Google

## Cardinales Presbyteri creati à Io: XXIII.

7. *Ciuitas Literarum*. 1. Iud.



FRanciſcus Landus, familia apud Venetos Patritia, & præſtantium Senatorum ſęcunda, pietate, ac iuſtitia non minùs, quàm Iuriſprudentia clarus more Maiorum, Legum, Sacrorumq, Canonum ſtudio incumbens, Lauream Patauij (Ciuitas hęc literarum) conſecutus Doctoralem (peculiare namque huius nobiliſſimę familiæ vſque in hodiernamdiem Legatis poſteros excitare atque donationibus ad Legum ſtudia, quibus neglectis hęreditatis iacent incapaces) Gradenſi auctus Patriarchatu, poſt mortem Ioannis de Zambottis, à Gregorio XII. R. P. Anno 1408. Piſano interfuit Concilio, Anno Sal. 1409. inde ab Alex. V. ad Conſtantinopolitanam translatus Eccleſiam; & a Io: XXIII. R. P. Presbyter dictus Cardinalis, Anno 1411. promotione prima, & primus in publicatione Candidatorum, tit. *S. Crucis in Hieruſalem*. Concilio interfuit Conſtantienſi, dum Martinus V. eueheretur ad Se-
B dem Petri, à quo Epiſcopus promotus *Sabinus* Anno 1410. Romæ deceſſit 7. Kal. Ian. 1427. ſepultus apud S. Mariam Maiorem prope aram maximam cum epitaphio, teſte *Paulo de Angelis lib. 9. c. 2. & Nomenclatore Cardin.*

*Laudibus ęternum ſenior celebrandus in æuum*
*Hic Franciſcus habet cineres, quem clara creauit*
*Landa Domus, Venetæ proles Sanctiſſima gentis*
*Ætherea virtute nitens, ius nactus vtrumque*
*Doctor erat, Cleri lumen, grauis author honeſti*
*Iuſtitiæ ſublimis apex, expertus honores*
*Eccleſiæ meritos Gradi ſibi credita ſedes.*
*Hinc Conſtantini Patriarcha appoſitus vrbi.*
*Hieruſalem ſacri Titulum poſt Cardinis auctum*
*Crux dedit, hic ſumma Piſani laude peregit*
*Concilij fædus, Gradi tunc ſceptra tenebat.*
*Feruida Conſtanci leniuit corda furentis*
*Hic populi, monuitque acies mortique paratus*
*Inde Sabinenſem titulum dum Præſul agebat*
*Spiritus æternum clarus migrauit in Cœlum.*

In eiuſdem archiuo Baſilicæ legitur: *Franciſcus Landus Epiſcopus Sabinenſis Gardinalis à Io: XXIII. creatus in marmoreo iacet ſepulchro prope Tribunam maiorem.*

In eadem Baſilica ſepulchrum ſibi elegerat, teſte *Paulo de Angilis lib. 5. c. 2. Deſcript. Liberianę Baſilicę.*

*Sepulturam mei corporis . . . in eccleſia S. Mariæ Maioris de Vrbe eligo. Sepulchrum vnum, in quo corpus meum poſtquàm ab hac luce deceſſerit, reponi iubeo: atque volo fabricari, & ędificari: Inſuper poteſtate Apoſtolica prædicta deſiderans, vt in ipſa eccleſia diuinus cultus augeatur, ad laudem, & gloriam . . . Indiuiduæ Trinitatis, glorioſiſſimęque V. Mariæ, ac B. Petri & Pauli Apoſtolorum, ac Franciſci Conf. . . . totiuſque cęleſtis Curiæ fieri feci vnam Capellam cum Altari iuxta Altare Maius dictæ Eccleſiæ verſùs latus ſiniſtrum, quo Euangelium cantatur, ipſamque . . . . ſub nomine. Aſſumptionis B. Mariæ V. & S. Franciſci Conf. decreui intitulandam.* Voluit etiam in eodem ſacello duos Capellanos quotidiè ſacra facere, attributis redditibus neceſſarijs pro eorum alimonia. Hinc Canonici Liberianæ Baſilicæ, ſequenti decorarunt elogio, quod legitur in Sacrario.

*Franciſcus Landus Archipresb. Cardinalis hac in Baſi-*
A *lica ſacellum extruxit, adiecta pro pluribus Sacerdotibus dote, delectoque ibidem ſepulchro, vbi mortuus conderetur.*

Ciaconius, Auberij, Vghellus, Contelorius, Victorellus, Paulus de Angel de *Baſil. Liberian.* Hippol. Marrac. *pur. Mar.*

8. *Profugus à facie Regis Saul*, 3. Reg. 12.



ANtonius Pancerinus de Portu Gruario in Prouincia Fori Iulij, ex Archidiacono eccleſiæ Concordienſis, & Secretario Bonifacij IX. R. P. ob pręclariſſima merita, ad teſtimonium virtutis Concordienſis Epiſcopus dictus ab eodem Boniſacio IX. Anno 1393. Annos circiter decem, Eccleſiæ præfuit Concordienſi, translatus inde ad ſedem Patriarchalem Aquileię, in locum Antonij Caietani (quem Bonifacius Cardinalem creauerat) Anno 1402. In hac Sede, non ſine Eccleſiæ damno, Zapulam oppidum Panciarinis ſuis conceſſit. Templum tamen in Portu Gruario, ęre ſuo, à fundamentis extruxit, & D. Andreę dicauit.
C Suſpectus poſtea Gregorio XII. R. P. initæ conſpirationis cum eis, qui Gregorium meditabantur ſede deturbare Papali, omni honore ſpoliatur ipſe cum Pancerinis ſuis (ſubrogato in Sedem Aquileienſem Antonio de Ponte patritio Veneto) hinc profugus inter amicos & cognatos mendicus victum ſibi quęrens, donec arridēte fortuna ſub Ioanne XXIII. iterum Patriarchatum recepit imò purpura auctus Presbyterali *tit. S. Suſannæ*, promotione prima An. 1411. Concilio interfuit Conſtantienſi, in quo promotus Martinus V. Adſuit Comitiis Eugenij IV. à quo Ep. creatus *Tuſculanus* Romæ occubuit Anno 1431. die 5. Non. Iulii, ſepultus in Baſilica S. Petri.

D Lege de eo *Ioannem Candidum lib. 7. Hiſtor. Aquileien.* Ciaconium, Vghellum, Auberii, Contelorium, Franc. M. Turrig. *de Crypt. Vatic.*

9. In-

*9. Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: dicit Dominus. Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi.* Eco. 8.



ALamanus Adimarius, Florentinus, Philippi & N... Forteguerrę filius (familia illuſtris, & perantiqua inter Italos) artes edoctus liberales in ſolio patrio, lauream vtriuſque iuris adeptus, & Canonicatum eccleſiæ Cathedralis, mox Plebanus S. Stephani Modilianæ, Romam venit communem patriam, nouercam factam Litteratorum. Ibi pietate, doctrina, Summis Pontificibus notus Protonotariatum meruit Apoſtolicum, inde Epiſcoparum Florentinum Anno 1400. cui per annum præfuit: vt ex *diplomate Bonifacij IX. in Archiuio Florentino*; mox Tarentinum promouente Bonifacio IX. R. P. & ſub Innocentio VII. Piſanum Anno 1406. poſtea Referendarius Apoſtolicus renunciatus à Io: XXIII. ad Gallorum Regem legatur, fruge & honore vberrimo Eccleſiæ Romanæ. Purpura propterea abſens decoratus Presbyterali, tit. *S. Euſebij*, promotione Cardinalium prima facta à Io: XXIII. Romæ, Anno Sal. 1411. In hac legatione, Cæleſtinis indulſit, vt in Regno Franciæ, eccleſias omnes, quas poſſidebant, vno die conſecrarent, ſexto Idus Octobris. Hinc in Gallico Martyrologio legitur. *Dedicatio omnium eccleſiarum ordinis Cæleſtinorum, per vniuerſum Franciæ Regnum hodie celebrata ex indulto Alamani Card. Presb. tit. S. Euſebij, Piſani nuncupati, Apoſtolicæ Sedis de latere in Francia Legati.* Iuſſus inde in Hiſpaniam pergere, vt Regnum illud ob ſciſma Petri de Luna ab eccleſia ſeiunctum Romana reintegraret, & Hiſpaniám Maurorum ferro petitam propugnaret, omnem mouit lapidem pro ſuæ legationis officio, quampis ab Alphonſo Rege ſpecioſa ſolummodò verba retraxerit. Ad Conſtantienſe tandem vocatus Concilium, inter primores Cardinales Martinum V. promouit, à quo iterum in Arragoniam legatus, vt Petrum de Luna pſeudoPapam ad ſaniora conſilia prouocaret, tentauit conſtans & imperterritus animum obduratum Pharaonis, hoc enim titulo placet inſultare Antipontifici, quem nec homo nec Deus emollire valuit, vt per renunciationem vſurpati honoris, pacem daret Orbi Catholico. Nec latet Cardinalem Piſanum (ſic enim appellant Alamanum Adimarium) apud Marianam *lib. vlt. Hiſtor. Hiſpan.* accuſari veno ſuſtuliſſe Petrum de Luna, ſui capitis diſcrimine, niſi tempeſtiuè aufugiſſet. Accipe verba: *Petrus de Luna, cui in Pontificum diſſidio, Benedicti XIII. nomen fuit, Peninſula, vbi ſe tenebat loci munitione, Pontificium nomen retinens deceſſerat ad X. Cal. Iun. ipſo Pentecoſtes feſto die, atque adeo nonagenarius, quod miraculi inſtar fuit, in tanta rerum varietate, tantiſque procellis tandiù produxiſſe vitam, corpus in eius arcis templo compoſitum funere tranſlatitio. Ludouicus Panſanus ciuis Hiſpalenſis, atque è familia Alphonſi Carrilij Cardinal. S. Euſtachij, pro certo aſſirmat in proprio commentario, Benedictum veneno fuiſſe peremptum infectis nebulis dulciarijs, quibus in ſecundis menſis libenter veſcebatur, à Thoma Monacho, quo is multum & familiariter vtebatur. De confeſſo, atque conuicto ſumptum ſupplicium, corpore in quatuor conſcerpto partes. Conſilij auctorem, Cardinalem Piſanum ad capiendum Benedictum in Arragoniam legatum, Dertuſa vbi ſe tenebat operi intentus aufugiſſe metu Roderici, Aluarique patrui Benedicti indignam cædem vlciſci parantium, Legati haud dubium capite: niſi celeriter Hiſpaniæ finibus diſceſſiſſet, re ex ſententia patrata, neque diſſidio tamen compoſito. Nam duorum, qui ſupererant,* A *Cardinalium nominatione; Ægidius Munotius Barcinonenſis Canonicus in defuncti locum ſuffectus eſt. Vile erat ac nihili, quod ad eas ſordes abiiciebatur, & in ipſum nutantem, atque aduerſùs conſenſum orbis terrarum oblatum honorē, ſuſcipere recuſantem, Alphonſus Rex Arragoniæ cōfirmaſſe fertur, ineundique Pōtificatus auctorē extitiſſe Clementis VIII. nomine, nimirum Martino Pontifici ægrè facere cupiebat ad Andegauenſes propenſo, ab Arragoniis rebus auerſo: qui Ludouicum Andegauenſem antea Regem Neapolitanum, Romanaque Eccleſiæ beneficiarium nuncupat: & nuper abdicatam à Regina Ioanna Alfonſi adoptionem probaſſe videbatur, vireſque contra illum, & conſilia participaſſe. Ex decreto Concilij Conſtantienſis, conuentus Papiæ Epiſcoporum haberi cæptus,* B *Senas Hetruriæ nobilem ciuitatem, propter vim peſtis graſſantis tranſlatus, eò undique Epiſcopi & Oratores miſſi: ſuos etiam miſit Alfonſus mandauitque ut Benedicti cauſam agerent: cæptique per iniuriam Pontificatus, litem intenderent &c.*

Calumnia hęc aduerſùs Adimarium Cardinalem Piſanum quàm facilè reyciatur, habes in noſtro *to. 4. Rom. Pontif. in vita Martini V.* De eo lege Hieronymum Garimbertum *lib. 1. c. 3.* à quo cum laude & gloria, Hiſpana recenſita Adimarii legatione, eiuſque zelo erga Romanam Eccleſiam, vmbram diluit impoſturæ. Piſanus Populus eum tanti fecit, vt ſuauiſſimo parentis nomine illum compellarent; cui vt C par pari rependeret, Purpura exornatus, *Piſanus* Cardinalis dici voluit, imò in Scuto Gentilitio, Piſarum inſignia, Crucem nempè candidam adiecit in area rubra.

Tantis legationibus feſſus præcipuè Hiſpana, Romam rediit, Tyburique ex lue graſſante, migrauit ſede relicta mortali, die 17. Septemb. 1422. Eius cadauer Romam relatum apud S. Mariam Nouam, iacet ſub graui marmore, in quo legitur.

*Corpus Alemanni Cardinalis Piſani*
*Florentiæ ex Adimariorū antiqua ex nobili familia ortus.*
D *Vtriuſque Iuris Doctor,*
*& omni litterarum genere eruditus.*
*Primum Protonotarius*
*deinde Tarentinus*
*Poſt Piſanus Archiep.*
*ad Cardinalatus apicem prouectus*
*dum pro Romana Eccleſia*
*legatione fungeretur in Gallijs.*
*Doctorum virorum amator, & cultor*

*Vir ipſe doctiſſimus, Zelator Iuſtitiæ*
*& communis Reipublicæ bonis.*
*qui pro Eccleſiæ amore apud Piſanum*
*Conſtantienſeque Concilia vſque ad optatam concluſionem*
*neminem veritus laborauit intrepidè.*
*Obijt ex peſte Anno ætatis ſuæ LX.*
*Menſe Septemb. XVII.*
*M.CCCC. XXII.*

De eo lege Ciaconium, Andream Victorellum, Garimbertum, Vghellum *in Archiep. Piſanis*; Ioannem Iuuenem *lib. 8. de Antiquit. & varia for. Tarentinorum*. Anonymum *de Cardinal. Floren. in bibliotheca* A *Horatij Morandi Abb. S. Praxedis*. Thomam Dempſterum *in fragmentis*. Raphaelem Volaterranum. Platinam. Iacobum *Gaddum lib. 2.* Odarum. Eurotam Mieſcolum *in notis ad Gaddum*. Alexandrum Adimarum in ſua *Clio*.

10. *Beatus homo, cui donatum eſt, habere timorem Dei.* Eccl. 25



IOannes Luſitanus Hiſpanus natu, ex Epiſcopo Conimbricenſi Archiep. Vliſſiponenſis, Prerbyter Cardinalis *S. Petri ad* B *Vincula, tit. Eudoxiæ*, Rege poſtulante Luſitano, cui erat à ſecretis, aſſumptus à Io: XXIII. promotione prima, An. Sal. 1411. die 6. Iunij, Romæ. Debitum naturæ ſoluit (ſi Ciaconio fides) in villa Bruges apud Hiſpanos, Anno 1413. Vel ex Contelorio, Anno 1415. die 23. Ianuarij, Burgis apud Flandros, dum Roma in Luſitaniam reuerteretur.

Ciaconius, Panuinius, Balthaſſar Porreg. *lib. cit.* Auberij, Contelor.

11. *Ignem Gyrum Stellarum Rectores Orbis, terræ Deos* C *putauerunt*, Sap. 13.



PEtrus de Alliaco Compendij natus ad Oeſiam fluuium. Picardiæ, patre Colardo, in Parœcia S. Iacobi, Deo renatus teſte Frizonio *in Gallia Purpurata*; Icones parentum conſpiciuntur in vitreis feneſtris eiuſdem Eccleſiæ; non itaque (deducit Frizonius) fuit è familia d'Aillij nobilitate commendatiſſima V. Dominorum Ambiani, & Baronum de Piquenii, quorum vnica hęres nupta Do- D mino de Cadenet Franciæ Polemarco, Duci de Chaunes.

Cancellarius fuit Petrus Accademiæ Pariſienſis, & eiuſdem Doctor, ac magnus Regię domus Nauarrę Magiſter Anno 1386. à theſauris S. Capellæ Lutetianæ, magnus Franciæ Eleemoſinarius Caroli VI. Ioannem Gerſonem auditorem habuit & diſcipulum, eiuſdem Domus Doctorem, Vniuerſitatis Pariſien. Cancellarium, virum pientiſſimum, & eruditiſſimum, libertate dicendi intrepidum in Prælatos turpis lucri cupidos. Antiſtes inauguratus Anicienſis, ſeù Podienſis (Vellaunorum eſt oppidum) ſub Archiepiſcopo Bituricenſi; deinde Vaurenſis ad fluuium Agotum, vulgò *Agu*, in agro Lauracenſi; tandem Cameracenſis Epiſcopus, ad Synodum venit Piſanam vnà cum Ioanne Gerſone, in comitatu Ludouici Cardinalis Ducis Barrenſis, in qua creatus Io: XXIII. ab eodem dictus eſt Presb. Cardinal. tit. *S. Chryſogoni*, promotione prima facta, die 8. Id. Iunii, 1411. Adfuit poſtea Concilio Conſtantienſi, in quo longęuo abiurato Sciſmate, Martinus V. in ſedem Petri fuit eleuatus. In huius Concilii Seſſione V. XI. & XIV. XV. XVI. mentionem habes Petri de Alliaco. Geminam extruxit Petrus bibliothecam, viuam, & mortuam. Aulam ſcilicet Regiam in Collegio Nauarręo vnà & ędes Baccalaureis Theologis datas ad inhabitandum, pro quarum foribus ſtat Virgo Deipara. Incluſit ea ſeipſum viuentem, & mortuum libris ſequentibus ab eo conſcriptis.

*Libros quatuor in quatuor Sententiarum.*
*Quæſtiones in Hexameron.*
*De laude S. Scripturæ.*
*In principium Euangelij S. Marci.*
*De Stabilitate Eccleſiæ.*
*Speculum Conſiderationis. lib. 3.*
*De Spirituali Scala.*
*In Pſalterium paraphraſim.*
*Meditationes in Pſalmum 70. & 42.*
*De Legibus & Sectis.*
*De Concilio Generali.*
*De Interdicto.*
*De permutatione Beneficiorum.*
*In Septem Pſalmos Pænitentiales*
*In Cantica Canticorum.*
*Compendium Contemplationis*
*De Oratione Dominica, libros 2.*
*Super Aue Maria.*
*In Magnificat.*
*In Canticum Zaccharia.*
*In Canticum Simeonis.*
*De Electione Papæ.*
*De exercitio Spirituali.*
*De 12. honoribus S. Ioſeph.*
*De Anima, & accidentibus eius.*
*In libros Meteororum.*
*Concordiam Theologiæ cum Aſtronomia, & hiſtoria.*
*De Sacramentis Eccleſię.*
*De poteſtate Eccleſiaſtica.*
*De emendatione Eccleſię.*
*Sermones Varios*
*De duodecim parallellis, ad quę Ptolomęi parallella reuocat.*

*Epiſtolas plures*; quarum aliquæ ad S. Vincentium Ferrerium, gratias agens pro laboribus ab eo ſuſceptis in gratiam Eccleſiæ.

*Vitam S. Petri Cęleſtini*, in qua abdicationem Pontifi-

tiſicatus ab eo ſactam laudibus in Cælum extollit.

*In Momos & Detractores apud Surium.*

Liber porro qui de emẽdatione Eccleſiæ vnà prodiit cum Concilio Baſileenſi, integro legendus iudicio. Reprobando quæ ipſe Petrus de Aliaco, *quæſt.* 30. *in Geneſim;& lib.de Stella & Magis* ſenſit,nimirum Chriſti natiuitatem ex Genethliacis diuinationibus prænoſci potuiſſe; quod & ante eum profeſſus fuerat Albertus ſuo ſęculo Magnus. Hoc enim damnauit Auguſtinus *lib.* 5. *de Ciuitate Dei*, c. 1. & S. Synodus Tridentina. Lege Sixtum Senenſem *lib.* 5. *Bibliothecę Sanctæ. Adnot.* 15. & 81. & *lib.* 6. *Adnot.* X. & A *lib. Curioſar, quæſt.* Benedictum Pererium *libello de hac* materia. Antonium Poſſeuinum *Bibliothe. Seelecta.* Picum Mirandulanum, qui Petrum Aſtronomiæ ignorantem accuſat, tot redarguens errata, quot verba in illo libro; quod ſenex Petrus ſcientiam illam delibauerit, & omnia ad verbum ſurripiendo tranſcripſerit.

Terram deſeruit Petrus VI. Idus Aug. 1425. vt habetur in Necrologio Pariſienſi, in ſua Cameraeenſi Eccleſia ſepultus cum epitaphio.

*Hic iacet Reuerendiſſ. Pater D. Petrus*
*de Alliaco, Theologię Doctor.*
*Quondàm Epiſcopus Cameracenſis Orate pro eo.*
*Mors rapuit Petrum; petram ſubijt putre. Corpus,*
*Sed petram Chriſtum Spiritus ipſe petit.*
*Quiſquis ades precibus fer opem, ſemperq. memento*
*Quod præter mores omnia morte cadunt.*
*Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent*
*Aſpicis, hęc aderant nunc mihi, nunc abeunt.* B

Aliam memoriam Collegium poſuit Nauarręum Benefactori ſuo, cum effigie depicta in naui Capellæ Nauarręæ, ſuper fores ianuæ minoris.

*Memoria eſt Reuerendiſſ. in Chriſto Patris Domini de* D *Alliaco, tituli quondàm S. Chryſogoni Cardinalis Presbyteri, Cameracenſis Epiſcopi, huius pridem domus Præceptoris ſeù Magiſtri, ac Benefactoris ampliſſimi, cuius legata & geſta in litteris ſuper his confectis, atque tabellis ſuppoſitis continentur.*

*Petrus de Alliaco quondam dictus Aquila Franciæ, atque aberrantium à veritate malleus indefeſſus.*

De eo ſcripſere Claudius Robertus, Trithemius, Io: Chenu in Chronol. Ep. Galliæ; Brullius *in theatro Antiquit. Pariſien.* Vghellus Andreas Victorellus, Ciaconius; Iacobus Gaddius *de Scriptor. Eccleſ.* Contelor. Frizonius, Auberii, Spondanus, Io: Trithemius, Robertus Bellarmin. Hippol. Marrac. in D *Pur. Mar.*

12. *Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum; aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem?* Iob. 6.



GEorgius Roſco natu Germanus Epiſcopus Tridentinus, Presb. Card. tit. S.... promotione Cardinalium prima, inter Candidatos ſextus à Ioanne XXIII. aſſumptus, Anno 1411. veneno periit, in caſtro Spori, Anno ſui Epiſcopatus XXIX. ſedente eodem Ioanne XXIII.

Lege Ciaconium, Ianum Pirrum *de Ep. Trident.* Franc. Ballar. *Chron. Comenſi*, Auberii, Contelorium.

13. *Qui tranſgreditur lectum ſuum dicens: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor? Non intelliget; quoniam omnia videt oculus Altiſſimi* Eccl. 23.



THomas Brancatius Neapolitanus, Io: XXII. R. P. ex ſorore nepos, generis nobilitate ac virtute illuſtris ex electo Puteolano ſedem obtinuit Tricarięſem 3. Kal. Octob. 1405. quam cum optimè rexiſſet, S. R. E. Presb. Card. ad *tit. SS. Io: & Pauli* aſſumitur à Io: XXIII. Anno 1411. cuius indulgentia Tricarienſem Eccleſiam habuit commendatam. Concilio adfuit Conſtantienſi, vbi poſtpoſito ſanguinis vinculo, Ioanne depoſito, Martinum V. adorauit. Voluptatibus deditus Thomas Venereis, vitam duxit ſacra purpura indignam, ob patrui indulgentiam, qua fectus peccauit liberè, & imprudenter, non tamen impunè. Noctu namque cum ſatellitibus, vt ad matronam ſe intruderet vel Amaſiam; procis obſtantibus vel maritis, ferro petitus, in facie percuſſus receſſit, cicatrice impreſſa, quę vſque ad ſepulchrum eius libidinem arguebat. Obiit Romæ, Anno X. Martini V. Ciaconius, Garimbertus, *lib.* 6. *cap.* 3. Auberii, Contelorius.

14. *Hæc dicit Dominus. State ſuper vias, & videte: interrogate de ſemitis antiquis, quę ſit via bona, & ambulate in ea.*
Ier. 6.



BRanda Caſtellio Maphęi Caſtellionis nobilis Mediolanenſis filius, Anno natus 1350. Iure Conſultorum ſuo ſæculo Princeps, in Papienſi Accademia iura publicè docuit, iubente Io: Galeatio Mediolanenſium Duce, ex qua Romam aſcitus ſedit inter Rotę Auditores gloria celebri ſub Boni-

Booiſacio XI. à quo 3. Non. Aug. 1404. electus Epiſcopus Placentinns, & Nuntius in Germaniam directus vt fædus procuraret Eccleſiæ cum Cæſare; rem diligentiſſimè abſoluit, propterea Innocentio VII. & Gregorio XII. dilectus benè audijt, donec refragante Gregorio pacta exequi abdicationis promiſſæ, cæpit ab eo diſcrepare, & eum increpare. Hinc ab eodem Pontifice, ſede ſpoliatus Placentina, ſucceſſorem excepit Bartholomęum Cacciam Mediolanenſem. Ad Concilium progreſſus Piſanum, in quo Gregorius XII. fuit è ſede deiectus; Patres qui Brandam ob ſingularem doctrinam maximo habebant honore, inter eos conſedere iuſſerunt, A
donec per eos creato Io: XXIII. fuit ab eo inter Presb. Cardinales aſſumptus tit. *S. Clementis*, promotione prima, Anno Sal. 1411. tulitque cognomen Cardinalis *Placentini*, tametſi Epiſcopatum illum poſt purpuram reſignauerit. Concilio adfuit Conſtantienſi, in quo creatus Martinus V. & ab eo bis in Bohemiam aduerſus Huſſitas legatus, ea pietate & virtute officium impleuit, vt commendatus redierit litteris Sigiſmundi Imperatoris: propterea in prǽmium tanti laboris Epiſcopus Card. *Portuenſis*, *& S. Sabinæ* aſſumptus ab eodem Martino V. Anno 1431. eo titulo, comitijs adfuit Eugenij IV. à quo ad Philippum Mariam Mediolani Ducem miſſus, vt B
inter vtrumque fædera pacis iniret; fæliciſſimè abſoluit. Notabile eſt, quod huic Cardinali contigiſſe refert Corius *Hiſtor. Mediol.* Abbas cum eſſet Monaſterij S. Ambroſij Mediolanenſis, Officium volens delere Ambroſianum, & Romanum introducere; Monachos primò eiecit Ciſtercienſes, qui ab initio ſuæ fundationis ibi fuerant collocati; eorumque loco Carthuſianos introduxit; qua de cauſa offenſi Mediolanenſes ad Ducem prouocarunt, qui ſub pæna Ignis Carthuſianos extemplò abire iuſſit. Cardinalis verò, cum Codicem Ambroſiani ritus Præpoſito creditum S. Theclę (quem Sanctus ipſe Ambroſius compoſuiſse, ſcripſiſseque dicitur) eum C
accipere procuraſſet; in die Chriſti Naſcentis, rem diuinam in ara maiori, ritu Romano celebrari curauit: Hoc magis irritati Ciues, cum facibus aduolantes, vt in proprijs ędibus Cardinalem cremarent, ni Codicem redderet; territus Cardinalis Codicem è feneſtra proiecit, ac poſtridie Mediolano exiens, eò nunquàm redijt. Diſcite Clerici patrios cuſtodire ritus, & cæremonias venerari antiquas. Nonaginta tribus tandem pulſatus Aonis Cardinalis vitam poſuit, pridie Non. Feb. An. 1443. Caſtilione, Mediolano non procul, ibidemque ſepultus in Eccleſia à ſuis maioribus ędificata (quam redditibus auxit; mercedem adiecit Præceptori ad pueros in- D
ſtruendos) marmoreo ſepulchro, cum ſequenti epitaphio.

*Quiſquis ades, ſubſiſte gradum, paulumque ſepulchro*
*Flecte aciem ex ſaxo ſcriptum perlege carmen,*
*Optima pars quondàm Clero, qui ſanguine fælix*
*Enitui, & mira vixit pietate verendus*
*Marmoreo hoc condor tumulo, nec flebile lethum*
*Eſt mihi perpetuo manet inclyta forma decore,*
*Fataque præclaris nunquàm monentia rebus,*
*Mille ego per caſus, per mille pericula victor*
*Fortunam euici, quin me virtutis amore*
*Flagrantem, & ſparſas ſperantem pectore leges*
*Euexi ſumma ad faſtigia floruit Hunnus.*
*Præſule me, me Pontifice Placentia vidit,*
*Donec Vueſparinus Comes, & maiore ſecutus*
*Tempora purpureo cinxi redimita Galero*
*Immenſo redimita auro, maiora parabam*
*Ni me inter curſus, atque hac molimina rerum,*
*Omnipotens genitor terreni è carcere ſacli.*
*Tranxiſſet, celſaque Poli regione locaſſet.*

Sub ſepulchro.

*Vtinam viueres, vtinam viueres.*

A tergo ſepulchri.

*Si de morte queri fas eſt, Cæli que ſupremis*
*Viribus humana voluunt quæ tempora vitæ,*
*Heù quantum mors auſa nefas, quæ te inuidia nobis*
*Abſtulit, & tanto priuauit lumine terras*
*Optatis inimica bonis, quid vita priorum,*
*Quid bona Fata iuuant, mitiſque affectus, & ingens*
*Religionis amor? nullo diſcrimine ſoluit*
*Impia, & humanos abrumpit Parca triumphos.*
*Tu requies, tu dulce Decus, columenque bonorum*
*Magne Pater, Tu diuini lux vnica cultus*
*Nam quantum ęternę fides, & cæleſtibus aris*
*Præfuerit, teſtes conuerſi ad ſacra Sabęi*
*Armenięque vrbes, & latis Græcia campis.*
*Flete Patrem mæſti Proceres; fleat Itala Tellus*
*Communi priuata bono, Tuque alma Quiritum*
*Roma dole (quamquam ſummo Pater optime Cælo*
*Præfueris, mæſtumque Polo nunc deſpicis Orbem*
*Nobis ſolliciti gemitus, curęque relictę)*
*Queis te iam fortuna ferox crudelibus auſis*
*Abſtulit, & Cæli radiantibus intulit Aſtris.*

Duo Collegia Branda magnificè extruxit, Caſtilioni vnum, Papiæ alterum; in quo ſequens legitur inſcriptio.

*M. CCCC. XLIII. Die III. Feb.*
*Reuerendiſſimus in Chriſto Pater DD.*
*Branda de Caſtiliono*
*Ep. Sabinenſis Cardinalis*
*Placentinus*
*Vulgariter nuncupatus, huius Venerab. Collegij fundator*
*Diem ſuum clauſit extremum.*
*Cuius corpus in caſtro de Caſtiliono requieſcit.*

In hac inſcriptione errorem irrepſiſſe notat Vghellus in *Epiſcopis Placentinis*, Sabinenſem ſcilicet fuiſſe Epiſcopum; quia Epiſcopatum Portuenſem numquàm dimiſit.

De eo lege Ciaconium, Victorellum, Antonium Nigrioium in *hiſtoria Caſtellionia*. Claudium Robertum (qui in *Gallia Christiana* Brandum de Caſtilliano appellat, & per errorem inter Epiſcopos Lexouien-

uienſes Galliæ Celticæ recenſet, Romæ mortuum die 7. Septemb. 1431. ſepultum apud Mineruam) Auberij: Martinum Cromerum *hiſtor. Pol.* Antonium Nigtum *Hiſtor. Caſtillion.*

15. *Ad eàm venient Paſtores & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitur: Paſcet vnuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt.*
Ier. 6.



THomas Langlei, vel Armelinus Anglus Epiſcopus Dunelmenſis Presb. Cardinal. tit. A
S... vnà cum Roberto Alun Epiſcopo Sareſberienſi Presb. Card. tit. S.... vterqe abſq. titulo, quia (vt ait *Spondanus An.* 1411. *n.* 4. ex auctore *Burdegalenſi*) recularunt Cardinalatum; caulam abhorrentes bicipitem, & paſtores aduerſos; quamuis apud Vvalſingamum nihil de recuſarione legas, qui ęgrè omittere conſueuit patrios honores. Goduuinus porrò in *ſua collectione Præſulum Angliæ*, eos minimè hac dignitare fraudatos voluit, vocans primum *Thomam Langley* Cancellarium Regni Angliæ: ſecundum *Robertum Halam*. Ciaconio teſte, obijt Tho- B
mas, ante electionem Martini V. Auberij eius obitum in Annum refert 1437. Ciaconius, Panuinius, Auberij; Pitſęus *de Scriptoribus Angliæ*.

16. *Creſcente numero Diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum aduerſùs Hebręos. Conuocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt.*
Act. 6.



RObertus Alun ſeù à Luna Anglus, Epiſcopus Saresberienſis Presb. Card. tit. C
S... (Vide ſupra in *Thoma Armellino*) Piſano interfuit Concilio miſſus cum alijs viris grauibus, à Clero Anglicano; die vltima Aprilis, poſt Miſſam ſolemniter celebratam, aſcendit Cathedram altercantes increpans & excitans ad concordiam, teſte Vvalſingamo. Mortuo Alexandro V. Ioannes XXIII. Robertum iam ſenem, Presbyterum Cardinalem aſſumpſit, Titulo tamen non deſignato, quem recipere non valuir, cum Romæ nunquàm adfuerit, propter Conſtantienſe Concilium, cui intereſſe voluit, vt legitur *ſeſſ.* 20. *Concil. Con-* D
*ſtan.* ibidemque obijt die 4. Septemb. 1417. Quædam ſcripſit, teſte *Authore Catalogi Scriptorum Angliæ*. Lege Ciaconium.

17. *Zelus Domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*
68. Pſal.



17. ÆGidius de Campis Theologus Pariſienſis, Carolo V. Francorum Regi à Confeſſionibus, Caſtrorum Conſtantium in Nomarnia Epiſcopus, filius Henrici Francię Cancellarij à plebe occiſi. Cardinalitia ornatur dignitate cum Petro Alliaco Ep. Cameracenſi, & Guillelmo Philaſterio Decano Rhemenſi à Io: XXIII. creatione prima, Anno 1411. Presbyter abſque titulo, quia Roma abſens creatur, nec Vrbem vnquàm adiuit. Concilio præſens Conſtantienſi, ibi vitam poſuit ante creationem Martini V. cum inter eos, qui decretis Concilii ſubſcripſerunt, non legatur.

Ciaconius, Auberii, Panuinius, Contelorius, Frizonius.

18. *Omnis Creatura ad ſuum genus ab initio refigurabatur, deſeruiens tuis præceptis, vt pueri tui cuſtodirentur illęſi.* Sap. 19.



SImon de Cramaudo, natu Gallus ita dictus à patrio ſolo, in quo natus in Dięceſi Lemouicenſi, frater Petri de Cramaudo equitis generoſiſſimi in pręlio Pictauienſi, Libellorum Magiſtri ſub Rege Carolo VI. cuius intereeſſione Simon Legatus abijt Auenionem ad Ponrificem. Iuuentutem probauit Simon apud Ioannem Pictonum Comitem tanquàm Cancellarius, inde Epiſcopus Agenenſis, Britenenſis, Careaſſonenſis, Auenionenſis, Pictauienſis, vbi in Cathedrali Eccleſia D. Petro ſacra magiſtrum inſtituit, & ſex chori pueros, atque Anniuerſarium ſolemni ritu celebrandum die poſtrema cuiuſlibet menſis, cuius rei gratia dono dedit terram de Nouſilleij. Rhemenſis tandem LXXI. Archiep. & Patriarcha Alexandrinus Cardinalis Presb. S.R.E. tit. *S. Laurentij in Lucina*, declaratus in promotione ſecunda facta Anno Sal. 1413. iſque ſolus Romæ die 17. Cal. Maij, à Ioanne XXIII. quo titulo, Concilio adfuit Conſtantienſi, & calculum dedit in electione Martini V.

Ex hac vita diſceſſit Simon Anno 1429. Pictauii ſepultus in Cathedrali, cuius primò Epiſcopus, deinde Adminiſtrator cum hoc epitaphio, & effigie alabaſtrina.

*Simon S. R. E. & S. Laur. in Lucina Presb. Card. & Ep. Pictauienſis iacet in hoc ſepulchro, cuius imago de alabaſtro eſt ſuper tumulum marmoreum poſitâ, & ſtatua Cardinalis in proximo pilari prædicto ſepulchro contiguo erecta, qui dum fuit Romæ promotus ad Cardinalatum, erat Archiep. Rhemenſis, & pro ſuſtentatione ſui ſtatus fuit etiam ſibi datus Epiſcopatus Pictauienſis; cuius etiam ante permultos Annos fuerat Eiſcopus, & fundauit in iſta Eccleſia*

Digitized by Google

*ſis vnam Præbendam cum groſſo quadraginta librarum , pro nutrimento vnius Magiſtri, vt ſex puerorum in Muſica inſtruendorum ad faciendum diuinum ſeruitium .* Reliqua ſunt obliterata.

De eo lege Claudium Robertum : Io: Chenu *in Chronol. Ep. Galliæ* . Io: de Vrſinis *in hiſtor. Caroli VI. Francorum Regis* . Nomenclatorem . Frizonium *in Gallia Purpurata*, qui Simonem Epiſcopum Prænestinum dicit , cum de hoc Epiſcopatu cæteri ſileant , præcipuè Ciaconius, & Panuinius.

19. GVillelmus Philaſterius ex Diacono Card. *S. Mariæ*, Presb. Card. tit. *S. Marci* . Lege infra *n.* 22.

## Diaconi Cardinale,

20. *Et educam vos de populis; congregabo vos de terris , in quibus diſperſi eſtis in manu valida.*
Ezech. 20.



LVcinus ſiue Lucius Aldebrãdini filius de Comitibus natu Romanus , ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Coſmedin* aſſumptus à Io: XXIII. Anno 1411. promotione prima , Concilio adſuit Conſtantienſi, in quo Martinum V. lingua , calculoque promouit . Hinc grati animi ergo Aldebrandino patri Cardinalis, huiuſque fratribus non ſolùm veniam indulſit irruptionis ſæpè factæ aduersùs Eccleſiam Romanam, ſed bona reſtituit amiſſa , tutela promiſſa aduersùs eorum inimicos . Eiſdem conceſſit inſuper vſque ad tertiam generationem, caſtra Canini, Gradularum, Cryptatum, & Abbatiam ad pontem Montisflaſ onis, diæceſiſque Caſtrenſis. Deficientes tandem ab imperio Bononienſes; collectis copijs duce Lucido Cardinali rebelles Martinus domuit, & in præmium eumdem Cardinalem Legatum declarauit Bononiæ, vbi conſenuit, & quieuit , ſedente Eugenio IV. cuius adfuit comitijs, & à quo Archipresbyteratum impetrauit Baſilicæ Lateranenſis . Deceſſit. 9. Septemb. 1437. ſepultus apud Seruitas .

Ciaconius, Contelorius , Panuinius, Auberij , Gaſpar. Raſpon. *de Baſil. Lateran.*

21. *Ne deſpicias narrationem Presbyterorum ſapientum, & in prouerbijs eorum conuerſare: ab ipſis enim diſces ſapientiam & doctrinam intellectus , & ſeruire magnatis ſine querela.*
Eccl. 8.



FRanciſcus Zabarella Patauij natus apud Lombardos familia , quæ olim Bononiæ *Sabadina* dicta in agrum Patauinum , ad Plebem Sacci ſe tranſtulit, Patauium tandem , vbi conſenuit . Bononiæ ſtudijs litterarum Franciſcus cum incubuiſſet ſub præceptoribus Laurentio à Pinu, & Ioanne Lignano( vt idem teſtatur *in præfatione Clementinæ* ) Lauream accepit in patria, imperante Franciſco II. Carrarienſi Regulo , qui An. 1397. die 4. Non. Iulij , cum filiam Giliolam Nicolao Ateſtino nuptui locaret ; Franciſcus Zabarella luculenta oratione nuptias celebrauit . Poſt
A ſeptennium , Patauium venientem Belfiorem filio nuptam ſupradicti Reguli, cum alijs Iure Conſultis, Collegii nomine gratulabandus ſub vmbella excepit . Tranſacto biennio, orator adiit Gallorum Regem, vt in Venetos auxilia imploraret, quorum armis patria præmebatur, nec impetrauit . Hinc vrbe Venetæ dedita poteſtati , cum ciues quindecim Legatos in verba noui Principis iuraturos deſtinaſſet, Venetias cum ſociis deſcendit purpura nitens, & veſtibus praſinis , tibicinibus præcedentibus & concinentibus, vbi ad Senatores excelſo in Tribunali ſedentes, ornata oratione , patriæ vexillum Duci tradidit: Franciſcus Doctius ſceptrum : Fredus Mali-
B cius claues : Oliuerius Linguacius ſigillum obtulit hoc carmine inſignitum ,

*Muſo, Mons, Atheſis , Mare certos dant mihi fines .*

Florentiam inde ſe contulit ad lecturam Iuris Pontificii, in qua , magna auditorum frequentia & plauſu , viros graues erudiuit , inter quos Paulus Vergerius, qui in morte Præcepturis acuratiſſimam gratus vulgauit epiſtolam . Ex Schola Franciſci Princeps ille Canoniſtarum prodiit, qui tot volumina ſcripſit in iure Pontificio , Nicolaus Abbas Panormitanus . Porrò ne cum voce, eius ſama deperi-
C ret Doctrinæ, & ne præſentes tantùm viuens , ſed vel mortuos poſteros edoceret, ſcripſit .

*In Naturalem, & Moralem Philoſophiam Opuſcula aduersùs Ioannem Hus .*
*Varias Legum Repetitiones ;*
*In Decretales .*
*In Decretum* *De Artibus Liberalibus ,*
*In Clementinas. Opuſcula Varia .*
*De natura rerum diuerſarum .*
*De Horis Canonicis .*
*In Vetus & Nouum Teſtamentum .*
*Conſilia* *Hiſtoriam ſui temporis*
D *Acta in Concil. Piſano, & Conſtantienſi .*
*Repetitiones de Felicitate lib.* 3.
*De Sciſmate*, atque eiuſdem libri .

*Præfationes*, quæ Argentorati impreſſæ prohibitæ ſunt in Romano Indice cum libro ipſo de Sciſmate, donec expurgentur ; teſte *Bellarmino* , & *Poſſeuino* , quæ iam typis data nomen ſibi conciliant, & auctoritatem . Docendo autem non minùs intentus quàm con-

conſulendo, ore & ſcriptis, vnus tantis cum impar crederetur; vni omnia erant imparia. Nullum enim percurrebat diem, quin & in aliarum diſciplinarum caſtra ingrederetur: vndè & de omnibus Artibus Liberalibus apprimè ſaperet, & doceret, ſcriptis opuſculis elegantiſſimis, quæ adhuc verſantur præ manibus Litteratorum, Naturali Philoſophię, ac facultati oratorię quam acuratè operam dederit; orationes teſtantur ornatiſſimę, quas inter præſentes recitauit. Alio volumine epiſtolas habes elegantiores ab eo ſcriptas ad Abſentes; Poetas etiam perlegit, laudauit. Hiſtorias quæſiuit, vt ex præteritis futura præuideret, & prouideret; tale erat eius adagium. Honoris ſollicitus, & Dignitatis, hanc appellabat calcar virtutis. *Datus eſt mihi ſtimulus* (aiebat) *honoris, non carnis, qui me colaphizet*. Hinc iura tradendo, ex cathedra Auditores non tam in litteris, quàm bonis moribus informando, gratiſſimus omnium extitit Scholaribus, qui eum *Patrem* appellabant: Florentini eum ita diligebant, vt mortuo Archipręſule, poſthabitis præſtantiſſimis ciuibus, ipſum peregrinum, & admodum iuuenem in Archiepiſcopum elegerint; quamuis per Romanum Pontificem alio Antiſtite deſignato, ea vice, dignitate minimè fuerit poſitus.

A Bonifacio IX. Romam aſcitus, vt aliquam tollendi Sciſmatis rationem oſtenderet, reſpondit fruſtrà Canones quęri, vbi ius in gladio ponebant. Patauium reuerſus & à Canonicis (Cathedralis uamque templi Archipresbyter erat) quorum tunc erat Epiſcopum eligere, in ſedem euocatus Epiſcopalem, nè Veneti Senatus offenſam incurreret, qui ex arcanis Reipublicę, alium deſiderabat Epiſcopum ea in vrbe, quæ recens deſcenderat in obſequium; prudenter reiecit. Qua animi integritate commoti Veneti opulentiſſimam S. Mariæ de Pratalea Abbatiam, Monachorum incuria, ab eorum cænobio, aliò deuolutam, ei commendari curuit; quam tamen pijſſimus pater non lōgè poſt iiſdem Monachis ſumma liberalitate donauit; qui grati ſeruant adhuc veſtes eius Sacerdotales, inſigniaque inciſa in eccleſia, in Turri ſacra, in Templo S. Vrbani propè plateam vinariam Patauinæ vrbis. Liberalis in pauperes, pientiſſimus erga omnes; illos omni tempore fouere conſueuit. Domi parcus, foris ęre plurimum alieno tenebatur, vt aliorum conſuleret neceſſitatibus, præcipuè in Conſtantienſi Concilio, Prælatos inopes, & exhauſtos diuturnitate hoſpitij, ac famulitij, omni, qua potuit, ope leuauit. Patauii ſtātē, poſtquàm Petri Ancharani filiū ex ſacro fōte ſuſcepiſſet; & Conciliū immineret expetitum à Principibus, ad tollendum Sciſma; Ioannes XXIII. vt tanti viri doctrina ſe præmuniret, ad ſe aſcitum, Epiſcopum primò Florentinum à populo Florentino aliàs electum permiſit, deinde in Cardinalem æque *Florentinum* appellatum promouit Diaconum *SS. Coſmæ & Damiani*, promotione prima, Anno 1411. & ad Sigiſmundum legauit Imperatorem (teſte *Aretino.& Naculero*) data ei palàm ampliſſima facultate conueniendi de loco Concilii; clam tamen certis locis pręſcriptis, à quibus recedere diſertiſſimè prohibuit, quamuis cum eſſent Legati in procinctu; diuinu Papa mutata ſententia, ſchedulam, in qua loca deſcripſerat, coram Legatis, & Leonardo Aretino, qui Pontificis à ſecretis erat, diſcerpta dixiſſe fertur, ſe quidem decreuiſſe loca quędam indicare pro congregando Concilio, à quibus diſcedere nefas eſſet Legatis, ſed in hoc temporis puncto mutare ſententiam, ac eorum prudentiæ totum comittere. Hinc cum ad Cæſarem peruenisſet Franciſcus nulla, aut modica controuerſia facta, teſte *S. Antonino tit. 22. c. 6. §. 1.* vt Eccleſia tandem reſpiraret, locum congregandi Concilij, arbitrio permiſit Sigiſ-
A mundi, qui Conſtantiam Maguntinæ Prouinciæ vrbem delegit. Quo audito Pontifex vehementer indoluit, quaſi inde penderet eius ruina. Nec feſellit opinio: nam per Zabarellam aperto Concilio, cum grauiſſima crimina Io: XXIII. obycerentur; Zabarella (teſtę *Guidone Panciroło de Claris Legum Interpret. lib. 3. p. 445.*) auctor extitit deponendi Ioannem, ſperans ſe Papam eligendum à Concilio; in quo ſi libera Cardinalibus permiſſa fuiſſet eligendi facultas, omnium opinione Franciſcus Zabarella Summus Pōtifex euaſiſſet. Sed in ea perturbatione, cum etiam aliorum conſenſu opus eſſe videretur, in quinque nationes diuiſus cætus, ſeni ex quaque na-
B tione Itali, Galli, Germani, Hiſpani, Angli viri electi grauiſſimi vnà cum Cardinalibus Othonem Columnam nomine Martini V. Pontificem renuntiarunt.

In hoc Concilio Zabarella onera ſuſtinuit grauiſſima, quibus confractus animam efflauit (quamuis laborum ſocium, & aſſeſſorem Paulum Caſtrenſem ſibi conſtituiſſet, vt ex eodem Paulo *in Auth. adhæc de Iudic.*) Conſtantiæ Anno ætatis 78. vel vt alij volunt, 80. Salutis 1417. die 5. Nouemb. Exequiæ & Sigiſmundi Imperatoris, & totius Eccleſiæ præſentia celebres fuerunt, funus ipſum ad tumulum comitantium, orante Poggio Florentino, qui in politio-
C ribus litteris claruit. Orationem cuique legere eſt, typis datam. Cadauer Patauium delatum ciues graui luctu, in templo maiore ad læuam Sacelli Virginis Deiparæ, cum ſequenti epitaphio ſepelierunt ſublimi tumulo duobus ſtatuis eleganter ornato. Epitaphium ad Syllabam reſtituimus veritatis à Tomaſino præſcriptam.

*Franciſco Zabarellæ Archiep. Florentiæ, viro opt. Vrbi atque Orbi gratiſſ. Diuini humanique iuris Interpreti præſtantiſſ. in Cardinalium Collegium ob ſummam ſapientiam cooptato, ac eorundem animis Pontifice prope Maximo, Io: XXIII. eius ſuaſu abdicato, ante Martinum V. ob ſingularem probitatem in Conſtantienſi Concilio deſtinato,*
D *Io: Iacobi viri Clariſſimi Fil. id monumenti ponendum curauit. Vixit Annos 78. Obijt Conſtantię. MCCCC. XVII.*

Archiepiſcopus hic Zabarella appellatur, cum tamen Martinus V. ſolum poſt obitum Franciſci, ea dignitate Florentiam decorauerit. Inſcriptionem poſuere forſan ſolùm tunc temporis. Moriens Bartholomęum ex Andrea fratre nepotem reliquit Publicum Patauii Profeſſorem, poſtea Spoletinum Antiſtitem, deinde Florentinum: qui Patauii cubat cum patruo.

Viros Clariſſimos familia habuit Zabarella, de qua Pancirolum conſule *loco citato*.

De eo ſcripſere Bernardus Scardeonius *l.2.Claſſ. 6.Antiquit.Patau. li.5.hiſt.S.Iuſtin.* Iacobus Cuiacius *virum* appellat *toto Orbe celebrem, liberalium omnium diſciplinarum doctrina excultum.* Anton. Riccobonus *de Gymnaſio Patauino*. Aug. Portinarius *lib. 7. c. 5. de Pat. felic. l. 9. c. 7.* Marrac. *in purpura Mariana*.

Eius memoria Patauij erecta à gratis Conuicibus, in aula Gigantum, propè atrium Præfecti, cum effigie, inſcriptionem dictante Hieronymo Cauacio. A

*Franciſcus Zabarella Patauinus Chriſtianæ Reipublicæ tutor, Cardinalis merito creatus, ſuis immortalibus commentarijs, quæ in manibus ſunt iuris Pontificij enigmata, nodoſque ſoluit cum omni virtute, tum vita integritate admirandus Religionem noſtram diſcordijs Præſidum nutantem Concilio Baſileenſi in priſtinam ſedem reſtituit quo omnium conſenſu Pontifex deſtinatus octogeſimum ætatis Annum agens humanis exceſſit.*

Baſileenſis Concilij loco, lege Conſtantienſe, in quo Cardinalis obijt Zabarella: Baſileenſe autem Conſtantienſi ſucceſſit. Corrige etiam Annum ætatis; & pro octogeſimo ætatis Anno repone 78. Eius geſta breui ſed eleganti concinit elogio Iacob. Philip. Tomaſinus *Elog.Vir. Illuſtrium.* Affabrè etiam effigiem tanti Cardinalis incidi curauit, eiuſque Epicherema, Elephantem ſub lemmate *Soli Deo.* B Virtutes ſcilicet huius regii animalis, quas opere comprobandas aſſumpſerat. Maximum namque (teſte Plinio *lib. 8. c. 1.*) *eſt Elephas, proximumque ſenſibus humanis: quippe intellectus illis ſermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicere, memoria, amoris & gloriæ voluptas.* En optimi ciuis imago. *Imò verò, (quæ etiã in homine rara) probitas, prudẽtia, æquitas: Religio quoq. Syderũ, Soliſque ac Lunæ veneratio. Authores ſunt; in Mauritaniæ ſaltibus ad quemdam amnem, cui nomen eſt Amilo, niteſcente Luna noua, greges eorum deſcendere: ibique ſe purificantes ſolemniter aqua circumſpergi, atque ita ſalutato ſydere, in Syluas reuerti. Alienæ quoque Religionis intellectu, creduntur Maria tranſituri, non ante naues conſcedere, quàm inuitati rectoris iureiurando de reditu. Viſique ſunt feſſi ægritudine (quando & illas moles infeſtant morbi) herbas ſupini in Cœlum iacientes, veluti tellure precibus allegata. &c.* C Quemadmodum ergo Elephas fortitudinem ſuam, docilitatem, memoriam, induſtriam in Deum refert; ita Cardinalis Zabarella nil ſibi ex tantis virtutibus arrogans, *Soli Deo* refert.

De eo lege Ioan. Neuizan. Ludouicum Gomeſium: Ioan. Pichar. Io: Bap. Ziletum. Ioan. Vvolphang. Georgium Draudium *in Biblioth. Claſſ.* D Zabarellæ Cardinalis effigiem habes in Martino V. R.P.CCVIII.

22. *Longitudine dierum replebo eum; & oſtendam illi ſalutare meum.* Pſal. 90.



GVillelmus Philaſterius in agro natus Cænomanico, Anno 1344. ingenio ſagax iuri operam dedit, & Doctor grauiſſimus euaſit. Eccleſiaſticæ militiæ teſſera ſumpta, in S. Symphoriani Collegiata Decanus, poſtea in Cathedrali Rhemorum Bibliothecam ad vſum Canonicorum, vberi librorum copia inſtruxit: & mappa ornauit Geographica, Orbe toto deſcripto in pelle equi Marini, in qua adhuc conſpiciuntur inſignia Philaſterij. Extrui etiam mandauit Scholas Theologiæ apud Rhemẽſes. D.Regoberti Rhemorũ Archipræſulis capſam exornauit. In Mathematicis verſatiſſimus, Linguæ Grecæ peritiſſimus nonnullos Platonis libros è Greco tranſtulit idiomate. Ptolomæi Codicem Anno 1417. dum in Concilio ageret Conſtantienſi, vnà & Pomponij Melæ Coſmographiam, aliaque dona ad eam miſit bibliothecam. Aquarum Sextiarum in Prouincia Archiepiſcopus, ſucceſſiuè à Io: XXIII, Anno 1411. Diaconus Cardinalis *S. Mariæ* dictus, poſtea Presb. tit. *S. Marci*; Archipresbyter D.Io:Lateranenſis, eccleſiam adminiſtrauit T. M. Chryſogoni. Martini V. electioni interfuit, vltro cedentibus Gregorio XII. & Io: XXIII. in Conſtantienſi Concilio, cuius in Seſſione X. Anno 1415. datus Commiſſarius cum Iordano de Vrſinis Cardinale Ioanni Pontifici, qui clam Conſtantia diſceſſerat. Seſſione 34. concionem præclaram habuit apud Patres Concilij, ſumpto themate ex 1. *Petri 4. Tempus eſt, vt incipiat iudicium a Domo Dei*. Legatus in Gallias à Martino V. pro vnione reſtauranda cum Eccleſia Romana poſt Synodum Conſtantienſem, munus ſuum omnibus numeris adimpleuit. Romam reuerſus apud S.Chryſogonum, palatium à fundamentis extruxit, quod incendio periit. Romæ octogenarius vitam poſuit 8. Idus Nouemb. 1428. vel Nonagenarius (teſte Garimberto *lib.4.c.3.*) veneratione dignus ſepultus, in eccleſia S. Chryſogoni cum ſequenti epitaphio.

*Sepulchrum Gullielmi tit. S. Marci Presb.Card. Canomanenſis Diaceſis, miniſtri Eccleſiæ S. Chryſogoni, olim Decani Rhemenſis, I.V. Doctoris. Habeat Deus quam creauit animam; habet natura quod ſuum eſt, expectans Reſurrectionem & vtriuſque vitam æternam; oportet enim corruptibile hoc induere corruptionem, & mortale hoc induere mortalitatem. Obijt An. D. 1428. Menſe Nouembri die verò ſexta, ætatis ſuæ octageſima.*

Ciaconius, Garimbertus, Panuinius, Frizonius, Claudius Robertus, Auberii, Vghellus, Spondanus, Raſpon. *de Baſil.Lateranen.*

33. Do-

23. *Dominus tranſit; & ſpiritus grandis ſubuertens montes ante Dominum : nec in ſpiritu Dominus . Poſt Spiritum commotio nec in commotione Dominus : poſt commotionem ignis; nec in igne Dominus : poſt ignem ſibilus auræ tenuis . Quod cum audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio: & ecce vox.* 3. Reg. 19.



IAcobus Inſulanus natu Bononienſis, Ioannis Inſulani nobilis Bononiēſis filius, vtramque profeſſus militiam , armatam atque togatam, Iuris vtriuſque laurea firmauit arma, & armis decorauit leges . Vnus is ex XVI. Reformatoribus Vrbis , mortua Bartholomęa Ludouica eius legitima coniuge , ex qua vnicum ſuſceperat filium , ad caſtra ſe recepit Eccleſiæ, in quibus ea enituit pietate, ac religione , vt ſolidum fundamentum ſuæ dignitatis ruēris crederet Ioannes XXIII. ſi eum Card. aſſumeret. Diaconus itaque Card. *S. Euſtachij* dictus , iſque ſolus in tertia promotione facta XII. Kal. Octob. 1414. vel XIII. Kal. Decemb. An. 1413. teſte Sigonio *lib. 3. de Ep. Bonon.* & ab eodem Io: XXIII. Legatus creatus in Patrimonio D. Petri , contra Tyrannos, qui totum ferè Patrimonium vſurpauerant, breui, induſtria potiùs , quàm violentia ditionem illam Eccleſiæ reſtituit . In Vrbe poſtea eiuſdem Pontificis Vicarius in Temporalibus , & Spiritualibus irruentem paſſus Bracchium Montonium cum turmis Vvenceſlai Regis Neapolitani , in arcem aufugit S. Angeli, obſeſſus, & pene victus donec adueniente Sforria Attendulo cum ſuppetiis , exiit iterum victor & inuictus. Legationem etiam nomine Philippi Mariæ Mediolanenſis Ducis ſubiit A apud Ianuenſes, quorum prouinciam Pro Dux per quinquennium optimè & fæliciter rexit. Concilio adfuit Conſtantienſi, & ſuffragium contulit in creatione Martini V. Comitiis etiam Eugenii IV. à quo ad Gallos legatus contra ſeditioſos, Anno elapſo, ad Vrbem properans, in itinere Mediolani mortem ſubiit die 9. Feb. 1431. in S. Ambroſii Maioris eccleſia ad Ciſtercienſes ſepultus: volunt alii, die 19. Feb. ſepultum in eccleſia S. Mariæ de Calunzano, vna ex Parochialibus illius vrbis.

De eo lege Ciaconium, Victorellum, Io: Paſqua- B linum , Carolum Sigonium *De Epiſc. Bonon. lib. 4.* Alidoſium *De Card. Bonon.* Auberii, Foliettam.

## Vice Cancelarius S. R. E. ſub Io: XXIII.

IO: de Bronhiaco Gallus , Ep. C. Oſtienſis & Veliter. S. R. Vice Cancellarius ſub Io: XXIII. R. P.

# MARTINVS V. P. R. CCVIII.

MArtinus V. Eligitur die II. Nouemb. An. Sal. 1417. Obiit die 20. Feb. An. Sal. 1431. Eius adfuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales

1. Io: de Bronhiaco Ep. C. Oſtienſis. Decanus. Ex C. Clem. VII. & Bened. XIII.
2. Fr. Ægidius de Anna, Ep. C. Præneſtin. ex Vrb. VI. Bonif. IX. & Io: XXIII.
3. Petrus Fernandi Frias Ep. C. Portuenſis, dictus Hiſpanus: ex Clem. VII. & Io: XXIII.
4. Iordanus Vrſinus Ep. C. Albanus ex Innoc. VII. & Io: XXIII.
5. Ludouicus de Barro Ep. C. Portuenſis: ex Bened. XIII. Alex. V. & Io: XXIII.
6. Antonius Coratius Ep. C. Portuen : ex Greg. XII.

## Presbyteri Cardinales.

7. Franciſcus Landus Patriar. Conſtantinop. P. C. S. Crucis ex Io: XXIII.

Ex Greg. XII.

8. Fr. Io: Dominici P. C. S. Sixti.
9. Gabriel Condulmetius P. C. S. Clem.
10. Angelus Barbadicus P. C. SS. Marcellini , & Petri.
11. Bandellus de Bandellis P. C. S. Suſannæ.

Ex Io: XXIII.

12. Petrus de Aliaco P. C. Chryſogoni.
13. Thomas Brancatius P. C. SS. Marcel. & Petri.

Ex Io: XXIII.

14. Branda Caſtillioneus P. C. S. Clementis
15. Guillelmus Philaſterius P. C. S. Marci
16. Simon de Cramado P. C. S. Laurentii in Lucina.
17. Antonius Pancerinus de Portu Gruario Patriar. Aquil. P. C. S. Suſannę.
18. Alamannus Adimarius P. C. S. Euſebii.
19. Antonius de Calancho P. C. S. Cæciliæ: ex Bened. XIII. & Io: XXIII.
20. F. Petrus de Fuxo P. C. S. Stephani in Cælio monte: ex Bened. XIII.

## Diaconi Cardinales,

### Ex Vrb. VI,

21. Ludouicus de Fliſco D. C. S. Hadriani, S. R. E. Archid.
22. Raynaldus Brancatius D. C. S. Viti & Modeſti in macello Mar.
23. Amadeus de Sallutiis D. C. S. Mariæ Nouæ: ex Clem. VII,

### Ex Innoc. VII.

24. Otho Columna D. C. S. Georgii in Velabro
25. * Petrus Stephaneſcus Hannibaldus D. C. S. Angeli in foro piſcium. Romæ erat.

### Ex Io: XXIII.

26. Lucidus de Comitibus D. C. S. Mariæ in Coſmedin.
27. *Iacobus Inſulanus D. C. S. Euſtachii Legatus Vrbis.
28. Petrus Mauroçenus D. C. S. Mariæ in Via Lata.

Cardinales Benedicti XIII. quòd à Conſtantienſi Concillio non agnoſcerentur vt Cardinales hic omittuntur.

Omittuntur etiam

Georgius Ep. Trident, Presb. Card. S....

Thomas, Anglus Ep. Dunelmenſis P. C. S....

Robertus Anglus Ep. Saresberien. P. C. S....

Ægidius de Campis Gallus, Ep. Conſtantienſis P. C. S.... quòd creati à Io. XXIII. nunquàm Romam venerint, neq. Concilio adſuerint Conſtantienſi congregato ad redimendam pacem Eccleſiæ Vniuerſę, vnius Canonica electione Pontificis, qui vt nulli diſplicerent, omnes in eius creatione voluerunt adeſſe, & hoc pro hac vice tantùm. Ex quinque ergo nationibus Synodus cum conſtaret, Italica, Gallica, Germanica, Hiſpana, Angla, decreuere, vt quælibet Natio ſex viros idoneos eligeret, qui vnà cum Cardinalibus pro hac vice ſuffragarentur in electione Pontificis.

### Electores Itali.

Bartholomeus Archiep. Mediolanen.
Franciſcus Ep. Melſitenſis
Henricus Ep. Feltrenſis
Iacobus electus Ep. Pennenſis
Fr. Leonardus Mag. Generalis Ordinis Prædicatorum.

### Electores Galli,

Guillelmus Archiep. Bituricenſis
Iacobus Archiep. Turonenſis.
Io: Ep. Gebennenſis.
F. Robertus Abbas Cluniacenſis
Gualterus Graſſi Prior Rhodus
Lambertus de Stipite Prior Berchenyo.

### Electores Germani.

Io: Patriarcha Conſtantinopolitanus
Io: Archiep. Rigenſis
A Nicolaus Archiep. Guiſnenſis
Simon Ep. Tragurienſis.
Nicolaus de Dinchenſpuel Magiſter in Theologia
Conradus de Suſato Magiſter in Theologia

### Electores Hiſpani

Didacus Ep. Conchenſis
Io: Ep. Placeoſis
Nicolaus Ep. Aquenſis
Philippus de Madalia Archidiaconus Barchinoenſis.
B Gundiſaluus Garziæ Archidiaconus de Biruieſcha.
Velaſcus Petri vtriuſque iuris Doctor.

### Electores Angli.

Riccardus Ep. Londonien.
Nicolaus Ep. Bathonienſis
Io: Ep. Lichfeldenſis
Io: Ep. Noruicenſis
F. Thomas Abbas S. Mariæ Eboraci.
Thomas Protonotarius Apoſtol. Diaconus Eboracenſis,

C Hi omnes cum Cardinalibus, Deo aſtante Martinum V. creauere cunctis ſuffragiis: ad quem Florentiæ ſtantem, quatuor Cardinales Petri de Luna pertinaciam exoſi PſeudoPontificis, ſententiam ſecuti Concilii Conſtantienſis, relicto Petro Lunenſi, accendentes, in cæterorum fuere conſcripti collegium, Anno Sal. 1419. ſcilicet.

Io: Martinus Maurelius Hiſpanus Canonicus Regularis, Abbas Montis Arragonum P. C. tit. S. Laur. in Damaſo.

Carolus de Viries Hiſpanus D. C. S. Georgii in Velabro.

Alphonſus Carillus Gometii filius. Hiſpanus, D.
D C. S. Euſtachii.

Petrus Fonſeca Portugalenſis, Hiſpanus D. C. S. Angeli.

Epi-

## Epiſcopi Cardinales creati à Martino V.

1 BAlthaſſar Coſſa, antea Io: XXIIJ. Papa Romanus, poſtea Ep. Card. *Tuſculanus*, & Decanus Collegii, die 9. Kal. Iulii, 1419. Lege *in vita Io. XXIII.*

2 FRanciſcus Landus ex P. C. S. Crucis ſub Io: 23. Epiſcopus Card. *Sabinus*. Lege ſupra *n. 7. Io: 22. dicto XXIII.*

## Cardinales Presbyteri.

3. *Scripſit quoq; Moyſes Canticum; & docuit filios Iſrael,* Deuter. 31.



IOannes de Rupeſciſſa, natu Gallus in viliculo *Rupeſciſſa* dicto, duobus circiter milaribus à Lugduno diſtante, à quo nomen eſt mutuatus. Symphoniacus puer in Eccleſia Lugdunenſi; Iuris poſtea vtriuſque Doctor, & in Curia Eccleſiaſtica Rothomagenſi Iudex [quē Offitialem vocant] litterarum Corrector Apoſtolicarum; Præſul Genuenſis poſt Io: Card. de Embroniaco, Conſtantienſi adfuit Concilio, ſeſſ. 41. Anno 1417. tanquam Epiſcopus S. Pauli, datque ſuffragium Martino V. creaturque Patriarcha Aquileienſis; poſtea Adminiſtrator perpetuus Epiſcopatus Pariſienſis, vt legitur in ſtatutis Collegii Marchiani, à Guillelmo de la Marche Canonico Tullenſi fundatore, ſacroq; oleo vnxit templum S. Petri, Lutetiæ Pariſiorum, die 4. Martii, An. 1424. Purpuræ honorem accepit à Martino V. ſecunda promotione, Anno 1426. Nono Kal. Iulii. tit *S. Laurentij in Lucina*, declaratuſque S. R. E. Cancellarius. Ab eodem poſtea Martino V. tranſlatus à Pariſiēſi ad Rothomagenſem Cathedram duobus Annis ante Cardinalatum. Biſuntinus Archiantiſtes Theobaldo, Anno 1429. Romæ vita functo, vocaturque ad conuentum Caroli VII. Galliarum Regis vt in ſuam tutelam Rex ſuſciperet vrbē Geneuensē Cum ſuo Capitulo Biſuntino ſuper celebratione quatuor Anniuerſariorum conuenit Ioannes biennio ante mortem, Anno 1425. Bononiæ moritur Legati ſuſtinens partes die 9. Kal. April. 1437. Dominica in Palmis. Corpus delatum in Cathedralem Lugdunenſem, ibique iacet ſub humili chori ſaxo, vt teſtatur liber Anniuerſariorum S. Stephani. Ad Patriarcharum Aquileienſium fuiſſe promotum in Concilio Conſtantienſi innuit Iacobus Chiffletius, ſed forſam poſſeſſionem non eſt adeptus, ideoque in Patriarchatum Aquileienſem catalogo non inuenitur.

De eo Ciaconius, Panuinius, Auberii, Frizonius Claudius Robertus, Vghellus, Scipio Amirat. *de Ep. Florent.* Paul. de Angel. *Baſil. Liberian.* Contelorius.

4. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & orauit vt non plueret ſuper terram: & non pluit Annos tres. Et rurſum orauit: & Cœlum dedit pluuiam. Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit a veritate, & conuerterit quis eam: ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuę, ſaluabit animam eius a morte.* Iacobi. 5.



B. Ludouicus Alemandus Arbencii naſcitur [municipium eſt apud Burgeſios propę Cænobium S. Claudii Veſuntiorum] ex patre nobili Petro, qui Arbencio imperitabat, & matre.... ſorore Franciſci de Conzi; fuit primò Ludouicus Lugdunenſis Canonicus, & Comes, inde Antiſtes Magalonenſis, Abbas Tornuſianus, Cardinalatus dignitatem obtinuit Presb. Card. tit. *S. Cęciliæ*, à Martino V. promotione ſecunda, die 9. Kal. Iulii, An. 1426. In Italiam vocatus Legationem adeptus eſt Bononienſem, inde Baſileam Legatus vt Concilio interreſſet indicto ab eodem Martino V. inchoata Synodo, cum accepiſſet defuncto Martino ſucceſſorem datum Eugenium IV. qui Epiſcopos, & Legatos ab Heluetiis in Italiam ſpe ductus reconciliandi Græcos cum Latinis euocauit, re vera vt Concilium diſſolueret, nouo ſuſpectum Pontifici; Ludouicus renuit obedire, imò retrocedentibus cæteris Cardinalibus ad nouum Pontificem, ſolus Baſileæ remanſit, *vir quidem legationibus* [ſunt verba ſpondani An. 1438. n. 11.] *Apoſtolicis, aliſque rebus præclarè geſtis inſignis, magnaque pietate, doctrina, & religione, ac vita auctoritate conſpicuus [vt ſunt plurimorū elogia, quæ in vnum collegerunt auctores Amedei Pacifici, & additamentorum in Vitas Pontificum Ciaconij.] ſed quem ſiue ſimultas aliqua [à pluribus aſſerta licet non adeo probata] ſeu Zelus non ſecundum ſcientiam, & nimia credendi calumniatoribus facilitas, ab Eugenio retraxerat, & in defenſione Concilij Baſileenſis, quod legitimum credebat, obfirmauerat: præcipuum ſanè illius Columen, poſt obſceſſum cæterorum omnium Cardinaliū, aliorūque præcipuorū Antiſtitum; abſque cuius auctoritate fuiſſet, reliqua remanentium colluuies ſponte dilapſa, & diſſipata euanuiſſet.* Hinc ſciſma in quo irritati vtrinque animi; Baſileenſis cætus, auctore Alemando, Amadæum olim Sabaudię Ducem, nunc ſolitu-

litudinis colonum in Pontificem elegerunt, nomine impoſito Felicis V. cui Ludouicus in Sabaudiam miſſus thiaram impoſuit. Eugenium verò & Cardinales Baſilęam citarunt. Eugenius ex aduerſo Ludouicum dignitatibus omnibus ſpoliauit. Hinc diffidia inter Papam & Cardinalem grauiſſima ex vno Baſilęę fonte, à quo ſatis properanter plura ſtatuta de Concilijs Æcumenicis; audi Ciaconium: *Ludouicus Alemandus Gallus P. Card. tit. S. Cæciliæ, Arelatenſis vulgò dictus, qui non Trium-uirali lectione, ſed iure, quod in electione Romani Pontificis Cardinales habent, Conclaue ingreſſus eſt, vel certè quòd vir eccleſiaſticæ diſciplinæ tenaciſſimus ferre non poterat, vt ſibi ipſi videbatur ſolui eas leges, in quibus condiendis Conſtantienſis Synodus aliquandò incubuiſſet.*

Dum verò vtrinq. animo certatur & verbis, Eugenius moritur, eique ſucceſſor datur Nicolaus V. à quo ægrè (Faſces deponente Amedæo) Ludouicus priſtinæ dignitati reſtitutus, & in inferiorem Germaniam Legatus miſſus, in itinere mulis ſpoliatus onerarijs & cõmeatu, ſi fides Frizonio in *Gallia Purpurata*. Ciaconius enim Ludouicum Legatum ad Germanos miſſum aſſerit à *Felice* Antipapa, non à *Nicolao V.* R.P. qui intercedentibus pro Alemando, Federico Imperatore, Gallorum Rege, & Burgundię Duce, ægrè reſtituit mala recordatus, quæ Alemandus promouerat cõtra Sedem Romanam in Cõcilio Baſileenſi. Nec tædeat, ea perquirere in vita Eugenij IV. à nobis conſcripta. Extincto Sciſmate, Arelatem redijt, ſacris ædibus reſarciendis totus intentus: ſuiſque ſumptibus mediam Eccleſiæ matricis partem, & eam, in qua Sancta Sanctorum ad Orientem erant, quòd antiquitatem redolerent, ſolo proſtrauit, vt diruta amplioribus ſpatijs, noua excellentiorique forma excitarentur. Constructa autem eſt Eccleſia, & refformata erectis perãplis fornicibus, intermedijs alijs minoribus, ędificatis hinc inde nouem cubiculis [quæ Capellas dicimus] & in abſide primaria diſpoſitum Altare maius, paſtophorium, in quo arcam argento affabrè elaboratam ad recludenda oſſa S. Trophimi. Ornauit etiam caſtrum Saloniæ vrbis varijs ædificijs; Epiſcopium Arelatenſe aulis, cubiculis illuſtrauit.

Vitam duxit Angelicam, gratia miraculorum excelluit, atque omni ex parte Beatus Salone ad Crauum obijt die 17. Septemb. Sexagenarius Anno 1450. vt patet ex ſacro, & ſolemni in eius laudem carmine.

*Hic* [Ludouicus ſcilicet] *laborans in extremis*
*Sacramentum Vnctionis*
*Sibi dari complacuit*
*Minorum ac in Ordinis*
*Conuentum noſtri Salonis*
*Felix eius finis fuit.*
*Cito corpus vt decuit*
*Translatus in Arelatem*
*A Clero, plebeque fuit*
*Suſceptum honorificè.*

Celebrandis eius exequijs tota ferè Prouincia Arelatem aduolauit: numerantur enim vigintitres Vrbes, quæ per Sacerdotes, Religioſos, & plebem Exequijs adfuere. Eius oſſa veneranda in dextero Altaris cornu repoſita cum hac inſcriptione,

*Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,*
*& ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.*

*Vnde ſicut Deo placuit Anno M.CCCC.L. luce ſexta Men. Septemb. decima, bonæ mem. Reuer. in Chriſto Pater & Dominus Ludouicus ſacro S. R. E. titulo S. Cæciliæ Presb. Card. Arelatenſis vulgariter nuncupatus ſacræ*
A *huius Baſilicæ Adminiſtrator benè meritus & Princeps, vitæ laudabilis & conuerſationis honeſtæ ad maius vocatus tribunal, deuotè viam eſt vniuerſę carnis & Catholicè ingreſſus. Orate pro eo, vt eius anima requieſcat in pace.*

Aliter tamen Ludouici obitum, qui *Amedeum Pacificum* prelo mandauit. *Quæ verò ea miracula? declarat eius epitaphium Altæ Cumbæ in Sabaudia apud Ciſtercienſes Gallica lingua exaratum: amabat ſiquidem vir Sanctus locum illum velut orationi (cuius erat ſtudioſiſſimus) opportuniſſimum; habetque vetus traditio ibidem ex corporis ergaſtulo euolaſſe (quod eccleſia Arelatenſis diptica decimo ſeptimo Septemb. An. 1450. contigiſſe habent)*
B *quamquàm ſacra eius exuuia magna ex parte Arelatem delata deinceps ſunt, ciuibus Paſtorem ſuum ne mortuum quidem abeſſe ferentibus.* Ciaconius graues ſimultates egiſſe cum Eugenio IV. accuſat; *à quo ad Concilium Ludouicus fugiens Baſileenſe acerrimum ſe illi hoſtem præbuit, Dux factus Baſileenſis Multitudinis Eugenio IV. infenſę, cuius potiſſimùm cauſa Felix V. Antipapa contra Eugenium creatus in Concilio Baſileenſi, fax & ſcandalum S. R. E. & Sciſmatis auctor, ob id ab Eugenio IV. priuatus, ęgrè ab eius ſucceſſore Nicolao V. reſtitutus. Mortuus eſt in Sabaudia, ibique in ciuitate Lauſanenſi ſepultus. Legatus ſub Felice V. Antipapa ad Fridericum Imperatorem in Conuentu Franco-Fordienſi, cum Panormitano, Io:*
C *Segobienſi Cardinalibus obedientia Felicis V.* qui tamen Anno 1441. in Moguntino Conuentu, vbi conuenerant Germani Proceres, tanquàm Legatus à latere Felicis V. ſcilicet cum Cruce ingredi non fuit permiſſus ad comitia, coactuſque Crucem Domi relinquere, tanquàm Cardinalis priuatus auditus longa & repetita diſputatione nihil impetrauit contra Eugenium: teſte *Spondano* ex Goldaſto & alijs.

His tamen non obſtantibus; tanta eius tumulus miraculorum gloria enituit, vt quos illic pietas euocabat, reuocata pleroſque deſereret infirmitas. Cęcis enim videndi, claudis ambulandi, ſurdis audiendi, mutis loquendi (& quod omnem perfecti mira-
D culi dubitationem tollit) Mortuis nonnunquàm facultatem viuendi reſtitutam accepimus: extatque apud Arelatenſes, Miraculorum ab eo editorum liber, quem tres Actuarij publica ſubſcriptione roborarunt.

Illum laudant viri Clariſſimi permulti: præcipuè Æneas Syluius poſtea Pius II. R.P. ita de Ludouico ſcribit. *In Arelate ad ſepulchrum Ludouici Card. S. Cæciliæ, eius vrbis Epiſcopi, quem Baſileę in conſeſſu Patrum vidimus præſidentem, magna Miraculorum opinio orta*

*orta eſt , & inualidorum frequent concurſus ſpe ſanitatis factus* . Concordat Philippus Bergomenſis dicens: *Ludouicus Aselaten. vir doctiſſimus atque eloquentiſſimus, qui Baſileenſi Synodo ex conſenſu omnium Patrum præfuit, his temporibus cum multa edidiſſet opuſcula , & quidem docta , non ſine magna ſanctitatis opinione deceſſit ; & ob eam rem ad eius ſepulchrum magna miraculorum opinio orta eſt, & infirmorum magnus concurſus* . Vernerus etiam iſtis coetaneus *Ludouicus Alemando Epiſcopus Arelatenſis, vir Sancta vita, ac mira patientia, ſingularisque columna Baſileenſis Concilij, cui diu præſedit, multis coruſcat miraculis*, Conſonant Philippus de Lignamine ; & *lib. 3. Hiſtor. Sabaudæ , cap. 32.* Paradinus ; A Lambertus Vandeburgius, & Noſtradamus. Faſciculus Temporum, Magnum Chron. Belg. Hinc aberraſſe crederem Garimbertum, quando *lib. 4. c. 7.* inſultat Ludouico , quòd is ex antiqua æmulatione contra Eugenium IV. ab hoc aufugerit ad Baſileenſe Concilium , vt ibi Antipapam ſuſcitaret ; non enim ex odio, & inuidia, ſed potiùs ex Zelo indiſcreto Concilium propugnauit aduerſùs Papam : quemadmodum & Petrus Lucemburgicus Clementem VII. Antipapam veneratus Bonifacium IX. & alios legitimos Romanos Pontifices abhorrebat. Vterque tamen , Petrus ſcilicet & Ludouicus claruit miraculis, vt ex litteris Clementis VII. legitimi Papæ *ad* B *Præpoſitum & Canonicos Eccleſiæ Aselatenſis, & Priorem ac Fratres Cæleſtinos Regularis obſeruantiæ ciuitatis Aueniouenſis*.

*Dilecti Filij Salutem , & Apoſtolicam benedictionem.*

*Cum ſicut accepimus iam diu magnis Chriſti fidelium, & potiſſimum Ciuitatis noſtræ Aueniouen. erga R. Petrum de Lucemburgo , & Aselaten. erga Ludouicum Alamandum S. R. E. Cardinalem, & Eccleſiæ Arelaten. Archiepiſcopum, quorum corpora Ludouici in Arelaten. & Petri in veſtro Monaſterio reſpectiuè , requieſcunt , deuotionis affectus ita immineat , & populi multitudo non ſolùm Ciuita-* C *tum prædictarum , ſed aliarum partium diuerſarum concurrat, vt in eorum procellis, & huius caducis ſeculi turbinibus tanquam ſpeciales protectores, fautores, interceſſores, adiutores ad Dominum inuocentur ; nec mirum ſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius pro poſſe , vt fide dignorum habet aſſertio, imitatores extiterint , in dies ipſorum precibus eos inuocantes, miraculis , ac dolorum & anguſtiarum ſubleuationibus adiuuet , opemque ferat & auxilium. Quando quidem Petrus teneris ſub annis , & Ludouicus ipſe, vt accepimus, vitam cælibem , caſtamque & immaculatam exegerint, & Petrus in 17. Ludouicus verò , in 60. vel circa ſuarum ætatum annis , vt in eorum vita annalibus traditur , ſuo Creatori ſuas puriſſimas animas reddide-* D *rint, calcatis huius mundanæ vitæ ( quamuis illuſtri eſſent orti proſapia) illecebris*.

In peruetuſto Breuiario Arelatenſi legitur de Ludouico. *Qua die obijt glorioſæ memoriæ B. Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatenſis ; fiat officium ſemiduplex cum primis & ſecundis Veſperis , & omnia dicuntur de communi Confeſſ. Pontif.* In Martyrologio quoque Gallicano , XVI. Cal. Octob. *Ad æternam feliciter euolauit requiem, B. memoriæ Ludouicus Alemandus Archiep. Arelaten. Presb. Card. tit. S. Cæciliæ , qui nobili apud Burgundos familia Arbanenſi natus , dotibus pietatis ac doctrinæ præfulgens, primum Epiſcopus Magalonienſis, tum Arelaten. deinde Cardinalis creatus, non minùs ſanctiſſimis his muneribus commendationis integritate vitæ attulit , quàm ab ijs acceperit dignitatibus ornamenti. Qui tamen in Concilio Baſileenſi cum aduersùs Eugenium IV. Papam ſtetiſſet , Felicemque conſecraſſet , factis pænitens, ad ſucceſſores ipſius Eugenij , Nicolai V. obedientiam rediit, Eccleſiæque vnitatem reſarciuit , Felicis ipſius, quem pacis amator procurauit, ſpontanea abdicatione, à quo Nicolao inter Eccleſiæ Cardinales receptus , ipſo S. Cæciliæ titulo eſt honoratus . Demum propagata plurimum Religione, calcata ſeculi gloria, ſuperatis Diaboli artibus, impreſſis Gallico ſolo æternis ſanctæ vitæ veſtigijs , ſumpto Diuino Viatico, ad Cælitum optatum migrauit conſortium . In Arelatenſi Metropolitana æde ſepultus eſt ; vbi tot miraculis claruit , ut horum multitudine excitus Clemens Papa VII. Romæ dato diplomate illum in Cælitum numerum , Beati nomine retulerit , honoribuſque quibus Beati coli conſueuerunt , unà cum B. Petro de Lucemburgo proſequendum decreuerit, elato de ſubterraneo ſitu ad Baſilicæ intimum gremium eius corpore uenerando.*

Legatus Apoſtolicus dum in Germania eſſet Indulgentiam viſitantibus conceſſit Deiparam Cellenſem; vt in *Hiſtor. Virg. Cellen.*

*5. At verò omnis Iſrael, qui ſtabat per gyrum , fugit ad clamorem pereuntium, dicens : ne forte, & nos terra deglutiat.* 16. Num. 34.



HEnricus Beaufort , vel Belfordius , vel Chrichileius , in oppido natus, quod Heighanſeyris appellant, Horthomptonenſis Comitatus ( teſte *Nicolao Arſpheldio , & Pitſeo*) prima litterarũ ſtipendia Vvintoniæ fecit , Oxonium deinde migrauit ad Vvichanicenſe Collegium, vbi iuris vtriuſque ornatus laurea , Satisberienſis Archidiaconus eſt electus , inde Regis gratia ad Meneuenſem Epiſcopatum , tandem ad Cantuarienſem aſcendit, totius Angliæ primas, & à Martino V. promotione ſecunda, Presb. Card. *tit. S. Euſebij* creatus Anno 1426. nono Kal. Iulij, atque in vniuerſis Germaniæ, Vngariæ, Bohemiæ, & Angliæ Regnis Legatus conſtitutus Sedis Apoſtolicæ, magna pietate, religione, doctrinaque celebri, vbique bonarum litterarum cultor & fautor munera ſua laudabiliter adimpleuit . Ad incrementa bonarum artium ; Oxonij duo conſtruxit Collegia , quorum alterum *pro defunctis*: alterum *D. Bernardi* memoriæ, quem patronum aſſumpſerat ſingulari cultu inter Sanctos. Cantuariæ Bibliothecam reparauit , & lectiſſimis libris repleuit . Ita *Ciaconius & Vghellus in notis ad Ciaconium*: Spondanus verò Anno 1427. n. 1. Henricum hunc Cardinalem Presb. *S. Euſebij* negat apertè familiæ fuiſſe Chrichilegiæ; ſed filium Ioannis Ducis Lancaſtriæ , & patruum Henrici V. Anglorum Regis; quem Legatum Martinus creauit ad Bohemos, vt interprete hoc Cardinali Anglos, quo-

rum

rum celebris erat ſama militaris, & inter eos grandis potentiæ & auctoritatis Henricus Ep. Vviceſtrenſis, ſiue Vvintonienſis, excitaret in Huſſitas, qui immaniter graſſabantur per Germaniam. Extat diploma Romæ datum XV. Cal. April. An. 1427. apud Bzouium. Hinc negat Spondanus Henricum hunc illum eſſe, qui hoc tempore apud Anglos, familia Chricheleia, Archiepiſcopus fuit Cantuarienſis, & Angliæ Primas, is enim in nullo Cardinalium Catalogo recenſetur, quamuis ab Arpsfeldio, *ſecul.* 15. *c.* 10. Legatus falsò dicatur. Pro cuius rei veritate accedit promulgatio diplomatis Pontificij iniuncta in Anglia per eundem A Henricum Cardinalem alteri Henrico Archiepiſcopo, ex qua gemini Henrici diſcrimen clarè refulget.

Cæterum cum hanc promulgationem Humfridus Dux Gloceſtriæ, & pro Rege puero, Angliæ rector, leſę regiæ auctoritatis inſimulaſſet, & ad futurum Concilium appellaſſet, eo quòd legationis munus Henricus Cardinalis minimè petito Regis placito, in Anglia exerceret; reſpondit Cardinalis nec fuiſſe, nec eſſe, nec fore ſui animi, Legationem inſcio & inuito Rege, in Anglia exercere, nec iuribus Regis, & Regni, aut conſuetudinibus in aliquo derogare, ſed ea defendere. Reuera *vir frugaliſ-* B *ſimus* ( teſte Polydoro *lib.* 23.) *res Anglicas ſępe afflictas conſilio, & opibus iuuandas maximè omnium curauit.* Non enim ex ſola Regni cauſa mouebatur Dux Gloceſtriæ contra Cardinalem, ſed iratus & contra Pontificem ob reſciſſum ab eo matrimonium ab Humberto illicitè contractum cum Iacoba Bauara, huius adbuc viro ſuperſtite: & contra ipſum Cardinalem ob graues ſimultates, quæ inter eos interceſſerant. *Harpſfel. cap.* 20. Monſtrelet. Scribit nihilominùs Polydorus nnn mediocrem militum numerum collectum à Cardinale in Huſſitas tranſmittendum: iamque militès nauem conſcendere cœpiſſe; cum à duce Bethfordiæ, regni Gallici pro Anglis C Rectore, certior factus Gloceſtrenſis nouo opus eſſe militari delectu, quem commodè & oportunè ſpectare non poterat; Cardinalem rogauit, *ut primùm cum exercitu, quem ducebat, ad Bethfordienſem ſe conferret iuuaretque ſuos in prælio, quod Bethfordienſis cum hoſte prope diem facturus erat, & inde eo confecto, vt ſperabat, in Bohemos pergeret. Henricus etſi per moleſtè ferret iter ſuum impediri, tamen ne ſuis deeſſet, tranſgreſſus Oceanum, Lutetiam ad Bethfordienſem conceſſit.* Polydorus *lib.* 23. vbi cum per 45. dies otioſus degiſset, pugnam abnuente Gallo ſumpto ſecum exercitu, quem ex Anglia antea traduxerat, in Bohemos proceſſit. Ad eius aduentum, *cum tres eſſent inſtituti Ca-* D *tholicorum exercitus, ab vſque obſeſſa Miſna, quam priùs recuperare viſum fuerat, quàm vltra procederent, allata nuncio, Hæreticos collecto raptim milite in eos properare, non viſo hoſte fugę ſe dediſſe: admirante Cardinale, tot Ducum, tot fortium virorum pauidam, fœdamque fugam; hortùsque magnis precibus, ut rediret in hoſtē omnis ex parte debiliorē, cū fruſtra niteretur, & ipſum turpis fugę comitem effectum eſſe; nec priùs Teutones fugere, quā Bohemos perſequi, deſtitiſſe.* Æneas Syluius c. 48. de re Bohem.

Et quod magis auget Teutonum infamiam, ſcribit Michouius, *tam copioſum fuiſſe Catholicum exercitum, vt ad vniuerſam euertendam Bohemiam ſufficere videretur.* In hac Bohemica legatione (teſte Krantzio Saxoniæ lib. 11. c. 16.) venit Roma in Saxoniam, ſpecie Nuntii Apoſtolici, falſarius quidam Marcellus nomine cum fratre Hoſpitalis [vt apparebat] S. Ioannis. Cardinales illi fratres, ambo profeſſione Minores, religioſa veſte proiecta, litteras pręferebant Apoſtolicas. Marcellus ſatis eloquens, & doctus, qui ſe Magiſtrum aſſereret in Theologia, indulgentias plenarias pollicitus dantibus pro redemptione captiuorum, pro Rege Cypri, vbique quæſtum faciebat, donec tanquàm falſator ſummo delatus Pontifici; & à Pontifice, Anglico Cardinali inquiſitione commiſſa, cum Coloniam veniſset inuitatus à Cardinali ad colloquium pro arcano grauiſſimo, aſcendit, magnum concipiens prouentum. In itinere, mandante Cardinali, carceri traditur. Breui tamen eluſis cuſtodibus, abiit. Donec ſpe centum Aureorum, quæ Cardinalis edicto promiſerat, ab Inquiſitoribus reductus in carcerem publico iudicio conuictus, ad ſcalam damnatus perpetuam, lugubrem Cardinali lacrymis plenam miſit epiſtolam ſed ſurdo loquutus: quamuis ægrotanti Archiepiſcopo medicinam conficiendi prætextu elapſus, ad Aquilonem ſeceſſit. Cardinalis verò plenus auso, diuitiis impinguatus [vnde *Diuitis* cognomen aſſecutus] quales à nepote Humfredo ſubierit accuſationes, & impatientiſſimè mortem ex ęgritudine corporis: quantas auri ſummas in egenos, captiuos, carceribus detentos, pia loca erogauerit? habet breuiter Harpsfeldius. *Sæc.* 13. *cap.* 20. Polydor. Virgil. *lib.* 23. *Hiſtor. Anglic.*

*An. Sal.* 1447. *e vita exceſſit Henricus Card. Vintonienſis Ep. qui vnus omnium erat, cuius conſilio & opibus, quibus valebat, ita Henricus iuuari potuiſſet; vt depulſo animi periculo, facile in perpetua pace Domi fuiſſet: quanquàm eam grauem iacturam, quam Henricus Rex in eius morte fecerat, ſarcire poſſe viſus eſt Gulielmus Vvanfletus, qui illi in Epiſcopatum Vintonienſem ſucceſſit.*

6. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringens eos.* Pſal. 2.

IOannes Bucca Pragæ natus, Bohemiæ metropolis, ſanguine claro [teſte Sebaſtiano Riualdo Ep. Calcedonenſi in *hiſtoria Buccæ familia*] qui ex Lythomiſſlenſi ad Olmucenſem ſedem poſtulatus, variam fortunam ſubiit, aduerſante Vuenceslao Romanorum Rege, ad cuius importunas preces [teſte Aug. Brunenſi Præpoſito, *in Catalogo Olmucenſium Epiſcop.*] quidam Alſo Can. Viſſegraden. fauore hęreticorum, & Conradi Archiep. Pragenſis in Olmucenſem Epiſcopum per factioſos quoſdam Canonicos eum fuiſſet electus, Ad Conſtantienſe Concilium diſceptatione delata; Ioannes vicit, & Olmucenſis fuit confirmatus Epiſcopus, imò & inter Presb. Card. tit. *S. Cyriaci* aſſumptus, promotione ſecunda, Anno 1426. occurente ei, & plaudente Clero, & populo Olmucenſi, cum quò ſępè inſtructis agminibus, equo inſidens cataphracto, acies

fudit

ſudit hæreticorum: ob id vulgo Epiſcopus *Ferreus* nuncupatus. Strigonii obiit, menſe Decembri, Anno Sal. 1430. & Vaciæ ſepelitur.

Lege Ciaconium, Panuinium, Vghellum, Contelorium.

7. *Circa illum corona fratrum: quaſi plantatio cedri in monte libani.* Eccli: 50.



ANtonius Ioannis vel Franciſci Caſini filius, ac N.... Capocciæ Romanæ nepris ex ſorore Martini V. R. P. Florentiæ naſcitur, familia ciuili & honeſta ſed populari, quæ dignitates A olim, & honores in Republica obtinuit, vt ex *monumentis Florentinis* libro *Prioriſta* dicto, in quo nomina recenſentur eorum, qui munera exercuere publica. Sub cura parentis medici celeberrimi adolæuit, vt ex eiuſdem Cardinalis teſtamento Bonis artibus educatus, ad Iuriſprudentiæ cancellos ſe contulit magna laude, & nomine; plebaniam Signanam primò obtinuit, poſtea Cathedralis Florentinæ Canonicus; & illius Eccleſiæ Vicarius; inde ad Romanam Curiam progreſſus, premia ſubiit digna virtutis. Nam Cameræ primùm Clericus Apoſtolicus ſub Innoc. VII. poſtea Theſaurarius, B Bononiæ Prolegatus, & Flaminiæ Præſes, tum & Piſaurenſis Epiſcopus, deinde Anno 1409. ab Alexandro V. ad Senenſem tranſlatus Epiſcopatum habuit in Piſaurenſi ſede ſucceſſorem Bartholomæum germanum fratrem ex Abbate S. Muſtiolæ Vallis vmbroſæ, Presb. demùm Cardinalis tit. *S. Marcelli* ſub Martino V. promotione ſecunda, Anno 1426. Senenſem Eccleſiam cum Groſſetana commutauit. Anno 1417. poſtquam in Cathedrali Senenſi erexiſſet *S. Sebaſtiani* Sacellum, pretioſiſque donariis locupletaſſet. In Cathedrali Florentina duas Capellanias fundauit, cenſuque dotauit perpetuo.

Vixit familia Caſina Florentiæ, & Senis in eo- C dem ſtemmate conueniens gentilitio; vt ſepulchrum prodit alterius Antonii Caſini Maſsēſis Epiſcopi, filij Franciſci, celebris medici, quem aliqui nomine & tempore decepti, patrem putarunt Antonij Caſini Cardinalis: cum tamen Antonius Maſſæ Populonij Epiſcopus patrem habuerit Ioannem Medicum Innocentij VII. Obijt iſte Anno 1439. Romæ ſepultus; ille Anno 1429. humatus in ſua Cathedrali.

Sedente Senis Antonio, ex decreto Martini V. inchoatum eſt generale Concilium An. 1423. ſed orta diſſenſione inter Patres, paucos poſt Menſes diſſolutum. D

Obiit Antonius Florentiæ, An. 1439. Romam ex teſtamento relatus apud S. Mariam Maiorem cum hac breui inſcriptione.

*Sepulchrum.*

*Antonij tit. S. Marcelli P. Card. de Senis*

*Qui obijt An. M.CCCC.XXXIX. die IV. Feb.*

Agnetem Monialem S. Apolloniæ, Flor. ditionis, ſororem ſuam hæredem fecit: deſcriptis pluribus legatis ad fauorem Eccleſiarum, præcipuè SS. Trinitatis Florentiæ, vbi maiores ſui iacent, ad ripam Arni.

Eius memoria recurrit in libris Montis Pietatis Florentini. Seruant autographum teſtamenti Cardinalitij eccleſia Metropolitana Senenſis, in quo *Antonius de Senis* appelletur: quibus Tabulis ſi inſcriptionem adiungas ſepulchralem; Senenſem fuiſſe argues non Florentinum; vt voluit Victorellus *addition ad Canon.* quamuis ei reſpondeat Vghellus; ſeſe Cardinalem Antonium appellaſſe Senenſem, vt populum ſibi recōciliaret Senenſem; qui Florentinum ciuem ęgrè ferebat in Epiſcopum Senenſem; ducta etiam Senas, agnatorum ſuorum colonia in pignus fidei, & argumentum amoris, quam Reſpublica iure ciuitatis donauit, & inter nobiles tranſcripſit.

Circa Annum Salutis 1653. cum in Senenſi Cathedrali dirutum eſſet Altare, erectum olim ab Antonio Cardinali, ſuiſq. ornatum inſignibus; nè tanti viri periret memoria; Annibal de Aciaria nobilis Senenſis inſcriptionem hanc à Fabio Chiſio futuro Alexandro VII. ſcriptam affigi curauit.

*Antonio Caſino Franciſci F. Bartholomea N. Cameræ Apoſtolicæ Clerico, Theſaurario, S. R. E. Presb. Card. tit. S. Marcelli, ob vtriuſue iuriſperitiam, atq; prudentiam, Martino V. & Eugenio IV. Sum. Pontifici à conſilijs intimis, & ſummè caro: cuius cinis Romæ ab An. 1439. in æde S. Mariæ Maioris diem Reſurrectionis expectat.*

*S. P. Q. Senen. ciui optimo, paſtori ſuo vigilantiſſimo Annibale de Aciaria æditiuo cur. Mem. Cau. P. os. A. D. 1653.*

Lege Ciaconium; Panuinium; Vghellum; Iſidorum Vgutz. in *Pompis Senen.* Hippol. Martae. *in purpur. Mariana*; Garimbertum; Auberij; Contelorium.

8. *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos Roſarum in diebus vernis; & quaſi Lillia quæ ſunt in tranſitu aquæ; & quaſi thus redolens in diebus æſtatis.* Eccli. 50.

FR. Nicolaus Albergatus, Petro Nicolao, & Philippa Chioppetta parentibus clariſſimis, Bononiæ natus, iuris ſtudio addictus, & proximè in celeberrimo Lycæo, laurea donandus, ſcientię Sanctorum, in ſchola Carthuſienſi, addiſcendæ deſiderio mirificè captus, cum ad ſuburbanum Bononiæ cænobium, S. Hieronymo ſacrum, animi relaxandi gratia, pomeridianis horis declinaſſet, valido imbre exorto, ibidem pernoctari compellitur. Media nocte, Monachis ad Laudes ſurgentibus matutinas, adfuit & ipſe intra Chorum exceptus, vbi ſacra melodia, & concinnentium modeſtia delinitus, ſummo mane eis aggregari flagitans, Anno Salutis 1395. ætatis ſuæ XX. religioſus initiatur. Eius cum ętate creſceret plenitudo gratiæ, & profectionis, Patres Ordinis Florentino, Bononienſi Romano, & Mantuano Monaſterijs Priorem præfecerunt, poſtea Procuratorem totius Ordinis Generalem in Curia Romana erexerunt. Horum exemplum

plum æmulati Clerus, & populus Bononienſis, Pa-
triæ Antiſtitem renuntiarunt Anno 1417. & violen-
ter è cella abductum rapuere ad infulam: ſe autem
excuſante ſine Prioris magnæ Carthuſiæ eiuſque
Generalis Capituli aſſenſu, nefas ei vllum præſta-
re conſenſum; miſerunt in Galliam, qui totius ci-
uitatis Bonnienſis nomine à venerandis Eremi pa-
tribus Nicolaum in Epiſcopum poſtularunt; quibus
non annuentibus modò, ſed etiam Nicolao præci-
pientibus, vt Dei voluntati morem gereret, onus
ſubijt. Romanam quoque promouendum ad purpu-
ram S. Malachias vaticinio ſatis claro prædixerat,
cum de Ænea Siluio, futuro Pio II. cecinit, *De Ca-* A
*pra & Albergo*, priuſquàm Siluius à ſecretis eſſet Ca-
pranicę & Albergato; imò priuſquàm iſti promoue-
rentur in Cardinales, Romam itaque à Martino
euocatus Anno 1426. oblatam ſibi extra vrbis mæ-
nia purpuram Presb. tit. *S. Crucis in Hieruſalem*, con-
ſtantiſſimè reſpuit, nec in conſpectum aſcendit Pon-
tificis, quàm incuſſo Diuinæ indignationis timore.
Mortuo poſtea Iordano Card. Vrſino, maioris Pæ-
nitentiarij officium, ac Baſilicæ Liberianę Archi-
presbyteratum accepit ab Eugenio IV. vtriuſque
dignitatis munere egregiè implero, grauiſſimiſque
pro animarum ſalute, & Catholicæ Eccleſię decore
exantlatis laboribus. Duas pro grege Bononienſi B
legationes ſuſcepit ad Martinum V. alteram, ſuæ
patriæ expreſſurus lætitiam, pro eius aſſumptione
ad Pontificale culmen: inuitus alteram, ad euer-
tenda arma (quæ adornabat Martinus in Bononien-
ſes ab obedientia ſubtractos Romana) indignationis
præſcius populi Bononienſis, ſuique periculi. Mar-
tinus itaque V. ablegatis Nicolai ſocijs; eique ſoli
litteras dedit Bononiæ aperiendas, & exequendas.
Mæſtus Nicolaus receſſit, non pacis interpres, ſed
anathematis delator aduersùs patriam. Poſtridie
itaque in patriam reditus, in S. Petronii Baſilicam
veniens, indicto ſilentio, inter Miſſarum ſolemnia
Interdictum, quod ſecum attulerat, mærens ad C
aram maximam pronuntiauit, ad ſtatuas S. Petro-
nij affixit, accitiſque Gymnaſij Rectoribus, lectio-
nis munus inhibuit. Ciuitas tunc prorsùs alienata
in eum exclamare, fremere, hoſtem publicæ accu-
ſare libertatis, eo eſt furore progreſſa, vt immiſſis
in ædes Epiſcopales ſatellitibus, caput amputare
decreuerit. Sanctitatis reuerentia ſeruauit Præſu-
lem; exterriti namq; ſicarii retroceſſerunt immuni
relicto. Hoc cum reſciuiſset Nicolaus, vt pericu-
lum declinaret, Florentiam perſonatus ſeceſſit.
Secundò cum plebem furentem aduersùs leges Pon-
tificis, conatus compeſcere, lapidibus obrutus ia-
cuiſset; niſi accito Priore Carthuſiæ, veſtibuſque D
eius indutus, eum tanquàm ſocius proſecutus & in-
ferior Carthuſiam, & inde Mutinam citatis equis
ſe recepiſſet.

Orbę pariter quaquauerſum obſtrepente, ipſe ſo-
lus pacis Angelus inuentus, qui diſſidentes compo-
neret, ad conciliandos fæderatos Italiæ, Venetos
Inſubres, Florentinos, bis & ter ablegatus (teſte
*Io: Bap. Zeno Ep. Feltrenſi in vita Cardinal. Albergati,*
*cap.* 14.) iuit, rediuitque nunquàm ingratus. Pacem
quoque vt componeret inter Gallos Burgundos, &
Anglos, iteratò Alpes ſuperauit, & ſolemni adſuit
Atrebatenſi Conuentui, nomine Eugenij IV. An-
no 1431. qui Legati prudentiam eo ornarat elogio,
vt *quod per Albergatum non fieret, per neminem hominem*
*fieri poſſe negaret*. In Galliam veniens quamquàm ni-
hil labori, periculis, ſumptibus pepercerit in Re-
gibus adeundis, obſecrandis, eorumque miniſtris
adiurandis, impellendis, nil tamen proficere po-
tuit; id tantum opportune importunè inſtando con-
ſecutus, vt ſex Annorum inducias promitterent:
quamuis & hic violatis, Legatus ſpe reconciliatio-
nis abiecta in Italiam redierit recuſatis Regum mu-
neribus, ſuique magna æſtimatione relicta. Anno
poſtea 1434. miſſus ab eodem Eugenio ad Conciliũ
Baſileenſe cum tribus alijs Legatis Concilio fuit in-
corporatus priuato nomine, ſcilicet tanquàm Car-
dinalis S. Crucis, non tanquàm Legatus, ſuoque
nomine iurauit ſe defenſurum decreta Concilij, præ-
cipuè illud Concilij Conſtantienſis, de ſubiectione
Pontificum Romanorum, poteſtati coactiuæ Con-
ciliorum Generalium, in ijs, quæ ad fidem perti-
nent, & ad generalem reformationem Eccleſiæ,
tam in capite, quàm in membris. *Seſſ. XVII. Conci-*
*lij Baſileenſis*. Verum cum in his; quæ ad auctorita-
tem Romani Pontificis, Cardinalis Albergatus à
Concilio vt plurimum diſſentiret; Patres ſpetie
honoris eum in Italiam remiſerunt ad componenda
diſſidia nomine Concilij, & reſtituendas vrbes, quę
deſecerant ab Eugenio. In ſummas namque angu-
ſtias redactus Pontifex (teſte Blondo, qui Eugenio
R. P. à ſecretis erat, *decad.* 3. 5. 6.) ab exercitu Phi-
lippi Ducis Mediolanenſis, ipſo Romano furente
populo per amicos Philippi ſollicitato, Roma Eu-
genius laruatus aufugerat ad Tiberim, vbi paratam
conſcẽdens nauiculam inter lapides, & iacula furen-
tium & inſultantium, capitali periculo per medios
hoſtes ereptus Oſtiam venit, vbi conſcenſa triremi
Piſas delatus, & inde Florentiam ſemper inter pro-
ditores & ſiccarios. Nam Florentiæ Bartholomęus
Ep. Nouarienſis apud Pontificem orator Ducis Me-
diolanenſis, cum Nicolao Piccinino copiarum Du-
ce, inſidias locauerat, vt per eſtatem egredientem
vrbe Pontificem ad loca amæniora proditoriè Inter-
ciperet. Re detecta, nè plecteretur Epiſcopus,
vicerunt Cardinalium preces, præſertim Alberga-
ti; quo interprete, Epiſcopus conuocatis quotquot
tunc habebat Curia, Prælatis, Principumq; Ora-
toribus, publico in loco ad pedes prouolutus Pon-
tificis, facinus confeſsus veniam rogauit. Cui
Papa vitam, qua indignus erat, ſe in gratiam
Cardinalis S. Crucis, cui, nihil denegare valeret,
condonare reſpondit. Die poſtera Epiſcopum, Car-
dinalis S. Crucis iter in Galliam ad pacem Regum
ſollicitandam arripiens, ad Ducem Mediolanen-
ſem duxit. *Blond.* 3. *Decad.* 6. Ad Gallos cum per-
uenjſſet, coactis Atrebati comitijs, quibus adſue-
re Cardinales Arelatenſis, Cyprius, & S. Petri ad
Vincula: hi duo poſtremi miſſi à Concilio Baſileen-
ſi, & Cardinalis Vviceſtrenſis cum alijs Prælatis, &
Principibus nomine Regum, Angliæ & Gallię, nec
non

Digitized by Google

non Pilippi Burgundiæ Ducis; orta ſimultate inter Cardinales S. Crucis, & Arelatenſem de ſuarum Legationum auctoritate & prærogatiua; præualuit in omnibus, Cardinalis S. Crucis, qui Ducem Philippum à iureiurando abſoluit, quod Anglo Regi præſtiterat. [*Sigonius in vita Albergati. Æneas Com. lib. 6.*] & Gallis reconciliauit. Anno 1438. aliam legitur in Sigonio Albergatus ſubiiſse legationem ad Comitia Norimbergenſia, in quibus Albertum Romanorum Regem Oratoribus Baſileenſibus reconciliare tentauit, de eligendo tertio loco pro celebratione vniuerſalis Concilii; at deſperata concordia; in Italiam Albergatus rediit, occurſurus By- A
zantino Cæſari, qui Venetias appulerat, vt ad Concilium aſcenderet Ferrarienſe. Huic præfuit nomine Eugenii IV. vnà cum Iuliano Cæſarino Card. S. Sabinæ, diſputauitque *de Purgatorio* aduerſùs Græcos Marcum Metropolitam Epheſi, Iſidorum Rutenum, Beſſarionem Nicęnum, Theodorum Xantopulum, & alios, vt *in Seſs. 1. Ferrar. Concilij.* Scripſit prætetea.

*Recollecta multa lectionis,*

*De inexcuſabili peccatoris nequitia*

*Orationes ad Venetos, & Philippum V. Comitem Mediolani pro pace.*

*Sermones plures & Epiſtolas: pluresq. accepit ab Ænea Silnio.* B

Aloyſius Manzinus Ideam Principis Eccleſiaſtici, lineis ex Albergati geſtis deductis, ad viuum expreſſit, vulgauitq. Bononiæ, An. 1643. Poſt Ferrarienſe Concilium, Florentię per triennium à latere Pontificis nunquàm abſuit. Senas cum eo ingreſsus Anno 1443. ſeptimo Idus Maij migrauit è corpore: quem cum Eugenius Papa nocte ſolus inuiſiſset, voluit etiam publicè eius funeri intereſse, præter morē quidem Pontificium [quamuis etiā Gregorius X. æquè S. Bonauenturæ Card. funus ſit comitatus] ex intimo affectu, quo tantum virum proſequebatur. Mortuus eſt Anno ętatis ſuæ ſexageſimo octauo C
ex calculo, qui, poſt eius obitū extractus eſt bilibris magnitudine oui anſerini, ex minutis arenulis concretus, quem Papa pro cōcepta eius Sanctitatis opinione retinuit, Florentinę Carthuſię Monachi, apud quos etiam ſepultus, Senis eò ex teſtamento translatum poſtea habuere. Illum Poggius Florentinus oratione laudauit funebri, præter Iacobum Zenum, & Carolum Sigonium, qui eius vitam luculenter deſcripſerunt. Extant omnia vno edita volumine vnà cum aliorum auctorum de eo elogijs. Erat eius familię pręfectus, quando Albergatus obijt, *Thomas Sarzanus*, qui fuit Nicolaus V. Papa futurus: à quo ipſi poſt obitum à parente, & D
de felici ſuo ſtato commonente, Pontificatum pręnuntiatum fuiſse traditur.

Eius geſta celebrauere *Paulus Æmilius, Polydorus Virgilius, Nauclerus, Ermannus Schandellius, Krantius, Boſtius Carmelita, Deodara Maluaſia, Georgius Garnefelt, Blondus, Philelphus, Dorlandus, Vghellus, Ciaconius, Victorellus, Garimbertus, Ludouicus Donius d'Attichij in* floribus S.R.E. Cardin. *Petrus Sutor, Platina, S. Antoninus, Æneas ſilnius, Spondanus, Bzouius, Theodorus Petreius; Ioannes Gebellinus, Pompeius Vizanus* hiſtor. Bonon. *Brietius in Annal.*

Sepulchralis Inſcriptio.

*Sepulchrum omni laude digniſſimi R.R. Patris Nicolai tit. S. Crucis in Hieruſalem. Presb. Card. hic natus Bononiæ primum ex Priore Carthuſienſi, petente populo Bononienſe Epiſcopus, tum à Martino V. P. factus, poſt plurimas ſuſceptas, atq. omnium commendatione peractas Legationes, Senis diem ſuum obijt, ætatis ſuæ Anno 68. vir piiſſimus, mitiſſimuſque vita integritate, ſingularique virtute omnium comprobatus.*

*Carthuſiæ me terra tegit, quæ ſumpſit alumnum*
*Ac dedit eſſe patrem natiua Bononia tandem,*
*Me ſibi paſtorem tenuit de iure uocatum.*
*Cardinis Eccleſiæ compulſus pondera ſumpſi:*
*Et Crucis in titulo mihi fulſit rubra Tiara.*
*Mille quatuor centum denos quater egerat Annos,*
*Tres etiam Cyclus Solaris, dum Nicolaus*
*Mente petens Cælum ſub ſaxo, corpore claudor.*




S. Antoninus *par. 3. tit. 22.* Nicolaum appellauit *virum venerabilem, ſpeculum ſine macula, patrem pauperum, reformatorem pacis, impeditorem ſchiſmatis.* Blondus in Italia Illuſtr. *virum celebris Sanctimonię, & ſapientię ſingularis.* Æneas Syluius *ep. 188. Venerandum patrem, & omnium opinione Sanctiſſimum: & lib. 2. Com. Vita ſanctimonia, & ingenij dexteritate clarum*; Philelphus *Sapientem, & Sanctum.* Corpus enim, dum apud nos viueret afflixit cilicio, flagris, lecto ſtramineo, inedia, vigilijs, precum aſſiduitate, peregrinationibus, ſtudiorum laboribus, cibi parcitate, à qua nec Cardinalis factus receſſit, imò carnibus nec in extremo vitæ diſcrimine veſci voluit. Mundo crucifixus, & Cruci confixus in parma ſcutaria, omiſſo, ſtemmate gentilitio, Chriſti crucem effingi voluit. Virginis deuotus Deiparæ, eius imaginem D. Lucæ penicillo expreſſam, & Conſtantinopoli ad montem Guardiæ, Bononiæ proximum delatam, in ſupplicationem deferri curauit, cum nimijs imbribus ager Bononienſis iaceret ſterilis. Craneum S. Annæ à Rege Angliæ ſibi dono datum, Bononienſibus donauit; teſte *Sigonio c. 17.* Campanarium Eccleſiæ ſuæ Cathedralis è ligno lapideum fecit, vt ex Inſcriptione per Paſqualinum tranſcripta.

*Campanarij huius faſtigium à Nicolao Albergato Cardinale Ep. Bononienſi, inſigni virtute & pietate viro, ex ligneo lapideum factum & plumbo contectum Anno 1426. Canonici vetuſtate conſumptum notabili impenſa, plumbo retexerunt Anno 1603. Alphonſo Paleoto Archiep.*

Gemina huius Cardinalis recurrunt inſignia, familiæ Gentilitia; & ab eo nouiter aſſumpta in Cardinalatu. Vtrumque ſupra habes.

9. *Fili ſerua mandata mea, & viues.*
Prouer. 7.



RAymundus Mayroſius Auullanus Diæceſ. Ruthenenſis, eximius Decretorum Doctor, & Tricaſtinus Epiſcopus (Vrbs hæc S. Pauli) ſub Archipræſule Arelatenſi, Senatus Gratianopolitani, poſtea Caſtrenſis Præſul ad fluuium Acutum alijs Agotum ſub Archiep. A Bituricenſi; tandem Epiſcopus Vaſatenſis, à Martino V. purpura donatur Anno 1426. promotione ſecunda, tit. *S. Praxedis*, Romæ, vbi etiam vitam poſuit die 22. Octob. An. 1427. ſepultus in ſuo titulo, cum epitaphio.

*Ego Raymundus Mayroſi tit. S. Praxedis Presb. Card. Caſtrenſis vulgariter nuncupatus: hæc requies mea vſque in finem ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Orate pro me fratres. An. Dom. 1427. die 22. Octob. obijt.*

Ciaconius, Panuinius, Auberij, Contelorius, Claudius Robertus, Frizonius.

10. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? at illi dixerunt alij Io: Baptiſtam: alij Eliam: alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis: dicit illis Ieſus. Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matth. 16. B



IOannes Ceruantes ciuis & Archidiaconus Hiſpalenſis ex prouincia Galletia, I. V. Doctor, ex Ep. Abulenſi Segobienſis, poſtea Burgenſis, Presb. Card. *S. Petri, tit. Eudoxiæ* à Martino V. Anno 1426. promotione ſecunda; Comitijs adfuit Eugenij IV. Nicolai V. à quo Ep. aſſumptus Oſtienſis & Veliternus, legatus abijt cum Nicolao Albergato Cardinali S. Crucis in Hieruſalem, ad Concilium Baſileenſe, in quo cum Pontificis auctoritatem extolleret, & propugnaret aduerſùs Patres, ſpecie legationis, & concordiæ inter Italos, remiſſus eſt cum eodem Albergato, ad Pontificem in Italiam. In Hiſpania deceſſit, in Cathedrali humatus Hiſpalenſi cum ſequenti epitaphio.

*Poſtquàm eximio nitore virtutum RR. D. Ioannes de Ceruantes cum tit. S. Petri ad vincula galerum optimè meruit, digniſſimoſque per Orbem edidit fructus Quoniam totius eccleſiaſticæ honeſtatis otium fuit indicatum, Oſtienſem ſedem obtinuit. Tandem iam graueſcente ætate, Hiſpalenſem Metropolim ſapienter adminiſtrans, eccleſiam (vt Prælatum decet) reliquit hæredem, cum inter probatiſſimas operationes Hoſpitale famoſum, dotatiſſimumq. in ciuitate Hiſpalenſi primus ædificauit. Obijt 25. Nouemb. An. Dom. 1453.* D

Ex hac inſcriptione apparet primum Hoſpitale in vrbe Hiſpalenſi in honorem S. Hermenegildi, pauperibus erexit, & annuis dotauit redditibus, ad octuaginta infirmorum miſerias ſubleuandas. In Cathedrali eiuſdem vrbis, ſacellum extruxit in honorem eiuſdem S. M. Hermenegildi, & annuos redditus quatuor Sacerdotibus, qui in illo, dietim Hoſtiam offerrent ſacraſanctam, larga manu ſuppeditauit. Abulæ, Sanctorum Reliquias vaſibus ornauit argenteis & aureis. Mandauit duodecim puellas dotari ad nuptias ciuiles, vel ſpirituales, in perpetuum.

Ciaconius, Panuinius, Auberij, Vghellus Balthaſſar Porregnus *in elog. Card. Hiſpan. M. S.* Contelorius.

11. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum; amor proximorum; vir & mulier bene ſibi conſentientes.*
Eccl. 25.



DOminicus Ram Hiſpanus Blaſij filius, & Dulciæ Lanargæ, in oppido natus Aleanniz Regni Arragoniæ, doctrina non minùs quàm Religionis obſeruantia Catholicæ præclarus, Epiſcopus primò Oſcenſis, mox Tarraconenſis renunciatus, poſt obitum Martini Regis Arragoniæ, qui ſine prole deceſſerat, Iudicum Concilio præſedit, qui dubiam regni ſucceſſionem attribuerunt Ferdinando I. Caſtellæ Infanti, & XXII. Arragonum Regi, cuius nomine Orator venit in Regnum Neapolitanum, & in regna Caſtellæ, Siciliamque ProRex gubernauit. Legatus poſtea ab Antipapa Petro de Luna, in Sciſmate Ioannis XXII. dicti XXIII. ad Gregorium XII. vt Concilium paciſceretur Æcumenicum congregandum, vel potiùs C exhibitione Concilij, Orbem deluderet Catholicum; Dominicus Sciſmatis inimicus, Concilio verè ſubſcripſit congregando. Tantis meritis, à Martino V. vocatus ad purpuram, Anno 1426. promotione ſecunda *tit. S. Sixti*: vel teſte Vghello in *Ep. Portuen.* cum nondum eſſet publicata eius promotio in obitu eiuſdem Martini; Eugenius IV. nè quid in Eccleſia ſciſma reſurgeret; Dominicum cum *alijs* tribus Cardinalibus publicauit; eique titulum aſſignauit *SS. Io: & Pauli, tit. Pammachij*. Comitiis dicitur ab Oldoino, adfuiſſe Eugenij IV. ſed falsò; quia nondum publicata eius promotione, interuenire haud poterat tanquàm Cardinalis, teſte *Panuinio*. Vocatus poſtea ad Baſileenſe Concilium, in quo de depoſitione Eugenii IV. agebatur: ipſe murum ſe obiecit æneum contra decretam à Patribus Pontificis depoſitionem; & aduersùs Arelatenſe Concilium, circa articulum, *An Concilium ſit ſupra Papam?* certauit legitimè, nec ſine corona triumphi; vt dedimus *in vita Eugenij IV. p.* 528. A Titulo SS. Io: & Pauli cum tranſitũ tandem feciſſet, iubẽte Eugenio, ad Epiſcopatum *Portuenſem, & S. Ruffinæ*, conſenuit, fato concedens, centenarius, die 25. Aprilis 1445. in

Late-

Laterano ſepultus, ante Altare SS. Io: Euang. & Baptiſtæ, & Iacobi Minoris, in pauimento, cum epitaphio.

*Hic iacet Reuerendiſſ. in Chriſto Pater, & DD. Dominicus Ram Ep. Portuenſis, S. R. E. Cardinalis Tarraconen. nuncupatus, qui obijt An. D. 1445. menſ. Aprilis, ætatis ſuæ Centeſimo, vel circa.*

Ciacon. Garimber. Faxellus *hiſtor. Sicula.* Auber. Martin. Caril. *catal. Ep. Oſten.* Porreg. *elog. Card. Hiſpan.* Vghellus. Zurita. Raſpon. *de Baſil. Lateran.*

12. *Si dixero impio, Morte morieris, & egerit penitentiam à peccato ſuo, feceritq. iudicium & iuſtitiam; vita viuet, & non morietur.* Zechiel. 33.



FR. Ioannes Caſanoua, Hiſpanus, Arrago, nobilis natu, virtute nobilior, Ordinem profeſſus Prædicatorum, diſciplinis excelluit Theologicis. Magiſter dictus Sacri Palatii, inde Epiſcopus Boſanus, poſtea Eluenſis, tandem Presb. Card. tit. *S. Sixti*, à Martino V. die 5. Idus Nouemb. 1430. promotione tamen non publi- B cata per obitum Papæ; Eugenius IV. ne iniuriam faceret defuncto prædeceſſori, & ne iterum Sciſma excitaret, publicauit, vt nomini ſuo famam conciliaret aſumptione tanti Theologi inter Patres. Fidelis, & gratus Ioannes benefactori ſuo, fugientem Roma Pontificem ſolus ex tantis Cardinalibus comitatus Florentiam venit, licet poſtea mutata opinione [*Garimbertus lib.2.p.* 153.] clandeſtinè aufugiens triremem conſcendens V. Comitis Mediolanenſis, ad Ligures ſe receperit, Baſileam tandem, vbi de Eugenii depoſitione ſeriò agebant Patres, venenum euomens aduersùs Pontificem, à quo purpura expoliatus iacuit, donec ad ſe reuerſus, & ad C Eccleſiam, librum ſcripſit *De Poteſtate Papæ ſuper Concilium*, vnde clementia Pontificis in integrum reſtitutus Florentiæ iterum in ſinum receptus, obiit Anno Sal. 1436. Kal. Martii, in eccleſia ſepultus Prædicatorum S. Mariæ Nouellæ. Cadauer in Hiſpaniam relatum humum ſubiit eodem in cænobio, vbi habitum ſumpſerat. *Garimbertus ib. & lib.* 5. *p.* 451. Lege Ciaconium, Vghellum, Anton. Senenſem. Raphaelem Volaterranum, Porregnum *lib. cit.* Ferdin. del Caſtil. *Chron. Pręd.*

13. *Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis.* Pſal. 17.



GVillelmus de Monteforti, D aliàs de Dinam, Dinamus non Deuanus Gallus, Rudolphi filius Raguenel Dynaſtę de Mont-Fort, ac de la Roche-Bernard, ex matre Eliſabetha de Loheac, natu minor interfratres, nobiliſſimo inter Britones Armoricos, ſanguine, ex Protonotario Apoſtolico Epiſcopus Maclouienſis Anno Sal. 1424. gregem ſuum cum optimè regeret; irruerunt Angli in vrbem vicinam, Montem dictam S. Michaelis. Eam ob rem collectis copijs Ioannis Britonnum Ducis Guillelmus ſeipſum ductorem præbuit; initaq; pugna, profligauit Anglos, magno plauſu Caroli VII. Francorum Regis. Conſequutus Cardinalatum conſerente Martino V. Anno 1430. die 5. Idus Nouemb. in vltima promotione ſed non publicatus, poſtea ab Eugenio IV. Anno 1432. die 27. Septemb. Presb. Card. dictus tit. *S. Anaſtaſię*, ſed breui tenuit; nam Roma rediens, Senis in Hetruria, die 27. Septemb. A 1432. vitam poſuit ſepultus apud Minoritas, gladio, Cruce præclarus. Scutum Gentilitium muricatum ſcilicet quatuor fuſariis plagulis argenteis, hermonionicis, ſex byzantiis argenteis, item hermionicis tribus in ſummo, & in imo totidem exaratum exhibet Frizonius in *Gallia Purpurata* diuerſum à Ciaconio.

Panuinius, Auberij, Frizonius, Claudius Robertus, Vghellus, Contelorius.

14. *Memor eſto, quoniam mors non tardat: & teſtamentum inferorum quia demonſtratam eſt tibi: teſtamentum enim huius mundi, morte morietur.* 14. Eccli. 12.



STephanus à Burgo S. Sepulchri, Præfectus Generalis Fratrū Seruorum XVII. cum Sedis Apoſtolicæ Nuntius eſſet apud Poloniæ Regem, Anno 1424. à Martino V. Cardinalis Presb. *S. Marcelli* deſignatur, intercedente Vladislao Poloniæ Rege, qui cum Regina coniuge monente Stephano, ſacrum ſuſceperant B. Virginis indumentum. Verum priuſquàm declararetur, Cracouiæ vita exceſſit, teſte Gianio *Centur.* 2. *l.* 5. *c.* 6. De hoc Cardinali ſilent reliqui, qui hiſtoriam C conſcripſere Cardinalium.

15. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.* 101. Pſal. 2.



LEonardus Datus vel Statius nobilis Florētinus, Ordinis Pręedicatorum ex Magiſtro Sacri Palatii Generalis Miniſter, ſpectatæ virtutis, & raræ eruditionis vir inſignis, incognita eius morte, à Martino V. die 9. Cal. Iulij, An. 1426. inter cęteros Cardinales S.R.E. Presbyter aſſumptus tit. S.. teſte Paulo Minio *de Florētina nobilitate*. Is in Conſtantienſi Concilio fama virtutis ſuffragante, pro Natione Italica cū alijs quinque Electoribus delectus ſuffragium tulit Martino V. à quo vnicè dilectus primò ad Papiēſe Cōcliū, Pontificis nomine inchoandū cum Cretenſi, & Spalatino Antiſtite, Concilium aperuit. Plurimos alios labores paſſus pro Eccleſia Romana, & patria ſua, fama tandem clariſſimus quieſcit in Domino. Florentiæ ſepul-

ſepultus in eccleſia S. Mariæ Nouellæ. Ad eum cum nunțij veniſſenr Apoſtolici, qui de eius promotione edocerenr, mortuum inuenère, die 22. Iunij, 1426, & in medio eccleſiæ ſepultum, labro ęneo.

Scripſit *De Paſſione Sermones.*

*De Tempore.*

*Feſtiuos.*

*Meteoram* Ariſtotelis carmine exarauir

*Petitiones*. Opus Concionaroribus vtile; extar M. S. in Monaſterio Florentino.

Epitaphium,

*Celebris hic memoria colitur clari Religioſi Fratris. Leonardi Statij de Floren. ſacra Theologia, ac totius Ordinis Magiſtri Generalis.*

Cardinalem hunc Contelorius conſtantiſſimè negat; cum in publicis Archiuis nulla mentio, ne A que de nuntijs ad eum miſſis.

## Diaconi Cardinales.

16. *Nobilis in portis vir eius; quando ſederit cum Senatoribus terra.* Prouer. 31.



ARdicinus de la Porta Nouarienſis Iunior, I. V. Doctor, Aduocarus Conſiſtorialis, Clericus Cameræ Apoſtolicæ, & Litterarum Apoſtolicarum Corrector, Diaconus Cardin. *SS. Coſmæ, & Damiani* aſſumitur in promotione ſecunda, Anno 1426. à Martino V. viram deſeruit Romæ, ſub Eugenio IV. cui chariſſimus erat Sal. An. 1434. diç 9. Aprilis, vel 5. Idus Aug. ſepultus in cryptis Vaticanæ Baſilicę, cum inſcriptione ſequenti.

*Hic de la Porta iacet Ardicinus, vtroque*
*Iure tenens primum Doctor in Orbe locum*
*Primus & orabat per Conſiſtoria cauſas*
*Iuſtitiam ſumma religione colens*
*Poſt ad Cardinalatum merito exaltatus honorem*
*Inter Apoſtolicos ſedit, & ipſe Patres*
*Talem Roma tibi Lombarda Nouaria miſit*
*Inſignem generis nobilitate virum.*

De hoc Cardinali intellexit Æneas Siluius Papa futurus Pius II. *ep.* 16. ad Gaſparem de Fara eius diſcipulum Nouarienſem, cuius auunculum Cardinalem dicit.

17. *Non tribuetur ei honor regius.* Dan. 11.



HVgo Luſignanus Iacobi Regis Cypri frater, Cyprius electus Archiep. Nicoſienſis; ob nuptias Carlotæ filiæ Comitis cum Iacobo Rege ſuccenſus, quòd Sponsę cauſa regni adminiſtrarione excluderetur, clam ſe ſubducens in Italiam nauigauit, vbi cum in aula Principum fortunam minimè experiretur ſecundam, reuocatus à Rege in Cyprum rediįt ęgrè tamen ſuſceptus, donec mortuo Rege Iacobo, Iano ſucceſſit, quē Ægyptii traxere captiuū, hinc Hugo Regni Gubernator aſſumitur reclamante Regina, quæ ſibi competere clamabat habenas regiminis. Eodem tempore Diaconus Cardinalis promotus *S. Hadriani* Anno 1426. à Martino V. (cum quo amicitiam inierat, cum Cypro profugus Romam venerat) vt Eccleſiam Romanam arctiori vinculo conſtringeret ad tutelam Inſulæ Regiæ; & vt interpretem quęreret vnionis Eccleſiæ Gręcę cum Latinis. Extremo gaudio dignitatem Hugoni Cyprij celebrauere collatam, fremente, & ſtrepente Regina, quòd aurum inſumerent, Regis redemptione prætermiſſa. Hugo B namque videbatur regnandi libidine victus, Regis non curare libertatem; qui Menſe captiuitatis decimo manumiſſus in patriam appulit, & Anno poſt ſuam redemptionem quarto, fato ceſſit plenus miſeriis, Ioanne filio relicto, quem impuberem & regno imparem coronauere Cyprii ſub tutela Matris, Cardinali patruo excluſo, qui propterea Romam deſcendit, & comitiis adfuit Eugenii IV. quamuis ab eo diſcors appellauerit poſtea ad Baſileenſe Concilium, occaſione cuiuſdam decreti emanati ſeptimo Cal. Nouemb. 1430. quo ſanciuerat Eugenius, *Cardinales in ſecreto Conſiſtorio pronuntiatos* C *pro talibus non habendos, quouſq. inſignia Cardinalatus, videlicet Capellum rubrum, tituli aſſignationem, & annuli in digitum immiſſionem accepiſſent: neq. verò etiam his acceptis, & in publico Conſiſtorio Cardinales pronuntiatos, in electione Romani Pontificis, vt alijs functionibus vocem actiuam habere poſſe, donec de rebus & ritibus Eccleſię plenè inſtructis, à Romano Pontifice de conſilio, & conſenſu antiquiorum Cardinalium licentia impertita, & os apertum fuiſſet. Si quis ritu non ſeruato pręſenti, Cardinalem ſe nominare auſus eſſet, dignitate priuaretur perpetuò.* Ab hoc decreto appellauit Hugo Luſignanus cum aliis Cardinalibus aſſumptis à Martino V. & non publicatis; quos tamen Eugenius timore noui Sciſmatis D in integrum reſtituit, vt clementia & lenitate factioſos vinceret: imò Luſignanum Presbyterum Cardinalem dixit tit. *S. Clementis*, volunt alii *S. Sixti*, poſtea 2. Idus Maii, 1431. Epiſcopum *Praneſtinum*. Anno verò 1436. quintò Cal. Iulii, Epiſcopum *Tuſculanum*. Sabaudiæ deceſſit, Sal. An. 1442. menſe Aug. teſte Giblet *in hiſtoria Luſignana*.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Ioſ. Maria Suareſius in *Antiquit. Praneſt.* Io. Franc. Blondus *hiſtor. Anglic.* Æneas Siluius *in Comment.* Spondanus. Doglion. *theat. Princip.* Franc. Aug. *hiſtor. Pedem.* Contelor.

18. *Sa-*

18. *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem.*
1. Reg. 2.



PRoſper Columna Laurentii Comiris Albæ filius, nepos ex fratre Martini V. R. P. ex Pronotario Apoſtolico ad purpuram euahitur cum Diaconia *S. Georgij ad Velum Aureum*, Anno 1426. à patruo, promotione ſecunda, publicatus verò ſolum Anno 1430. die 5. Idus Nouemb. Patrui rerum geſtarum magnitudinem, animi dote penè ſuperaturus ibat dum parum abfuerit, quin Summus Eccleſiæ Pater renuntiaretur in eo Conclaui, quo Pius II. iuſſus eſt ad clauum Sedere. Tres Pontifices Maximos ſacrà exornauit Tiàra: obiitque Romæ An. 1463. Lateranenſis Baſilicæ Archipresbyter ſepultus ad S. Apoſtolos, conſilii vir, ac vigilantiæ ſagax, religione & iuſtitiæ cultu illuſtris; poſtquàm vltrà triginta ſex Annos ſediſset in purpura, & tres Romanos Pontifices, Nicolaum V. Calliſtum III. Pium II. in Sede Petri collocaſset; quartus ipſe fururus, niſi ſenectute oppreſsus fato conceſſiſset. Cum enim in comitiis Pii II. de Proſperi Columnę aſsumptione ſeriò ageretur, volens animi celſitudine ſeipſum vincere; vrna recurrente pro nomine Ænea Siluii & vnicum deeſſet ſuffragium ad canonicam Siluii electionem; ad reliquos Cardinales conuerſus, *Ego* (inquit) *Senenſi accedo*, *eumque Papam facio*. Roma deinde egreſſum Pium Mantuam verſus, Proſper inſequutus, ibique mandante Pio II. Ioanni Cliuenſi Duci oratori Philippi Burgundiæ Ducis, obuiam proceſſit vnà cum Latino Vrſino Cardinali, ſummoque honore excepit. Mantua diſcendens Venetias ſpectatum venit, vbi inter Patritios aſſumptus. Romam rediens, Tiburtinos in fide retinuit Eccleſiæ Romanæ; vnà cum Beſſarione & Capranica, Cardinalibus, Calliſti iuſſu, acta inquiſiuit Roſę Virginis Viterbienſis. Suas tamen ſordes habuit Anima grandis, teſte Pio II. in Commentariis: *Obijt & Proſper S. Georgij ad velum aureum Diac. Card. Columnenſis familia Princeps, Martini V. quondàm nepos, miti vir ingenio, litterarum cultor, & quem nemo potuiſſet non amare, niſi plus ęquo Ghibellinarum partium ſtudioſis auſcultaſſet.*

Ciacon. Panuin. Auber. Vghel. Garimber. Raſpon *de Baſil. Lateran.* Contelor.

19. *Dabis ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.*
3. Reg. 3.



DOminicus Nicolai Capranicæ filius, Romæ naſcitur pridie Cal. Iunii, 1398. aſpectu aſper, vultu ſeuerus, dextero pede aliquantulum claudicans, naturæ vt errorem corrigeret, crepidis vtebarur aſſiduè. In domo paterna pie edudatus, litteras didicit humaniores. Patauii Iulianum Cęſarinum; Bononię Ioannem Imolenſem per triennium audiuit & Magiſtros penè ęquauit. Anno ętatis ſuę XXII. laureatus, Romam venit Clericus Cameræ aſſumptus à Martino V. Protonotarius, & Secretarius Apoſtolicus. In Flaminiam Prolegatus operam tam egregiè & incorruptè nauauit, vt Firmano Epiſcopatu cum Peruſij legatione & Spoletani Ducatus, Anno 1426. ornatus fuerit, vbi ea manſuetudine, iuſtitia, fortitudine, temperantia, iudicij eſt moderatus acumen, vt frater, pater acclamaretur Prouinciæ. Placuit Martino integra vita, integri mores, quibus ornandam purpuram proteſtatus Pontifex; Cardinalem ſecretò delegit Diaconum *S. Mariæ in Via Lata*, poſt biennium publicandum, quem minimè publicauit morte preuentus. Præcauerat tamen ſchedula ab omnibus Cardinalibus ſubſcripta (teſte *Auberij*) vt ſi ipſum mori contingeret ante publicationem; vt Cardinales ſuperſtites intra diem ab eius obitu, publicare tenerentur ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuę. Martino defuncto, Dominicus Romam venit, ad ædem Beati Laurentii, via Numentana ſubſedens, miſſo nuntio, qui publicè, & priuatim à Cardinalibus poſtularet, vt ad ſuffragium creandi Pontificis, ſibi venire liceret? Cardinalium diſcordia reſponſum negauit: propterea miſſis iterum communibus amicis, qui vel à Senatu impetrarent, vel iniuſſum ſe venturum exponerent; quamuis ęqua poſtulare videretur; ſuadentibus nonnullis Cardinalium, ab incepto deſtitit, quòd faciliùs votis ſuis potiturus eſſet, ſi vi abſtineret. Rediit ergo Peruſium, ibique manſit, donec audita Eugenii IV. electione, petiit denuò ingreſſum in Vrbem cum inſignibus Cardinalium. Verba retulit, hinc relicta prouincia, aſcendit Montem Soractis, in Faliſcis, in quodam ſacello latitans per dies 40. vt Eugenium leniret, à quo arguebatur, aduerſus Eccleſiam concitaſſe Columnenſes. In fuga, quam ad Baſileenſe Concilium, inſtruxerat, citatus per curſorem, coram Cardinalibus ſiſtere, quibus, cauſę cognitionem Eugenius delegauerat, ſcriptis libellis ad Concilium prouocauit. Inde Plumbini maritimę Hetruriæ oppidi, conſcenſa triremi, quam ei Philippus miſerat V. C Mediolanenſis, Genuam appulit, Mediolanum poſtea, inde per Heluetiorum ſaltus cum Ænea Siluio Baſileam venit; vbi triennio cauſam ſuam ea modeſtia ſollicirauit, vt quamuis excitaretur ab hoſtibus Eugenii, ſame premeretur & egeſtate, ob redditus ſibi interceptos beneficiorum, publicataque bona paterna; nullum tamen verbulum aſperius, vel contumelioſum contra Eugenium effuderit, meditatus vincere in bono malum. Hac manſuetudine victus Papa, vel altiſſimi eius ingenii timore correptus eum, quem iam Baſileenſes Patres inter Cardinales receperant, Florentiam euocauit, admiſſumque ad oſcula pedum, vnà cum opimis ſacerdotiis, purpura reintegrauit tit. *S. Crucis in Hieruſalem*. Cœpit exinde rei incumbere familiari; & quòd ſe minimè acceptum Pontifici agnoſceret, nullis precibus eum ſatigabat: hinc *moroſi* nomen adeptus, natura rigidus, nec vllius

rei

rei ſimulator, quandoque aſper, & inexorabilis,
præcipuè ad preces iniuſtas, odioſus penè erat Pa-
latinis. A luxuria alienus & ambitione, accerrimè
alienam correxit libidinem. Verum vbi eius inte-
gritas, & continentia nota eſſe cœpit; Pontifex
etiam lenire odium, mox eum diligere, demùm
credere, eiuſque conſilia ſequi, in Picænum lega-
uit, copijſque prçfecit,, quas parauerat aduersùs
Franciſcum Sfortiam. In caſtra profectus Cardina-
lis cum decreuiſser cunctando vincere, ſuaq. indu-
ſtria hoſtes cõcluſiſſet, vt ob inopiam commeatuum,
prouincia decedere, vel ſe dedere cogerentur, à ſtra-
tegis & primipilaribus, qui vel iniuſſi ſe pugnaturos
A iactabant, coactus mutare conſilium, in arenam
deſcendit, nil prætermittens, quod vigilantia exi-
git optimi ducis, fortuna tamen aduerſa, Copiis
namque diſſipatis Pontificis, impedimentis direptis
ipſe inſuper latere, manuque ſaucius, mutata ve-
ſtę Auximium è pugna ſe recepit. Plures in bello
capti, quorum magnum numerum ſua ipſe pecunia
redemit; plures etiam abſque litro, Cardinalis
gratia, à Franciſco dimiſſi. Poſt cladem miſſus ite-
rum Peruſium, ad regendam Prouinciam, mode-
ratione ſua iura reſtituit & pacem, diſperſis, igne-
quę damnatis, qui Magicis incumbembant artibus.
B Litteras vt promoueret, bis in hebdomada I. Con-
ſultos, eorumque diſcipulos ad ſe vocatos, audire
voluit diſputantes, armans litteris, decorans ar-
mis maieſtatem. Poſt mortem Eugenijs IV. comi-
tiis adfuit Nicolai V. à quo Legatus ad Alphonſum
Regem Neapolitanum, qui vrbem Tiburinam di-
tioni ademerat Eccleſiaſticæ; ablata compulit re-
ſtituere. In Picænum reuerſus, abſoluit belli re-
liquias, loca hoſtium recepit, Prouinciam totam
Eccleſiæ redemit, luſtrauitque ſingulas vrbes, in-
fimæ etiam conditionis homines inſigni clementia
& patientia ad tercentos dietim audiens, vt diſſidia
comprimeret æquitate magis, quàm legibus, quæ
C bello ſæuiente obſolæuerant. Oppida immunitatibus
muniuit, priuilegia repoſuit, pœnas adiecit ad re-
primandam miniſtrorum auaritiam. Ipſe ne victum
quidem ab eis exegit, nec à familiaribus exigi paſſus
præter ea, quæ Legatis per ciues offerri ſolent. Lega-
tione abſoluta, Summus Pęnitentiarius in Vrbe mi-
niſtros ſelegit, qui vita exemplari munus non minùs
ſuſtinerent, quàm doctrina. Archipresbyter Baſili-
cę Lateranenſis (in porta Septentrionali ſua erexit
inſignia, quæ viſebantur olim cum aliorum Archi-
presbyterorum inſignibus).

Mortuo Eugenio, comitijs ad fuit Nicolai V.
quem cum publicarent electum, ſurgens Caprani-
D ca tanquàm ad rem incredibilem, numerare voluit
ſuffragia: quamobrem Nicolao inuiſus, donec vi-
ti patefacta virtute gratiſſimus extitit; quo incon-
ſulto, nihil decerneret Pontifex, quamuis ioco ſę-
pè eum redargueret, *Tu iterum ſuffragia videre vo-
luiſti*: Eodem tempore, cum occupatum à Turcis
Byzantium redimere niteretur, vel progredienti-
bus Turcis obicem ponere, per Capranicam, Chri-
ſtianos exorauit Principes, arma ſumerent, facto
initio à Rege Neapolitano; qui cum exulceratis
animis, verba pacis audire non ſuſtinerent; ad
Ianuenſes declinauit Capranica fęda diſcordia diſ-
ſipatos: quos autem validis rationibus flectere non
valuit; ingenua procumbens obtinuit delinire.
Duodecim Legationibus pro Eccleſia abſolutis Ro-
mana inclaruit, moderatione animi nunquàm re-
miſſa, neque diuitiarum deſpectu. Teſtes accedant
Ciſtercienſes in Septimiano cænobio, cuius bona
cum dilapidaſſet Abbas Iulianus Lupinus hunc Pa-
pa dignitate ſpoliauis, cænobio cum Monaſterio
Boni Solatii, in Commendam tradito Cardinali Ca-
pranicæ. Quid ibi Dominicus? Luxu perditis per
A Abbatem, ſua induſtria redemptis, Monachos ite-
rum congregauit *Septimianos*, vt ſaniorem Paſto-
rem eligerent, raro ad poſteritatem exemplo. Ex
hoc cænobio deductæ poſtea Ciſtercienſium colonię
quæ Congregationem propagarunt Italicam. Tanti
beneficii non immemores Ciſtercienſes, præ fori-
bus veteris Caſtelli, quod in Septimiana ditione
erat, marmorea tabula poſteros docuere: perpe-
tuaſque decreuere inferias annuatim celebrandas
pro anima Dominici Cardinalis Capranicæ, non ſo-
lùm in *Septimiano* cænobio, ſed in omnibus Hetru-
rię monaſteriis, vt vel obliuioſis nullo vnquàm tem-
pore tãtus parens ac patronus munificus excideret.
B Apud Chriſtianos Principes ea fuit eius ſanctita-
tis opinio; vt vi oppreſſi ex toto Orbe Terrarum, ad
eum tanquàm ad commune pręſidium confugerent.
Philippus & deinde Franciſcus *Sfortia* Mediolani
Duces, Alphonſuſque Rex Neapolis ſumme eum
venerantes *Parentis* titulo ſalutabant. Rex prima
Dominici legatione delinitus arma retraxit, quæ
direxerat in Eccleſiam. Tam Rex, quàm *Duces*
Oratoribus ſuis Romę ſtantibus mãdauerant, nequid
agerent inconſulto Capranica. Nicolaus Papa vt
ſibi conſuleret, Capranicam, Eugenius ipſe poſt
reconciliationem, amauit valdè cęteriſque prę-
ferebat. Purpuratorum Senatus, Callixto vita functo,
C de Capranica ad Summum Pontificatum euehendo
ſedulò cogitarunt. Cardinalis creatus ſtraminea
culcitra cubuit, plumea nunqnàm: interiori amiculo
laneo à puero vti voluit, veſtibuſq; dormiuit indutus.
Cardinalitię dignitatis ornamenta in religione, fide
iuſtitia, tẽperãtia, prudẽtia, nõ in faſtu & põpa ducẽs
vnico cibo vtebatur in mẽſa frugalitatẽ laudans in
conuiuijs, vno vel duobus ferculis excipiebat
conuiuas, viniqueparciſſimus erat. A prandio vi-
ros ſtatim vocabat litteratos, cum quibus diſputa-
bat, ſeq. ſententia vinci non ægre ferebat. Operam
ſuam nemini negauit: nihil ſe facturum ſpopondit,
quod non præſtiterit. Calceos ſibi quandoque de-
D traxit: quandoque hominem aſpiciens fortuna la-
cerum ſuum ei amiculum tradidit. Pecunia cum
deſſet ad erogandum, vaſa conflari iuſſit argentea,
& petentibus dari. Ab amicis propterea reprehen-
ſus reſpondebat; *hominis eſſe, quamplurimis benefa-
cere*. Hinc plerumque deficientibus ad vitam neceſ-
ſariis, pecuniam mutuo ſumere cogebatur. Femi-
narum ad ſe abhorrens acceſſum; vel affines, in
ædium audiebat veſtibulo, ſtatimq. dimittebat.
Mendacium vel ioco nunquàm protulit. Loquen-
di

di libertate delectatus, homines ambitioſos ad ſe venientes interrogabat, quid vellent? reſpondentibus ſeſe viſitatum veniſſe; exporrecto brachio rogabat, vt vena tentata viderent; an febri laboraret. Increpitos deinde admonebat, vt domi potiùs ſedendo, virtuti operã darent, nec per vrbẽ vagarẽtur. Ad ipſum accederent, cum eius opera indigerent: Libertate non minori vſus cum Pontificibus Romanis; Calliſtus cum aliquando dixiſſet, *Ex Fratrum conſilio fecimus*. Is nudato capite ſurgens, *ſe nihil de ea re audiuiſſe* reſpondit. Stipem petenti, quòd manus euaſiſſet Catalaunorum; quaſi ob eam rem mendicare, & alios ad miſericordiam commouere cogeretur: in adſtantes Cardinalis conuerſus, *Quid ergo (inquit) debetur nobis, qui in eorum manibus ſumus:* de Calliſto loquutus Pontifice. Preces reſpuens iniuſtas, cum in creatione Pontificis quidam ex collegis ſuffragium peteret pro ſeipſo, licet Inſulas non ſperaret, ſed tantummodò vt tanti viri teſtimonio probaretur, negauit aperrè Capranica, *ſe id facturum, cuius facti conſcientia aliquando vrgeretur*. Erat enim ille ingenio tardo, & vita non probata. Calliſto porrò ad Pontificatum aſſumpto, volentique Borgiam ex ſorore nepotem, Vicarium conſtituere Spoletani ducatus, blandientibus Cardinalibus gratia vel timore correptis; vnus reſtitit Capranica; nec fieri permiſit. Adulatores exhorrens, detractores ęgrè ferens, ęmulantium dicteria auſcultabat patienter, inquirebat ſedulò, emendabatque ſi quid erat emendandum. Amicis nonniſi optimis vſus, eos iuuabat quantum poterat, neceſſitate cognita etiam non rogatus: plurimi beneficium experti priuſquam de eo cogitaſſent. Ciues in vrbe notos habuit, indigẽtia cognita eis victum præbuit, filias virgines ſua pecunia locauit, cuique ex plebe aditum ad ſe patere volens; ſtatis horis, apertis ianuis ipſe in loco publico auſcultabat venientes. Benefactoribus gratus, Martini V. agnatos ſemper dilexit, eorum clientibus fauit. Litteratos amauit, quæſiuit, promouit. Innocentium patronus etiam non rogatus, ſolus aduerſùs omnes, Franciſcum Epiſcopum Ferrarienſem à Borſio Marchione Ferrariæ, Epiſcopatu deiectum, cum in Purpuratorum Senatu, ferè omnes in partes declinarent Marchionis; ſolus Capranica, intellecta cauſa, quoad vixit, manutenuit inquiens, non hominum ſe, ſed iuſtitiæ rationem habere. Adoleſcentium obſeruator, in quibus ingenij, ac virtutis indoles appareret; ne rei familiaris anguſtia, naturæ dotes opprimeret; iuuabat miſſis marſupijs cum viatico; & hoc clanculò; nè autę captandæ gratia facere iudicaretur. Sic poſt adeptam purpuram, cum ſtraminea tantùm cubaret culcitra, non plumis, licet huius rei conſcium neminem voluerit, præter cubicularios, qui lectos ſternebant ſplendidè, biduò ante obitum, monitus à medicis mutare ſententiã, plauſum fugiendi gratia popularem, acquieuit. Laneo à pueritia vſus amiculo, quo veſtitus dormiuit continuè, licet induſio lineam partem adiecciſſet ad collum, carnem macerauit. Ex hac Schola viri prodiere clariſſimi, Æneas Siluius Papa futurus, Iacobus Ammanatus, Amicus Aquilanus, alijq. qui ſæculum illud immortalitatis fama compleuerunt. In gratiam litteratorum nobilem inſtruxit bibliothecam duobus millibus refertã Codicibus, quos omnes nõ oſcitãter legit. Hiſtorias tantas nouit, quãtas nemo alter. Poetas vidit omnes: Oratores, Philoſoph. familiariſſimos habuit. Scripſit

*Introductorium de Pontificatu regendo.*

*De Arte piè in Chriſto moriendi.*

*Orationem ad Alphõſum Regẽ Neapolis*: quã habes apud Lucium Marinęum Siculum de reb. Hiſpaniæ.

*Epiſtolas ad Philelphum.*

*De Contẽptu Mundi*. M.S. apud Ciſtercienſes Florẽtię.

*Litteras* miſit, & accèpit à Io: Capiſtrano, quas
A habes apud Vuadingum *in Annalibus*.

Roſę Virginis Viterbienſis acta, vnà cum Beſſarione, & Columna Card. ad eam inter Sanctos tranſcribendam, accuratè conſiderauit.

In domibus paternis nobile ſtudioſorum congregauit Collegium, quod ab auctore, *Capranicę* nomen ſeruat, in monte Soracte, deſignatis redditibus ad ſtudentium alimoniam: eòque bibliothecam intulit duobus millibus voluminum refertam, ad communem Collegij vtilitatem. Plurimas Romæ domos extruxit, vel reſtituit. In regione Columnæ, domum ſibi excitauit magnificam, ſumptibus tamen omiſſis ſuperfluis: quam moriens in gymnaſium
B aperuit. Plures in Hetruria, in Picęno in Soractis monte, vbi quondam latuerat, B. Silueſtro à fundamentis erexit. Ædem S. Laurentij in via Nomentana reſtaurauit, ornauit; quamuis pro dignitate tenues haberet redditus; & aliorum, qui pati pręditi poteſtate, penè nullos: tria namque aureorum millia ex ſuis facultatibus annuatim colligebat, quibus contentus vixit; & nullam eccleſiam tenuit, quin eam inſtaurauerit, vel fructus auxerit. Plura ſuo teſtamento legauit; quæ piè executioni data ab Angelo Capranica fratre. Quinquaginta & octo Annos habens, vacante Sede Petri, Romæ deceſſit, profluuio ventris petitus, Comitijs volens adeſſe pro
C creatione noui Pontificis, ex medicorum conſilio, aluum pharmaco ſiſtit. Ex hoc in febrim incidens vehementem, Sacramenta ſumma religione expetiuit, vocatiſque amicis, ſermonem habuit de Mortis contemptu; ad quem cum ingemerent adſtantes rogauit, *lacrymis abſtinerent*. *Iuuenis enim ea fuerat aſſequutus, quæ ſumma mortales putant. Vitam etiam in eam diem ita inſtituiſſe, vt de Diuina pietate non eſſet deſperandum. Lamentis parcerent; ne eius ſumma bono viderentur inuidere. Eorum plangenda mors, qui in veri Dei occidunt ignorantia; vel qui ita vixerunt, vt animæ cura poſt habita, ſoli corpori inſeruiunt; ac de morte cogitare incipiunt, cum miſerè exacto vitę*
D *curriculo, ſe victuros deſperant: ſcelerum vltorem Deum non timentes, vel remuneratorem non credentes; Valerent itaq. & poſt obitum, pro eius animæ ſalute preces frequenter effunderent*. His dictis dimiſit omnes in oſculo pacis; non multò poſt, ſede vacante, vita excedens die 5. febris: XIX. Cal. Septemb. 1458. ętatis ſuæ, An. 58. Vir dignus purpura, quã tãto labore defẽſã, Annos ferè 30. tenuit. Defuncto omnes ob ſingularem vitæ probitatem, lacrymis parẽtarunt: elatuſq. maxima omnis generis hominum frequẽtia, publicè laudatur ſumma adſtantium attẽtione pecuniaq. ab

amicis collata ad expenſas funeris. Marmoreo iacet ſepulchro, muro affixo, quod ipſe ſibi in templo Mineruę in ſacello S. Catharinæ Senenſis viuens ſibi parauerat, cum elogio ſequenti.

*Sedente Paulo II.*

*Dominico Capranicenſi tit. S. Crucis in Hier. P. C. Antiſtiti Firmano, Maiori Pęnitentiario, XII. legationibus claro. Pacis Italicæ in Annos XXV. cōſtitutori, doctrina, ac religione, & ſanctis ſemper operibus admirabili. Angelus eiuſdē tit. Cardinalis vnanimi fratri, ac ſibi commune monumentum hoc fecit. Vixit idem Dominicus Annos 58.*

S. Malachias cum Pium II. Papā pręluderet duorum verborum inuolucro *de Capra & Albergo*, quia Albergato, & Capranicę à ſecretis fuiſſet, ſignificauit. *Vuion lib. 2. ligni vitę c. 20.*

A De eo lege Ciaconium Panuinium, Auberij, Victorellum, Garimbertum, Spondanum, Veſpaſianū Florentium in vita. Pomponium Vizanum *hiſtor. Bonon.* Ludouicum Iacobil. *hiſtor. Falgin.* Ioſeph. Gratian. *de laudibus Card. Capran.* Florauan. Martinellum *De Diaconia S. Mariæ in Via Lata.* Cæſar. Raſpon. *de Baſil. Lateran.* Scipionem Amir. *hiſtor. Florent.*

Dominici vitam enarrauit *Io: Bapt. Podius, Iacob. Card: Papiēſis; Veſpaſianus Florent.* vulgari ſermone nōdū cuſā eiuſdemq. meminit *Bacetius Abbas Ciſterc ienſis in ſua M. S. Septimana; Vghellus in Ep. Firmanis; Antonius Gerardinus in Pabellea 5.* ad Angelū Suſſenū Epiſcopū extatque M. S. apud Onuphrium Gerardinum,

*Poſt illam roſeo ſinuoſa in veſte galero*
*Æffigies titulo eſt quinta notata breui,*
*Delectus Firmi, Martino præſide rerum*
*Præſul Cardineo preſſit honore caput,*
*Et neſcia bonas Sacro cenſente Senatu*
*Pontificum famam de probitate tulit*
*Vtque Cato ſapiens ab eodem eſt ordine cenſus*
*Cenſor, & alterias more ſeuerus erat,*
*Conſueuit cuſtos, rigidi Sanctiſſimus æqui*
*Iuridicu populis ponere fronte modum.*
*Conſueuit populis vltricia bella mouere*
*Dux pro iuſtitia ſæpius arma gerens.*
*Idem Italię iecit legatus fœdere pacis,*
*Idem diſcordes vinxit amore duces.*

Narrat S. Antoninus Florentiæ Antiſtes 3. *par. hiſtor.* Capranicam *ad patres ſuos aſcendiſſe cum multa deuotione ex hoc mundo, in aſpero cilicio, quod ad carnes ferebat aſſiduè, multum triſtitiæ, & doloris mors eius intulit multis, qui nouerant eum, propter eminentes virtutes eius.* Concordat Mainardus Geminianenſis in vita S. Antonini, apud Surium. *S. Pontifices maxima beneuolētia, & S.R.E. Cardinales cōplectebantur: Dominicus præcipuè Firmanus, vir virtate præſtās, & charitate magnus, qui celebre Sanctitatis, & integritatis nomen poſteris reliquit.*

Humani quid paſſus aduersùs Berardū Herulum Narniēſē, literis, pietate clariſſimū, vnà cū Proſpero Columna obſtitit præ inuidia, nè ſub Calli. III. inter Cardinales aſſumeretur: audi Piū II. in publico Cōſiſtorio loquentem de Berardo: *Apud Calliſtum quidē chariſſimus fuit, nec ad promotionē eius aliud obſtitit, quàm inuidia paucorū.* Lege quę dabimus de Berar. in Pio II.

20. *Suſcitans de terra inopem; & de ſtercore erigens pauperem.* Pſal. 112.



IVlianus Cęſarinus, Romanus Peruſium à genitoribus miſsus ſtudiorū cauſa, in domo *Buōtempi* nactus domicilium, Iuriſprudentiæ incubuit, verùm inopia preſſus cum libros emere non poſſet ſibi neceſſarios, Pandectas comparauit Florentinas, textum ſcilicet litteralem ſine Gloſſis, quas omnes proprio calamo ad marginem explanauit, elucubrationeſq. quas è cathedra Profeſſorum audiuit, collegit. Poeſis non ignarus plura carmina compoſuit, dicauitq. Bindacio Riccaſoli Rectori Peruſij. Lauream adeptus Romam venit ad obſequium Cardinalis Placentini, cuius patrocinio inter Rotæ Auditores aſſumptus & Protonotarios Apoſtolicos virtutem, ſapientiam, morum integritatem palam fecit; hinc patria egregiè nobilis, ſed virtute nobilior ex Rotæ Auditore à Martino V. Diaconus Cardinalis *S. Angeli in foro piſcium*, Anno 1426. creatus, publicatus verò Anno 1430. die 5. Idus Nnuemb. poſtea Presb. Card. tit. *S. Sabinæ*, Referendarius & Epiſcopus Groſſetanus in Bohemiā legatur vt Bohemos de fide malè ſentientes bello pręmeret, deinde Baſileenſi Cōcilio, nomine Apoſtolico pręſideret. In Bohemiam cum peruenisset, *Cruciatam* publicauit, cōtra Huſſitas, qua breui quadraginta millia equitum centuriauit ſub vexillis: at cum Principum tentoria vel hoſtium dolo, vel caſu arſiſſent, panico Catholici timore correpti, fruſtra Iuliano reclamante Legato, fuga ſe ſubduxere precipiti. Ex hac infęliciſſima expeditione Baſilęā venit ad Concilium à Martino V. indictū, ab Eugenio IV. cōfirmatū, vbi Bohemos benignè ad pacem & vnionem oratione hortatus luculenta (quā habes in fine Concilij Baſileenſis) cui cum reſpondiſſet Io: Rochizana Huſſitarum anteſignanus; & huic Io: de Raguſio replicaſset, ad eoſdē Bohemos in Synodo auditos alteram & valdè piam idem Legatus orationem habuit, cuius initium. *Audiuit hæc S. Synodus per decē dies magna cum patiētia &c.* Moritur interim Martinus V. creatoq. Eugenio, cum eo inuito dietim creſceret Epiſcoporum, & quorumdam Cardinaliū à Romana Curia profugientium numerus, deſperata cōcordia, præfecturam renunciauit Concilii, in Italiam rediens ad Eugenium Florentiæ ſtantem. Vrbem ingredienti Curia obuiauit vniuerſa. Legatus iterum ab Eugenio ad Io: Conſtantinopolitanum Imperatorem, tanta apud eum anctoritate valuit, vt illum Ferrariam primò, mox Florentiam, quò Concilium tranſlatum fuit, cum viris inſignibus & Patriarcha Conſtantinopolitano ſecū adduxerit ea fruge, quòd in ea Græci ſint reconciliati Latinis. Romæ erat Iulianus Cardinalis, quādo ab Eugenio audita Felicis Pſeudopapę electione à Baſileēſibus facta, aduocato Cōſiſtorio, Patres grauiſſimi rem obtulerunt plenā periculo, omniumque grauiſſimam: cum antea ſine Duce, ſine capite velut arundo vento agitata ille fluctuaſſet cōuentus. Modo in Pontificem aſſumpto Principe; cuius affinitate, & cōſanguinitatę iūgebātur omnes Reges terrę; cuius prudētia, et iuſtitia per An. 40. ſubditos ī pace protraxerat; cuius opes credebātur inęſtimabiles; pauor & metus Eccleſiā obruebat,

B

C

D

Digitized by Google

bat. Ad hæc verba cum omnes trepidare Iulianus aduerteret, *Tria* (inquit) *Beatiſſime Pater, ni fallor quæ tibi Felicem aduerſarium metuendum reddunt; Coniunctio, quæ illi cum Regibus eſt: Sapientia, qua præditus exiſtimatur: & ingens pecuniarum vis, quam illi per tot Annos pacificè regnanti ſuccreuiſſe putant. Hæc times? ij ſunt hoſtes, quos verearis, cum his tibi bellum futurum eſt? Fratres mei, qui ante me ſunt locati, multa de his rebus dixere, eaſq; ſupra modum extulerunt, ac inſuperabilem aduerſarium his eminentem dotibus exiſtimauerunt. At ſi metum tibi omnem adimam, facilè iſta contemnes, hinc tibi victoria dabitur, vnde times exitium; neque conſanguinitas eius, nec affinitas tibi nocitura eſt. Irridebunt Reges, non adorabunt hominem, qui à ſæculari Principatu ad Eccleſiaſticum euolauerit; virum ſanguinum, qui ſæpè in bellis fuerit verſatus indignum Sacerdotio iudicabunt. Vxorem, dicent, in ſæculo duxit, filios procreauit, & nunc in Altari ſacratiſſimam Chriſti hoſtiam audet offerre? inuidebunt & maledicent homini, nemo amabit, Inter ſæculi Principes rara charitas eſt, nec tanta propinquitas vſquàm reperitur, quæ tollat inuidiam laborantibus conſanguineis, nunquàm Amadeus auxilio fuit, Burgundos in bello reliquit, & Francos; qualem ſe præbuit amicis, tales eos inueniet: gaudebunt veniſſe tempus, quo vices reddant, deſeretur; nè dubites. Nemo illi non emptus adhærebit. Amedeum ſapientem putauimus, cum multos regnaſſet Annos fæliciter, non ſua credo prudentia, ſed aliena miſeria fælix fuit. Decertantes inter ſe hinc Itali, inde Galli quietam Sabaudiam reddiderunt; nos quod erat temporis, attribuimus homini: fecit ſapientia ſua periculum Amedeus, neque ſe parum inualuit negotia; in re omnium maxima peccauit: ruent ſua conſilia: Felicem vocant, ſed ſæpè rebus aduerſa ſunt nomina, de pecunia minùs dubitò; nunquàm enim tanta eſt, quantam prædicant, neque exponunt qui cumulant: nihil eſt, quod tam nobis proſit, quàm pecunioſum exiſtimari aduerſarium. Cuncti ab eo petent, neque impetrantes inimici abibunt. Hæc mihi de nouo electo ſententia eſt.* His recreatus Eugenius vexilla explicauit Fidei aduersùs Antipapam, & vicit. Miſsùs tandem ab eodem Pontifice in Pannoniam, vt cum Vladislao Poloniæ, & Vngariæ Rege contra Amuratem Turcarum Sultanum, arma tractaret, die 10. Nouemb. 1444. ætatis ſuæ 46. fortiter pugnans, pene martyr occubuit, tribus ſagittis confoſſus propè paludem, dum fugam capeſceret, non ſine Vngarorum perfidia, qui auri ſacra fame cadauer ſemiuiuum nudum proiecerunt. *Cochlæus hiſtor. Huſſitarum*, Bonfinius *de reb. Vngar.* Æneas Siluius *cap. 5. Europa*. S. Antoninus prò Chriſti nomine occubuiſſe Iulianum; teſtatum reliquit. Magnum Chron. Belg. & Æneas Siluius cum dixiſset gratam *Iuliani præſentiam, mores blandos, vitam in omni ætate nitidam*, adiecit: *Religionis Zelum omnia illi pro Chriſto, & mortem ipſam ſuaſiſſe*. Æneas Siluius loco cit. non ſolùm virum magnum, ſed admirabilem, *in quo neſcias, doctrina maior, an eloquentia fuerit*. Paulus Corteſius *lib. 1. de Cardinalatu* non dubitauit aſſerere ita illum multarum rerum varietate doctũ vt iure in Florentina Synodo, inter Græcorum & Latinorum diſceptationes arbiter datus fuerit. Admirabilem optimumque virum, Latinorum gentis ſimulacrum, & ornamentum naturæ Iulianum fuiſſe aſseruit doctiſſimus Cardinalis Nicenus ad Alexium Laſcarem Imperatorem. Agnouit ſacra Synodus ſingularem magni viri doctrinam, in ea enim quantopere doctiſſimis diſputationibus profecerit, idem innuit Nicenus: *Iulianus S. R. E. Cardinalis digniſſimus, qui multa & pulchra dicens, & ad propoſitum argumentans adeò validis & manifeſtis & claris demonſtrationibus problema abſoluit, vt oſtenderet, licere veritatem ſemper apponi diuino Symbolo Synodicè & vocante neceſſitate, ita nos pluribus diebus meditantes nihil ad hæc reſpondere potuerimus.* Laudes Cæſarini non tacuerunt Hieronymus Platus *cap. 13. de dignit. & offic. Card.* Garimbertus *lib. 1. c. 2.* Bapt. Poggius *in vita Dominici Capranica*. Martinus V. cum Iulianum Legatum Baſileenſis Concilij à latere deſtinaſset; *to. 1. Bullar.*, meritò *vitæ integritate, & ſapientia præclarum, magnitudine conſilij conſpicuum, in maximis S. R. E. negotijs diuturna experientia comprobatum appellauit*. Virum Sanctiſſium, præſulum normam, præclarum Chriſti fidelium exemplar non ſemel aſseruit Veſpaſianus Florentinus qui Cardinalis vitam vulgari enarrauit eloquio, quam habes apud Vghellum *in Ep. Groſſetanis to. 3. Italiæ*; vitam domeſticam, quaſi in clauſtro Monachus traduxit interulam geſtans laneam, ſuis cubans in veſtibus, longis ieiuniis carnem macerãs, præcipuè pane & aqua ſemel in hebdomada, quotidiè ſacrum faciens, nocte ad Pſalterium ſurgens in eccleſia Seruorum, cum Florentiæ eſſet; ob profuſam verò eleemoſinarum largitionem *S. Martinus* nuncupatus à familiaribus, quòd ad exẽplum S. Martini veſtem & pallium diuiſurus eſſet cum pauperibus. Iuuentutem cum in ſcholis pauper traduxiſſet, ſua edoctus moleſtia, iuuenes quærebat nobilis indolis, eoſque libris, veſtibus, commeatu ditabat, atq. ſtipendiis, vt ſtudia abſoluere poſſent minimè de pane ſolliciti: quamuis ſolis Cardinalatus, & eccleſiæ Groſsetanæ contentus redditibus, familiam triginta perſonarum aleret, quas diligebat vt filios, cuſtodiebat vt pater, exhibitis non ſolùm alimentis, ſed pharmacis ſpiritualibus, & corporalibus, de eorum ſalute ſollicitus vſque ad extremum vitæ articulum, ipſe manu, lingua vltimam peragens animæ commendationem. *Garimbertus lib. 1.*

Scripſit teſte Nomenclatore.

*De poteſtate Concilij Baſileenſis.*
*Orationem ad Bohemos.*
*Epiſtolas.*
*De proceſſione Spiritus Sancti in Græcos.*
*Diſceptationes cum Marco Ep. Epheſino habita in Concilus Florent. & Ferrarienſi.*

Eius mortem defleuit apud Cochlæum l. 9. qui cecinit.

*Integer, impollutus, inexpertuſque malorum*
*Viuit in extremum ſanctior vſque diem;*

*Pontificiſque vicem dum ſuſtinet, agmina firmat*
*Ad lympham diro cuſpide ceſus obit,*

*Talis ad Euretæ ripas, dum cantibus auras*
*Mulcet, glande levi concidit ictus olor.*

### Vice Cancellarij S.R.E. ſub Martino V.

IOannes de Bronhiaco Ep. C. Oſtienſis ab Anno 1. Pontificatus ad IX.

IO: de Rupeſciſſa P. C. tit. S. Laur. in Lucina ab initio Anni IX. vſque ad finem Pontificatus.

# CLEMENS VIII. ANTIPAPA CONTRA MARTINVM V. R.P.CCVIII.

A

MOrtuo Petro de Luna, 10. Cal. Iun. 1424. Ægidius Munio, (medio Octobri) qui more Camaleontis, ſępè mutabat in vultu colores, ornamenta ſuſcepit Pontificalia, vrgente Alphonſo Arragonum Rege, in cuius verbo iurauerat modò Pontificem adorans, modò Pſeudopontificem: & tenuit per quadriennium vſque ad diem 26. Iulij 1429. Lege quæ dedimus *in vita Martini V.p.* 472.

### PſeudoCardinales, qui Clementem VIII. promouere.

IVlianus Dobla, vel de Loba P.C. tit. S. Clem. poſtea Ep. Oſtienſis.

B

FR. Dominicus de Bona Spe Carthuſianus P.C. S.Petri ad Vincula.

### Anti Cardinales creati ab Antipapa Clem. VIII.

1. *Et egreſſus foras fleuit amare,* Lucę. 22.

2. *Sed et Serpens callidior erat cunctis animantibus terrę.* Geneſ. 2.

ÆGidius Munio ex fratrenepos Ægidij Munionis Pſeudopontificis qui ſub nomine Clementis VIII. pugnauit contra Martinum V. promotus die 26. Iulij, manę An. 1429. D. Cardinalis *S. Mariæ in Coſmedin*; poſt prandium verò eiuſdem diei, purpura depoſita, abiuratoque patruo Clemente VIII. adorauit Martinum V. legitimum Papam.

C

FRanciſcus Rouira vel Roueta Hiſpanus promotus Card. Presb. tit. S.... vnà cum Ægidio Munione iuniore ab Antipapa Clem. VIII. die 26. Iulij, An. 1429. mane; & poſt prandium eiuſdem diei ſe abdicauit: reuera, cum ſuę electioni acquieſcere renueret, eo colore deceptus acquieuit; quòd facilius ſciſma poſſet abrogari.

# EVGENIVS IV. R. P. CCIX.

EVgenius IV. Electus die 5. Non. Martij, Sal. Anno 1431. obijt 7. Cal. Mar. Sal. Anno 1447. Eius adfuere Comitiis.

### Epiſcopi Cardinales.

1. *Fr. Angelus de Anna Laudenſis, Ep. C. Præneſtinus Decanus Collegii; ex Vrb. VI. Boniſ. IX. & Io: XXIII.

D

2. Iordanus Vrſinus Ep. C. Albanus; ex Innoc. VII. ex Io: XXIII.
3. Antonius Corarius Ep. Bonon. Ep. C. Portuen. ex Greg. XII.

### Presbyteri Cardinales.

Ex Ioannes XXIII.

4. Antonius Pancerinus P.C.S. Suſannę, vulgò Aquileienſis.
5. Branda Caſtellio P.C.S. Clementis.
6. *F. Petrus de Fuxo P.C.S. Stephani in Cælio; ex Bened. 13.
7. Gabriel Condulmerius P.C.S. Clem. ex Greg. XII. & Martino V.

Ex Martino V.

8. Io: de Rupeſciſſa P.C.S. Laur. in Lucina.
9. Ludouicus Alamanus P.C.S. Cæciliæ.
10. Henricus Anglicus P.C.S. Euſebii.
11. Antonius Caſinus P.C.S. Marcelli.
12. F. Nicolaus Albergatus P.C.S. Crucis.
13. *Io: Ceruantes P.C.S. Petri ad Vincula.

Dia-

## Diaconi Cardinales.

14. Lucidus Comes D. C. S. Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca: ex Io: XXIII.
15. Alphon. Carriglius D. C. S. Euſtachii; ex Bened. XIII.

Ex Martino V.

16. Ardicinus de la Porta D.C.S. Coſmę & Dam.
17. Hugo Luſignanus D. C. S. Hadriani.
18. Proſper Columna D. C. S. Georgii ad Velabrum.
19. * Iulianus Ceſarinus D. C. S. Angeli in foro piſcium.

Qui aſteriſco notantur, erant abſentes.

## Epiſcopi Cardinales ab eo creati.

1. FRanciſcus Condulmerius ex Presb. C. S. Clementis, Ep. C. *Portuen. & S. Ruffinæ*. Lege infra n. 16.

2. IO: Comes Taliacotii ex Presb. C. SS. Nerei & Achillei, Ep. C. *Praneſtinus*. Vide infra n. 20.

3. GEorgius de SanIgono de Fliſco, ex Lauaniæ Comitibus ex Presb. Card. S. Anaſtaſiæ, Ep. *Oſtienſis*. Lege infra n. 27.

4. BEſſarion Trapezuntius Græcus ex Presb. Card. SS. Apoſtol. Ep. Card. *Tuſculanus*. Lege infra n. 28.

B

5. M. F. Ioannes de Turrecremata ex Presb. Card. S. Xiſti, Ep. C. *Sabinus*. Lege infra n. 34.

6. LVdouicus Media Rota, ſeu Scarampus ex Presb. C. S. Laur. in Damaſo, Epiſcopus C. Albanus. Lege infra n. 35.

7. IOrdanus Vrſinus ex Ep. Cardinal. Albano, Ep. *Sabinus*.

8. ANtonius Pancerinus ex P. C. Epiſcopus *Tuſculanus*, Vide ſupra n. 8. *in Io: XXIII.*

9. BRanda Caſtellio ex P. C. S. Clementis, Epiſcopus C. *Portuen. & S. Ruffinæ*. Lege in *Io.* 23. *n.* 14.

10. F. Petrus de Fuxo, ex P. C. S. Stephani in Cælio Epiſcopus C. *Albanus*. Vide in *Bened.* 13. *n.* 10.

11. HVgo Luſignanus ex P. C. S. Clem. Epiſcopus C. *Praneſtinus*. Lege ſupra n. 17. *in Martino V.*

12. IVlianus Cæſarinus ex P. C. S. Sabinæ, Epiſcopus C. *Tuſculanus*. Lege ſupra n. 20. *in Martino V.*

13. DOminicus Ram ex P. C. tit. Pammachii, Ep. C. *Portuenſis & S. Ruffinæ*. Lege ſupra n. 11. in Martino V.

14. JO: Ceruantes ex P. C. tit. Eudoxiæ, Epiſcopus C. *Oſtienſis*. Lege in Mar. V.

C

15. ANtonius Cararius ex Ep. C. Portuenſi, Ep. C. *Oſtienſis* &c.

## Presbyteri Cardinales.

16. *Verba oris ſapientis gratia: & labia inſipientis præcipitabunt eum. Initium verborum eius ſtultitia; & nouiſſimum oris illius error peſſimus.*
*Stultus verba multiplicat.*
Eccl. 10.

FRanciſcus Condulmerius nepos ex fratre Eugenii IV. R. P. Patritius Venetus, Protonot. Apoſtol. & Vicecamerarius, in prima Cardinalium promotione Romæ habita ab Eugenio IV. die 13. Kal. Octob. 1431. dictus Presbyter C. tit. *S. Ceciliæ*; deinde *S. Clem.* & S. R. E. Camerarius, & Vice Cancellarius Dominico Ram in Epiſcopatu ſucceſſit *Portuenſi*, Anno 1445. quo ſedente Nicolaus V. P. M. S. Ruffinæ eccleſiam à Portuenſi diſiunxit, eamque Ioanni Kemp. Archiepiſcopo cōtulit Cantuarienſi ea conditione, vt illorum Epiſcoporum altero defuncto, duo illi Epiſcopatus in ſuperſtitem iterum coirent. Cardinalis *Venetiarum* dictus Patriarchatum obtinuit Conſtantinopolitanum, Archie-

D

chiepiſcopatum Biſuntinum, ac demum tot dignitatum congeſtis titulis etiam Veronenſem adiecit, 12. Kal. Nouemb. Anno 1438. datis ab Eugenio ad Veronenſes litteris, quibus ſe olim Veronenſem Canonicum memorans, ac nepotem Franciſcum Condulmerium in pueritia ſecum in eccleſia Veronenſi educatum, ea de cauſa, eidem Eccleſiæ præficere ſummoperè procuraſſe. Veruntamen deſignatio Cardinalis Condulmerii in Ep. Veronenſem, ita vrbem turbauit vt protinùs miſſis Oratoribus ad Venetum Senatum, vulgatiſque libellis, ne Eccleſia nobiliſſima in commendatitiam tranſiret, apertè negauerint Veronenſes ſe obedientiam daturos & A
pacem, quàm cogente Senatu. Litteras habes repetitas, & Legationes miſſas à ciuibus Veronenſibus ad Venetum Senatum, qui nè Pontifici in nepotem ſupramodum propenſo obluctaret, iuſtas Veronenſium præterijt querelas: præualuitq. Cardinalis obſtinatio, Anno 1442. die 15. Septemb, pompa ſolemni, & faſtu vrbem ingredientis. De eo Panuinius *lib. 7. Antiquit. Veron.* ſcriptum reliquit: *Franc. Condulmerius Venetus Eugenij PP. IV. fratris filius ab eo ex vicecamerario & Protonotario Apoſtolico Presb. Card. S. R. E. tit. S. Clem. & mortuo Guidone Memmio Ep. Veronenſis creatus ſedit in Veronenſi Epiſcopatu Annos plus minus XIV. Fuit præterea S. R. E. Camerarius primum*, B
*deinde Vice Cancellarius nouiſſimè Ep. Portuen. & S. Ruffinæ ab eodem Eugenio Anno 1445. deſignatus. Hic lingua incontinens fugiente ex Vrbe Eugenio à Populo Romano captus, & in Capitolio, honeſto carcere reſeruatus, demum re inter partes compoſita, libertatem adeptus eſt, Legationibus maximis ſub Eugenio IV. functus Veneta & claſſica contra Turcas ( quum terreſtribus copijs præeſſet Iulianus Cæſarinus Cardinalis magni animi & ſpiritus vir) Franciſcus verò inertiſſimè ſe gerens, vt ait Papa Pius, neq. fretum cuſtodiuit, neque tranſuectos hoſtes Turcas ex Aſia in Europam Hungaris, Chriſtianiſque alijs Ducibus, vt par erat, renuntiaſſet, maximę cladis Chriſtianorum cauſa fuit. Inter quos Iulianus ipſe Cæſarinus Legatus*, C
*Ladiſlaus Hungariæ ac Poloniæ Rex, Epiſcopi & Prælati Hungari quamplures ceciderunt. Obijt Romæ inglorius Anno 1453. Non. Septemb. ſepultus apud S. Petrum in Vaticano, Nicolao Papa V. & Friderico Imper. Cardinales eius exequijs intereſſe funeriq. non potuerunt; quoniam die ipſo forte nuncius captæ Conſtantinopolis Romam allatus erat*. Addit Panuinius *lingua incontinentem* Franciſcum, ex vrbe fugiĕte Eugenio, ob ſuam inertiam, à populo captum Romano, in Capitolio honeſto carcere reſeruatum, donec re inter partes compoſita libertati reſtituerunt.

Ædificiorum amator, in acie Campi Floræ, ſuper parietinas Theatri Pompeiani, ædes conſtru- D
xit nobiliſſimas, quas Vrſinorum familia vſque in hodiernam diem pacificè poſſidet. Chifletius, & Claudius Robertus referunt, ad explendam famem huius Cardinalis, dignitatibus tantis eccleſiam adiectam Veſuntonienſem, quę in vmbilico Comitatus Burgundi, ad Dubim fluuium; non ſine Eugenij Pontificis dedecore, qui ineptiſſimo homini, volens ſanguini ſatisfacere non virtuti, tantas contulerit dignitates, *Garimbert. p. 497.* Eadem Franciſco inſignia, quæ Eugenio IV.

Ciaconius, Panuinius, Auberij, Vghellus, Contelorius, Garimbertus, Turrigius de Cryptis Vatican.

17. *Sic pereant peccatores à facie Dei.*
Pſal. 67.



Angelottus Fuſcus, natu Romanus familia prognatus honeſta eum eſſet Canonicus S. Io: in Laterano, Conſtantiæ à Martino V. electus Ep. Anagninus, 17. Kal. Mar. 1418. ab eodem Pontifice ad eccleſiam translatus Cauenſē Anno 1428. familiariſſimè vſus Cardinali Condulmerio, ab hoc creato Romano Pontifice nomine Eugenij IV. in prima Cardinalium promotione Presbyter dicitur Cardinalis *S. Marci* in præmium laboris & diligentiæ, qua Eugenio Fuſcus reconciliauit Columnenſes, teſte *Garimberto lib. 2. c. 5.* à quo tanquàm auaritię ſordibus inquinatus Mundo exponitur purpura indignus. Cum alijs duobus Legatis ad Concilium deſtinatus dum poſt meridiem quieſceret, ſolo quodam adſtante cubicula-
rio, quem à puero enutrierat, ab eodem occiditur raſtro, quo ruſtici in conſtringendis glebis vtuntur, habendæ eius pecuniæ cauſa, quam ſordidè Cardinalis congeſſerat, Clamans deinde ad facinus idem ipſe cubicularius, cum nulla de eo ſuſpicio haberetur, captus tamen, tortuſque cum in tormentis nil fateretur, poſtea verborum illectus blanditijs, quaſi rem fortiter probeq. egiſſet in hominem auariſſimum, facinus aperuit, hinc ſuſpenſus & in quatuor partes diſſectus propudioſè pependit. Angeloti corpus apud S. Mariam ſuper Mineruā (teſte *Vghello*) die 12. Septemb. 1444. tumulatum eſt, tametſi à ſuis gentibus in S. Bernardi templo, ad Columnam
C Traianā marmorea erecta memoria, quę ſequens eſt,

Chriſto Saluatori,

*Angeloto Fuſco patritio Romano ob ſingulares eius animi dotes ab Eug. IV. P. M. in Cardinalium numerum aſcito. Lateran. Eccleſiæ Archipresbytero Horatius Fuſcus Senen. Populi Romani ſcriba, gentili ſuo, memoriæ cauſa poſuit. An. 1588.*

Cæſar Raſponus *de Baſil. Lateran.* tumulatum dicit in Laterano, in quo Altare Deiparæ erexerat propinquum ei, in quo ſeruabatur Chriſti Corpus
D Euchariſticum, dirutum poſtea ad exornandum Altare SS. Euchariſtiæ. Memoria porrò ne periret; Horatius gentilis ſequens poſuit monumentum; rectiùs ſi ſpetie nouæ fabricæ, oblivioni dediſſet.

Deiparæ Virgini Mariæ Ara,

*Ab Angeloto Fuſco S. R. E. Cardinali*
*Huius Baſilicæ Archipresbytero*
*Olim erecta atq. ad exornandum.*

Me-

*Sac. Euchariſtiæ Sacellum diruta.*
*Horatius Fuſcus Sacri S. P. Q. R. Scriba*
*Memoriæ Gentilis ſui opt. meriti.*
*Pos.*
*Anno Sal. Humanæ M. D. LXXVI.*

18. *Linxerunt canes ſanguinem eius.*
3. Reg. 12.



IOannes Vitelleſcus Cornetanus, Bononiæ ſtudiis incubuit Iuriſprudentiæ, in patriam A regreſſus factionem promouit Tartaliæ Tyranni Tuſcanellæ, eiq; à conſilijs adſuit, eiuſdemq; armis ſuccinctus plurimas acies promouit; donec ſedente Martino V. Tartalia capite cæſo Ioannes Romam conceſſit ab eodem Martino V. Protonotarius Apoſtlicus renuntiatus. Martino V. defuncto, ita Eugenio adhæſit Pontifici, placuitq. vt contra Tyrannos S. R. E. Præfectus cum auctoritate Legati fuerit renuntiatus, ſorte quidem propitia, omnes enim ad vnum expulit, vel perdomuit. Hinc illi varij collati honores ab eodē Eugenio IV. B Epiſcopatus nempè Recanatenſis, Archiepiſcopatus Florentinus, Patrarchatus Alexandrinus, qui propterea à nobiliore facta denominatione, per Antonomaſiam Patriarcha appellabatur Alexādrinus; Cardinalatus tandem tit. *S. Laurentij in Lucina* in prima Cardinalium promotione, Anno 1437. Ioannis electionem Baſileenſe damnauit Concilium, 26. Septemb. 1437. vt in eius Actis. Decreto Concilii præterito, Picænum ingreſſus vnà cum Andreaſſo Caſtello, rei militaris, tunc temporis, Principe; Piſauro expulit Malateſtam & Senegallia; directiſque ſignis in Forum Liuii & Aſſiſium, Iacobum Vicanum vrbis præfectum, pluribus circa Forum Caſ- C ſij imperantem ſecuri percutiunt: Conradum Trincium Fulginatum tyrannum obſident. Virum pium conſuluerat Trincius de Fulginei ſucceſſu, à quo cum reſponſum accepiſſet; poſteros ea ſede priuandos, cū Boues circa illius mænia volitarent, regnum ſibi pollicebatur perpetuum. Cum ecce Patriarcha Vitelleſchus expanſis vexillis, in quibus par boum expreſſum erat; pauere cæpit ob vaticinium; nam breui dedita vrbe; Triocium duxere in triumphum. Cæteris inde oppreſſis Tyrannis, inter quos Antonius Pinſanus, qui quòd Priuernum in Volſcis occupaſſet, ad altiorem oleæ ramum, vt ſplendidiùs penderet, duplici ſune ſuſpenſus, libertatem pe- D nè omiſſam Populo reſtituit Romano; à quo, in Capitolio ſtatua donatus equeſtri, cum inſcriptione.

*Ioanni Vitelleſco Patriarchæ Alexandrino*
*Tertio à Romulo, Romanæ Vrbis parenti.*

Cornetanis etiam datum; *vt Cornetani omnes de cætero, illius meritis Romani ciues, omnique prærogatiua, priuilegio, honore, immunitate, dignitate, fungantur, ac ſi Originarij ciues eſſent*, Statuitq. S. P. Q. R. vt die S. Ludouici ſacro, quo hoſtem Patriarcha fugauerat; argenteus calix ære coemptus ad Aram Cœli deſeratur. *Paul Antonellus.*

Miſſus poſtea aduerſus Alphonſum Arragonum Regem, qui Iſabellam Reginam Neapolis, Renati Andegauenſis coniugem expoliare tentabat; iunctis copijs cum Iacobo Caudola Reginæ miniſtro, caſtra fatigauit Alphonſi; diſcordia verò interceptus, ſeparatiſque caſtris ob alternas inſidias, quas ſibi duces ſtruebant; ſolus in Philippum ſigna direxit teſſelata Fortuna, donec cum Caudola reconciliatus, cum Alphonſo, pactis inducijs, Regem fallere induciarum ſpetie conatus, captiuum etiam traxiſſet fædifragus, niſi à Iacobo Lagoniſſa Rex fuiſſet præmonitus. Mutata Fortuna nouo fatigatus Patriarcha diſſidio cum Caudola, qui cum Iſabellæ copiis ſe iterùm ſubduxerat; in agro Tranenſi ab Alphonſo circumuentus, vt periculo ſe ſubtraheret, lembum nactus paucis conſcijs, qui paulò ante vniuerſum Regnum Neapolitanum terrore compleuerat, quaſi ad copias iturus contrahendas maiores, turpi fuga, nocte intempeſta digreſſus, primo in Picænum, mox terreſtri itinere ad Eugenium venit. Poſtridie milites, fuga cognita Patriarchæ, rebus ſuis diffidentes, ſine duce, ſine pecunia, ſine commeatu, ſe ſe ad Iacobum Caudolam contulerunt, qui mandante Iſabella, eò acceſſerat. Romam interim Patriarcha venerat fædifragus & ambitioſus, cum Tarentinum Principem intercepiſſet, captumque dimiſiſſet, affectati regni ſuſpectus obſeruari cœpit ab Eugenio IV. eiuſq. litteris ad Picininū copiarum Mediolanenſium ducem, & ſedis hoſtem Apoſtolicæ datis, interceptis (quibus ſollicitabat in Florentinos Pontificis fœderatos irrumpere, quorum in ſuppetias occurrere ſimulans; Mediolanenſibus ſe iungere promittebat) morti deſtinatur, interprete Antonio Rido Patauino, qui pro Pontifice, moli præerat Adrianæ; ita vt cū Vitelleſcus honoris cauſa deduceretur à Rido, inter eos de rebus bellicis iactata verba, equo inſidens in ipſo Adrianæ molis limine captus, vimque parans à militibus oppreſſus, multiſque confoſſus vulneribus, in eadem arce breui deceſſit non ſine veneni ſuſpicione, die 2. April. 1438. cum die 29. Martij circumuentus fuiſſet. Eius cadauer ex templo Mineruæ Cornetum delatum in Cathedrali humum ſubijt cum hoc epitaphio.

*R. R. D. D. Io: de Vitelleſchis, De Corneto, Patriarcha Alexandrino Card. Florentino, Bartholomæus Epiſcopus Cornetanus nepos in poſteritatis memoriam.*

*Quando ego pro patria, pro Maieſtate repreſſi*
*Pontificis furias Bellorum, hoſteſq. ſubegi*
*Eccleſiæ noſtris quæ floruit aucta ſub armis.*
*Reſtitui res effluxas, vrbeſq. decuſq.*
*Inuidit ſors atra mihi, magis æmula virtus*
*Immeritam ſtatuens non æquo munere mortem.*
*Obijt XI. Aprilis M.C.D.XL.*

Hic finis Vitelleſchi, qui æſtro ambitionis percitus, Cruci gladium prætulit, & Pontificatum arri-

arripere maluit, quàm expectare, forte tamen deſtitutus, quæ in altum ſuſtulerat, vt eum fortiùs deprimeret. Eius opibus multi ditati ad tercenta aureorum millia relictis præter agros & fundos; cum omnes ad eum cum muneribus confluerent.

Plures de eo meminerunt, *Platina, Garimbertus Iouius* in elogijs militaribus (quod ſatis ad opprobriũ, in caſtris referre virum Eccleſiaſticum) Vghellus *in Archiep. Floren.*

Cæſo Vitelleſco, Surianum, Cẽtumcellæ, Caſtellum Nouum ad Eccleſiam rediere. Eius funus ad ludibrium patuit in eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam, vbi nudus expoſitus ſine calceis, & tibijs, ea A rerum viciſſitudine, vt qui ante bidiuum omnibus imperabat, Eccleſiam ad nutum regebat, nunc opprobrium hominum iaceret & abiectio plebis.

De Ioanne tamen Vitelleſcho nonnulli Romani Pontifices honorificè reperiuntur loquuti. Sixtus IV. in diplomate priuilegiorum familiæ Vitellenſis ait: *Hinc eſt, quòd nos ad grandia merita bo: mem: Io: de Vittelenſibus, de Corneto, S. Laurentij in Lucina P. C. Florentini &c.* Iulius II. *Merita bo: mem. Io: de Vitellenſis.* Leo X. recoluit Anno 1520. *Ioannis ſtudia ſollicitudines, labores, impenſas pro amplificanda Eccleſiæ Romana ditione.* Sic Clemens VII. Anno 1523. eius *merita ingentia.* Paulus III. Anno 1536. *ſeruitia eius Eccleſia exhibita, grata nuncupauit.* B

Ciaconius, Auberij, Monſtreletus, Claudius Robertus *Gallia Chriſtiana.* Vghel.

Faerni.

*Quis tua facta potis, laudeſque æquare canendo,*
*Purpuream ſuccinctæ togam generoſe Vitelli?*
*Maieſtas tibi Romani paſtoris, honorque*
*Debet, & antiquum tibi diſciplina vigorem*
*Acceptum ſeruata refert. Tu ſontibus æqua*
*Supplicia, & meritas tribuis iuſtiſſime pœnas,*
*Diſperſos tu Syluarum per luſtra latrones*
*Non ſecus ac venator apros, indagine cingis*
*Tu diros Latio dominos, tu triſte repellis*
*Seruitium, ſæuoſque ſua quemq. vrbe tyrannos,*
*Exigis, & iuſta populos ditione coerces.*
*Infandæ plebis tu ſeditione fugatum*
*Pontificem ſacrum, iuſtis vleiſceris armis;*
*Stringis & horrendas in noxia colla ſecures.*
*Salue purpurei decus & tutela Senatus*
*Priſcarum uirtutum imitator, & æmule laudum*
*Imperio quod ſeruatas digniſſime, ni te.*
*Præpropera ambitio tentaſſet manibus auris:*
*Iactaſſetque audam tranſuerſo turbine mentem.*

19. *Nutabunt viri fortiſſimi.*
Eccleſ. 11.



REginaldus de Chartres, patria Carnotenſis, Hectoris filius (quem Couſinot in *hiſtoria Francorum,* Hectorem appellat ſumpto parentis nomine) Decanus Bellouacenſis, Cubicularius & Referendarius Apoſtolicus ad Bellouacenſem Cathedram electione facta petitus, poſſeſſionem non eſt adeptus. Adminiſtrator Eccleſiæ Aureliaoenſis, An. 1441. Rhemenſis Archipræſul Carolum VII. Francorum Regem inunxit (illuc Regem deducente Ioanna Darcia heroina, vulgò puella Aurelianenſi.) Anno 1432. comitijs adfuit Bituricenſibus cum alijs Galliæ Prælatis vt Sciſmati occurrerent, quod inſurrexerat in Eccleſia Romano; propterea ex Baſileenſi Concilio Patres litteras ei dedere gratulatorias, teſte Spondano n. 9. An. 1432. ad Concilium accedere ſollicitantes, qui tamen nutans & tutius credens pro rebus Concilij, in Galiis manere, quàm Baſileam accedere, rem gratam ipſi fecit Eugenio IV. R. P. à quo, Anno 1439. die 15. Cal. Ian. in tertia Cardinalium promotione, in Florentino Concilio inter Purpuratos aſſumptus tit. *S. Stephani in Monte Cælio,* tanquàm ſummus Galliæ Cancellarius fœderi adfuit conſcribendo inter Gallos, & Philippum Burgundum.

Ad ſuperos euocatur Idibus Aprilis 1456. Turonibus, vbi apud Minoritas tumulatur. Gentilitia inſignia gemina habes in Reginaldo. Frizonius namque à Ciaconio diuerſus rubeas faſcias duas in area pingit argentea.

Ciaconius, Frizonius, Auberii, Franc. Lanoius *de Cancell. Franciæ;* Vghellus, Spondanus, Ios CChenu, Cancellarius.

20. *Da Sapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia.*
9. Prouer. 9.



IOannes ex Comitibus Taleacotii, vel de Pontibus patria Neapolitanus, Curiſcumelenſis [oppidum eſt Aprutii, à Taleacotio octo milliaribus diſtans.] Extat adhuc domus huiuſce Cardinalis cum inſignibus colore depictis, vel ſaxo inciſis, quæ ſupra exhibuimus. Nepotem habuit Io: Bapitſtam de Pontibus Epiſcopum Bituntinum, cuius
D inſignia vigent adhuc in eadem domo, minimè diuerſa ab inſignibus Cardinalis. Vnicam cum haberet neptem familiæ hæredem, nuptui tradidit adoleſcentulo familiæ Vetulorum, in eadem Prouincia. Ioannes ſtudiis abſolutis Theologicis, & Iuris prudentiæ, ex ceſſione Cardinalis Brancatij, Eccleſiæ admorus Tarentinæ, 13. Kal. Nouemb. 1421. Nuncius miſſus ab Eugenio IV. ad Baſileẽſes Patres,
in

in eo conuentu binas habuit orationes, & vberi doctaq. elocutione ad Concordiam perorauit ( teſte Pio II. & Garimberto *l.1. c.4.*) contra Felicem V. Antipapam. Hinc tertia Cardinalium promotione, Anno 1439. io Florentino Concilio, Presb. Card. dictus, dum abſens eſſet, tit. *SS. Nerei & Achillei*, ac S. R. E. Maior Pæniten. deinde Ep. C. *Praneſtin.* poſt quartum & vigeſimum Annum io adminiſtratione Eccleſiæ Tarentinæ fælic iter exactum, nuncium remiſit. Legationes plurimas ſubijt pro Eccleſia Romana præcipuè in Regno Neapolitano, pro pace inter Alphonſum Regem Arragoniæ & Comitem Andegauenſem concilianda. Tandem rebus benè A geſtis, Romæ mortalitatem expleuit, 12. Cal. Feb. 1449. ad S. Auguſtini ſepultus, cuius Ordinis Protector erat, cum epitaphio.

*Felices animas inter micat iſte Ioannes,*
*Qui Tagliacotia gloria gentis erat.*
*Qui Tarentinus paſtor, qui Cardeus Heros*
*Præneſtinus item, flentibus aſtra dabat.*

Si adulterinum non eſt epitaphium: falluntur ij, qui Ioannem hunc Cardinalem familiæ adſcribunt de Pontibus; cum Tagliacotiæ hic dicatur; nulla de *Pontibus* mentione facta.

21. *Principium ſapientia timor Domini*,
Sap. 9.



IO: Kemp natu Anglus magnus Theologus ex Eboracenſi Archiep. Cantuarienſis & Angliç Primas; cum audiſſet Eugenius IV. intruſionem Felicis Antipapç, Florẽtiç in Generali Concilio, & publico Conſiſtorio, 15. Cal. Ian. 1439. ſeptemdecim creauit Cardinales ex C omnibus ferè nationibus viros doctrina, moribus, natalibus inſignes, inter quos adnumeratus eſt Io: Kemp tit *S. Balbinæ* pietatis & doctrinæ laude inter ſuos celebris, Legatus de Latere per totã Angliam. In eius gratiam Nicolaus V. P. R. S. Ruffinæ eccleſiam à Portuenſi diſiunxit, cum vtramq. poſſideret Franciſcus Condulmerius nepos Eugenij IV. eamq. Ioanni Kemp contulit, ea conditione, vt illorum Epiſcoporum altero defuncto, duo illi Epiſcopatus in ſuperſtitem iterum coirent. Condulmerio ſuperſtes Cardinalis Kemp quidem fuit, quamuis *Portuenſis* Epiſcopus numquàm fuerit declaratus. Cantuariæ obiit, Anno 1456. die 22. Martij. Sepulchro D exceptus marmoreo in eccleſia Cantuarienſi. Anonimus de eo Poeta ita cecinit.

*Bis primas, ter Præſes, & bis Cardine functus*

*Ciaconius, Arſpheldius, Polidorus Vergilius, Vghellus, Auberij, Contelor.*



22. *Cum ceciderit inimicus tuus; ne gaudeas & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei.*
Prouer. 35.



NIcolaus de Acciapacio Surrentinus, Campanus Petri Ladiſlai Regis Gamberlanus, & Conſil, & Mariæ Capecç filius ex Ep. Tropeienſi Eugenius IV. ad Eccleſiam tranſtulit Capuanam, die 24. Decemb. 1436. mox in Florentino Concilio, cui interfuit, Anno 1439. Presbyter Cardinalis creatus tit. *S. Marcelli*, Renato Andegãuenſi adhęſit contra Alphonſum Regem Neapolis (teſte *Capaccio*) propterea electo Renato fructus Capuani Archiepiſcopatus amiſit, alioſq. redditus Eccleſiaſticos, quos obtinebar in Regno, quãuis poſtea indulgente Rege, eoſdem redemerit. Florentiæ aliquando cum eſſet; & Neapolim Franciſcus Sfortia aduentaret: interq. Alphonſum Regem & Renatum alea comittenda foret: dixit Nicolaus: *Intelliget nunc Sfortia cum alio ſibi, quàm cum Philippo Maria rem gerendam*: quibus ad Regem relatis, dixit ille: *Si mei omnes ita de me ſentiant: vt inimicus hic ſentit, & prædi-* B *cat, bello me certè nequaquàm laceſſerent*. Eugenio IV. tandem ſuſpectus cum hoſtibus coire ( teſte *Ænea Siluio de morte Eugenij IV. & creatione Nicolai V.*) ab eodem Eugenio Roma pulſus in exilium, indulgentiam impetrare non valuit ab eodem Eugenio cum morte luctante quamuis pro eo Cardinales omnes intercederent. Morte vulgata Eugenij IV. Romam rediit, magno populi, Clerique fauore exceptus, funeri interfuit Pontificis pro quo preces fudit, & Nicolai V. creationi adfuit, ſub quo Romæ obiit, 3. Non. April. vel Nonis April. 1447. ſepultus apud S. Petrum. Palatium, quod hodie retinent Aldobrandini hæredes, à Nicolao Acciapacio vo- C lunt extructum.

De eo Vghellus, Ciaconius, Panuinius, Auberii, Æneas Siluius *in ſua legatione*. Franc. Maria Turrigius *de Crypt. Vatic.*

23. *Hæreditas ſancta nepotes eorum.*
Eccl. 44.



LVdouicus Luxemburgius filius Ioannis domini de Beaùreuoir, & Mariç Anguianç in ſecundis nuptiis, filiæ & hęredis Lodouici Comitis Aoguiani, Conuerſani, & Briennç. Fuit Ludouicus nepos B. Petri de Luxemburgo, Præſes Cameræ Lutetianæ reddendarum rationum, Anno 1420. Ex caſtris tranſiit ad chorum, & Morinenſis Epiſcopatus lituum geſſit; in Morinenſi diæceſi cæmeterium benedixit, in quo tumulati, qui celebri illo cecidere prælio caſtri Azincurtii, die 25. Octob. An. 1415. Gallorum ſcilicet decem millia, inter quos Duces Brabantiæ, Barri, Alenconii, Niuerni, totidemque ferè capti, è quibus Aurelianenſis & Borbonius viri

Principes: Henrico V. Anglorum Rege pedite non diſpari cum aliis Marte & periculo pugnante. Rothomagenſis deinde creatus Archipræſul An. 1436. Presbyter Cardinalis creatur tit. *SS. IV. Coronatorum* ab Eugenio IV. in Florentino Concilio, An. 1439. dum tertio Papa legerent Patres. Tranſiit poſtea in Titulum *SS. Petri & Marcellini*; tandem inauguratus Epiſcopus *Tuſculanus* Anno 1442. eodem Anno deceſſit, die 4. Octobris, in Cathedrali ſepultus Elienſi cui preſidebat. Sub Henrico Anglo, cuius partes conſectabatur, Magnus fuit Regni Cancellarius, eiuſq. interfuit coronationi Pariſiis factæ, dum in Regem Gallorum inungeretur. Hunc Ludouicum A Ciaconius appellat *de Bar*: quo fundamento? latet. Diſcrepat etiam in inſignibus Gentilitiis Frizonius ſcutum ei apponens argenteum Leone muricato, corona, lingua ſaculis aureis, decuſſata cauda expreſſam. Ciaconius verò ſeptem lillia aurea in campo argenteo.

Ciaconius, Panuinius, Frizonius, Auberii, Vghellus, Claudius Rober. Iu: Chenu.

24. *Non cecidit ſuper eam Sors.*
Zech. 24.



IOannes cognomento Iuuenis in Picardia natus, in vrbe Ambianenſi, filius Ioannis cognomento Iuuenis Ambianenſis Balliui, frater Guillelmi domini de Cantorii oratoris ad Eugenium IV. nomine Philippi Burgundionum Ducis. Subrogatur Ioannes Ioanni Maceti Antiſtiti Matiſconenſi, deinde ad Sedem Ambianenſem tranſlatus, demum Murinenſis Præſul, inter Purpuratos aſſumitur ab Eugenio IV. Anno 1439. in Synodo Florentina, vbi oratorem agebat Ducis Burgundię, cum Papa tertiò legeret Patres Presby- C ter Card. tit. *S. Laurentij in Lucina*, non *S. Praxedis*, vt perperam ſcripſit Gazetus vel priùs S. Praxedis, poſtea S. Laurentii. Omnium ſui ęui Cardinalium ditiſſimus, mortuo Eugenio vnà cum Nicolao V. certauit pro thiara, & parum abſuit, quin aſſumeretur in Vniuerſi Chriſtiani Orbis Rectorem. Ab eodem Anno 1447. componendæ pacis voto Ferrariam miſſus (commune domicilium) inter Regem Alphonſum, Philippum Ducem Mediolanenſem Florentinos, & Venetos, poſt longas diſceptationes, Morte interueniente Philippi; ſolutis comitiis, Romam rediit (teſte *Monſtreleto lib. 3. c. 4.*) vbi obiit nona Septemb. 1451. Annos natus quadragin- D ta, & in ſuo S. Laurentii Titulo ſepultus ſequens habuit epitaphium.

*Hic iacet corpus R. Patris DD. Ioannis tit. S. Laur. in Lucina S. R. E. Cardinalis Presbyteri, Morinenſis nuncupati, qui obijt Anno 1451. die 9. Men. Decemb. Miſerere mei Deus, quia in te ſperauit Anima mea.*

Ciacon. Panuinius, Auberii, Monſtreletus, Vghellus, Contelor. Nomenclator.

25. *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei & conturbatum eſt cor meum pro gloria tua.*
Eſther. 15.



GVillelmus d'Eſtouteuille filius Ioannis à Totauilla, & Margaretę Harcurianæ quintogenitæ Ioannis Comitis Harcuriani, & Catharinæ Borboniæ è ſangnine Regio: Monachus & Prior D. Martini Pariſienſis, ordinis S. Benedicti, de cuius proſapia Cardinalis Papienſis *l. 2. Comment. Guillelmus Ep. Oſtienſis conſanguinitate Reges attingens Francorum, doctrina Pontificij iuris, & Principum clientelis, vnà quoq. ad Gallos ſuos legatione inſignis.*

Antiſtes Morinenſis Ionnes deinde Andegauenſis, poſtea Biterrenſis, Epiſcopus etiam Lodeui, tandem Rothomagi Archiepiſcopus, rubro donatur galero ab Eugenio IV. in Synodo Florentina, Anno 1439. tit. *SS. Silueſtri & Martini in Montibus*, eaq. vitæ innocentia, & Angelicis moribus, rerumq. cognitione, vſu, & experientia decorem ſeruauit, vt B omnium Principum amorem meruerit. Ingentibus & penè Regiis ſuffultus opibus pietatem coluit & Religionem, Romæ templo à fundamentis D. Auguſtino, poſito vnà cum cænobio, quod ad ſacra peragenda pluribus ditauit prouentibus. Hinc Ianuæ Maioris frontiſpicio inſcriptum, *Guillelmus d'Eſtouteuille Cardinalis Rothomagenſis à fundamentis erexit.* Prope verò Sacrarium, Cænobiarchæ tanti beneficii memores ſub eiuſdem effigie pario marmore inciſa hæc erexerunt elogia.

*D. O. M.*

C *D. Guillelmo de Eſtouteuilla, Normando Gallo Epiſcopo Oſtienſi Cardinali Rothomagenſi, S. R. E. Camerario, ex Congregatione Cluniacenſi Ordinis S. Benedicti aſſumpto, qui apud S. Sedem Apoſtol. huius Ordinis protectorem agens.*

*Templum hocce*

*à fundamentis conſtruxit, ampliſſimis dotibus locupletauit.*

*Altare Maius*

*Deipara Virginis imagine à D. Luca depicta exornandum curauit; Sacrarium pretioſiſſimis veſtibus ditauit; Conuentum in ampliorem formam redegit.*

D *Totum Ordinem*

*ſingularibus beneficijs cumulauit, plura & maiora collaturus, niſi mortis inuidia prope diuiſiſſet.*

*Præſuli ampliſſimo.*

*tam doctrina, moribus, virtutibus, quàm ſanguine, opibus. honoribus. conſpicuo, patrono beneficentiſſimo. M. F. Hippolytus Montius Generalis Prior, ac Patres huius cænobij æternum grati animi monumentum PP. Anno Sal. M. DC. XXVII.*

Eni-

Enituit eiuſdem Cardinalis pietas erga S. Marię Maioris, cuius in eccleſia Archipresbyteratus munere ſanctè functus, & liberalitas, donata pretioſa ſuppellectili; vt ex elogio in eadem Eccleſia.

*D. O. M.*

*Vrbano VII. Sum. Pontifice, & Antonio Barberino huius Baſilicæ Archipresb. Sacellum Archangelo Michaeli, & B. Petro ad Vincula, Guilelmus Card. Rothomagen. hic olim excitauerat, ex ampliore ad anguſtiorem hanc formam ideò redactum; vt Sacellum, quòd eſt è regione, faciem exprimeret, ac Baſilicæ ornatum augeret; ne verò* A *tanti regiæ claritudinis viri de Baſilica multis optimè meritis peculiare hoc pretioſiſſimum monumētum deperiiſſe videretur; Capitulum & Canonici ad grati animi ſignificationem, memoriam extare voluerunt. An. Sal. 1630.*

Guillelmus itaq. pietate, virtute, ſanguine illuſtris poſtquam ab Eugenio IV. Presbyter Card. dictus eſſet, Eugenio mortuo, à Nicolao V. Anno 1453. *Portuenſis* declaratur Epiſcopus; & à Pio II. Anno 1460. *Oſtien. & Veliter.* Annos ferè quadraginta in Cardinalatu tranſegit ſacri Collegij Decanus, & ſub Sixto IV. octogenario maior deceſſit. In Gallias Anno 1450. iubente Nicolao V. deſcendit, vt fœdus iniret inter Gallos & Anglos irrito ta- B mēn conatu. Regia & Apoſtolica authoritate cum Accademiam Pariſienſem reformandam ſuſcepiſſet leges edidit ſalutares, quarum exordium, *Quam graues moribus &c.* Legati vſus poteſtate Indulgentias contulit eccleſiæ D. Mariæ Bononienſis, non longè à Lutetia, Anno 1452.

Cardinalis Papienſis *ep.* 48. Guillelmum laudat, quòd rogatus à Carolo VII. Gallorum Rege, cum cæteris Legatis, nomine Regio obedientiam ſoluere Callixto II. recens creato Pontifici, renuerit; indignum ducens, Cardinales legationem ſubire quàm pro Romano Pontifice, Nec Rex ægrè tulit. Ad Vuillelmum etiam Franciſcus Philelphus ſui C temporis facilè litteratorum Princeps plures litteras ſcripſit, in quibus columnam & columen S.R.E. illum appellauit. Romæ, terram reliquit Cælum petiturus octogenario maior, poſt diem 14. Feb. 1483. vt patet ex eius teſtamento, quod in Archiuio ſeruatur Capitolino, conditum 14. Feb. 1483. Cadauer in eccleſia S. Auguſtini iacet, ab eo erecta. Cum funus efferretur, lis orta & contentio inter Canonicos S. Mariæ Maioris, & Fratres Auguſtinianos, quorum eſſent annuli, quibus digiti radiabant, & veſtes aureæ, quibus tegebatur cadauer; cumque vtrique pro ſua Eccleſia calentibus animis decertarent a verbis ad verbera deuene- D re, & ingrati atque verecundi prætioſa quæque diripuerunt, populo demirante, nam corpus propè nudum ignominioſè reliquerunt: teſte Garimberto, Frizonio, Vghello.

Plura de hoc Cardinali recurrunt apud Hiſtoricos; id tamen non prætereundum quod Garimbertus narrat *lib.* 4. *pag.* 329. Arma cum decreuiſſet R. P. Pius II. in Angioinos, ne regnum Neapolitanum cum Rege Ferdinando in Gallorum poteſtate relinqueret; annuentibus cæteris Cardinalibus, ſolum Guillelmum Cardinalem Rothomagenſem cum Alano Card. Auenionenſi ſubſcribere recuſaſſe, vt vt ſalua dignitate, patriæ charitati non officerent.

Inſignia ne prætereas ſupradicta, diuerſa ab ijs, quæ pinxit Frizonius, parmam ſcilicet faſciatam argento & minio octo Segmentorum, & in ea furuum Leonem auro torquatum, & aurea in humero Cruce notatum. Diuerſa enim habes Romæ, pluribus in locis, in templo S. Auguſtini per eum à fundamentis erecto; & in nummiſmate, quod de eo recurrit inter Antiquarios cum effigie Cardinalis, & inſcriptione. *G. de Eſtouteuilla Ep. Oſtien. Car. Rothom. S. R. E. Camerar.*

Eius memoria in templo Virginis Annuntiatæ, cuius aram, Florentiæ ſacrauit.

*D. O. M.*

*Guillelmus Card. Rothomagenſis, cum ſuperni in terris Nuntij munere fungeretur innumeris miraculis, locique religione motus, hanc Annuntiatæ aram ſumma cum celebritate, & ſolemni pompa ſacrauit. Anno Sal.* 1452.

Sodalitium Annunciationis B. Virg. in eccleſia S. Geneſii, Lodeuenſis inſtituit. Abbas Comendatius cænobii de Cerreto, in agro Laudenſi, Anno 1481. Ordini vniuit Ciſtercienſi Congregationis Italicæ. Eccleſiam adminiſtrauit S. Apollinaris: Ordinis S. Auguſtini patronatum geſſit.

Ciaconius, Frizonius, Io: Chenu, Auberii, Garimbertus, Vghellus. Claudius Robertus, Hippol. Maracci. *in Purpura Mariana.* Paul. de Angelis. *in Baſil. Liber.*

26. *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis. Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis.* 2. Cor. 11.



ISidorus Theſſalonicenſis Cōſtantinopolitanus, Græcus Monachus S. Baſilii, & Abbas S. Demetrij Conſtantinopolitani, Archiep. Ruthenorum ad Concilium cum veniſſet Florentinum cum Michaele Paleologo Græcorum Imperatore, & Græcis Prælatis, tertius poſt Græcorum Imperatorem, Concilio his verbis, pro Patriarcha ſubſcripſit Antiocheno, *Iſidorus Metropolita Kiouien. totiuſq. Ruſſiæ, & locum tenens Apoſtolicæ* D *Sedis, Sanctiſſimi Patriarchæ Antiocheni Domini Dorothei ſatis habens ſubſcripſit.* Græcam doctus Theologiam, & in dicendo apprimè grauis, cum ageretur de Proceſſione Spiritus Sancti, *Seſſ.* 25. ante Beſſarionem dixit: *Dicimus Spiritus Sancti Proceſſionem Filio quoque tribui non ſolum à Patribus Occidentalibus, ſed etiam Orientalibus. Quapropter æquum eſt, vt Sanctos noſtros ſequentes cum Romana Eccleſia coniungamur.* Synodo abſoluta (teſte *Alex. Gaguino Veronenſi in deſcript. Sarmatiæ*) in Ruſſiam reuerſus Iſidorus cum



P 2 vni-

vnitatem Eccleſiæ Græcæ referret cum Latina, eoſque ad vnitatem & concordiam inſtrueret ex Verbo Dei, captus boniſque omnibus ſpoliatus in carcerem truditur ab illis Barbaris adeò Græciſmi tenacibus, vt cum Pius II. PP. teſte *Gobelino lib.* 12. viros Religioſos ex Vngaria miſiſſet ad incolas vltra Tanaim, qui Deos & Idola tollerent; interiacentes Ruthenos tranſitum negaſſe, perire potius in errore Idolatras volentes, quàm ritum Eccleſiæ Romanæ ad eos deferri. Non ſic Rutheni, qui Poloniæ finibus continebantur. Hi namque Iſidori ſollicitudine, & Vladislai Regis beneficentia ac priuilegiis vincti Concilio aequieuere Florentino, & multo tempore retinuere. A De Iſidori verò vitæ periculo apud Ruthenos diſtinctius agens *Michouius Rer. Polon. lib.* 4. c. 57. ait eum Anno 1440. ab Eugenio IV. in Ruſſiam miſſum cum bullis Apoſtolicis plumbeis, & Imperatoris Conſtantinopolitani aureis, intraſſe in *Sandech* oppidum Poloniæ, feria 6. Paraſceues, vbi per Sbigneum Ep. Cracouienſem hoſpitio fuiſſe receptum, & ab celebrandum diuina ritu Græco, tanquàm Eccleſiæ vnitum Romanæ permiſſum. Vnionem tamen illam breuiuſculè duraſſe, Græcis irridentibus & Ruthenis. Propterea dum ad ſuos Iſidorus reuerteretur, in Ruſſiam & Moſcham veniſſe, vbi dum vnionem prædicaret, per Principem B Moſchæ captus, & in carcerem recluſus abijt bonis omnibus ſpoliatus. Ex hac porrò captiuitate, Deo fauente, ſe fuga proripuit, Romamq. reuerſus iterum Byzantium mittitur à Nicolao V. ( teſte *Ænea Europæ c. 3. ad finem* ) vt Conſtantium Impetatorem ſiuè deceptum, ſiuè ſponte inſanientem vnioni reclamantem fraternæ, ad ſaniorem mentem retraheret. Græci legatione audita cum præmerentur à Turcis, vt ſimulata vnione auxilia à Romano impetrarent Pontifice, eam denuò iurarunt. Audi Georgium Franzam Prouestiarium, Græcum illius æui ſcriptorem. *Cardinalis Ruſſię & ego cum venerando, & B. M. Domino meo Imperatore de eo in Patriarchatum Cō-* C *ſtantinopolitanum aſciſcendo agerem; tum enim Papam illius temporis, eius auctoritate ad ſubſidium mittendum commoueri poſſe, multa diſputatione, ſermone, & conſultationibus habitis, idem Cardinalis Domino meo vnum ex duobus omninò futurum oſtendit: ſibi namq. Patriarchę creato neceſſario ferè omnes obedire; aut diſſidia, diſſenſioneſq. inter ipſum, & rebelles exiſtere: interea ſi nobis foris bellum inferretur, & haberemus etiam bellum intus, quonam eſſet hoc mali? memoriam autem Papa in ſacris, hac noſtra neceſſitate propter ſpem auxilij, fieri placuit:* Vnione itaque verè vel ſimulatè confecta, quamuis ingruerent Turcæ, noluit Iſidorus Imperatorem deſerere, ſed Byzantij vſq. ad expugnatio- D nem permanens, mutato habitu, & ciuilibus indutus veſtibus inter ſugientes ſe immiſcuit incognitus. *In hac rerum miſerabili turba* ( ait Chalchondilas *lib.* 8. ) *captus eſt Card. Iſidorus Ruſſię Antiſtes: qui ductus in Galatiam vrbem venditus eſt, & conſcenſa naui profugit in Peloponeſum. Si Rex Turcarum virum hunc nouiſſet, certè eum interfeciſſet, cum verò inter cæteros occiſum putaret, nullam eius rationem habebat.* Iacenti namque hominis cadaueri Iſidorus veſtimenta ſubtraxerat, & eum ſuis permutauerat, cuculla & rubenti pileo ſupra mortuum dimiſſis: deinde tanquam vnus de plebe captus paruo pretio redemptus Cadaueri ſuper quo inſigne Cardinalatus repertum fuit, caput abſciſſum haſtæ ſuffixum cum pileo, & cappa rubra, per vrbem, Turcarumque caſtra per ignominiam ſedis Apoſtolicæ delatum præcone clamante verticem illum eſſe Cardinalis Rutheni. *Æneas Siluius*. Tantæ cladis accerbitatem Iſidorus ipſe deſcripſit epiſtola ad Chriſtianos data, quam habes apud Paulum Corteſium *lib.* 1. *c. de Cardinalib. qui aliquid ſcripſerunt*, Magnum verò Belgij Chronicon refert, capto Byzantio, ad eccleſiam confugiſſe S. Sophiæ, ſperans ibi aliquos reperire, qui Turcis obſiſterent, eum verò omnes offendiſſet fugientes, voluiſſe Iſidorum Turcis obuiam ire, ac pro Chriſti fide ſanguinem fundere. Verum vno ex famulis cogente, coactum in Eccleſiam rediiſse captumq. diebus tribus manſiſse in caſtris Turcarū, ſed incognitum. Redemptum poſtea 50. ducatis, Peram delatum, ibique diebus octo manſiſſe occultum ne poſtea detegeretur cum Turcarum triremibus ad Perſas aſcendiſse, vbi pauperem ſingens eleemoſinam poſcebat ad redimendos filios, quos captiuos reliquerat Conſtantinopoli. Iter tandem cum ageret, à Ianuenſibus agnitus, metu ſub ductus parua naui Chium venit, inde Romam, vbi à Nicolao V. Anno 1452. ſeptimo Id. Feb. Epiſcopus C. declaratus *Sabinus* vixit vſque in Annum 1464. Scripſit Græcè

*De Natiuitate Deiparæ.*
*De Preſentatione*
*De Annuntiatione*
*De Aſſumptione*
*De Capta Conſtantinopoli & Negroponte*
*Diſſectationes habitas in Florentino Concilio.*

Eius memoria apud Pium II. *lib.* 2. *Commentar*, Georgium Franzam *lib.* 3. Chron. Laon. Chalcond. *li. 8. de reb. Turcicis* Chronicon. M. Belgii. Paulus Corteſius *lib.* 1. Garimbertus *lib.* 4. *c.* 5. Ciaconius, Victorellus, Vgbellus in *Ep. Sabinis*. Pontanus *lib.* 3. *c.* 10. *in notis ad Franzam*.

Romæ deceſſit ex longa Apoplexia, 8. Idus Mar. 1464. ſepultus apud S. Petrum. Huic titulum gerenti Patriarchæ Conſtantinopolitani Pius II. P. M. Beſſarionem ſubrogauit.

Ciaconius, Panuinius, Paulus Corteſius, Vghellus, Garimbertus, Spondanus. Contelor. Hippol. Marrac. in *Biblioth. Marian.*

*27. Confortaui te auxiliatus ſum tibi ; & ſuſcepit te dextera iuſti mei*. Iſai. 41.



GEorgius de Sanigono, vel Sauignono Fliſcus ex Comitibus Lauaniæ ex Epiſcopo Marianenſi in Corſica ad Ianuenſem euocatur Eccleſiam, Anno 1436. ſedente Eugenio IV. R. P. Anno verò 1439. in Florentino Concilio [ vbi contra Amedęum Antipapam auxilium quærebat Eugenius] noua Cardinalium promotione, Presbyter dicitur Card. tit. *S. Anaſtaſię*, factuſque Ligurię Legatus promouit Nicolaum V. à quo Epiſcopus dictus *Oſtienſis*, *& Veliternus* Anno 1453. Calliſtum III. Pium II. Romæ deceſſit, 8. Id. Octob. 1461. cuius cadauer Ianuam relatum in eccleſia Cathedrali quieſcit cum ſequenti epitaphio.

*Sepulchrum Reuerendiſſimi Domini Domini.*
*Georgij Ep. Oſtienſis Cardinalis de Fliſco*
*Archiep. & Prouin. Genuen. Legati.*
*Qui obijt in Chriſto, An. 1461. die II. Octob.*

Ianueoſem rexit Eccleſiam plus minùs Annis tribus, & cum regreſſu dimiſiſſet An. 1439. Naulenſem, & Albingauenſem commēdatas habuit eccleſias. Hanc ceſſit Neapoleoni Fliſco An. 1459. illam Mattheo de Correrto, An. 1448. *Vghello* teſte. Federic. *hiſtor. famil. Fliſeę*. Ciacon. Auberij. Panuin. Carolus Carthar, in *Syllab. Aduoc. Conſiſtor.* Vghellus. Contelor. Nomenclator.

*28. Loquebatur quoque gentibus, & diſputabat cum Gręcis: illi autem quærebant occidere eum.* Act. 9.



BEſſarion Trapezuntinus patria, natu Græcus, Monachus S. Baſilij, ante Monachatum *Baſilius* dictus, à puero litteris operam dedit in patria; deinde Byzantij, ſub diſciplina Georgii Gemiſti Plethonis Conſtantinopolit. Philoſophus acutiſſimus, profundus Theologus, vtraque lingua peritiſſimus Græca & Latina; hanc in Italiam veniens ita didicit, vt in publicis & priuatis hominum conuentibus eloquentiſſimus haberetur. Peritiam hanc cum exornarent nobiliores diſciplinę, Theologia ſcilicet & Philoſophia, iis ſuccinctus armis, Religionis Catholicæ Deſenſor acerrimus, auctor fuit; vt Græci cum Eccleſia conſentirent Romana, confiterenturq. in Florentino Concilio Spiritum Sanctum à Patre, Filioq; procedere; cui veritati fœda diſſenſione, Græcia per tot Annos fuerat auerſata. Beſſarion namque vt alios ingenio ſuperabat, ita voluntate in vnionem ferebatur, vt animæ ſalutem quęreret non Mundi gloriam, teſte Card. Papien. *ep.* 127. & 488. *Ex libris, quibus fidebant Gręci, argumenta ad noſtros ſubmittebat Beſſarion, admonebatq. quibus vijs deberet inſiſti*. Hinc Anno 1439. in Florentino Concilio Presb. Card. tit. *SS. XII. Apoſtol.* creatus, Eccleſiam moribus & doctrina promouit. Multi namque Græcorum conſociationem Eccleſiarum factam à Beſſarione, & Iſidoro in vulgus iacentes, non Religionis voto, ſed cauſa Superbiæ [ lege Garimbertum *lib. 6. p.* 459. ] & purpura vinctis Cardinalitia, vt Alexius Laſcaris Philantropinus vir è primaria nobilitate, Beſſarioni ſignificauerat: iſte officii memor, vt Alexium rei veritatem doceret,
A fallacias detegeret malignantium, libellum ei ſcripſit *de Proceſſione Spiritus Sancti, & geſtis in Florentino Concilio*, quem habes apud Bzouium An. 1440. Mortuo Eugenio IV. creationi interfuit Nicolai V. à quo Bononiam legatus nobiliſſimam Italiæ vrbem, ſtudiorum matrem inflexibili iuſtitia, & æquitate adminiſtrauit, Accademiam illam, olim nobiliorum Artium tutiſſimum domicilium, in priſtinam reſtituit dignitatem, nobilibus illuc Artibus reuocaris, quę iam inde ob ciuiles diſcordias, armorumq. tumultum cœperant exulare: teſte Sigonio *de Ep. Bonon.* Card. Papien. *ep.* 127. Platina *in Paneg.* Ab eodem Nicolao V. Epiſcopatu donatus Sabino, po-
B ſtea ad Tuſculanum translatus Non. Cal. Maii 1449. poſt obitum Nicolai V. clauum tenuiſſet Eccleſiæ Romanæ, teſte Gobelino *lib.* 1. *Commentar. Pij II.* quòd omnium aptior ad regendam Rempublicam videretur; conueniebatq. ſufficiens Patrum numerus, vt iam ad eum ſupplicationes defferentur; cum Alanus Card. Auenionenſis, oratione ſua Patres dimouit. *Cardinales peracto funere* [ ita Pius II. ] *de ſucceſſore ſolliciti, ac Conclaue, vt moris eſt, ingreſſi varijs conſultationibus agitati ſunt; erat que admodum difficile, duas Collegij partes in vnum conuenire, ſcrutinioque ſemel atque iterum incaſſum peracto, collocuti ſunt inter ſe aliqui extra locum ſcrutinij, Beſſarionemque Card. Nicænum*
C *eligere decreuerunt, quòd is omnium aptior ad Rempublicam gerendam videretur, conueniebatque numerus in eum ſufficiens, nec dubium videbatur, quin ſequenti ſcrutinio Pontifex à duabus partibus eligeretur; iamque ad eum ſupplicationes deferebantur. Quod vbi ad aures alterius partis delatum eſt; Alanus Cardinalis Auenionenſis nunc iſtum, nunc illum circumiens Ergo* [ *inquit* ] *Eccleſia Latina Græcum Pontificem dabimus? & in capite libri Neophitum collocabimus? Nondum barbam raſit Beſſarion, & noſtrum caput erit? en paupertas Eccleſia Latina, quæ virum non reperit ſummo Apoſtolatu dignum, niſi ad Græcos recurrat. Sed agite Patres quodlibet, ego, & qui mihi credent, in Gręcum Prgſulem nunquàm conſentiemus, Moue-*
D *runt ea verba nonnullos adeo at duæ partes Collegij, nullo pacto ab Beſſarionem accederent. Qui cum vna nocte Pontifex conſtanti omnium opinione habitus eſſet, aduenient e luce Cardinalem ſe ſe reperit aliquantò minoris famæ, quàm antea fuerat, vt his accidere ſolet, qui magna è ſpe ceciderunt.*

Hoc Platina in panegyrico Beſſarionis ab aduerſariis factum refert; quòd leues, ac voluptuoſi exiſtentes eius integritatem vererentur & modeſtiam. Quid enim prohibet Græcum hominem caput dari

Ec-

Eccleſiæ Latinæ? forſan Primitiua Eccleſia Græcos abhorruit Pontifices? qui omnes inter Sanctos relati. Iuſtè ergo & hoc renueret Eccleſia Græca; cum ei in Biſantina Sede Patriarcha locatur Latinus. Ad quid tantos mouere lapides, & Orbem in Concilijs congregare vniuerſum pro vnione Græcę cum Latina Eccleſia; ſi Græcos excludimus à Magiſtratu & imperio ſupremo? cum tres ſummæ auctoritatis Cardinales, eum vt Pontificem ſalutarent, in cella abditum adijſſent, nec admitterentur à ianitore Nicolao Perotto, quòd vir ineptus lucubranti parcendum diceret; ſtomachati receſſere dicentes. Pręſenti ergo nec roganti ſumma dignitas inculcanda: cum è Cælo expectet ſuffragia; ſuperbis ac ſtolidis ianitoribus pareamus. ſtatimque alteri detulere ſuffragia. Quo adorato; ianitori ſuo improperauit Beſſarion: Hæc tua intempeſtiua ſedulitas thiaram mihi, tibi galerum ſuſtulit. Rem porrò aliter narrat Geraldus. Cum omnium ferè votis Pontifex deſignatus eſſet Beſſarion; nocte acceſſit ad eum Latinus Vrſinus Cardinalis rogans, vt ſibi & Vrſinæ familię vellet priuilegia quædam ſcripto firmare, accepturus in præmium ſua & amicorum ſuffragia. His auditis Beſſarion reſpondit rigidè; omnia ſe daturum, quę legibus non obſtarent. Quo reſponſo indignatus Latinus ad Franciſcum Ruuereum ſe conuertens, ſequenti die Pontificem ſalutauit. Mortuo Caliſto III, ſubrogatoque Pio II. Beſſarion, qui Rothomagenſi adhęſerat, ante illius pedes prouolutus, *Laudamus* (inquit) *Pontifex Maxime tuam aſſumptionem, quam ex Deo eſſe non dubitamus: & ſane dignum te hoc munere, & cenſuimus antea, & nunc cenſemus. Quòd autem te non elegimus, id fecit ęgritudo tua, nam cum pedibus ægrotares; hoc tantum ſufficientia tua deeſſe putauimus: eſt enim Eccleſia egens viro actiuo, qui poſſit itineribus corporis exerceri, & imminentibus periculis occurrere, quæ à Turcis formidamus: tu contra quietis eges. Hoc nos ad Rothomagenſem traxit; quòd ſi fuiſſes corpore validus, nullus erat, quem tibi præferendum exiſtimaremus. At cum Deo placuerit, & nobis placet. Nos te Pontificem veneramur, & denuò quantum in nobis eſt eligimus, tibiq. fideliter ſeruiemus.* Miſſus poſtea ab eodem Pio II. cum duobus alijs Cardinalibus, Narniam, vt caput S. Andreę Apoſtoli ad pontem Miluium deferret; in Baſilicam attulit Vaticanam, ibique orationem habuit elegantiſſimam, & piam. Indicto poſtea Mantuano Conuentu, aduerſùs Turcas; poſt Romanum Pontificem, verba excipiens Beſſariòn oſtendit, quanta Chriſtianos mala paſſos amiſſo Byzantio; & quæ peiora inſtarent, niſi Turcarum conatibus obuiam iretur. Ab hoc conuentu in Germaniam miſſus, vt Cæſarem ac reliquos Germaniæ Principes armaret in Turcas, cum in Auſtriam veniſſet, bellis reperit omnia flagrare: inde Vngaris Imperatori minantibus, hinc Alberto ipſius germano & Ludouico Bauariæ Duce: quinimò & Rege Bohemiæ Podiebraccio occultè imperium quærente, hæreticis apertè fauente: promiſſa autem in Mantuano conuentu exigente Beſſarione, obturauere cunctę [inquit *Gobellinus*] aures ſuas, verbaq. Legati quaſi fabulas excipientes nemo Religioni operam contulit. Quinimò accuſationem factam ex hac legatione tam in Pontificem, quòd decimam Clero indixiſſet; quàm in Nicænum Legatum, quòd litteras reſeruationum paſſim conce- deret, fuiſſeq. propterea Apologiam ab ipſo Pontifice conſcribendam intelligitur *ex ep.* 28. *Card. Papien.* Romam reuerſus, ob mortem Iſidori Cardinalis Rutheni, & Patriarchæ Conſtantinopolitani, titulum accepit [conferente Pio II.] Patriarchatus Byzantini. Ibi Pontifex in propoſito cōſtans aduerſùs Turcas, quamuis Chriſtianorum deſperatis auxilijs, eumdem Beſſarionem Venetias legauit, vt A Rempublicam in fœdus ſollicitaret; à qua magno honore ſuſceptus in Bucentauro, impetrauit quæ voluit, grauiores ſcilicet tantæ expeditionis partes Venetis impoſitas, eorumque Principem Morocum claſſe adfuturum, vt in portu Anconæ, triremi ſua Pontificem ipſum exciperet Pium II. In platea ergo D. Marci, Venetijs, cum publicè Cruciatam indixiſſet Beſſarion, ęre ſuo triremin inſtruxiſſet, controuerſiam de corpore S. Lucæ Euangeliſtæ abſoluiſſet aduerſùs Monachos Benedictinos S. Iuſtinæ, in fauorem Fratrum Ordinis S. Franciſci, quorum procuratorem & aduocatum agebat Moro ipſe Venetiarum Princeps, ſcripto lata ſententia, quæ B adhuc legitur in ſacrario S. Iob; Anconam nauigauit cum Veneta claſſe ſub ipſius Ducis imperio, ſed fruſtra: inuenit enim ęgrotare Pontificem, & cum morte luctare. Ab hoc euocatum Purpuratorum Senatum, data, receptaque offenſarum venia, commendataq. ſacra expeditione; pro omnibus Beſſarion, cuius præſentia [teſte Card. Papienſi *lib. 1. com. ep.* 127.] ſtabat Collegij dignitas, firmum præſidium, & Lumen penè omne, quo Collegium lucebat; reſpondit, pièq. excitauit ad tranſitum æternę vitæ. Defuncto poſtea iuſta ſoluit, Anconæ in eccleſia S. Cyriaci humatis viſceribus, cadauer Romam retulit, ac marmoreo condidit ſepulchro apud C S. Petrum, in ſacello, vbi ipſe Pius caput S. Andreę Apoſtoli depoſuerat, ab eodem Beſſarione Narnia Romam relatum, & in Vaticana Baſilica pio & eleganti ſermone, populorum turbæ expoſitum & explanatum. Pio II. mortuo, Beſſarion tanquàm Decanus Collegii, Conclaui habito promouit Paulum II. eoque defuncto Sixtum IV. à quo *Legatus* ad Gallos vt Regem ad concordiam cum *Principibus* Chriſtianis reuocaret, & ad ſacram expeditionem vrgeret, improſperè abijt, An. 1472. Poſt namque petitā & acceptam legationem cùm diù hęſiſſet ob grandem ætatem, & inualetudinem, quinimò eam ſemel depoſuiſſet: humaniſſimis deinde acceptis à D Rege Francorum litteris, quibus ei gratulabatur, & hortabatur ad maturandam profectionem, quam ſibi, & Regno lętam fore affirmabat: denuò eam reaſſumpſit, ſed exitu infelici. Regnum namq. ingreſſus, ex malignātium inſidiis Regi ſuſpectus, ad eum progredi vetitus, per duos menſes ludibrio habitus, tertiò ad Regem accedere permiſſus, vno atq. ingrato colloquio legationem finiuit, nullo ad explicandas facultates, quas ampliſſimas detulerat, loco aut tēpore dato, Imò à Rege ſalibus redargutū, contre-

trectata blandè eius barba, quā promiſſam pexamq. ad delitias gerebat Beſsarion , exporrecto ad mimicam hilaritatem vultu, carmine Grammaticis noto prolato.

*Barbara Græca genus retinent quod habere ſolebant.* innuere volens, vt erat politulus & acutulus ingenio Rex exemplo Græcorum nominum barbarorū, quæ idem apud Grecos, Latinoſq. genus retinent; pariter & ipſe homo Græcus Gręcam fidem, lubricam ſcilicet atq; ſuſpectam haberet. *Vghellus in Ep. Tuſculan.* ita permittente Deo, ambitum Beſsarionis corrigere volente, qui legationem hãc omnibus neruis procurauerat, & penè extorſerat. *Garimbertus* A *p.* 461. Hinc animo conſternatus clariſſimus ille ſenex, Rauennam à Taurino Pado deuectus, ibi deceſſit. *Card. Papienſis ep.* 437. 455. 459. 488. 534. Legationem hanc non abſque ſua culpa Beſsarionem ſuſcepiſse, ſcripſit idem Papienſis *ad Decanum Toletanum ep.* 134. inquiens, *illum vt in Galliam proficiſceretur ad legationem quaſtus, & nominis plenam, vendidiſſe libertatem ſententiæ, Pontifici non acquieuiſſe modò in quibus voluit, ſed adiutorem etiam fuiſſe, vt iuramenta ab eo in Conclaui præſtita violarentur: & vt crearentur indigni Cardinales magna bonorum mæſtitia, & graui omnium querela.* Excuſat tamen Beſsarionem Spondanus, nec dubitat quin habiturus fuiſset ſuas B rationes Beſsarion; cum non vnus is eſset, qui Pontificis voluntati reſiſtere poſset. Nonne cum Gallicam Legationem depoſuiſset Beſsarion; exclamauit Papienſis cognoſcens illum in Curia neceſsarium: eiuſque auctoritatem magnam in Gallia fore: *Si mittitur Nicænus, quis hic reliquus erit? ſi non mittitur, quis alter mittetur?*

Fuit Beſsarion non ſolùm Græca Latinaque lingua eloquentiſſimus, omnium ſcientiarum peritiſſimus, Philoſophiæ Platonicæ contra Ariſtotelem ſummus defenſor, ſed Theologus, Philologicus, & ſicuti à multis Annis ſacri Senatus antiquitate Princeps, ita & proculdubio ſapientiſſimus omnium. C Eius meritiſſimas laudes congeſſit Platina *panegyri ad Romanos.* Papienſis *ep.* 127. *ad Cardinalem Senenſem* cæterique omnes ſcriptores ſemper cum laude eum meminerunt. Hunc mortuum lugens Papienſis *ep.* 488. inter alia plurima amatiſſimè queritur *nihil amplius habere Romanam ſedem, quo gloriari poſſit, nihil quod ad ſuum miniſterium efficacius inueniret: ad eum referri ſolita conſilia Patrum, & legationes vndecumque aduenientes: ſine illo nec operum initium fuiſſe, nec exitum: totam operum molem illius vnius humeris inſtetiſſe: ſingulari fuiſſe religione, pietate, munificentia, animi magnitudine; qui nil humile, nil quod non dignitati coniunctum eſſet, poteras cogitare: flendam tanta iacturæ obitum eſſe flendas vices Eccleſiæ, flendam bonorum* D *omnium orbitatem. Duram, duram Galliam, & impatientem ſani conſilij, auctricem quoque tanti doloris, & obitus; quo vnquam merito tuo, aut quo ſacrificio tanti peccati culpam poteris expiare?* Mortuum ait Phranzes 15. Nouemb. alij, XIIX. Anno ętatis 77. Salutis 1472. Corpus honorificè Romam relatum ad ſepulchrum, quod ſibi parauerat in eccleſia SS. Apoſtolorum, Platina in eius funere orante.

Epitaphium.

*Beſſario Ep. Tuſculanus S. R. E. Card. Patriarcha Conſtantinop. nobili Græcia ortus, oriundusque ſibi viuens poſuit, Anno Sal.* 1466.

ΤΟΥΤ' ΕΤΙ. ΒΗΣΣΑΡΙΩΝ
ΖΩΝ. ΑΝΤΣΑ. ΣΩΜΑΤΙ.
ΣΗΜΑ.
ΠΝΕΥ͂ΜΑ ΔΕ ΦΕΥΞΕΙΤΑΙ
ΠΡΟΣ ΘΕΟΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ.

A Hæc Maioranus Salentinus ſic vertit.

*Beſſario feci hunc tumulum, qui conderet oſſa:*
*Venerat vnde olim, Spiritus aſtra petet.*

Eiuſdem.

*Viuens adhuc feci hoc ſepulchrum corpori*
*Beſſarion, ad Deum remittens Spiritum.*
*Me ducta genuit Græcia, at honores dedit*
*Vrbs Roma, quæ mihi perpetuò eſt Patria.*

Apud Cardinalem Papienſem hoc carmine laudatur.

B

*Nonne vides, quantus mihi ſit Deus alter, & omni*
*Tempore, eumque ſuo pariter victurus Homero*
*Beſſario, cuius pectore totus Apollo eſt,*
*Quem tulit, ut fieret priſcis celebratior ætas*
*Noſtra; nec à magno vincamur, ut ante, Platone.*

Ianus Vitalis de illo bellè cecinit.

*......Per te migrauit Græcia Romam*
*Et didicit Latios Attica Muſa ſonos.*
*Per te hinc Romanus miratur Tibris Athenas*
*Argolicam & Romam Græcia Beſſarion.*

C

Alterius.

*Græcia me genuit, fouit Italis ora, galero*
*Roma colit: vita ſum Numa, & arte Plato.*

Elogium ex Reuſnero.

*Beſſarion Trapezunti in Græcia natus,*
*Summæ auctoritatis & virtutis homo:*
*Romanæ Eccleſiæ Cardin. Nicænus, & Patriar. Conſtantinopol.*
*Primus ex Græcis, vna cum Iſidoro, communibus*
*Patrum ſuffragijs in Concilio Florentino electus.*
D *Quo nemo ſuorū æqualiū Chriſtiana pietate ſpectabilior*
*nemo admirabilior doctrina*
*nemo generoſis moribus ornatior*
*Nullis ſæculis in eo Senatu fuit iudicatus.*
*Singularis litterarum & litteratorum, Græciæ præſertim exulantium Patronus, hoſpes:*
*Præter commentaria de Fidei Chriſtianę articulis quibuſdam, multis lucubrationibus eruditiſſimis in omni doctrinæ genere, ac inprimis etiam Platonis, Ariſtotelis, Xenophontis libris in Latinum è Græco traductis percelebris:*

Digitized by Google

*bris : optimè de Repub. meritus: Legatus ex Gallia rediens, morbo corr ptus, Rauennę moritur Anno ætatis LXXVII. Sepultus Romæ in templo Apoſtolorum. Claruit An. Sal. Chri. 1473.*

Ad eius laudem accedit, quòd viros doctiſſimos non ſolùm habuit familiares, verum etiam in famulatu. Vnde teſte *Iouio*, cum habitaret ſub Quirinali ad SS. Apoſtolos, deduci ſolitum mane in Vaticanum, non exculto quidem & numeroſo, ſed vno virtutis nomine maximè decoro comitatu, Præclarorum Græcæ, Latinæque linguæ luminum; putà Georgii Trapezuntii, Ioannis Argyropoli, Græcorum; Franciſci Philelphi, Flauii Blondi, Leonardi Aretini, Poggii Florentini, Laurentii Vallę, Antonij Campani, Bartholomæi Platinæ, Italorum : præter Theodorum Gazam, Gemiſtum Plethonem, Andronicum Theſſalonicenſem, Domitium Calderinum, Nicolaum Perotum, Valerium Viterbienſem, quos in domeſtico habuit famulatu: quorum omnia elogia apud Iouium, ſcriptorum Iudices apud Trithemium. Locupletiſſimam, & librorum Græcorum præcipuè M. S. refertiſſimam bibliothecam, Reipublicæ Venetę dono dedit: quam à ſe triginta millibus nummum aureorum comparatam ait Platina. Extatque de hac donatione epiſtola ad Chriſtophorum Maurum Venetorum Ducem, & Senatum nec non hujus ad illum ampliſſima gratiarum actio, apud Petrum Iuſtinianum *lib. 8. Hiſtor. Venetæ.*

Scripſit Beſſarion *Apologiam con. Georgium Palamam* à Petro Arcudio amico latinam factam.

*Trinitatis explanationem.*
*Librum in illud Io: c. 21. Sic eum volo manere.*
*Confutationem aduerſus Marcum Ep. Epheſinum, de proceſſione Spiritus S.*
*De Proceſſione ſpiritus S. con. Alexandrum Laſcarem.*

C *Libros quinque pro Philoſophia Platonis.* Notans tamen ne prætereas Io: Bapt. Criſpi *de Philoſophis cautè legendis*: & Antonium Poſſeuinum in *Bibliotheca Scelecta de Philoſophia Platonica.*

*Laudationes patria ſua Trapezuntis*
*Libros tres conſolatorios ad Græcum Imper.*
*Orationes Epiſtolas ad Græcum Imperat. Carmina Varia*

Aldus Manutius Pauli Pater ſequentia vulgauit tanquàm Beſſarionis opera.

*Laudes Patria ſua, & Iſthmi lib. 22.*
D *Libros 4. in Calumniatorem Platonis.*

*Librum*, in quo ex XII. Platonis libris de Legibus pleraque recitantur, quæ cum in Latinum vertit è Græco, oſtendit eadem opera, quàm perperàm translata fuerint à Georgio Trapezuntio.

*De Veritate Tractatum.*

*Tractatum, An Natura & Ars conſultò agant?* in gratiam eorum, qui Platoni, vel contra Platonem incumberent.

*Librum de Eucharistia*, ſeu *Cæna Dominica.*
*Ad Gemiſtum. De eo, quod per ſe ſubſiſtit*: & *Epiſtolas Ariſtotelis Metaphyſices libro XIV. latinè vertit.*
*Libros 4. Metaphyſices Theophraſtis latinè vertit.*
*Xenophontem latinè vertit, Ariſtotel. Metaphyſ. l. 14.*
*De Factis, & Dictis Socratis.*
*Orationem de bello Turcico.*

Eius eloquentia ita oblectabatur Cardinalis Papienſis *ep. 127.* vt in Conſiſtorio cum diem integrum ibi loquentem ſine faſtidio audiuiſſet; adhuc audire deſideraret. Sententiam namque ita exprimeA bat, vt poſt ſe dicturis nihil relinqueret: & Patres probarent, quod ille probaret: damnarent, quod damnaſſet.

Laudatur Beſſarion ab Andrea Barbatia *de Præſtantia Cardin.* à Paulo Corteſio *lib. 1. de Cardinalatu.* A Philelpho *ep. 23.* Cadin. Papien. *lib. 2. Comment. & in ep.* Pio II. *lib. 8. Commentar. & c. 53. Europa.* Campano *ep. 397.* à Card. Bellarmino *de Scriptor. Eccleſ.* Famiano Strada *vol. Prolus. Accadem.* Platina *panegyr.* Iouio *in Elogijs*; Michaele Apoſtolico, Græca oratione M. S.

Non minùs pius, quàm doctus, cum mandante Pontifice, geſta B. Roſæ Viterbienſis diligentiſſiB mà excuſſiſſet, eius inter ſanctos translationem procurauit. Monaſterium Grottæ, ſeù Cryptæ Ferratæ, & maximam inſtaurauit eccleſiæ partem, veſtibus ſacris vaſis aureis & argenteis ornauit, huius eccleſiæ cum eſſet Commendatarius datus à Pio II. in *Commentar. Æneę Syluij.* Eo in loco villam fuiſſe Ciceronis Latini, quam modò Cicero incolebat Græcus, vt in proſopopæia Franciſci Lucidi.

*Exciſum quid ego Xixtum, quid mæſta ruinam*
*Porticus ingentis Tuſcula Villa querar?*
*Sit fas, uel magnum Ciceronem odiſſe colonum,*
*Dum ſacrem dominum Beſſariona meum.*

Bononiæ etiam in Eccleſia S. Mariæ in Monte, plura conſtruxit, ibique ante imaginem Deiparæ, poſitis genibus orat. depictus. Eius effigiem ſupra habes.

*29. Timorem Domini docebo vos.*
Pſal. 35.



GErardus de Capitaneis de Landriano natu Inſuber Mediolanenſis, non minùs litterarum ſtudijs, quàm morum innocentia clarus, ex Canonico eccleſiæ S. Trinitatis Papienſis, Cathedræ commendator Laudēſis, 3. Idus Martii, 1418. Idibus Martii, 1419. mãdante Martino, eiuſdem Eccleſię poſſeſſionem iniit ritu ſolemni. Cõcilio interfuit Baſileēſi, à quo Legatus ad Regem Britanniæ, An. 1432. orationem habuit ad Regem, & Regni proceres aduersùs Eugenium IV. R. P. in fauorem Baſileenſis Conuentus, quę eiuſdem Concilii actis inſerta legitur. In Eccleſia Laudenſi pius Præſul duas erexit dignitates, Archidiaconatum,

&

& Primiceriatum, auxitque menſam Epiſcopalem. Ad Comenſem poſtea translatus Eccleſiam, poſtulante Philippo V. C. Mediolanenſi [cui à ſecretis erat Franciſcus Gerardi Frater, vir altæ indolis, audaxque] tandem ab eodem Eugenio fremente tamen, ſed Philippo contradicere formidante, hoſtem declinandi cauſa, Anno Sal. 1439. in Florentino Concilio Cardinalis Presb. creatus tit. *S. Mariæ Tranſtyberim*. Primus Abbas Commendatarius S. Mariæ Claræuallis, Mediol. legatuſque de latere ad Philippum V. C. Mediolanenſem, nil impetrauit, ſuſpectus iam eidem Philippo, vna & Franciſcus, qui propterea geminos fratres de medio clandeſtinè ſuſtulit, Gerardum Viterbii ex legatione redeuntem, veneno ſeriit cum tota familia, in qua duodeuiginti periere, 8. Idib. Octob. 1445. ſepultus in eccleſia Minorum S. Franciſci, cum epitaphio.

*Gerardus Landrianis Mediolanenſis, S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, aliquot ſub Eugenio IV. legationibus functus. Viterbij 8. Id. Octob. 1445. è vita diſcedens, hic ſumma cum pietate conditur.*

Sic perit Virtus, quę neſciens ſtare loco, Tyrannos ambitioſa palpat. *Garimbertus p.* 359. Eius memoria in *epiſtolis Leonardi Bruni, Philelphi, Laurentij Valle*.

B

Ciaconius, Vghellus, Panuinius, Auberii, Iouius in *Ep. Comenſibus*. Franc. Ballarin. *Hiſtor. Comenſi*.

30. *Qui dicit Regi Apoſtata qui vocat Duces impios.*
Iob. 34.



SBigneus Oleſnicius Polonus, Ep. Cracouienſis vir magnus; minarum & periculorum contemptor, libertatis eccleſiaſticę vindex acerrimus (teſte *Cromero lib.* 23. *Hiſtoriæ*) Regum domitor à Stanislao Reſcio appellatus. Cum enim aduerſus Lituanos in obſidione cuiuſdam arcis Poloni præualere haud poſſent; incantationibus Lituanorum Vladislaus Rex Poloniæ quaſi prohibitus; ignorantiam Sbigneus redarguit, & Regis peruerſam indulgentiam, qui calamitoſis quibuſdã equitibus bona dilargiebatur eccleſiæ. Quo reſponſo Regem à cæpto deterruit. Sic Anno ſequenti, Salutis 1432. Cum ad eundem Regẽ veniſſent Boemorum Legati Baſileenſis Concilii propenſionem erga Regem nuntiãtes, auxiliaque petentes in Cruciferos; quamuis Hæretici cum Regi non diſplicerent adſtantibuſque Epiſcopis, à quibus lautè habiti, etiam ad Sacrorum communionem fuere recepti. In reditu verò Cracouiam cum diuertiſſent; ceſſauit protinùs à ſacris ciuitas, Epiſcopo mandante Sbigneo, qui abſens Regem ſequebatur. Hinc Regis indignatio, furor fortunam minanti Sbigneo Petri Viſſi, qui paulò ante Epiſcopatu fuerat eiectus. Cui imperterritus Sbigneus reſpondit: *inu-*

D

*ſtam Regis indignationem in eum, qui ſolus optima fide Regis ſalutem & exiſtimationem procuraret aduerſus hæreticos. Cum verò de Religione ageretur, nullius minas ſe reformidare. Petri calamitatem non Epiſcopo innocenti, ſed Regi iniurianti ignominiam accidiſſe.* Monitus inde ſibi cauere à Regis ſatellitibus, quibus datum erat, eum de medio tollerent; ea nocte, qua ſibi paratum diſcrimen acceperat, nihil de conſuetudine remittens, eodem lecto, nulla adhibita cuſtodia cubauit; nocteq. intempeſta cum vno Sacerdote, & puero lumen præferente, ad matutinas preces, templum adiit innocuus; vel Regis mutato conſilio; vel vano terrore. Sic hæreticum Sacerdotem, qui ad Regem venerat, eiecit vir animi excelſi, memoria dignus ſempiterna; propterea ab Eugenio IV. Anno 1439. in Florentino Concilio in Cardinalem promotus, galerum reſpuit, proteſtatus tamen non in contemptum; ſed nè Eccleſiæ lęderetur auctoritas vniuerſalis. Hinc (ita *Acta Patriciana*) cum miſiſſent Baſileenſes Legatos in Poloniam; vt ad ſe Regem traherent, & Prouinciam; Sbigneum, qui magna auctoritate & gratia valebat, ad eos inclinare viſum eſſe. Aſtutè tamen rem geſſiſſe; ita vt ab Eugenio ad Cardinalatum aſſumptus non conſenſerit, & Felici apertè non adhæſerit: à quo Anno ſequenti Cardinalis nominatus Presbyter tit. *S. Priſcæ* quo pariter titulo etiam appellatus fuerat ab Eugenio teſte *Panuinio*, & *Cromero lib.* 21. Laudi vel vituperio hoc ei vertendum? alij diiudicent; reſpondet Spondanus Anno 1439. *n.* 50. *Inter Neutrales iacuiſſe Sbigneum crederem*; hoc tempore tres Soles in Cęlo apparuiſſe leguntur, diuiſum in tres partes ſtatum Eccleſiæ ſignificantes. Vna namq. pars Eugenium ſequebatur vt verum Chriſti Vicarium, in qua fuerunt Itali, Lombardi, Apuli, Galli, Hiſpani. Pars alia Felici adhærebat, in qua erant Theutonici; Burgundi, Sabaudi, & penè Germania tota. Tertia pars hominum fuit, qui neq.

C

Felicem ſequebantur, neq. Eugenium, ideo Neutrales dicti, exiſtimantes viam hanc tutiorem, ſi duobus de Papatu contendentibus, neutrum obſeruent. *Trithemius in Chron. Hirſaug.*

Mortuo Eugenio, Nicolaus Cardinalatus inſignia Sbigneo miſit; & iſte recepit. Hinc occaſio diſſidii in Polonorum comitiis, Petricouiæ habitis à Rege Caſimiro, Sal. Anno 1449. teſte Bzouio, n. 11. Eliſabetha namq. Alberti Cæſaris filia, nuptui data Regi Caſimiro; diſſenſere Archiepiſcopus Gneſnenſis & Primas, ac Sbigneus Cardinalis, quis eorum Adminiſtrator futurus ritus coniugalis? inſuper ne Vladiſlaus Gneſnenſis Archiepiſcop. locum Principem Cardinali cederet in comitiis; cum Polonorum proceribus indignatus diſceſſit: ad minorem Poloniam, purpuram ſuiſse tranſmiſsam, quæ apud eos etiam ſi Diaconalis ſolummodò eſset, Epiſcopum pręcedit Archiepiſcopum, & Patriarcham. Celebrauit tamen comitia Rex, Polonis abſentibus & poſcentibus locum dari ſuo Archiepiſcopo. Quod Rex negauit, voluntatem excuſans Summi Pontificis, cui reclamandum non erat. Nè quo tandem impedimento, Reipublicæ contentio foret; exoratus

Sbigneus Cardinalis Petricouia diſceſſit; Archiepiſcopo quoque ſecedenre; adminiſtratione ritus nuptiarum, Ioanni Capiſtrano Minoritę, tunc temporis Cracouię degenti, facundia, Sanctitate, miraculis claro comiſsa. Sbigneus namq. religioſiſſimus à faſtu alienus cauſam procurabat communem, pupillorum, pauperum patrocinio intentus, quibus bona ſua teſtamento legauit, præteritis Conſanguineis. Plura eccleſijs diſtribuit & Monaſteriis. Sandomirię quieuit, poſtquàm omnem ferè Quadrageſimam arctiore abſtinentia peregiſset, ac die Palmarum, publicè Sacris operatus eſset. Annos duos ſupra 30. Epiſcopatum rexit: Vixit 66. Die 1. Aprilis 1445. A vitam reliquit: die verò 20. Iunii, 1445. eius obitus Romæ nunciatur.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Victorellus, Vghellus Damaleuicz *De Ep. Cracouien.* Cromerus. Staniſlaus Reſcius *Hiſtor.* Vvadingus.

31. *Laudent Deum in cordis, & organo.* Pſal. 150.



ANtonius Martini de Claubus, Luſitanus, Hiſpanus Elborenſis Decanus, poſtea Epiſcopus Portugallenſis, tandem B Presbyter Cardinal. tit. *S. Chryſogoni*, Romæ obijt in die 11. Menſis Iulii, An. 1447. ſepultus in Baſilica S. Ioannis Lateraunenſis, eum hoc epitaphio.

*Sepulchrum D. Antonij Cardinalis Portugallenſis, qui obijt Romæ, die XI. Menſis Iulij. An. à natiuitate D.* 1447. *Cuius Anima requieſcat in pace. Amen.*

In Baſilica Lateranenſi, ęre ſuo, organùm extruxit nobiliſſimum; eidemque Baſilicæ, eiuſque Canonicis donaui Caſale Trigore, redditus annui, C trium millium aureorum; teſte *Raſpono lib. 2. de Baſil. Lateran.*

Ciaconius, Auberij, Panuinius, Spondanus, Balth. Porregnus. *elog. Card. Hiſpan.*

32. *Pater eram pauperum.* Iob. 29.



PEtrus Schoumbergus Diæceſ. Herbipol. in Franconia, vir eloquens & pius, litteris magna laude eum incubuiſſet D Bononiæ, Canonicatum ſubijt Herbipolenſem, & Bambergenſem, poſtea coſerente Martino V. Epiſcopatum Auguſtanum. Baſileenſi interſuit Concilio, Friderico III. Imperatori intimus, & à ſecretis, ab eo in Gallias legatus, Gallos Anglos Burgundos compoſuit. Pacem etiam conciliauit inter Principes, & Bauariæ duces. Ab Eugenio IV. An. 1439. in Florentino Concilio, P. C. dictus titulum & galerum *S. Vitalis tit. Veſtinæ* accepit ſolummodò, Anno Iubilęi, à Nicolao V. cum Romam veniſſet. Obijt dierum plenus, ſenio confectus in arce Dilingę, die 12. April. 1469. monumentis pietatis, charitatis in pauperes vbique relictis. Cadauer Auguſtam tranſlatum, iacet ante aram S. Victoris, ſepulchro marmoreo, quod ab hæreticis conuulſum.

Inſcriptio.

*Petrus eram Scaumberg quondam de ſtirpe creatus*
*Pilea rubra tuli, quę mihi Roma dedit.*
*Cardineos titulos S. Vitalis habebam,*
*Vindelicam rexi Præſul hic eccleſiam.*
*Quadraginta & quinque illic præſedimus Annis,*
*Cardineos titulos geſſimus octodecim.*

Inſcriptionem hanc vti adulterinam reijcit Auberij, oblatam à Bruſchio *in catalogo Ep. Auguſtan.* Si enim ex eodem Bruſchio inter Cardinales cooptatur Sal. An. 1439. & vitam produxit ad Annum 1469. non octodecim, ſed 30. Annorum ſpatio purpuram geſſit Cardinalitiam.

Ciaconius, Vghellus, Spondanus, Panuinius, Auberij; Contelorius.

33. *Effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelſo principi.* Ezech. 50.



DIonyſius Zecchus, Agrienſis Hungarus, Archiep. Strigonienſis, Presb. Card. tit. *S. Cyriaci in Thermis* creatus ab Eugenio IV. Anno 1439. in Florentino Concilio, Legatus de latere ad coronandum Ladiſlaũ Hungarorum Regem, pacemq. incundam cum Regni proceribus, ſorte felici, omnia compleuit. Studioſus Architecturæ, palatium inceptum à Nicolao Capuano, Romæ, prope Eccleſiam S. Mariæ in Via Lata, perfecit. Eccleſiaſtici cultus promotor, viuens Eccleſiis multa donauit, morti proximus, Eccleſiæ principi Strigonienſi, octo aureorum millia legauit, & ſoluit teſtator & ſui teſtamenti executor.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Contelorius.

34. Se-

34. *Sępe propoſui venire ad vos & prohibitus ſum vſq. adhuc, vt aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in cæteris gentibus. Græcis ac Barbaris ſapientibus & inſipientibus debitor ſum: ita quod in me promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis Euangelizare.* 1. Rom.



IOannes à Turrecremata, oppido oriundus Hiſpaniæ, diæceſis Palentinæ ex patre Aluaro Fernandez, dicunt alii. Garzia; adoleſcens teſſeram ſumpſit S. Dominici, in cænobio S. Pauli Valliſoletano, ſtudiiſq. deditus excurrit, vel potiùs volauit, omnem voluptatem quaſi ad libidinem in lectione expertus Philoſophica: qua abſoluta, Pariſiis, Theologiæ & Iuri Pontificio incubuit, vt breui Magiſterium condiſcipulis poſt ſe relictis, adeptus, in Hiſpania docuerit; ac poſt Prioratus S. Pauli Valliſoleti, & S. Petri Mar. Toletani, in quibus gradum ita direxit, vt venerationem potiùs exegerit, quàm obedientiam; tota Hiſpania eius afflante innocentiæ & virtuti; ob exantlatos labores, tam contra Sciſmaticos, quàm contra Pſeudopontifices, Romam ad Magiſterium euocatus Sacri Palatii, ab Eugenio IV. inde Baſileam miſſus ad diſſipandum Conciliabulum, fidemq. tutandam contra Huſſitas, vnà cum Nicolao Albergato (teſte *Sigonio in vita Albergati*) Ferrariam, inde & Florentiam aſcitus ad Cōcilium Æcumenicum, multa pro reconciliatione Eccleſiæ Græcæ cum Latina egit & ſcripſit, ſuaq. admiranda doctrina, vitæ integritate, conſtantia, zelo propagandæ veritatis aditum ſibi parauit ad purpuram Presbyteralem *tit. S. Sixti*, poſtea *tit. Callixti*, eam conferente Eugenio IV. promotione tertia, Anno 1439. Cardinalis factus inſtitutum, aut viuendi rationem non mutauit. Eadem ei omninò parſimonia, veſtitus, ieiunia, preces, vigiliæ, orandi frequentia, ſacrificandi conſuetudo, ſtudiorum aſſiduitas, rigor diſciplinæ, conſtantia, libertas in tutela Fidei, & veritatis, vnde *Defenſorem Fidei* viuentem omnes appellarent. Cognitio namq. profunda, Iuris Pontificij ſolida doctrina, ingenium acre, labor Hiſpanus, in differendo ius incomparabilis, in propugnanda iuſtitia robur animi infractum, maximarum ornamenta virtutum, æterni nominis gloriam ei perpeterunt. Templum SS. Virginis ad Mineruam reſtudine ornauit, primumq. Cænobii impluuium (quod Clauſtrum vocant) à fundamentis erexit, Bibliothecam ingentem vndiquecconquiſitis libris condidit; adductiſque ex Congregatione Lombardiæ fratribus, ad exactam viuendi normam cænobitas reuocauit. Romanis Virginibus in matrimonium collocandis viuens annuas pecunias erogauit, & pro ſucceſſoribus in perpetuum cenſus attribuit; vtque res fideliter ageretur, Confraternitatem ſub inuocatione Virginis Annuntiatæ inſtituit pro Virginibus elocandis. Sacellum eidem Deiparæ ornauit, ditauit; Summiſque Pontificibus tam pium inſtitutum commendauit, vt illi Romæ annuatim die Annuntiationi ſacro, ſolemniſſimo cultu, quando ad ineundam Baſilicæ Lateranenſis poſſeſſionem Papa inter fauſtas populi acclamationes procedit, Palatina comitante familia, Nobilibus Romanis, Oratoribus Principum, ad Mineruæ Baſilicam Papa deſcendit, ſacrum audit, quo peracto, adductis ad oſcula pedum Matronis cum virginibus elocandis, dotem ſacculo diſtribuit incluſam: Nupturis nempè ſcuta centum, Monialibus ducenta. Nec minùs ducentis annuatim elocantur. In ſacratio propterea eiuſdem Baſilicæ, carmina leguntur ſequentia ab
A eodem Ioanne Cardinali compoſita.

*Ne malè patrandis ſtupris quòd auara merendo*
*Forma puellaris ſæpè coegit inops.*
*Annua pauperibus ſtips eſt hic penſa viritim.*
*Doſque maritandis condita Virginibus.*
*Munus & officium ſancti celebrate Quirites,*
*Cum vicena venit Martia quinta dies.*
*Terreſtri vt cenſu Cæleſtia regna paretis,*
*Pollicita, & vobis centupla meſſis erit.*

Cardinalis creatus in Florentino Concilio, pro
B eo, nullo Principum intercedente, neq. Pontificis affinitate lænocinante, ſed ſola ſuffragante virtute, legatus abiit Anno 1440. ad Carolum Francorum Regem, contra Amedæum Sabàudum Antipapam nomine Felicis V. tantum valuit, quòd Rex etſi Felicis conſanguineus, Amedæo reiecto, in obedientia Eugenii perſeuerare voluerit. Plura ſcripſit Ioannes in Hiſpania, quæ [teſte *Guido Panzirolo pag.* 463. *De claris legum Interpret.*] Patauii aſſeruantur in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis; Romæ Gratiani decretum ab Anno 1449. per Annos 25. feliciter interpretatus, *Commentarium* hoc ſenex edidit, priùs Nicolao V. R. P. illud corrigendum tradidit;
C mox eo defuncto, Calliſto III. inſcripſit. Intra eius opera, defenſio enituit pro Eugenio IV. contra Baſileenſes, cuius initium: *Diſſimulare non poſſumus &c.* Eius laudes ſcripta commemorant.

*In Gratianum Volumina* 4.

*Adnotationes, cenſura ad Reuelationes S. Brigittæ*, quas à Spiritu Sancto emanatas affirmauit.

*De Pænitentia. De Conciliis.*
*De Concilio Florentino.*
*De Conſecratione.*
*De Conceptione Domini lib.* 3.
*In Regulam S. Brigittæ.*
D *De Corpore Chriſti contra Boemos.*
*De Aqua luſtrali.*
*De Animæ Salute.*
*Contra Iſmaelitas.*
*Meditationes in vitam Chriſti.*
*De Vnitate Græcorum.*
*Summam Eccleſię. lib.* 6.
*In Regulam S. Benedicti.*
*De Auctoritate Eccleſiæ Romanæ.*
*In Pſalmos Dauidis.*

*Sermones de Tempore. De Sanctis, De concepta Deipara.*

*Ad Decretum Florentini Concilij. De Sacramentis,*

*Opus magnum contra eos, qui Hebreos baptizatos arcebant ab Eccleſia: teſte* Antonio Senenſi.

*Alia quadam.*

*Quaſtiones in totius Anni Euangelia,*

Toſtati Theſes quaſdam Theologicas impugnauit: *cui Toſtatus oppoſuit* Defenſorium *ſuum, arbitrio ſe ſubyciens Romani Pontificis, vt ſe non minùs Catholicum oſtenderet, quàm eruditum,*

Tres Hæreticorum Principes in aula Regis Boſnæ potentes, vinctos ad Rom. Pootificem in fide inſtruxit, quorum duo obiere Catholici: tertius ad vomitum rediens, ad Stephanum Boſnæ ducem, perfidiæ ſocium confugit, Vixit ſub Eugenio IV. Nicolao V. Pio II. à quo Ep. C. *Sabinus*, imò & Legionenſis Epiſcopus; cuius tamen poſſeſſionem Henricus Caſtellæ Rex negauit; propter quod grauiſſima iurgia inter Regem & Pontificem emerſerunt Monaſterium adminiſtrauit Sublacenſe, in quo, magno apparatu, Pium II. Papam hoſpitio excepit. Vitam produxit ad Annum 1468. octuagenarius, Romæ ſepultus in templo S. Mariæ ad Mineruam, in Sacello, quod viuens ſibi coodiderat, dotaueratque marmoreo ſepulchro cum inſcriptione ſequenti.

*Hic quieſcit D. Io: de Turrecremata, natione Hiſpanus, Ep. Sabinus S. R. E. Cardinalis S. Sixti, qui obyt XXVI, Septemb. An. Domini 1468. Requieſcat in pace.*

Aliud Epitaphium ibidem,

*F. Io: Hiſpano Valliſoletano, ex vetere, pura, nobiliq, familia de Turrecremata, Ord. Pradicatorum, S. R. E. Cardin. Ep. Sabinenſi, pietate ac doctrina clariſſimo, multis legationibus egregie functo, B. Virginis Annuntiata Sodalitas Auctori ſuo poſuit. Obyt Roma, VI. Cal. Octob, An. Dom. 1468. Ætatis verò ſua, 80.*

Ciacon. Panuinius. Vgbellus, Auberij, Anton, Sanderus *in Elog. Card.* Porregnus *Elog. Card. Hiſpan.* Garimbertus. Lauren. Schroder. *de Monum. Italię*, Marrae. *biblioth. Marian.* Spondanus. Brietius.

35. *Nunquid mortuis facies mirabilia? aut Medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi,*
Pſal. 87.



LVdouicus Media Rota, ſeù Scarãpus Patauinus obſcuris prognatus oatalibus, geſtis tamen clariſſimus. *Media Rota* appellatur ex Matris familia ſumpto cognomine: ille enim ex *Arena* familia prodierat: ſi Portinario fides, Medicæ facultatis ſtudijs, & Phyſicis imbutus diſciplinis in patria ſua, Romam petiit, vbi cum vidiſſet plus arma, quàm togam valere armorum incubuit diſciplinæ ſub In: Vitelleſcho, cuius factus æmulus tantum promeruit, vt poſt multa præclarè geſta, in demortui Io: Vitelleſchi locum, copiis a Pontifice præficereretur vniuerſis, cum quibus auxiliaris accurrens Reipublicæ Florentinæ aduersùs Piceninum Philippi Mediolanenſis præfectum Hetruriam vaſtantem, apud Anglare Florentinorum oppidum conſertis manibus, vi & aſtu Piceninum magnum, & alioquin inuictum ducem fugauit eodemque tempore Sedem liberauit Apoſtolicam à maxima calamitate, Pontificem à periculo, vrbem è metu, ciues, oppida, agros à populatione, bellorumque pernicie. Victoria hæc licet SS. Apoſtolis
A Petro & Paulu adſcribenda potiùs, quàm Scarampi induſtriæ; gratus tamen Eugenius, qui Ludouicum ex Epiſcopo Traguriensi Archiepiſcopum Florentinum promouerat Anno 1438. die 7. Cal. Septemb. noua promotione eumdem Ludouicum inter Cardinales Presbyteros aſsũpſit tit. *S. Laurentij in Damaſo*, Cardinalium creatione quarta ſacta X. Cal. Iulii, An. 1440. quo tẽpore Scarampus Florentino ſe abdicauit Archiepiſcopatu, in gratiam Bartholomæi Zabarellæ, cum priùs Archiepiſcopus Floreotinus Concilio ſuſcripſiſſet io quo Gręca cum Latina conſenſit Eccleſia, Commutauit autem Florentinum Archiepiſcopatum cum Patriarchatu Aquileienſi;
B & primus fuit, qui è Veneta gente Patriarchatum illum poſſideret. Ea Ludouici auctoritas apud Eugenium, vt iſte nil publicè, vel priuatim ageret inconſulto Ludouico, cui ob ſingulare ingenium ſumma Pontificatus, rerumque omnium cura tradita fuerat, inuidentibus & muſſitantibus Palatinis, qui vt ei obicem darent, Eugenio Pontifici ſuaſerunt nepotem inter Cardinales aſſumere Petrum Barbum, quem vnà cum Ludouico, eadem die creauit Diaconum Card inalem *S. Maria Noue*; ſed ſecundo loco nominauit dicens: *ſe duos Cardinales creaſſe, alterum meritorum gratia, alterum conſanguinitatis affectu*, Tantus fauor iu inuidiam ceſſit; vt Romæ mulioni-
C bus in prouerbium venerit, dum mulos agerent. *Eia Villanus, ſi eſſes Paduanus, fieres Papa, aut Caſtellanus*, Ex hoc etiam tanta ſimultas inter hos duos Cardinales Scarampum, & Barbum orta eſt; vt in Romana Curia nunquàm maiori odio certatum ſit; ęgrè ferente Barbo, primum ſibi locum apud Pontificem ſurripi, & ſibi ex ſorore nepoti, ac Veneto patritio hominem alienigenam, & obſcurum genere, apertè præferri. Sub Calliſto III. in Panooniam aduersùs Turcas legatus, collaris ad Belgradum ſignis, vnà cum Ioanne Capiſtrano, inſignem reportauit victoriam; oſtenditque nouos homines, & infimæ ſortis poſſe aliquando cum inſignibus nobili-
D tate viris de virtute certare, exq. medica facultate, quam ille colebat, egregios prodire Duces, qui & mederi vulneribus, & quando opus eſſet, infligere non ignorarent. Conſtantinopolim etiam nauigaſſe, receptis nonnullis Ægei inſulis, Romam rediiſſe teſtatur Card. Papienſis *in Commentar.* Pius enim II. qui Calliſto ſucceſſerat, inteſtinis Italiæ motibus, & ſubditorum ſeditionibus agitatus longinqua proſpicere prohibebatur. Romam igitur Ludouicus rediit Rhodo, cæteriſque Chriſti cultoribus in Orien-

Orieute, diſcrimini expoſitis ] à Pio II. ac Cardinalium Senatu, ſummo honore ſuſceptus, laudatuſque. Certarunt porrò in eo virtutes & vitia, & hæc forſan præualuerunt. Is enim primus, qui ex Ordine Eccleſiaſtico, & Purpureo canes aleret, & equos, magnam familiam, pretioſa ſuppellectilia, lautitiarum cultum in curiam inuexit Romanam, teſte *Genebrardo in Chronol.* & Volaterrano *in Anthropol.* præcipuè eo tempore, quo Mahumetes Turcarum Rex rem gereret in Græcia. Hinc ab aulicis Cardinalis *Lucullus* appellatus, quia teſte *Garimberto lib. 6. pag. 509.* ludis & commeſſationibus vitam traduceret, graui Chriſtianorum ſcandalo. Alearum, & taxillorum ludo deditus, vnica nocte cum Alphonſo, ludendo, Neapolitano Rege, octo amiſit ducatorum millia; grandem pecuniam, ſi ſęcula reſpicias præterita. Excelſu porrò animi, Campum Floræ Romæ neglectum, & in equorum paſcua redactum, lapidibus ſtrauit; ornauitque ædes iuxta Baſilicam S. Laurentij, ſumptuque maximo inſtruxit. In Sabello vetuſtiſſimi nominis oppido, monaſterium, quod Honorius III. de gente Sabella ibi ędificauerat, penè funditus dirutum magna inſtaurauit impenſa, ductus reſtituit aquarum, & demortuę Vrbi, oppidi faciem reſtituit. *Vtinam tam religioſi animi, quàm ad ſucularia vigilis*, ſcriptum reliquit Card. Papien. *lib. 2. Commentar.* Patauij, in Muſęo Aloyſij Coradini, nummiſma erat Ludouici Patriarchæ Aquileięnſis, cuius in altera parte imago Ludouici ſub epigraphe *L. Aquileienſium Patriarcha Eccleſiam reſtituit.* In altera Templum, Milites cum epigraphe in parte Superiori, *Eccleſia reſtituta:* in parte inferiori, *Ex Alto.* Effigiem è latebris antiquitatis erutam exhibuit Iacob. Philip. Tomaſinus *in elog. vir. illuſtrium, pag. 12.* delineatam olim manu excellentis pictoris Andreę Mantineę: vnà cum ſciagraphia nummiſmatis ſupra deſcripti. In Accademia etiam Noua, quam *Delliam* vocant, erecta An. ↄIc. Iↄc. VIII. pro equitibus Patauinis, ea in parte ciuitatis, quæ *Cittadella* dicitur prope Eccleſiam S. Michaelis, auſpice Antonio Frigimelica, effictus cernitur *Mediarota*, eidemque ſequens poſitum elogium.

*Ludouicus ab Arena Mediarota.*

*Pietate, an armis inſignior? neſcias: etenim ſub Eug. IV. P. M. copijs ſumma cum auctoritate præpoſitus, Florentinis ſuppetias ferens, Picininū magni nominis ducem, Hetrariam deuaſtantem, poſt pugnam ancipiti Marte, quinque horas acriter vtrinque commiſſam, tandem victoria potitus, ad Ducem Mediolani, cuius partes tuebatur, debellatum ac fractum remiſit. Ob id inter Cardinales cooptatus, Eccleſiæ Cancel. efficitur. Pluribus vijs Romæ ſtratis, Eccleſijs in priſtinum reſtitutis, Aquaductibus inſtauratis, tanto ſplendore & magnificentia Cardinalatus dignitatem auxit, vt declarauerit Cardinales iure inter Principes eſſe connumerandos. Ad Aquileię Patriarchatum promotus, à Venetiarum Principe, Veneta nobilitate donatus, armis Toga ſuperimpoſitis* Callixto III. *itidem Pontifici obtemperans, Turcas circa Belgradum inuadens formidabili prælio diſiecit, diſperſit, & Conſtantinopolim aduolare coegit. Quum præſto eſſet Rhodijs, numeroſam Turcarum claſſem paucis nauibus fulminis in morem protriuit, ac demerſit. Pluribus Ægei inſulis hoſti Orientali ademptis, alijs egregię virtutis experimentis editis, tot patratis facinoribus, tot inſignitus victorijs, terra marique partis, Magno Pompeio non inferior, incredibili omnium applauſu, & acclamatione Romam victor ingreditur, moritur non moriturus. M.CCCC. LX. Tanti viri memorię ergo.*

Is omnium primus ex Veneta gente Aquileienſe ſolium conſcendit, Venetiſque ad id faſtigium, oſtium aperuit, quamuis Venetos aduerſarios paſ-
A ſus, qui cum Patriarchis Aquileienſibus Ludouici anteceſſoribus grauiſſima bella geſſiſſent, eoſque Sede expuliſſent graui indignatione Baſileenſis Concilij, cum Eugenio IV. tandem conuenerant, eique promiſerant, priſtina iura Patriarchæ reſtituturi, ſi virum amicum nacti eſſent: hinc de fide Ludouici noui Patriarchæ dubia Reſpublica ob inquietos Ludouici ſpiritus, obluctari cæpit, demulcita tamen litteris Eugenij IV. datis ad Foſcarum Venetorum Principem, III. Idus Mar. Florentiæ, Anno X. Pontif. quas legere eſt apud Vghellum *to. 5. Italia Sacra p.* 135. cum Patriarcha mitiùs agendum putauit, & concordiæ cupida ad fœdus inuita-
B uit perpetuum, ſaluis tamen Capitulorum iuribus, vt ex litteris *Foſcari ad Matthæum Victorem Locumtenentem Fori Iulij, ibid. p.* 140. Erga Venetam Rempublicam obſeruantiſſimum fuiſſe Ludouicum, priuilegia teſtantur & beneficia ei collata. Patritius namque Venetus dictus, publico munitus ſtipendio vſque ad vltimam ſenectutem peruenit, Paulus II. hoſtis perpetuus Ludouici, vt ſimultatem tegeret, *Albanum* creauit Epiſcopum Anno 1464. ſub quo Romæ deceſſit Sexto Cal. April. 1465. ſepultus apud S. Laurentium in Damaſo, cum ſequenti epitaphio.

C

*Ludouico Mediarotæ.*

*Patauino, Patriarchæ Aquileienſi, Albano, & D. Laur. in Damaſo Cardinali & Cancellario. Quod animi magnitudine & ſingulari præditus prudentia, cum rem Romanam multitudine hoſtium laborantem, Legatus ab Eugenio IV. in ſplendorem priſtinum armis & victorijs vindicaſſet, Nicolaum Picininum apud Angelariam profligaſſet, agrum Picęnum à Franciſci Sfortię dominatu in ditionem Romanę Eccleſiæ recuperaſſet, Turcas ſub Calliſto in naualibus prælijs contudiſſet, domeſticis quoque virtutibus, Conſilio, Grauitate, Continentia, plurimis denique in omnes bonos liberalitatis, ac beneficentiæ monumentis bel-*
D *licas laudes ornatiores reddidiſſet: Henricus Henis Archiep. Tarentinus Pontificis, ſacriq. Senatus à ſecretis, Ærarij Apoſtolici Pręfectus tantę virtutis in lucem reuocandi cauſa, quoque veterem in eum obſeruantiam hoc recenti pietatis officio teſtaretur, hoc illi Monumentum, XL. ab eius morte Anno, ſua pecunia faciendum curauit. Anno Sal. ↄIↄ. Iↄ. V. XII. Cal. April. Vixit Annos LXXIII. Menſes IV. Dies VIII.*

Poſt eius obitum [ vt legitur *in M. S. Gaſparis Veronen. in Bibliotheca Franc. Barberini* ] Paulus II. P. R.

diui-

diuitiatum fama excitus (poſthabiris namque retrarum Principibus, mortalium penè omnium Italorum ditiſſimus habebatur Ludouicus) vindictæque cupidus, quòd ab eo veneno tentatus fuiſset, viuente Eugenio IV. Teſtamenti Scarambi executionem ſuſpendit. Vltra ducenta aureorum millia in aſſe numerabantur hæreditario inſtituris Ludouico, & Nicolao Scarābis nepotibus; ecclesiis particula minima deſignata; ſicut nec viuens pauperibus diſtribuerat. Nepotes itaque carceri dari cum anfugiſſet in Caſtellum Nouum decimo ab Vrbe lapideni, arctiuſdetenti, & cuſtoditi, facultates coacti ſunt pandere hæreditarias, auctoribus Antonio Eugubino Fi- A
ſci Procuratore, & Falcone Sinibaldo Clerico Cameræ Apoſtolicæ, conſentientibus Florentinis, ad quos theſaurum tranſmiſerat Ludouicus, quem Romam tranſlatum Papa ita diſtribuit. Legata pia penè adimpleuit: familię Cardinalis ſeptem millia Aureorum diſtribuit. Inopibus, Virginibuſque locandis portionem impertiit. Portionem non paruam bello aſſignauit in Turcas: Nepotibus Scarambis abundè conſuluit vt lęti recederent, cum nil ſe aſſecuturos credidiſſent. Breui tamen, rerum ſuarum prodigi, deuorato tam grandi patrimonio, prædia diſtraxerunt. Arenam ipſam vetuſtiſſimi amphiteatri nomen, à quo & ipſi cognomen acceperant, B
vendiderunt; nouas ædes extruere meditante in vico Viuedio; vbi cum ad prima lacunaria deueniſſent, pecunia deficiente, opus deſeruere imperfectum: quod poſtea ad Fratres peruenit S. Franciſci: ædes verò ad Xenodochium Infirmorum.

De eo lege Scardeonium *lib.* 2. *claſſ.* 6. *Antiquit. Patauin.* Vollaterranum *lib.* 22. *Anthrop.* Angelum Portinarium *lib....c.*7. Garimbertum: & Philip. Thomaſinum *in elog.* Ciaconium; Card. Papien. *l.* 2. *Com.* Vghellum in *Patriar. Aquil.*

Scripſit mira quadam eruditione refertas *epiſtolas* inſcriptas Franciſco Barbaro compatri ſuo, quę (teſte Thomaſino) aſſeruabantur in Bibliotheca Lau- C
rentii Pignorii. Viſuntur adhuc eius ſtemmata, Patauij, in fronte ęcclesiæ S. Luciæ, & in domibus Xenodochij, S. Franciſci. Effigiem nobis extribuit Thomaſinus *p.* 12. in elog. Vir. Illuſtrium.

36. *Ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum; quem expaueſcens Tobias clamauit voce magna dicens: Domine inuadit me.* 6. *Tobię.* 2.

ALphonſus Brogia Presb. C. tit. *SS. Quatuor Coronatorum* ſolus promotus ab Eug. IV. in quinta Cardinalium creatione, Anno 1444. die 4. Idus Iulii. Papa futurus nomine *Callixti III.* in omnibus periculis vitæ ſuæ, præcipue cum bellum D
meditaretur in Turcas, alter Tobias clypeo ſe armauit orationis.

37. *Sic inuicem mordetis, & comedetis; videte, ne abinuicem conſumemini.* 5. Galat.

THomas Lucanus Ligur, Ep. Bononien. Presb. Cardinalis tit. *S. Suſannæ* promotus ab Eugenio IV. in ſexta Card. creatione, Anno 1446. die 17. Cal. Ian. Demum *Nicolaus Papa V.* Concordiæ ſollicitus Chriſtianę, Principes excitando in Turcas, Pauli vtebatur adagio; *Sic inuicem mordetis, & comeditis; videte, ne abinuicem conſumemini.*

38. *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſaculum ſaculi.* 2. Cor. 9.



HEnricus de S. Alloſio Mediolanenſis, vel Derthonenſis, ex familia Rampina, Franciſci filius, patriæ creatus Epiſcopus 6. Id. Mar. 1413. ſedente Io: XXIII. Derthonenſibus præfuit vſque ad Annum 1437. deinde ad Papienſem tranſlatus Epiſcopatum, poſtea Archiep. Mediolanenſis, tandem ab Eugenio IV. Anno 1446. promotione Cardinalium ſexta, dictus Presbyter Card. tit. *S. Clementis*, Mediolanenſi plebi fame laboranti non exiguam vim argenti dono miſit, familiam ſpolians, vt opem ferret gregi laboranti. *Ex Catal. Eccleſ. Mediolan. par.* 7. *Act. Eccleſ. Mediolan.* Vitam poſuit ætatis ſuę Anno 60. Salutis 1450. die 4. Iulij: ſepultus apud S. Clementem, cum inſcriptione ſequenti.

*Heu Deus, heu lumen tibi nunc domus inclyta ſancto*
*De Alloſio perijt tuus ipſe colendus Henricus* B
*Hac requieſcit humo, primùm qui tempore longo*
*Præſul in vrbe fuit Terdonæ, dehinc qui Papia*
*Poſt Mediolani ſacer Archiepiſcopus inde*
*Pro virtute ſua rubeo fuit ecce galero*
*Per Papam Eugenium donatus in ordine Quartum.*
*Hic pius, hic ſapiens, hic iuſtus, caſtus, honeſtus*
*Seruorumque Dei protector in omnibus ardens*
*Hic teſtamentum renuit ſibi condere dicens:*
*Cuncta fore Eccleſię, ſe cuncta relinquere Chriſto*
*Qui dedit, ac tandem cum ſexaginta ſubiſſet*
*Annorum ætatem, Iubilæi tempore Sancti*
*Mille quadrigentis, & quinquaginta ſub Annis*
*Atq. die quarta Iulij, deuotus, & almus* C
*Spiritus ille ſuus felix ſupra aſtra volauit.*

Vtinam exemplar Henrici in exemplum tranſiret Purpuratis, qui Eccleſiatum redditus ad exaltandos affines congerunt, & conſanguineos.

Ciacon. Panuin. Vghel. Petrus Galeſinus. Franc. Renzolus *in Archiep. Mediolan.*, Ioannes de Deis *de Succeſſorib. S. Barnabæ.*

39. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Pſal. 4.



IOannes Siculus Meſſanenſis Monachus Congregationis S. Iuſtinæ de Padua, & Abbas S. Pauli extra muros Vrbis, pacē eo ardore procurauit inter Alphonſum Regem Arragoniæ, & Renatum Ducem Andegauenſem firmare, vt Eugenius IV. Ioannis cognito ſtudio, in procuranda Italiæ pace, Presbyterum Card. dixerit tit. S. Sabinæ, promotione ſexta, Anno 1446. Breui tamen munera

ra abſoluit & vitam itinerum labore confractam. Die 21. Ianuarii 1449. Neapoli, vita exceſſit, apud Benedictinos ſepultus in eccleſia S. Seuerini, communi Monachorum ſepulchro. Ciaconius, Panuinius, Aubetii, Contelorius.

## Diaconi Cardinales.

40. *Non eſt diſtinctio Iudai & Graci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum*. Rom. 10.



ALbertus de Albertis Florentinus nobilis natu, Metropolitanæ Canonicus ac Pro- A
tonotarius Apoſtolicus ab Eugenio IV. electus Anno 1437. die 28. Iunii, Epiſcopus Camerinenſis, vir litteris apprimè exculrus, raraque in rebus tractandis dexteritate præclarus. Florentino in Concilio cum operam non impendiſſet vulgarem pro vnione Eccleſiæ Grecæ cum Latina; percuperetque Eugenius Florentinos, à quibus hoſpitio exceptus fuerat ſplendidiſſimo promouere; ex multis, qui Florentiæ digni erant purpura Senatoria, vnum Albertum de Albertis Cardinalem creauit Diaconum *S. Euſtachy*, Anno 1439. B
acclamantibus non modò ciuibus, ſed ijs omnibus, quibus candor morum, ac pietas cordi erat. Ab eodem Eugenio Legatus ad Alphonſum Regem Arragoniæ, vt inter eum, & Renatum Andegauenſem fœdus manſuræ pacis percuteret; omnem mouit lapidem ad reconciliandos Reges inimicos: quamuis regni libido vterq. promitteret, vt ſpetie religionis, & ſacramenti, ſecuriùs falleret. Aleam felicitatis tamẽ expertus mortalẽ, quæ in hoc rerũ curſu sẽper inſtabilis, morte præripitur immatura apud Criptã Ferratam, 3. Idus Aug. 1445. poſtquàm Annis octo Camerinam adminiſtraſset Eccleſiam. Defuncti corporis pars in Baſilica Lateranenſi humum ſubiit, C
prope ſacellum D. Hilario ſactum cum ẽpitaphio.

*Hoc in tumulo ſepulta eſt pars corporis RR. in Chriſto Patris, ac D. Alberti de Albertis, de ciuitate Florentina, S. R. E. tit. S. Euſtachy Diaconi Cardinalis: Qui obyt in Abbatia Crypte Ferrate, tempore D. Eugeny Papa IV. Anno Dom. MCD. XXXXV. die III. Men. Aug.*

Pars altera & quidem potior Florentiam delata, ſepulta fuit ante Sacellum Templi S. Crucis, quod gens Albertia olim munificentiſſimè conſtruxit, in ſuorum maiorum ſepulchro, quod à ſuis gentilibus reſtauratum in pauimento, exculpto hoc epitaphio.

*Alberto Albertio Ep. Camertino, ab Eug. IV. Pontif. Max. in Concilio Florentino ex lectiſſimis Chriſtiana Rei- D
publica viris in Collegium Cardinalium cooptato facti fœderis ſub Vladislao Polonia, & Vngaria Rege Latina claſſi Præfecto Roman. Apoſtolice dignitatis ſtudioſiſs. propugnator: Albertij gentilis optimè merito, mon. reſtituere An. Sal. M.D.LXXIII. Obyt 3. Id. Aug. M.CCCCXLV.*

Ciaconius, Auberii, Raſpon. *de Baſil. Lateran.* Vghellus, Scipio Amirat. *Hiſtor. Florent.*

41. *Fiat pax in virtute tua, eſt abundantia in turribus tuis.* 121. Pſal. 7.

PEtrus Barbus nepos ex ſorore Eug. IV. Protonotarius Apoſtol. electus Ep. Ceruienſis Diac. Card. *S. Maria Noua* promotus ab Eugenio IV. quarta Cardinalium creatione, An. 1440. poſtea Presb. tit. *S. Marci*. Papa futurus nomine *Pauli II.* iuſtitiam coluit, & abundantiam procurauit.

42. *Exijt Ionathas & perambulabat trans flumen ciuitatis & congregatus & ad eum omnis exercitus Syria in auxilium: & venit Aſcalonem, & occurrerunt ei honorifice.* 1. Macc. 11. n. 60.



IOannes Carauaialius Hiſpanus, I. V. Doctor, in caſtello Trugello, nobili ortus genere, cum ſplendore natalium doctrinam iunxit, præcipuè Iuriſprudentiam ciuilem & ſacram, qua per Orbem Chriſtianum mirè refulſit, præcipuè in ea Rota, qua totus voluitur axis, & vrbis gubernatione, quæ Orbi præualet vniuerſo. Ex pluribus legatiobibus, quas pro Romana ſubiit Eccleſia; præcipua fuit ſub Eugenio IV. P. M. ad Germanos, plena periculis, concordię gratia; duos enim Electores Imperii, Colonienſem, & Treuirenſem Eugenius gradu deiecerat. Suadente itaq. Friderico Imperatore, legationem Pontifex decreuit honorificam *Thomæ Lucani* [futurus iſte Nicolaus V.] *Io: Caruaialis* Epiſcopi Leodienſis, & Nicolai Cuſani, cum facultate promittendi Concilium liberum in Germania, ſi cęteri Reges conſentirent: Conciliorum auctoritatem, quæ vera, & Canonica in dubium non reuocarent: nationis onera ſubleuanda; Archiepiſcopos Electores excommunicatos promitterent abſoluẽdos, ſi eos ſciſmaris pęniteret pręteriti. His cõditionibus cõcordia reſtituta fęliciter, magna cũ laude prudentiæ cooperantibus Legatis, Thoma pręcipuè Bononienſi Ep. Io: Caruaialio, quibus ob rem bene geſtã redeuntibus Eugenius pileum miſit Cardinalitium vſque ad Portam Flaminiam, teſte S. Antonino 3. *par. tit.* 22. c. 11. §. 17. Diaconus itaque Card. *S. Angeli in foro piſcium* promouit Nicolaum V. à quo in Germaniam legatus ad Fridericum Imperatorem cognomento *Pacificum*, ad quem cum ex vniuerſa Germania confluxiſsent Legati; diſceptatum, quomodo Nicolao Pontifici parendum eſſet? & poſt longam contentionem, receptis quibuſdam Baſileenſis Concilij decretis obedientiã iurarunt Nicolao tanquàm legitimo Pontifici, abiectaque Imperator *Neutralium* factione, Felicem Antipapam deſeri iuſſit; reiecta ab eo oblatione matrimonii cum filia formoſiſſima, & dote aureorum ſupra ducenta millia vt
Anti-

Digitized by Google

Antipapa, hunc in Petri ſucceſſorem agnoſceretur. Romam reuerſus promouit Callixtum III. à quo in Pannonias miſſus, & in omnem Illyricioram, vt bellum promoueret in Turcas, ſexennium iis in locis, ſub Cælo inſalubri, & inter gentes quaſi inhumanas, vitam traduxit in caſtris inter gregarios milites, cum quibus hoſti irruenti obuiam procedens, licet à ſuis quandoq. deſetus ſeipſum nunquàm deſeruit. Frigore oppreſſus quamuis morbum contraxerit lethalem, dentes amiſerit; omnia tamen pro Chriſti fide, æquo alacriq. animo pertulit vir doctrina & ſanctimonia inſignis, vt *magni conſilij Angelus* diceretur. Opera Legationum eius quę (teſte Card. Papien. *ep. 47. lib. 6. Com. lib. 7.*) triginta duæ illi ab Eccleſia fuere, ſalutaria ſemper Eccleſiæ, & vtilia Pontifici pacem componendo, ordinis Purpurei libertatem quibuſdam in locis omiſsam reſtituendo, Pontificii Legati auctoritatem propugnando, bona Reipublicæ procurando, cum multas peragraſset regiones, maxima abſoluiſset negotia nihil pręter caſti Sacerdotii gloriam in ædes intulit priuatas quamuis apud Belgradum ab Vngaris Turcas profligatos vidiſset, Chriſtianorum conſolatione contentus in partem ſpolii, cum ipſe quadraginta millia Cruceſignatorum aduxiſset in ſuppetias. Lege *Vitam Callixti III. p. 97c.* à nobis exaratam. Hoc tempore, vel potius Sal. Anno 1448. Nicolai V. ſecũdo miſſus Ioannes ad Boemos (teſte *Papienſi in fine ſuorum Commentar.*) à Rockijſana in publicam de Fide diſputationem vocatus, ne diſſidere in tanta expectatione Romano Dogmati videretur, aſſenſit. Prior itaque Rockyſana ab his verbis diſputationem exorſus, *Æternum Patris Verbum*; offundente ſtatim Deo magnę menti tenebras, progredi vltra non valuit: reſumenſque iterum, ac tertio ex longis ſemper orationis interuallis idem orationis initium, coactus, ſemper obmutuit, Nemeſi iubente ſuperna, ſtupentibus comitijs, quòd prouocator ob confuſionem diuinitùs immiſſam conſiſteret. Silentium itaq. prouocantis Ioannes Legatus hilari excipiens vultu, ab eodem exorſus principio, *Æternum Patris Verbum*, tanta memoria, atq. facundia perorauit; vt plurimi opus mirati diuinum, errore poſito ad ſanitatem redierint. O bone Ieſu, quàm vera, quàm certa promiſſio tua! *Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Lucæ 21.* Georgius Podebratius cum Ladiſlao optimo Boemiæ Rege ſublato, regnum vſurpaſſet, & primus in thronum hæreſim intuliſſet; hæſitantibus Cardinalibus, an anathemate pulſandus eſſet? quòd ſententiæ nullus appareret executor; Cæſar ad omnia præpoſterus: Poloniæ & Hungariæ Reges domeſticis laborarent diſſidiis; Io: Carauaialius Cardinalis validè exprobans, *Quid humanis omnia metimur iudicijs; non relinquenda magnis in rebus Deo ſunt aliqua? ſi Cæſar non aderit, non Polonus, non Vngarus; ſpondeo, aderit Deus, & conteret caput impium.* Quibus ſuffultus Pontifex, in magno hominum cætu, & marmoreo ſuggeſtu ſententiam promulgauit, qua Georgium regno malè parto priuauit. *Papien. lib. 6. Comment.* Mortuo Callisto III. promouit Pium II. à quo Ioannes tranſlatus ad Preſb. Card. tit. *S. Marcelli*, Expeditione ille in Turcas decreta, Anconam pergens, vbi turmę expiciendæ erant Cruceſignatorum, volens virum præmittere magni conſilii, qui verbo & exemplo milites in Peloponneſum traduceret, Ioannem reſpexit Carauaialium innuens: ò quàm aptus, ò quàm deſideratus, vir optimus. Cui Ioannes licet ætate confectus, laboribuſque pro Dei eccleſia exantlatis attritus reſpondit voce plena ſimul fortitudinis, & humilitatis: *Si is ſum Pie Summe Pontifex, quem tantis rebus idoneum iudices, ſequor ſine mora imperium tuum,*
A *& certè etiam exemplum: qui in fragili valetudine animam pro me, & pro cæteris ouibus tuis ponis: ſcriptum mihi eſt, veni, ecce adſum: imperatur, vt vadam, iam iter ingredior: pars hæc vltima vitæ Chriſto neganda non eſt.* Cum autem Anconam perueniſſet Pius, & magnũ Turcarum exercitum prope Raguſiam conſediſſe intellexit, Ioannem conſuluit, quid agendum, ſi Raguſiam Turcæ obſidione vexent? ſenex optimus ad Dei opus ſemper accinctus, *Ibo ego* (inquit) *hac nocte cum triremibus, quæ in portu ſubſident instructæ; & vel obſidionem, adiuuante Deo, ſoluam: vel territis oppidanis ſpem, atque animum addam.* O fortis conſtantia, ò fortitudo excelſa, quam nec terror expugnat hoſti-
B lis; nec ambitus polluit. Cum leges à Cardinalibus deſcriptas pro bono Eccleſiæ regimine inraſſet Petrus Barbus Cardinalis, confirmaſſet Pontifex dictus Paulus II. (à quo Ioannes promotus fuerat Ep. *Portuenſis, & S. Ruffinæ*) verbo deficiens, de legibus abolendis cæpit vehementer inſtare minis, maledictis, promiſſis. *Nicænum Cardinalem (ſunt verba Papienſis ep. 182.) primæ ſententiæ patrem, fatigatum diu intra cubiculum, moxque inſuperatum egredientem manu retraxit, foribuſque occluſis, eò anguſtiarum adduxit, vt anathema illum pronuntiaret, ſi non ſtatim ſubſcriberet: quin & poſcentibus quibuſdam, vt perlegendi ſemel libelli ante acciperent poteſtatem, grauatè indulgebat: ma-*
C *nu nonnunquam inter ſubſcribendum ſcripturam contegens totam, ne ſcriptorum vanitas appareret. His machinis debilitati Patres ſubſcripſimus omnes partim cupiditate aſſequendorum, quæ volumus; partim metu, ne quotidianæ indignationis ſuę ſuſtineamus flagella. Fateor, molles fuimus, delicati, ac noſtrimet nimium cupidi. Reſpeximus non quæ Dei, ſed quæ carnis & ſæculi ſunt. Sulus Io: Carauaial genere Hiſpanus, ætate grandæuus, meritis magnus conſtantiæ laudem inuenit, turpitudinem hanc eſt deprecatus, ne vllis tentamentis ingenioſi poſtulantis, propoſito dimoueri eſt paſſus; ad ſingulas colluctationes ſic excuſauit: Quod iuuenis non commiſi, non committam ſenex, vt me recti pæniteat. Tibi propter has leges moleſtus non ero;*
D *tantum ſinito, dignitatis & conſcientiæ me rationem habere. Vir profectò dignus non qui nobiſcum ſedeat; ſed qui præſideat ad conſilium Sedis Romanæ.* Romæ cum fuit Cardinalis, nunquàm à Senatu, nunquàm à ſacris ſolemnibus abfuit; ſententias ſuas religionis, maieſtatiſq. plenas prudenter, diſerteque ea animi prudentia, & demiſſione explicabat; vt cum Pontifici, vel alicui ex Collegis aduerſandum erat, ita loquebatur, vt conſilium non ad pompam, ſed abſque vlla contentione proferret. Ambitionis alienus &

faſtus

Digitized by Google

faſtus exiguam apud S. Marcelli ſacellum, Domum incolebat aulęis minimè turgidam, ſed albo nicantem parietem. Familia vtebatur Religioſa, quæ ſancti ſenis modeſtiam imitaretur. Templa plurima inſtaurauit, inopibus aditum ſemper præbuit & ſubſidium, in Chriſtiana Republica excubias agens pro augmento Euangelij, & morum innocentia. Ieiuniis, præcibus aſſiduè vacans, corpus macerabat cilicio, affligebat laboribus; vno verbo eum Card. Papienſi dicam, *Vixit ſumma Religionis, & præſtantię gloria... Verè dignus Eccleſia, & ſancto Dei famulatu, quem noſtra ætas priſcis naſcentis Eccleſiæ Patribus, non iniuria æquet.* A

Lege de eo Papienſem Cardinalem; Garimbertum: Ciaconium; Vghellum.

In Hiſpania iuxta Placentiam, cuius dicitur fuiſſe Epiſcopus pontem maximis expenſis, ſuper Tagum fluuium extruxit, qui vſque in hodiernam diem, Cardinalis nomen retinet (vulgò *la Puente del Cardinal*). Moritur Romę ſeptagenario maior, 8. Idus Decemb. Anno 1469. ſepultus apud S. Marcellum, cum epitaphio in tabula marmorea.

*Ioanni Caruagiali genere Ibero Pont. Portuenſi, S. R. E. Card. Patrum ſplendori, virtutum decori, de Religione, atque omni re benemerito: qui vixit An. LXX. Beſſario Card. Nicęnus Collegę pientiſſimo.*

Ibidem in marmore vicino.

*Pontificum ſplendor iacet, hic ſacrique ſenatus*
*Namq; animo Petrus, pectore Cæſar erat.*
*Hunc genuit Betis, rapuit ſed Roma tenetque*
*Corpora velat humis; ſpiritus aſtra colit.*
*Imputat hunc Batis Latio, cui fama perennis*
*Puniceus ſacro vertice fulſit apex.*
*Victus honor meritis, contempta & munera vita:*
*Dum meliore ſui niuere parte cupit.*
*Ætherei, qui magna fuit tutela Senatus,*
*Ioannes iacet hic Caruagial gentis Ibera.*
*Angelus in titulo Princeps, & Epiſcopi almi*
*Portus, cuius habet meritis iam Spiritus aſtra.*

Ciaconius, Auberii, Panuinius, Victorellus, Garimbertus, Antonius Sanderus: Io: Choclæus *Hiſtoria Huſſitarum*. Vghellus. Corius *Hiſtor. Mediolan.* B Antonius Sumon. *hiſtor. Neapol.* Porregnus *elog. Card. Hiſpan.*

## V. Cancellarij S. R. E. ſub Eugenio IV.

IO: de Rupeſciſſa P. C. S. Laur. in Lucina ab An. 1. vſq. ad 7.

FRanc. Condulmerius P. C. S. Clementis Ep. Portuen. ab Ao. VII. vſque ad finem Pontificatus.

# FELIX V. ANTIP. CON. EVG. IV. R. P. CCIX.

AMedæus VII. Sabaudiæ Comes, Antipapa electus nomine *Felicis V.* iuxta decretum Concilii Baſileenſis, die 15. Cal. Decemb. 1439. perdurauit in ſciſmate vſque ad diem 5. Idus Maii, 1449.

Electores XXXIII.

Qui Amedæum nomine Felicis V. in Antipapam crearunt.

Ludouicus Alamannus, Gallus P. C. tit. *S. Cęciliæ*, C vulgò Arelatenſis, qui non triumuirali electione, ſed iure Cardinalatus Conclaue eſt ingreſſus.

### Italiæ Electores VIII.

- Guillelmus Gallus Ep. Vercellenſis.
- Georgius ex Marchionibus Sallutii, Ep. Auguſtanus.
- Io: Ep. Eporedienſis.
- Ludouicus Ep. Auguſtæ Pretoriæ Taurinorum.
- Fr. Alerranus de Carreca Genuenſis, Abbas Monaſterij S. Benigni Fructuarienſis, Eporedionſis diœceſis. D
- Fr. Iacobus de Seguſia, Abbas S. Bened. Taurinenſis.
- Fr. Io: de Monte Comiro, decretorum Doctor, præceptor domus S. Antonii de Reuerſo, Taurinen. Diæceſ.
- Fr. Bartholomæus de Prouanis, præceptor domus S. Antonij de Clauaſio Epored. Decretorum doctor.

### Electores Gallicæ Nationis VIII.

- Io: Arſius de Artus Gallus Ep. Tarentaſienſis.
- Fran. Ep. Gebennenſis.
- Bernardus Ep. Aquenſis, cui podagra laboranti ſuffectus Ludouicus Ep. Maſſilienſis.
- Fr. Raymundus Abbas Conchenſis, diæc. Ruthenen.
- Nicolaus Tibouth Northmandus, pænitentiarius Conſtantienſis Theologus.
- Io: de Valle Britto, Rector Paræcialis eccleſiæ de Plenior diæc. Lugdunen. Theolog.
- Thomas Corcellus, Canonicus Ambianenſis Theolog.
- Guillelmus Hugonis de Stagno, Virdunenſis, Archid. Metenſis. I. V. D.

### Electores VIII. Nationis Germanicæ.

- Fridericus Ep. Baſileenſis.
- Fr. Chunradus Abbas de Lucella, Theol. Ord. Ciſter. diæc. Baſileenſis.

Fr. Thomas de Donduno Scotus, Abbas Ciſtercien. diæc. Caſæ Candidæ, Theol.
Detzelaus Polonus, Archid. Cracouien. Decretorum doctor.
Io: Vviler, Decaous Baſileen. Decret. Doctor.
Iacobus Saltzburgen. Licentiatus in iure Canonico Canonicus Ratiſponen.
Chriſtianus de Grerz, Reginæ, Prepoſitus Eccleſiæ S. Petri in Bramia, Olmucenſis diæceſ. Mag. in Theologia.

Electores VIII. Nationis Hiſpanæ.

Otho Ep. Derthuſenſis.
Georgius Ep. Vicenſis, Legatus Regis Arragonum.
Ludouicus Portugallen. Ep. Viſenſis, Legatus Regis Portugalliæ.
Fr. Petrus Abbas S. Cucuphatis Barchinonen. diæc.
Fr. Antonius Abbas Arularum, Eluenſis diæc.
Io: de Villa Vezzoſa Segobicnſis, Archid. Ouetenſis, Theol.
Bernardus Buſco Canon. Ilerdenſis, Decret. Doctor.
Raymundus Allioli, Canon. Tiraſonenſis, A Decret. Doctor.

## Pſeudo Cardinales ab eo creati.

1. *Facti ſunt amici Herodes & Pilatus ex illa die.* Lucæ. 13.



LVdouicus de Pallude Gallus, cognomento *de Varembon*, olim cuſtos Conclauis in electione Martini V. poſtea Ep. Maurinenſis ex Monacho S. Benedicti, Congregationis Ciſtercienſis, inde Lauſanenſis Epiſcopatus (teſte *Ciaconio, & Panuinio*) adminiſtrator, Cardinalis Presbyter tit. S..... B dictus ab Antipapa Felice V. An. 1440. Menſe Aprili, ante coronationem ſuam, vt auguſtiori pompa Baſileam ingredi poſſet. Hunc eumdem Ludouicum Cardinalem poſtea legitimum creauit Nicolaus V. Anno 1440. (teſte *Claudio Roberto*) & obiit circa Annum Sal. 1455. Romæ ſepultus in Baſilica S. Petri Non deſunt porrò, qui Ludouicum à Felice V. promotum negent, ea ratione, quòd paulò ante, occaſione Penſionum, quas Amedæus obtinuerat ſuper Lauſanenſi Epiſcopatu, fuiſſent acerrimè digladiati. Sed hoc contra Onuphrij & Ciaconii teſtimonia non concludit. Nam ex illa die etiam *facti ſunt amici Herodes & Pilatus*. Volunt alii; quòd Felicem primò ſequutus ab eo purpuram acceperit: C mox à Nicolao V. titulum obtinuerit S. Anaſtaſiæ; tandem Nicolao deſerto legitimo Papa, ad Felicem rediiſſe, & in dedecus Nicolai, titulum mutaſſe *S. Anaſtaſia*, in S. Cæciliæ.

Ciaconius, Panuinius, Auberij, Frizonius, Claudius Robertus, Vghellus.

2. *Spes Hippochrytæ peribit*. Iob. 8.



BArtholomæus Nouarienſis frater Scaramucciæ, conſiliarius Philippi Ducis Mediolaoenſis, in Viccecomitum adſcitus familiam, ideoque *de Vicecomitibus* appellatus, cui Philippus inſignia contulit gentilitia. Anno Sal. 1429. Epiſcopus Nouarienſis dictus à Martino V. Æneam Siluium à ſecretis habuit, poſtea Papam nomine Pii II. cuius epiſtola extat ad Andream Viccecomitem Bartholomæi germanum, in qua confitetur ingenuè, gentis V. Comitum merita erga ſe non eſſe vulgaria. In ſuſpicionem iſte cum veniſſet Læſæ Maieſtatis, Florentiam vocatus ab Eugenio IV. & honore ſpoliatus Epiſcopatus, ad iram declinandam Pontificis, Baſilæam aufugit, vbi ab Alberto Imperatore confirmatione accepta priuilegiorum, Eccleſiæ Nouarienſis, titulo condecoratur Principis Sacri Rom. Imperii, vt apud Vghellum *to. 4. Italiæ, p. 982*. In eodem Baſileenſi Concilio, purpura ornatus non exuenda Presb. tit S.... ab Amedæo Antipapa, Anno 1440. Interprete tandem Mediolanenſi Duce, Sedi reſtitutus Epiſcopali Nouarienſi, in ea diem clauſit extremum, Anno 1457. Lege Vghellum, Ciaconium, Carolum à Baſilica Petri, in ſua *Nouaria lib. 3.* Æneam Siluium *ep. 319.* ad Andream V. Comitem, in qua dolet obitum Bartholomæi fratris Epiſcopi *& ep. 22.* ad ipſum Bartholomæum data Eumdem lege in Commentariis, ex quibus, Bartholomæi tota hiſtoria deducitur. *Bartholomæus de V. Comitibus Ep. Nouarien. Scaramucia frater iuuenis ad Epiſcopatum aſſumptus eſt non ſua tantum virtute, quàm germani fauore. Scaramuccia namq; qui & Georgius dictus eſt, humili natus loco, puer admodum Gabrieli Vicecomiti ſeruiuit, quo apud Ianuam capite truncato, ad Ioannem V. Comitem Mediolani Ducem puer ſe contulit, cum eo quoque, dum is perc[u]teretur, fuit, eiuſq; occiſioni interfuit, repertuſq; eſt lacrimans ſuper cadauer, poſtea Philippo ſeruire cæpit melioribus auſpicijs, à quo ditatus eſt, in tantumque dilectus, vt in numero quoq. V. Comitum reciperetur, & frater ſuus Bartholomæus Epiſcopus fieret. Huic Epiſcopo ego quoque ſeruiui, dum is eſſet Baſileę, magniq. nominis haberetur propter Ducem, & cum eo Mediolanum iui, & per Nouariam fideliter ſibi tribus annis famulatus ſum. Poſtea eum in legatione Ducali Florentiam miſſus ſecutus ſum, ſibi uir perditus in malignitatem natat eum deluſit, confingens ſe Eugenij inimicum, &c.* Et poſt narratam D conſpirationem de capiendo Eugenio Florentiæ, ſubdit. *Poſt inde paucos dies liberatus eſt Epiſcopus, Mediolanumq; iuit cum D. Cardinale Sanctæ Crucis, qui nonnihil negotij habebat cum Duce, ac ire Attrebatum ad tractandam pacem inter Regem Francia, & Ducem Burgundiæ debebat, quem ego ſecutus ſum, & iuſſu eius iui in Scotiam, ſed cum reuertiſſem, nolui eſſe apud Eugenium in Bononia, ne mihi imputaret facta Nouarienſis. Fui ergo Baſileæ diu, interfuiq; omnibus, quæ acta ſunt contra Eugenium, poſtea in ſecretarium acceptus ſum à Felice nouo Papa creato, apud quem, dum Cardinales crearentur operam*

*operam dedi, quòd is quoque Nouarienſis fieret Cardinalis, idq. factum eſt, ſed poſtea mutatis rebus, cum Felicem omnes relinquerent, nec eius Papatum amplecti vellent, ego ad Cæſarem Fridericum me recepti, nec etiam volui ſtatim de parte ad partem tranſire. Nouarienſis verò Epiſc. Cardinalatum renuntiauit non ſine ſpe noui Cardinalatus ab Eugenio obtinendi, qua ſpes adhuc eum tenet.*

3. *Quia nihil impium fecerim.* Iob. 10.



VRbanus electus Ep. Traiectenſis, Germanus, Presb. pſeudo Card. tit. S... dictus An. A 1440. ab Antipapa Felice IV. ante ſuam coronationem, prima promotione, qua Pſeudo Cardinales quatuor creauit, vt pompa maiori, cum eis Baſileam ingredi poſſet. Hunc alii Vualdramum de Morſa Dominum de Baer appellant. Oblatę noluit acquieſcere dignitati, offerens ſe venturum ad Baſileenſe Concilium. Sub Nicolao V. eccleſiæ ceſſit Traiectenſi. Obiit Anno....

4. *Si impius fuero, vę mihi.* Iob. 10.



ALphonſus Carriglius clariſſimis ortus natalibus in Hiſpania nepos alterius Alphonſi Carriglii Senioris Card. *S. Euſtachij*, qui poſt accertimam tutelam ab eo ſuſceptam, Baſileenſis Comitii, ibidem obiit 14. Martii, 1434. Iunior itaque ex Protonotario Apoſtolico, Menſe Aprili An. 1440. à Felice IV. Antipapa Diaconus creatur Card. *S. Euſtachij*, cui adulterinę dignitati cum renuntiaſſet, Catholicæ reconciliatus Eccleſiæ, Archiepiſcopus creatus eſt Toletanus, obiitq. prima C Iulii, An. 1482.

Ciacon. Panuinius. Auberii. Victorellus. Contelorius. Porregnus *elog. Card. Hiſpan.* confundit hunc Cardinalem cum alio ſeniore.

5. *Abominantur iuſti virum impium: & abominantur impij eos, qui in recta ſunt via.* Prouer. 29.



ALexander filius Zemouitti Ducis Mazouiorum, Polonus, patruus Regis Poloniæ, & conſanguineus Friderici II. Imperatoris, D Epiſcopus Tridentinus, & Patriarcha Aquileienſis, ſed Patriarchatus nunquàm adiit poſſeſſionē, Presb. Car. tit. *S. Laur in Damaſ.* creatus ab Antipapa Felice IV. die 4. Id. Octob. 1440. Baſileę, qui vt Polonos ſibi conciliaret non ſolùm Alexandrum Cardinalem dixit, ſed Legatum à latere; fruſtra tamen; Rege namque, & Magnatibus Regni perſeuerantibus in obedientia Eugenij IV. Alexander rutius duxit redire Tridentum; vbi in Sede Tridentina confirmatus quieuit à Nicolao V.

Ciacon. Panuin. Auber. Contelor.

6. *Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.* Pſal. 9.



OTho Hiſpanus, vel Eudettus Epiſcopus Dertuſenſis Eugenium IV. cum depoſuiſſet in Baſileenſi Cōcilio, Presb. Card. dicitur tit. *S. Pudentianæ* ab Antipapa Felice IV. Anno 1440. cui adhęſit vſque ad vltimum vitæ ſpiritum, & Baſilea nunquàm receſſit, etſi peſte ſęuiente, omnes ferè Patres obiiſſent. Locum iſte tenuit Diaconorum Cardinalium cum Fęlici adſtitit Antipapæ, Baſileę celebranti, in die coronationis; teſte Ænea Syluio *ep. ad Io: Segouienſem.*

Ciacon. Panuinius, Porregnus *elog. Card. Hiſpan.* Acta Concil. Baſileen. geminam Lunam huic Car- B dinali Oldoinus adiecit pro inſignibus; ſed nullo fundamento.

7. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra: vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Pſal. 10.



GEorgius Hiſpanus, Epiſcopus Vicenſis, Legatus Regis Arragoniæ ad Concilium Baſileenſe, vt in obedientia Eugenij IV. perſeueraret; à Rege diſſonus Legationem depoſuit in partes ſecedens Pſeudopontificis, Felicem IV. creauit Antipapam, à quo Presb. Card. tit. *S. Anaſtaſię* dictus, Anno 1440. ſecunda Cardinalium pſeudo promotione, in eius obedientia deceſſit. Locum tamen tenuiſſe Diaconorum Cardinalium, Georgium Ep. Vicenſem lego in *epiſtola Ænęę Sylij ad Ioannem Segouienſem*, de coronatione Fęlicis; cum Fęlici adſtitit celebranti in die coronationis ſuę.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Portegnus, Acta Cōncil. Baſil.

8. *Quoniam non dereliquit animam meam in inferno ; nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, Pſal. 15.



FRanciſcus *du Chalent* natione Gallus, Regulam profeſſus S. Benedicti, Officialis poſtea Romanæ Curiæ, officio perfunctus, in Epiſcopum aſſumitur Gebennenſem, Anno 1432. Vir parui eloquii [ teſte *Frizonio* ] ſed grauis intelligentiæ, cuius indi- A
cium in arduis ab omnibus perquirebatur, cum veniſſet ad Baſileenſe Concilium, vnus fuit ex Electoribus Gallicę Nationis, qui Felicem IV. Antipapam promouit, à quo Presb. Card. dictus tit. *S. Marcelli*, Anno 1440. ſecunda pſeudopromotione, quòd eius ciuitas Felici pernecesſaria eſſet fautoribus ſuis, in Galliam, & Germaniam iter agentibus. Abdicato Felice, Franciſcus etiam purpura abſtinuit.

Ciaconius, Panuinius, Frizonius, Io: Trithemius, Io: Sauertius *de Archiep. Lugdunen.*

9. *Vir bonus & iuſtus, hic non conſenſerat conſilio &* B
*actibus eorum.* Lucæ. 23.



BErnardus *Trambleij* natu Gallus, Monachus Benedictinus, Congregationis..... Sacris exornatus Epiſcoparus Aquenſis infulis, in Concilio Baſileenſi vnus ex iis deſignatus, qui pro natione Gallica, exauctorato Eugenio IV. R. P. alium Papam ſubrogarent; cum podagra laboraret, adeſſe noluit; in cuius locū ſuffectus eſt Ludouicus Maſſilienſis. Nihilominùs C
cum Iure Conſultus oculatiſſimus eſſet, in Collegium cooptatur Cardinalium à Felice IV. Antipapa Baſileę, quarto Id. Octob. 1440. tit. *SS. Nerei & Achillei*, vt cauſam Pſeudopapæ, ſcripto defenderet. Ipſe verò vir profundæ doctrinę dignitatem reſpuit.

*Ciaconius, Panuinius, Frizonius, Auberij, Contelorius.*

10. *Vana loquuti ſunt, vnuſquiſq. ad proximum ſuum; labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt.* Pſal. 11.



IOannes Germanus, teſte *Ciaconio*, & *Panuinio* Epiſcopus D
Argentoratenſis, Presb. Card. tit. *S. Xixti* dictus ab Antipapa Felice IV. pſeudopromotione ſecunda, facta Anno 1440. Baſileę. *Panuinius; Ciaconius; Auberij.*

11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus quoniam imminutę ſunt veritates à filijs hominum.* Pſal. 11.



IOannes Gruuenualdet ex Ducibus Bauariæ, Germanus nothus Ioannis Ducis Bauariæ, Decretorum & Sacræ Theologiæ Doctor, cum in Conſtantienſi Concilio teſtificaſſet hæreſiarchæ Ioanni Huſs, Epiſcopus creatur Friſingenſis in eodem Concilio, ſed paulò poſt priuatur à Martino V. teſte *Bruſchio de Ep. Germania*; à Felice verò Antipapa, Anno 1440. propter conſanguinitatem cum Ducibus Bauariæ, Presb. dicitur Card. tit. *S. Martini in Montibus*: obiitq. An. 1453. Viennæ non tamen Cardinalis, cum Felice concordare tenuens, quem Sanctum appellabat diaboli.

*Ciaconius, Panuinius, Auberij, Vghellus, Contelor.*

12. *Dies diei eructat verbum : & nox nocti indicat ſcientiam.* Pſal. 18.



IOannes de Villa Vezzoſa Segobienſis, Hiſpanus, Theologorum ſui temporis facilè Princeps, ex Archidiacono Ouetenſi Presbyter Cardinalis tit. *S. Mariæ Transtyberim* dictus ſecunda pſeudopromotione Baſileę facta ab Antipapa Felice IV. Anno 1440. à quo Legatus ad Carolum Francorum Regem cum Thoma de Courcellis collegato, vt nomine Concilii Baſileenſis, Regi obedientiam perſuaderent Felici præſtandam: arcanis ſuæ legationis expoſitis, ſuccubuit: Rege recuſante ab Eugenio IV. recedere. Quapropter & ipſe Felici Antipapæ vale dixit, & dignitate oblata abſtinuit Cardinalitia; teſte *Spondano ex actis Patritianis*, *An.* 1440. *n.* 7. Patet enim ex Æneæ Siluio *historia Concilij Baſileenſis*, & ep. ſcripta de coronatione Felicis, cuius eſt titulus.

*Venerabili & Doctiſſimo viro Magiſtro Ioanni de Segouia, Theologo excellenti Sanctiſſimi D. N. Felicis, ad Dietam Bituricenſem Oratori Æneas Syluius Senenſis Domino ſuo Ioanni de Segouia, Sacræ Theologiæ Magiſtro ſalutem dicit.* non fuiſſe Cardinalem Ioannem, cum eum Felix ad comitia legauit Bituricenſia. Pluribus in locis Ioannis Segobienſis Pius vel Syluius mentionem habuit, præcipuè in *Europa. c.* 42.

*Alcoranum*, hoc eſt, impia Mahometis legem ex Turcico Latinè vertit Segobienſis, ſolidiſque euertit rationibus. *Concordantias* etiam collegit Partium Orationis indeclinabilium in Bibliis, quæ vnà cum Concordantiis Maioribus prodiere coniunctæ. Dicitur etiam duo ediddiſſe volumina *De Actis Concilii Baſileenſis*: ſed hoc incertum notat. Id ſine dubio, nomine alterius Ioannis Segobienſis Ord. Prædicatorum, *lib. IV. de prædicatione Euangelica* Compluti,

pluri, & Brixiæ excuſos prodiiſse, in quibus *de forma ſtudendi, atque docendi Sacram Scripturam, ac de Concionatoris officio* vbetrimè agitur. Quin & tria volumina *Sermonum de Sanctis*, ſcripſiſſe ait *S. Antoninus* Senenſis. Sed iſte viuebat Anno 1576. vnde ne eos confundas: aduerte: vt notauit Poſſeuinus *in Apparatu Sacro*, Deo illuminante reiecta purpura, in ſolitudinem abiiſſe, vt ibi humanam irrideret viciſſitudinem, ac vitæ reliquum Deo cõſaecraret; Scribunt. *Ciaconius, Auberij, Panuinius, Porregnus, Contelorius, Spondanus n. 5. An. 1449.*

13. *A reſiſtentibus dextera tua cuſtodi me vt pupillam oculi*, Pſal. 15. A



DIonyſius da Moulin Meldis otiundus, Eccleſiæ Viennenſis Canonicus, & Succentor, pluribuſque Canonicatibus, Carnotenſi, Rhemenſi, Turonenſi, Albienſi, Ebredunenſi, deinde Caroli VII. Conſiliarius Francorum Regis, & in ædibus Caroli Delphini Viennenſis, & in Francia Regentis libellorum ſupplicum Magiſter: tandem Archiepiſcopus Toloſanus Anno 1421. poſtea Pariſienſis Anno 1439. ab ipſo Eugenio IV. PP. confirmatus, bullis datis die 4. Idus Iunias. Etiam Antiocheni Patriarchatus honore decoratur. Cauſam diù ſuſtinuit Eugenii IV. in Concilio Baſileenſi, declinauit tandem ad Felicem Antipapam, forſan vt litem faceret Eugenio, à quo purpuram fruſtra ſperauit. Tertia itaque pſeudopromotione Presb. Card. tit. S.... dictus ab Antipapa, Anno 1440. non longe errorem abiurauit, Eccleſiæ reconciliatus, cuius in gremio deceſſit, 15. Septem. 1447. Lutetiæ ſepultus in Cathedrali, ſub ęnea tumba, in choro, à latere Aræ Maioris, ad Cornu epiſtolæ, cum epitaphio. B

*Hic iacet recolendæ memoria D. Dionyſius de Molendino dum deceſſit Patriarcha Antiochenus, Ep. Pariſienſis, & per antea Archiep. Toloſanus, de foro Meldenſi oriundus, Regis Caroli VII. Conſiliarius famoſiſſimus, vir magni conſilij, atq. prudentiſſimus, probitatis eximia, & lingua diſertiſſimus, qui plures fecit fundationes hic, Toloſę, ac Meldis: & obijt Pariſijs die Veneris XV. Septem.* 1447. *Anima cuius requieſcat in pace. Amen.*

Hic nulla mentio Cardinalatus. Eius imago in eccleſia habetur Pariſienſi; teſte Frizonio (lege *Onuphrium, Ciaconium, Vghellum, Spondanum, Claudium Robertum*) in ſacello S. Dionyſii, vbi quolibet Sabatho Miſſa celebratur à pueris ſymphoniacis: inſuper & *De profundis*.

14. *Non eſt homo, qui non peccet.* 3. Reg. 8.



AMedeus de Thalaru in territorio natus Lugdunenſi, familia apud Gallos nobiliſſima, nepos Ioannis de Thalaru Anticardinalis ſub Antipapa Clemente VII. vir religioſus, nobilis, eruditus. Archidiaconus Lugdunenſis à Clero ſelectus ad Concilium proficiſcitur Conſtantienſe. Ibi ſedens Anno 1415. litteras ſuæ electionis accepit à Capitulo factæ in Archiep. Lugdunenſem, quæ teſte *Paradino*, à tribus Nationibus fuit adprobata. Hinc Lugdunum rediit, priuilegia poſtea confirmante Martino V. Ibi plura edidit pietatis documenta blaſphemos, atque Iudeos, qui in ea prouincia pullulabant Chriſtianis coniugio immixti. Ad Cardinalatum promouetur à Felice IV. dicto V. Baſileę, tertia Pſeudocardinalium promotione, pridie Id. Nouemb. 1440. Presb. Card. tit. S. .... Mortale hoc ſolum deſeruit tertio Id. Feb. 1443. Cadauer humatur in ſacello D. Petri, ad læuam Chori. Dum in extremis verſaretur, fundauit Amedeus conſenſu Capituli, *Quòd ſex ſeptimanis, quæ incipiunt Dominica proxima S. Ferreoli, in quibus dicitur* Vacare Modo, *Miſſę dicantur ſtatim finitis Matutinis. Et qui interſunt in Miſſa Chori, atq. ſi interfuerint Matutinis, recipient maximè dicti Capellani vnum panem album ponderis duarum librarum, & poſt mediam noctem, aliam micham eiuſdem ponderis & officiantibus altari, aliam micham &c.*

De eo lege *Frizonium, Ciaconium, Vghellum, Claudium Robertum, Ioannem Chenu.* Concilio interfuiſſe Bituricenſi, à quo ad Eugenium miſſus, vt à Pontifice impetraret; ne quid contra Patres ageret Baſileenſes, ſed Concilium approbaret; habes *in appendice Concilij Bituricenſis*: & apud Spondanum Anno Sal. 1432. *n. 6.* C

15. *Multa te litera ad inſaniam conuertunt.* Act. 26.



PHilippus *de Coat Kiz*, patria Armoricus, ex vrbe Leonenſi è familia *Ker-neguez* iuxta Morlaeũ, verſatiſſimus in vtroq. iure; litteris ſacris, prophaniſque inſtructus, eloquentia admirabilis, vnde *Gallus Gallorum dictus* ob ingenij præſtantiam, qua cęteris anteibat. Sedis Epiſcopus Leonenſis, inde ad Turonenſem translatus, Regiâ Sanctioribus Concilijs tanquàm Comitum Conſiſtorialium Præfectus & præcipuus negotiorum pręfuit adminiſtraror. Caroli VII. Francorum Regis multoties Oratoris munere functus, ad Summum Pontificem Legati, Germanos, cęteraſque Nationes, maximè ad Baſileenſe Concilium, in eo à Felice D

Ame-

Amedeo Antipapa, promotione tertia, dictus Pre-
sb. Card.tit.S..... Anno 1440. nomen ſuum celebre
reliquit, non vno in loco eiuſdem Concilij, recur-
rente Philippi nomine. De præſeſſione Oratorum
Britanni, & Burgundi Ducũ in eo Concilio altercã-
tibus Patribus, ſtylo adeo orauit vehementi Philip-
pus in gratiam Britanni: vt Decretum iam exara-
rum & confirmatum in fauorem Burgundi refixum
fuerit, & antiquatum; alio ſubrogato, quo honor
Britanno deferebatur; magna Britanniæ Ducis gra-
titudine, qui Philippum pluribus rependit honori-
bus. Pariſios reuerſus determinationi adfuit ſacræ
Facultatis Pariſienſis, de Pontificum Controuerſijs,
in quibus Baſileenſe promouit Concilium, quantum
valuit, nec ab eius tutela vnquàm potuit dimoueri.
*Argentre de Ep.Leon.in hiſtor.Britan.lib.1.* quamuis in-
ſtante Eugenio IV. Rex ipſe Philippum conatus eſ-
ſet retrahere.

Lege Io: Chenu: Claudium in *Catalogo Leonien. & Turon. Præſul.* Frizonium. Ciaconium. Vghellum.

36. *Non eſt reuerſus Ieroboam de via ſua peſſima, ſed e contrario fecit de nouiſſimis populi Sacerdotibus excelſorum: quicumq. volebat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum.* 3. Reg. 13.



Nicolaus Tudeſchus, Cata-
nenſis, ipſo teſte *in c. nouit.
de Iudic.* in Sicilia, Monachus à
pueroprimùm Cœnobij S. Aga-
thæ, Ordinis S. Benedicti, in
Vrbe Catanenſi, Congregatio-
nis Siculæ, ſiue S. Nicolai de Are-
nis Monachus vt *in c. cauſam.n.8.
de Iudic.* Bononiæ iuri operam de-
dit, vbi ob eruditionem clarior factus ad recogno-
ſcenda eius gymnaſii priuilegia cum alijs doctori-
bus electus, iuri Pontificio ſub Franciſco Zabarella
(ipſo teſte *c. vlt.ne cler. vel mon.*) vacauit, & ab eo-
dem electo iam Cardinali S. R. E. lauream aſſequi-
tur, ipſo teſte *in R. de Iud. & in c. 1. de cauſ.poſſeſſ. &
propr.* Inde ab Anno 1421. Senis, Annis decem (eo-
dem teſte *R. de obſer. ieiun. & in fine quaſt.*) deinde
Parmæ integro ſexennio, vbi adhuc in Iuriſconſul-
torum albo ſcriptus reperitur, mox Bononiæ cum
octingentorum aureorum ſtipendio, ius Pontifi-
cium magna nominis fama docuit. Anno interim
1425. die 10. Ianuarii, à Martino V. Monicenſe cœ-
nobium in diœc. Meſſanenſi commendatione ſuſce-
pit, & Abbatis *Iunioris* ad *Senioris* diſcrimen cogno-
mentum tulit. *c. cum olim. De dolo & contum.* Exin-
de Referendarius ac Cameræ Apoſtolicæ Auditor
Generalis, demum Panormi Archipræſul vulgò Pa-
normitanus dictus, ad Baſileenſe mittitur Conci-
lium Legatus Alphonſi Arragonij, vnà cum Taren-
tino Cardinali, Pontificis iura propugnauit, thæſeſ-
que in eum editas egregiè impugnauit, teſte Ænea
Syluio *lib. 1. de geſtis Baſil. Concil. Argutè vt eſt ſubti-
liſſimus Panormitanus diſſeruit, oſtendereque ſummo ſtu-
dio nitebatur, Eugenium non eſſe relapſum, magnaque illi
cum tribus viris, Argenſi Epiſcopo, Io. Segouio, & Fran-
ciſco Fuxeo Theologis concertatio fuit &c. Fuit oratio Pa-
normitani apud omnes magis laudata, quàm probata: id
tamen habuit efficaciæ, vt verbum* Relapſum *ex conclu-
ſionibus tolleretur, eiuſque loco poneretur, Prolapſum.* At
cum calor diſputationis efferbuiſſet; nec à probris
abſtinerent, veniam poſtea petiit Argenſis Epiſco-
pus, licet fortè minus errarſet. Cum verò de confir-
mandis propoſitionibus ageretur; Panormitanus
vir ſummo ingenio, & eloquentiæ copia præditus,
primuſque inter ſui Regis Oratores luculenta ora-
A tione rem differri petijt: ſed eum eſſent in magna
diſcordia, per multos dies certatum eſt: & tandem
contra Panormitanum pars præualuit. Quare ipſe
poſtea erudito opuſculo eas quæſtiones diſcuſſit, quæ
de Concilio Baſileenſi inſcribuntur.

Romam reuerſus ad Regem ſe contulit Arrago-
nium, qui nouas ob cauſas contra Eugenium irrita-
tus Panormitanum cum Ludouico Romano ad Cõ-
cilium remiſit, vt Eugenio R. P. litem facerent; vbi
pluribus editis reſponſis, magna conflata pecunia,
ius indignè fixit, atque refixit. Inter alia Iſidorum
à Roſata hominem indoctum, vitiis obrutum, &
ignobilem pecunia corruptus ad Epiſcoparum pro-
B mouit Bergomenſem: Marcum quoque Mediolanẽ-
ſem, etſi Iuris Doctorem creatum, imperitum ta-
men & ineptum pro concione laudatum, velut al-
terum D. Auguſtinum extulit, ac Synodo perſua-
ſit, vt Alexandriæ crearetur Antiſtes, non ſine ſui
infamiæ nota. *Quare inter eum, & Ludouicum Pon-
tanum implacabilis orta eſt diſſenſio, & plus in his conci-
liandis, quam Bohemis ad Catholicam pietatem reuocan-
dis eſt elaboratum; teſte* Syluio de Dictis & Factis Alph.
Regis *lib. 2. c. 11.* Pluribus verò ad nominandum
Papam à Concilio electis, auctor fuit, vt Euge-
nius desereretur. Eius tamen depoſitione propoſita,
è Synodo abiit iuxta Regis mandata ſui iterum Eu-
C genio reconciliati. Verum non longè poſt, Cardi-
nalis creatus ab Amedeo Antipapa, & à Concilio
Baſil. Legatus à latere per vniuerſam Germaniam
in tertia pſeudopromotione, Sal. An. 1440. Baſileam
rediit, vbi acer Concilii extitit propugnator. Cæ-
terum ſciſma abiurante Felice Pſeudopapa, Panor-
mitanus quoque ab Alphonſo Rege reuocatus *in pa-
triam*, rogatuſque à pijs hominibus, fictitiam Car-
dinalatus dignitatem deponere, dum variis peren-
dinationibus rem protrahit, morte præuentus in
in ſciſmate obiit, querens quòd deceptus à nepoti-
bus veritatẽ reliquiſſet Concilii. Ita *Æneas Syluius li-
bello M.S. de Viris Illuſtribus*, qui in Vaticano habetur.
D Scripſit pro *Baſileenſi Concilio* Opuſcula, quæ in
eius voluminibus non reperiuntur; abraſa forſan
tanquàm pro mala cauſa ſcripta.

*Conſilia* 226. duobus voluminibus comprehenſa.

*De Poteſtate Papæ, Imperatoris, & Concilij* ipſi liber
adſcribitur; quem Antonius Poſſeuinus fuiſſe di-
cit *Nicolai Simonis*, Omnia tamen eius opera, ſiue
ei adſcripta etiam de poteſtate Papæ, Concilii,
Imperaroris, impreſſa Lugduni habes Anno 1517.
& Anno 1527. Imò & Venetijs &c.

*Pro-*

*Proceſſum Iudiciarium*, ſiue *Praticam de modo procedendi in indicio*.

*Diſputationes varias*.

*Repetitiones*: *Lecturas*-Super *Decretum* inchoauit, ſed non abſoluit.

*Quaſtionem in Parmenſi Gymnaſio.Conſilia*.

*Tractatum pro auctoritate Concilij Baſileen.* ea ſoliditate, doctrina & eloquentia, vt merito *Lucerna Iuris* ſit appellatus; & *alter Bartolus* inter interpretes Iuris Pontificii. In eo præcipuè commendatur, quod lucidum aſſequutus ordinem, mira claritate, iuris ſubtilitates expoſuerit. Ad puniendum procliuis contra reos facilè pronuntiauit; vnde à quibuſdam A *Truculentus* eſt dictus *Apoſtilla ad conſil.* 127. *Alex. lib.* 4. Panormi dicitur obijſſe, in Cathedrali ſepultus cum epitaphio.

*Morte tua Canon, Leges, & Iura Quiritum*
*Occubuere, iacent hoc tumulata loco.*
*Tu* Nicolaus *eras* Tudeſco *ſanguine natus*,
*Panormi Antiſtes, & Catanenſis eras*.
*Eugenio & Baſila diſcordi pace ruebat*;
*Noſtra fides ſteterat, te duce Concilium*
*Nominis, & Tituli cumulos & laudis adeptus*,
*Vnde tuum texit rubra thiara caput.*

De eo ſcripſere Arnol. Vvion *lib.* 1. *Ligni vita*. B Æneas Sylvius. Guido Pancirolus *De Claris legum Interpret. lib.* 3. Ciaconius, Panuinius, Vghellus in *Addition ad Ciaconium*. Spondanus multis in locis præcipuè n. 4. Anno 1443. Trithemius *Chron. Hirſaug.* Auberii.

17. *Vidi, quod tantum præcederet ſapientia ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Eccleſ. 2.





IOannes *de Maleſtroict*, vel Maleſtricto, familia in Britannia clariſſima, quæ in Diæceſi Vannetenſi, ad fluuium C Dauſtum oppido poſito nomen ſortitur, & originem, filius Ioannis de Caſtrogironis nepos Heruęi de Caſtrogironis, ſecundum Frizonium (non ex familia Ducum Britanniæ, vt ſcribunt Ciaconius, & Panuinius, qui Ioanni malè inſignia Britannica attribuunt) eam vitæ rationem tenuit, quę clariſſimę familiæ gloriam, decus verò ipſi & ornamentum attulerit. Sciētiarum omnium titulis laurea- D tus, ampliſſimum in Nannetenſi Computorum Camera Protoprędidis munus ſubiit, quo pluribus Annis geſto, Briocenſis eſt dictus Epiſcòpus, inde Nannetenſis Anno 1419.& in Britanniæ Ducis Cancellarium aſſumptus, quo tempore municipiis *de Houdan* & *Courtenay* ad Monfortium *Ioanni V.* Britanniæ Duci ea conditione venditis, vt hic Nannetenſi Præſuli *Ioanni* damna ipſi ob ea municipia, illata reſarciret, ab Alenconio Duce in carcerem quaſi prædiues detruditur; vt Dux Britanniæ reſiduum maternæ dotis debitum hac ratione coactus perſolueret; Qua iniuria Britannus commotus, amatus irrumpit, Alenconii populaturus agros, donec coactus Alenconius Epiſcopum remittere; damna omnia reſarciuit. Recti, iuſtique tenax rogatus ab Artuſio Comite *de Ricchemond*, poſtea Britanniæ Duce, ob ętatem iam prouectam, Epiſcopatum Guillelmo nepoti cedere, negauit bis; quòd tanto muneri ſubeundo nepos minimè idoneus; imò infidelis Comiti ipſi futurus. Quæ omnia abundè adimpleta, Ioannem ipſum laqueis implicuere diſſidii; vt in Franciam ſecedere cogeretur. Anno 1440. Presb. Card. creatus tit. *S.Onuphrii*, ab Amedeo Antipapa in Baſileenſi Concilio, ſecundum *Frizonium* & *Vghellum*, de cuius tamen titulo meritò dubitatur, quòd eccleſiam *S. Onuphrii* erexerit Eugenius IV. Anno 1442. & in titulum erecta fuerit ſolùm à Leone X. quando Anno 1517. vnum ſupra triginta creauit Cardinales. Sciſmaticus an obierit? incertum. Defunctus die 14. Septemb. Anno 1443. iacet in eccleſia Nannetenſi. Gemina huius Cardinalis recurrunt inſignia Gentilitia, iuxta diuerſitatem originis in qua nutant hiſtorici.

B *Claudius Robertus*.

18. *Cum adhuc iunior eſſem, priuſquàm oberrarem, quæſiui ſapientiam*. Eccl. 51.



IOannes natu Gallus, Epiſcopus Caſtrenſis Anno 1427. Caroli VII. Francorum Regis Confeſſarius, à Felice IV. Antipapa, Anno 1440. Presb. Card. tit. S.... creatur, vt eo interprete Regem ſibi conciliaret, qui tamen verè Catholicus, Euge- C nium non deſeruit. Hunc Cardinalem, quem Ciaconius *Ioannem* appellat; alii Geardum dicunt, inſigniaque mutant gentilitia ex Clauibus & auibus, in Crucem octo acuminibus in extremitate exaratam.

*Panuinius, Auberii*.

19. *Initium ſuperbiæ homini, apoſtatare à Deo*. Eccl. 10.



IO: Arſius de Artus, natu Gallus Archiep. Tarantaſienſis in Sabaudia Presb. Card. tit. *SS. Neres & Achilles* creatus à pſeudopapa Amedeo, quarta antipromotione, An.Sal. 1443. die 17. Cal. Iulij, celebrata in ſeſſione 45. Concilii Baſileenſis, in præmium conſtantiæ, qua contra Eugenium IV. defenſor acertimus Baſileenſis Concilii, & in eodem caput deſignatus Gallicæ nationis ad electionem noui Pontificis, Amedeum ipſe propoſuit, propugnauit donec eius electionem adprobauere Comitia. Purpuram ei oblatam dicunt

cunr in prima promotione ab Amedeo facta, eaque abſtinuiſſe, ne pretio purpuræ videretur in electionem deſcendiſſe pſeudopontificis. Sciſma randem abiurante Amedeo, & ipſe Nicolao V. reconciliatus, obſequio ſoluto, Presb. Card. tit *SS. Nerei*, & *Achilles* plauditur Anno 1449. promorione tertia, cauſa ſciſmaris exringuendi, Obiir Ioannes in Sabaudia, pridie Idus Decemb. 1453. ſepultus Monaſterii ad Iſaram, aliàs Tarentaſiæ.

Ciaconius; Io: Chenu; Claudius Robertus; Panuinius, Auberii, Vghellus.

20. *Propterea exhonerauit Dominus conuentum malorum, & deſtruxit eos vſque in finem,*
Eccl. 10.



LVdouicus Portugalenſis, Hiſpanus, Epiſcopus Viſenſis, à Rege Portugalliæ legatus ad Baſileenſe Concilium, cum in eo iura acriter Concilii propugnaſſet aduersùs Eugenium IV. trina ornatus fuit legatione à Baſileenſibus patribus, prima ad Græcum Imperatorem, pro vnione Græcorum cum Latinis, in Baſileenſi facienda Concilio. Secunda ad Ducem Burgundiæ, cuius in reditu captiuus factus vnà cum Ludouico, Romano Protonotario, doctrinæ Conciliaris Architecto, quem Æneas Syluius *lib. 1. de Geſtis Baſil. Concil.* de prodigioſa memoria, & ſumma iuris peritia impenſiſſimè laudat, peſte ſublatum Anno ætaris XXX. nemine tantæ doctrinæ hætede relicto; libertatem ſibi ſoli ſpreuit oblatam, nè redargueretur cum deſſeruiſſe, cum quo ſortunam communem aſſumpſerat. Terria fuit ad Ducem Britanniæ, & quidem fæliciter, promiſſione recepta acquieſcendi Concilio Baſileenſi, eique Pontifici, quem Concilium deſignaret. Vnus ex eis, qui pro Hiſpana narione Papam crearet, ab eodem Concilio, Amedeum promouit Antipapam nomine Felicis, à quo Presb. Card. tit. S.... dictus Anno 1443. Gebennis, quò ſe receperat pſeudopapa, obiit Anno..... Inſignia huic adiecimus ex Oldoino, abſq. onere tamen reddendi rationem villicationis noſtræ.

*Ciacon. Panuinius. Contelorius,*

21. *Si dixero, quoniam non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo.* Io. 8.



VIncentius Cotus Dembenius, gentę Doliuius, patria Sarmata, materna educatione pieratem coluir, literas quęſiuit in pluribus Accademijs, quas peregrinando inuiſit. Gneſnenſis Eccleſiæ Theſaurarius, poſtea Regiæ ſobolis director & cuſtos à Comitiis declaratus



Varzenſibus, dum Rex Vladiſlaus caſtra curaret, munus ſibi impoſitum ſāctè adimpleuit, totius Reipublicæ plauſu. Hinc Gneſnenſi cathedra viduata paſtore, Canonicorum plenis ſuffragiis in Primarem aſſumptus, & quamuis nonnullis Regni proceribus contradicentibus, & Vladislaum Vladiſlauenſem Epiſcopum acclamantibus, iuxta legem patriæ (quæ in ordine & gradu dignitari proximiorem vocabat) ab Eugenio IV.P.
A R. Anno Salutis, 1437. confirmatus, clauum tenuit: ſecundoq. Archiepiſcopatus ſui Anno, Sarmatę Reipublicæ Legatus Albertum conuenit Imperarorem Vrariſlauiæ agentem, vt Bohemis libertas conſeruaretur Regem ſibi creandi. Bohemis namq. diuiſis, eorum aliqui Caſimirum frarrem Vladiſlai Regis ſibi creauerant. Defuncto Vladiſlao eius frarrem Caſimirum, die 27. Iunii. 1447. Regem vnxir, & ritu coronauit ſolemni, latus dexterum Regis claudentibus Epiſcopis; ſiniſtrum verò Ducibus Muſauiorum.

Interim Felix V. Antipapa, vt Polonos concitaret aduerſus Eugenium IV. Papam legitimum,
B quem Rege Duce tota adorabat Sarmatia; Vincentium Archiep. Gneſuenſem Cardinalem creauit Gebennis, Sal. Anno 1443. ſed purpuram Vicentius ſpreuit oblatam, tutius ducens, Archiepiſcopus ſecure præeſſe; quàm ob incertam purpuram, Archiepiſcopatu priuari. Volunt alij (inter quos Oldoinus) die ſolum. 2. Octobris An. 1447. vt patet ex diplomate Nicolai V. purpura ceſſiſſe illegitima; & ab eodem Nicolao V. iterum promotum tenuiſſe gradum Cardinalitium.

Vir grauis, & in promouenda Religione Ortodoxa ſtudioſiſſimus eccelſiaſticā diſciplinam ſeriò curauit, cultum Euangelicum ampliauit, exrructo,
C à fundamentis templo B. *Mariæ V.* ac *SS.* Carherinæ & Barbaræ ſacro. Canonicorum Regularium Lateranenſium eccleſiam D. Nicolao dicatam, in Collegiatam traduxit, Romano ad probante Pontifice Cathedrali Gneſnenſi quamplurima ornamēta auro, gemmiſq. grauia donauit. Vitam ſoluir, Salutis Anno 1459. in Eccleſia principe *ſepultus* Gneſnenſi.

Gemina inſignia huic Cardinali adiecimus, Roſas præcipuè ex Oldoino: ſed vtrumq. incertum.

De eo Stephanus Damaleuicz *De Archiep. Gneſnenſibus*. Felix Contelor. in *Elencho Cardin.* Ciaconius; Panuinius. Martinus Cromerus *H. Polonia*,
D Auberii *in vita*.

22. *Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis.* Pſal. 17.



VIlla de Stagno, Gallicè *d'Eſtain*, diœc. Virdunenſis, natiuitatem & nomen dedit Guillelmo Huyn, vel Hugonis; cuius nepos Benuinus Huyn, Decanus eccleſiæ Virdunenſis, An. 1453. ob diſcordiam poſt mortem patrui ortam in Capitulo, Romam ſe recepit Paulo II. gratus Pontifici. Alter ex ſorore nepos Iacobus Lotharius ab Ædilibus interfectus Virdunenſibus fuit: quos propterea excommunicauit Concilium Baſileenſe, procurante Guillelmo Huyn Baſileæ ſtante.

Iuris vtriuſque Doctor, Eccleſiæ Virdunenſis Archidiaconus, & Metenſis, Abbas Commendatarius S. Vitonis Ordinis S. Benedicti Virdunenſis, Abbatiam reſignauit Antonio de Guerres, penſione retenta 400. aureorum. AntiCardinalis Gebennæ dicitur ab Amedeo Sabaudo, Anno 1443. poſtea à Nicolao V. gratia tollendi Sciſmatis, Anno 1449. tit. *S. Sabinæ* tertia Cardinalium promotione confirmatus, eccleſiam Parochialem in villa de Stagno ædificari curauit. Singulari iunctus neceſſitudine cum Petro Barbo C. S. Marci Veneto, poſtea Papa Paulo II. magna diligentia Capitulum promouit Virdunenſe, quo procurante Nicolaus V. duo Canonicorum firmauit ſtatuta, quibus dum promouentur iureiurando ſubſcribunt. 1. *ſe ortos eſſe, & ex legitimo matrimonio.* Secundò. *liberæ eſſe conditionis, non ſeruos.* Teſtamenti ſui moriens executorem declarauit Petrum Barbum Card. S. Marci Romæ deceſſit Anno 1455. quinto Cal. Nouemb: ſepultus in ſuo S. Sabinæ titulo, prope aram principem cum hoc epitaphio,

*Vgonis Guillelmus aram conſultus vtroq.*
*Iure, ſed è ſtagno Virduni natus in oris*
*Presbyter intactâ titulo præſtante Sabinæ.*
*Inter Cardineos donatus denique Patres.*
*Obyt Anno* 1455. *die Octob.* 28.

23. *Teſtis Chriſti paſſionum.* 1. Petri 5. n. 1.



BArtholomæus Vitelleſchus patria Cornetanus, nepos Io: Vitelleſchi caſu territus & morte patrui ignominioſa cum Lillio Lauellano Cornetano Cornetum aufugit, cuius Epiſcopus & Montis Flaſconis deſignatus fuerat ab Eugenio IV. die 16. Cal. Aprilis 1430. reſignante Valentino. Citatus ad Tribunal Romanum pertinax venire contemnens honore priuatur Epiſcopatus ab eodem Eugenio IV. Anno 1442. ſed iniuriæ impatiens ad Baſileenſe cum [illegible] caſſet [illegible]cilium, non ſolum ab Antipapa Amedeo Sabaudo reintegratus; ſed etiam ſub titulo *S. Marci* Presb. creatus Pſeudo Cardinalis moderari tamen vir animi falsò ſibi delatam purpuram negauit accipere; mortuoq. Eugenio cum ad obedientiam Nicolai V. rediiſſet poſt Carpentoratenſem in Gallia dignitatis recuperauit honorem Non. Aug. 1449. poſt obitum Franciſci, qui ei fuerat ſubrogatus. Fulginatibus inde & Peruſinis ius dixit Anno 1455. recuperata ſuæ Eccleſiæ adminiſtratione, legibus adeò inſtruxit ſalubribus, vt adhuc habeantur pro regu-
A la c. 25. ſtatuit; vt ſingulis ſextis Ferijs hora nona campana maior pulſetur in memoriam Paſſionis Dominicæ; ad cuius ſonum Clerici, doctique homines opere quocumque detenti, *Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem; mortem autem Crucis. Kyrie &c. Pater noſter. Aue Maria. Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc familiam &c.* Laici verò indocti *Pater*, & *Aue* beneficium redemptionis recolentes pronuntiarent.

In otio Sapientiam ſcripſit, ediditque opuſculum valdè vtile, *de tranſitu mortis*: quam cum propediem ſibi meditaretur inſtare ex inſtituto Diuini ſermonis, vt ad illum terribilem exitum ſe præmu-
B niret, Pontifices annuente Pio II. vſque in Hieruſalem ad loca ſancta peregrinus abit, rediensque Modone vita exceſſit Anno 1463. die 13. Decemb. In Patriam relatus ad pedes Cardinalis patrui ſepultus quieuit in Cathedrali Cornetana, cum ſequenti Epitaphio.

*Sepulchrum Reuerendi in Chriſto Patris Domini Bartholomæi de Corneto Epiſcopi Cornetani & Montis Flaſconis, nepotis ſupraſepulti Cardinalis. Obyt An.* 1463. *Decemb.* 13. *Modone pergens ex Hieruſalem* Eius corpus adhuc integrum cuſtoditur integræ mentis argumentum.

Purpuram reſpuiſſe oblatam ab Amedeo Sabau-
C do, qui negat, literis fulcitur exaratis ab eodem Antipapa, 9. Kal. Feb. 1447. apud S. Dominicum extra Muros Gebennen. legitur: *Felix Epiſcopus &c. Dilecto filio Bartholomæo tit. S. Marci S. R. E. P. C. & Cornetan. ac Montis Flaſcon.... vnitarum Eccleſiarum Epiſcopo ſalutem, &c. Pridem ...... perſonam tuam ob ſuorum magnitudinem meritorum, de Venerab. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium vnanimi conſenſu, & conſilio ad honorem Cardinalatus aſſumentes, illum ipſorum .... ſacro Collegio aggregauimus per litteras noſtras &c.* Sic Iudex arbiter in Cauſa Aloyſii Ep. Turinen. & Abbatis Ripaliæ, dicit ipſe: *Ego Bartholomæus Dei gratia, Presb. Cardinalis Cornetanus.* Sci-
D ſmate tamen abiurante Sabaudo, & ipſe Nicolao V. reconciliatus, titulo contentus ſui Epiſcopatus, Cardinalis titulum non vſurpauit. Sub Pio II. R. P. phalanges duxit Romanas contra Sigiſmundum Malateſtam hoſtem Eccleſiæ. Eius corpus adhuc incorruptum iacere Oldoinus refert.

Ciaconius, Vghellus, Auberii, Contelorius, Victorellus.



Digitized by Google

24. *Quoniam in manu eorum non ſunt bona ſua;conſilium impiorum longe ſit a me.*
Iob. 21.

SBigneus Ep. Cracouienſis Cardinalis promotus ab Eugenio IV. neutram partem elegit; vel potius cum Felice Antipapa conſenſit; ei enim per Nuntium Baſileæ gratias egit, die vltima Octob. 1441. vt in Actis Concilii. De eo lege *in Eugenio IV. n.* 30.

25. *Eritq. Iſrael in prouerbium, & in fabulam cunctis gentibus.* 3. Rex 9. A



THomas de Corcellis, vel Courcellis Canonicus Ambianenſis, teſte Spondano, vel Pariſienſis ex Contelorio, Doctor ſanè Pariſienſis, inter ſacrarum litterarum profeſſores inſignis, Concilio interfuit Baſileenſi, in quo nemo plura ex Decretis Concilii dictauit, vir doctrina mirabilis, modeſtia, & verecundia amabilis, cum ſemper in diſputationibus terram intueretur, veluti latenti ſimilis, contra Eugenium IV. acriter diſputauit, Papam *ſubeſſe Concilio, & Eccleſiæ; quòd hęc errare non poſſit, ille poſſit: quòd mater illa, hic filius: illa ſponſa Chriſti, hic tantummodo Vicarius: quòd quæ data ſunt Petro Apoſtolo priuilegia, data fuerint vt perſonam eccleſiæ gerenti: quem etiam ad eccleſiam* remiſit Dominus, cum dixit, Dic Eccleſiæ. B *Vnde & fiat, quòd ſi Papa eccleſiam non audierit, tanquàm Ethnicus, & publicanus ſit habendus: qui ſecus ſentirent, aut quòd Eccleſiæ competit, Generali Concilio non æquè competere aſſererent; id vel auiditate gloriæ, vel præmiorum expectatione, & ambitionis, adulatoriè diceret: Qui Romanum Pontificem per Concilium deponi poſſe negarent, fabulas eſſe, pertinacia magis, quàm ignorantia contendentes, magis verboſos, quàm eloquentes. Papam veriùs dici Eccleſiæ Vicarium, quàm Chriſti: nullum autem eſſe dubium, quin Dominus vicarios ſuos poſſit ad nutum ſuum deſtituere: ſi eccleſia poteſt; ergo & Concilium. Concilium ſine Papæ auctoritate congregari poſſe, & qui id negarent, ruinam ſecum eccleſiæ trahere. Illud autem plusquàm fatuum eſſe, dicere: poſtquàm ſemel conſenſus Papæ acceſſerit, ſi reuocetur, ceſſare Concilium: cum in ſuperiorem ſuum ius inferior non habeat.* C Attende modò quam laudet hominis modeſtiam Æneas Siluius. *Excecatus ſanè tunc ipſe, & dementatus ad hęc vna, & penè dixerim veſana argumenta, & obliquas ſcripturarum, ac Patrum interpretationes, eaſdem ipſas, quibus noſtri temporis hæretici aduerſùs Summum Pontificem abutuntur; quas diffuſiſſimè Thomas ille, non Apoſtoli in fide, ſed vt ſummum quid excuſationis concedamus, in dubitatione diſcipulus, apud ipſum proſequitur. Ita egregius ille orator, ac perorator, quo dictante, maxima pars decretorum Concilij Baſileenſis condita ſit, quis miretur, ſi talia fuerint, qualia leguntur. Conuenientiſſimè ſanè terram ſemper intuebatur, qui nihil tunc cæleſte ſapiebat.* D Nouum etiam cum creauit Pontificem Baſileenſis Conuentus; vnus ex Galliæ Electoribus Thomas fuit, qui in comitiis Amedeum promouit: à quo legatus ad Conuentum Bituricenſem, Felicis partes ſummo ardore ſuſtinuit altercando, diſputando, fruſtrà tamen; nollente Gallorum Rege ab Eugenii obedientia recedere. Quibus acceptis Thomas Baſileam, rediit, vbi inter Cardinales adſcriptus ab Amedeo Antipapa, oblatam reſpuit dignitatem, non habens pecunianiam pro tanta dignitate ſeruanda, fabula factus & prouerbium.

Felix Contelorius. Auberij.

26. *Verba ſunt plurima, multamq. in diſputando habentia vanitatem.* Eccl. 6.



IOannes de Raguſio, profeſſione Dominicanus, Magnus Theologus, totiuſque Ordinis S. Dominici Procurator Generalis die 23. Iulij. 1431. tanquàm ſubdelegatus à Iuliano Cardinali Cæſarino, Concilium aperuit Baſileenſe, vt dedimus *in vita Eug. IV. n.* 10. diſputauitque ibidem contra *Bohemos* graui rumore, cum caſu *Hæreticos* in calore diſputationis indirectè arguiſſet Huſſitas: ea propter eum audire amplius non ſuſtinuerunt *ib.* Hunc cooptatum fuiſſe inter Cardinales ab Amedeo Antipapa, legimus in M. S. Pii II. *De Baſileenſi Concilio*. Iſti ferè omnes abiurato Amedeo, purpuram depoſuere, exceptis Ludouico de Varambone, Hugone Metenſi, & Tarantaſio, iuxta pacta conuenta cum Nicolao V. teſte Pio II. *in Commentarijs* Reliqui à nutu penderent Pontificis.

*Inito pacis tractatu ſic conuenit inter partes, felix Papatum reſignet, primusq. Cardinalium eſto, & in ſuis dominijs legatus perpetuus: Ludouicus Cardinalis Arelatenſis priſtinam dignitatem habeto, & Cathedram Pontificalem recuperato. Ludouicus de Varambone, Hugo Metenſis; Tarantaſiusq. in Cardinalatu remaneant; cæteri, vt facultas eſſet, promoueantur.* ita Pius II. de Concilio Baſileenſi. Hujus pſeudoCardinalis inſignia, omiſſo Oldoino, ex M. S. Cornelio adiecimus Leones vt ſupra vides.

NICO-

# NICOLAVS V. R. P. CCX.

NIcolaus V. Electus Anno Sal. 1447. Pridie Non. Mar. Obiit 20. vel 25. Martii, 1455. cuius electioni adfuere.

## Epiſcopi Cardinales viui in creatione Nicolai V.

1. Io: Taliacotius Vrſinus, de Comitibus Archiep. Tarentinus: Ep. C. Præneſtin. Decanus &c. A

Ex Eug. IV.

2. Io: Ceruantes Ep. C. Oſtien. &c.
3. Franciſcus Condulmerius Ep. C. Portuen. &c.

## Cardinales Presbyteri.

4. Henricus P. C. tit. S. Euſebii, Archiep. S. R. E. ex Martino III.

Ex Eug. IV.

4. Io: Kemp. P. C. tit. S. Balbinæ.
6. Georgius de Fliſco P. C. tit. S. Anaſtaſiæ. &c.
7. Nicolaus de Acciapacio P. C. tit. S. Marcelli.
8. Iſidorus Græcus, Archiep. Ruthen. P. C. tit. SS. Mart. & Petri abſens.
9. Beſſarion Trapezuntinus Archiep. Nicenus, P. C. tit. SS. XII. Apoſtol. B
10. Sbigoeus Polonus Ep. Cracouien. P. C. tit. S. Priſcæ. abſens.
11. Antonius Martini Luſitanus, Ep. Portugal. P. C. tit. S. Chryſogoni.
12. Petrus à Scouuembergh ex Franconia, P. C. S. Vital. tit. Veſtinæ, abſens.
13. Io: Iuuenis Gallus Ep. Morinenſis P. C. tit. S. Praxedis.
14. Dionyſius Hungarus tit. S. Cyriaci in Thermis: abſens.
15. Guillelmus de Eſtouteuilla. tit. S. Mar. in Montibus.
16. F. Io: de Turrecremata tit. S. Mariæ Tranſtyberim.
17. Ludouicus Scarampus tit. S. Laur. in Damaſo. S. R. E. Camerar.
18. Dominicus Capranica tit. S. Crucis in Hieruſalem. ex Mar. III. & Eug. IV.
19. Alphonſus Borgia Ep. Valen. tit. SS. IV. Coronator.
20. Henricus de S. Aloſio tit. S. Clem.
21. Thomas Lucanus tit. S. Suſannæ.
22. D. Io: tit. S. Sabinæ.

## Diaconi Cardinales.

23. Proſper Columna S. Georgii in Velabro S. R. E. Archid. ex Mar. III.

Ex Eug. IV.

C 24. Petrus Barbus S. Mariæ Nouæ.
25. Io: Caruaial. S. Angeli.

## Epiſcopi Cardinales creati à Nicol. V.

1. *Eue ego ad Prophetas ſomniantes mendacium; qui narrauerunt ea ſeduxerunt populum meum in mendacio, & in miraculis ſuis: cum ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis.*
Ier. 23.



AMedeus Dux Sabaudiæ, Antipapa, nomine Felicis V. abiurato Sciſmate, Ep. Card. *Sabinus*; Sacri Collegii Decanus, Vicarius perpetuus, & Legatus Apoſtolicus declaratus à Nicolao V. promotione Cardinalium tertia, die XIV. Cal. Ian. 1449. in prouinciis, ciuitatibus, ac dominiis Duci ſubiectis Sabaudo: nec non in terris Bernenſium, in diæceſi Lauſanenſi, ea conditione; vt ſi vltra tres dies, extra locum legationis, moram traheret, legatio euaneſceret; vt ex diplomate Nicolai V. dato die 4. Cal. Septemb. 1449. Collationes, Decreta, gratiæ, electiones, diſpenſationes ab eodem Felice latæ, tempore, quo perſonam gerebat Pontificis, tam in foro conſcientiæ, quàm contentioſo, pro bo- D no pacis, Nicolao adprobante Pontifice de plenitudine poteſtatis ſubſiſterēt. Inſuper Felicis ſequaces cuiuſcumque eſſent conditionis ab Eugenio IV. damnati, vel dignitatibus exuti in integrum reſtituerentur. Contra eoſdem Felicem & aſſeclas odiosè dicta vel ſcripta, tanquàm irrita haberentur, ac ſi non emanaſſent, delerentur ex publicis regiſtris. Ex Cardinalibus per Felicem aſſumptis, *Ludouicum Alamanum Arelatenſem* dictum; *Ioannem Arſium de Artus* Archiep. Tarentaſienſem; *Ludouicum de Ve-*

*rambone* Epiſcopum Mauranienſem ; & *Gullelmum Hugonis de Stagno* Archidiaconum Metenſem, Gallos omnes iterum Nicolaus promoueret, Cęteri à Felice creati, aut iam mortui erant, aut dignitatem abdicarent. Baſileenſis acta Concilii confirmauit iuxta tenorem prædeceſſoris Eugenii IV. qui teſte Trithemio, *Chron.Hirſaug.* actis Concilij confirmatis ; in ſolum Felicem non conſenſit, Amedęus poſt ſuam abdicationem, priſtini amore ſeceſſus, Ripalliam regreſſus, ibi diuinis meditationibus, pijſque operibus totus intentus reliquum vitæ tranſegit vſque ad Idus Ianuar. 1452. Geneuæ obiit, Ripalliæ ſepultus, eius oſſa poſtea Taurinum tranſlata in ecleſiam S. Ioannis, non ſine opinione Sanctitatis, & fama miraculorum. *Philip. Bergom. lib.* 15. Pingonus *in Arbore gentil. Sabaud. Princip.* Monotus *in Amedeo*. Spondanus n. 8. An. 1452.

2. ISidorus Theſſalonicenſis ex Presb. Card. tit. SS. Marcel. & Petri Epiſcopus C. *Sabinus* creatus à Nicolao V. vide ſub *Eug. IV. n.* 26.

3. GEorgius Fliſcus ex P. C. *S. Anaſtaſiæ*, Ep. C. *Oſtienſis*, à Nicolao V. dictus. Lege ſupra *n.* 27. *in Eugenio IV.*

4. GVillelmus d'Eſtouteuilla, ex Card. P. C. tit. Equitii, Ep. Card. *Portuenſis & S. Ruffinæ* A promotus à Nicolao V. vide *in Eug. IV. n.* 25.

5. BEſarion Græcus ex P. C. Baſilicę SS. XII. Apoſtolorum, Ep. C. *Tuſculanus*, Lege in *Eug. IV. n.* 28.

## Presbyteri Cardinales.

6. PEtrus Barbus ex Diacono Cardinali *S. Mariæ Noua*, Presb. C. tit. *S. Marci*. Papa futurus nomine *Pauli II.*

7. *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote : quoniam nullus ſpetauit in Domino, & confuſus eſt.* Eccl. 2.



MAg. Antonins (quem aliqui *Maximum* dicunt) Cerdanus, Maioricenſis, ex vico S. Margaritę, Canonicus cenobita factus ordinis SS. Trinit. in cænobio S. Spiritus Maioricenſi Redemptionis Captiuorum [ teſte *Placido Samperio*, ac *Fr. Io: Figueras* ] per Angliam ; Scotiam, Hiberniam domos ſuę Religionis viſitauit ; poſtea Romæ, Procurator ſui Ordinis Generalis Theologorum ſui temporis Princeps, Cubicularius Papæ, Archiep. Meſſanenſis, ea exiſtimatione apud Pium II. non Magiſter appellaretur, ſed *Princeps Theologorum*. Eius doctrina & morum ſanctitate excitatus Nicolaus V. eum vnicè dilexit, ampliſſimis ditauit muneribus, & honoribus, & primum omnium & vnicum Presb. Card. tit. *S. Chryſogoni* creauit XIII. Cal. Aprilis, Romæ, Anno 1448. Eius opera pax inter Florentinos & Alphonſum Regem Arragoniæ inita. Romæ obiit Anno 1459. in veſtibulo ſepultus ſacrarii Baſilicæ Principis Apoſtolorum, cum ſequenti epitaphio.

*M.CD.LIX. die XII. Septemb. Antonius Cerdanus Maioricenſis Cardinalis quieuit in Domino.* Cur vulgò *Illerdenſis* diceretur Cardinalis ? Eccleſiis dicunt præfuiſſe Illerdenſi, & Iuuenacenſi. Eius commendatione, Arianenſibus reſtituta ſunt oſſa B. Othonis. Extant litterę Regis Alphonſi ad eum datæ ſequentes.

*RR. in Chriſto Patri, D. A. tit. S. Chryſogni Presb. Illerden. Amico.*

*Intus*

*RR. in Chriſto Pater Domine, & Amice Noſter chariſſime. Ciues Ariani cupiunt maiorem in modum, vt corpus B. Othonis Conf. quod tempore, quo Infideles in Italia inuadebant, inuitis Arianenſibus, ab eccleſia Arianenſi ad Beneuentanam fuit tranſlatum, Arianenſi reſtituatur: hoc enim & honeſtum, & pium eſt. V. propterea R. P. ea animi vehementia, qua poſſumus, rogamus, vt pro hac reſtitutione facienda, & cum SS. D. Noſtro, & cum Archiep. Beneuentano vices veſtras interponatis, vt omninò dicta reſtitutio ſequatur, quod nobis ad ſingularem complacentiam accedet. Dat. Puteolis, 12. Mar. 1452.*

*Rex Alphonſus.*

Ciacon. Porregnus. Panuin. Rocchus Pyrrh. *de Eccleſ. Meſſan.* Summon. *hiſtor. Neapol.*

8. *In carceribus abundantius.* 2. Cor. 11.



NOn multos Cardinales Nicolaus promouit, ſed optimus quos elegit ; inter eos Aſtorgius Agnenſis, Neapolitanus patritius, nobilioribus cultus diſciplinis per omnes togæ gradus *in* aula Romana, virtutis lenocinio, ad ſupremos aſcendens honores, ſub Io: XXIII. delectus Ep. Melitenſis, mox tranſlatus ad Rauellenſem, & Melphienſem eccleſiam ſub Martino V. factus Anconitanus Antiſtes, & ab Eugenio IV. ad Beneuentanam traductus Eccleſiam An. 1436. Eugenio defuncto, cum Romę Vice Cancellarii munere fungeretur, populi tumultum ſedauit excitatum à Stephano Porcario nobili Romano ; propterea à Nicolao V. in ſecunda Cardinalium promotione, 13. Ian. 1449. diuerſis legationibus functus (*ex Ciaconio*) vir litterarum ſcientia, prudentia, animi dexteritate præditus, ad regimen natus, Presb. Card. *S. Euſebij* creatur, ab eodem Nicolao in Patrimonium Legatus, Marchiam, Ducatum Spoletanum, Bononiam rectè gubernauit, iuſti-

iuſtitiæ teſtimonio ad poſteros tranſmiſſo. Abſens Beneuentanam Eccleſiam rexit Annis plus minus 15. Romæ moritur de Eccleſia benemeritus, quam ſemper promouere in animo habuit etiam ſuæ vitæ periculo. Nicolao namq. Picinino patrimonium S. Petri populante ſub Nicolao V. Aſtorgius Neapoli coactus Romam pergere, catenas ſubiit hoſtiles, Eccleſiæ tamen maieſtate ſeruata etiam in carcere; teſte *Garimberto lib. 1. c. 2.* ſepultus quieuit in clauſtro S. Mariæ ſuper Mineruam marmorea tumba muro affixa, cum inſignibus & elogio.

*Aſtorgio Agnenſi patria Neapol. tit. S. Euſebij P. C. Beneuent. cuius pro Rom. Eccleſ. virtus & omnis vita* A *ſemper in actione fuit; & qui rebus & legationibus maximis, ſedentibus Martino V. Eugenio, & Nicolao Rom. Pont. benè geſtis, Romæ obijt An. Sal. 1451. Vixit Annos 60.*

*Galertus eiuſdem familiæ vir inſignis, & Doctor patruo benemerenti conſtrui, & ſe propè poni mandauit.*

Eius memoria in eccleſia Beneuentana, in qua quatuor Canonicatus erexit. Deuotus B. Franciſci Aſſiſium venit, & beneficio Eugenii IV. vidit corpus Seraphici.

*Ciaconius. Vghellus. Victorellus. Panninius.*

9. *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi; ego autem* B *orabam.* Pſal. 108.



LAtinus Vrſinus, Domicellus Romanus, vtili Iuriſprudentiæ ſtudio, natalium ſplẽdorem auxit, & poſt adeptam lauream Archiepiſcopus dictus Compſanus ad Tranenſem tranſfertur eccleſiam die 21. Nouemb. 1439. quam cum egregia animi virtute, ſuſtineret, Presb. Card. tit. *SS. Io: & Pauli, tit. Pammachij* à Nicolao V. renuntiatur, Anno 1449. Cardinalium promotione C ſecunda, exactoque Anno Vrbinatenſem etiam [ Tranenſem occupante Ioanne Vrſino Latini fratre, ex gratia Nicolai V. ad quem Platina Dialogum dedicauit *de vera nobilitate* ] commendatam accepit, quam ad duos fermè Annos adminiſtrauit; & Anno 1454. Barenſis Archiepiſcopus declaratur princeps liberalitatis excelſę, ingenii acutiſſimi, pietatis non fucatę, vt cuiuſlibet honoris faſtigium, omnium teſtimonio, conſcendere mereretur, vno excepto Volaterrano apud *Sanſouinum p. 5.* qui Latinum familiæ ſolùm intentum, inofficioſum, ſuæ tantùm glorię cupidum accuſat; cum tamen teſte Garimberto, aliiſque M. S. hiſtoricis, eum propter Regias virtu- D tes Romanus Populus prædiligeret. Mortuo Nicolao V. promouit in Pontifices Romanos Callixtum III. Pium II. [ cuius nomine, coronauit Ferdinandum Regem Neapolis ] Paulum II. à quo Legatus dictus perpetuus Marchę Anconitanę, eo defuncto auctor fuit ſupra omnes, vt Franciſcus de Ruuere Cardinalis S. Petri ad Vincula in Rom. P. nomine Sixti IV. crearetur, à quo gratitudinis titulo *S. R. E. Camerarius* renuntiatus, & ſumma cum poteſtate aſſumptus ad arcana Imperii eccleſiaſtici; coram Principibus ſeculi. In hoc tamen ego vitupero; quòd Cardinalem Nicęnum paciſci renitentem, in Pontificem ex hac cauſa promouere renuerit; Cardinalem verò S. Petri in vincula priùs conditionibus illigatum elegerit [ teſte *Papienſi ep. 395.* graui indignatione Populi Romani, qui exeuntem ad coronationem Sixtum, lapidibus obruiſſent, niſi Latini Cardinalis auctoritas interceſſiſſet; teſte *Panuinio.* Viuente Eugenio IV. plenus fidei, & religionis, ſumma liberalitate, S. Saluatoris in Lauro, Romę, templum ſplendidè exornatum variis ſuorum prouentuum fructibus locupletauit, vt ſaxum indicat ſupra oſtium.

*Latinus Vrſinus Cardinalis*
*Templum hoc erexit & dotauit.*

Cui, ſtudio non minori, cęnobium addidit, cuius in impluuio per eumdẽ extructo, ſub eiuſdem Cardinalis marmorea effigie, ſequens legitur inſcriptio.

*Latino Cardinali Vrſino*
*Optimo, & munificentiſſ. parenti*
*Canonici grati animi C. P. C. An. Dom. 1621.*

Sollicitus quam Religioſorum familiam adduceret in cęnobium à ſe conſtructum, Canonicos ſeculares Venetiis Romam euocauit: *Locus priùs vndique clauſus, interiori structura picturis, marmoribus, vberrimiſque fontibus ſpectabilis, Hic bina clauſtra, Priùs Eugenij IV. epitaphium exornat, vnaque elegans ciſterna. Alterum fonte amœnius redditum. Hinc tricliniumpictura celeberrimi Ioſephi Saluiati illuſtrat. Hortus malis citrijs & aureis conſitus ſuo virore oculos lætificat, Cardinalem à grauioribus negotijs ſe ſubtrahentẽ quietis cauſa dimiſſa, numeroſiore familia huc ſeceſſiſſe ferũt, atque in cellula ſibi ſelecta cum ſanctiſſimis viris pietati operam dediſſe, eodem victu in triclinio cum patribus ſobriè vſum, beatiorem hanc vitam ſummoperè extuliſſe. Cum affectu ita creuit in optimo Principe noſtri ſtudium, vt ſuppellectilem ſacram ſeorſim augeret, quin opulentiſſimam Abbatiam S. Pauli ſũgeret, vicinaſque domos cęnobio adijceret.* Iacob. Philip. Tomaſinus *in Annal. Canonic. Sæcul. p.* 339. Bibliothecam etiam eis donauit refertiſſimam, quę à Barbaris, Anno 1527. Roma expugnata, incendio conſumpta. Pompam abhorrens humanam, mandauit vt eius cadauer minimè Mauſolęo exciperetur prędiuite, ſed ſubtus Altare humaretur B. Virginis in eadem eccleſia: vt qui viuens faſtu tumidus, ſplendore familię, & ſuppellectilis, ſcandalo fuerat; mortuus exemplum iaceret humilitatis. Ea eius apud Pontificem exiſtimatio, & Purpuratorum Senatum, vt morbo granatum Sixtus IV. lecto iacentem viſitauerit cum Cardinalibus, eiuſdemque in cubiculo Conſiſtorium habuerit ( res ſine exemplo) vt facultatem ei permitteret teſtamẽti. Romę obijt, ætatis Anno 74. tertio Idus Aug. 1477. Infiſſura Latinum ſcribit obiiſſe Anno 1472. die 21. Aug. cum eſſet Epiſcopus non *Sabinus*, vt vult Ciaconius; ſed

*Tuſcu-*

*rambone* Epiſcopum Mauranienſem ; & *Guillelmum Hugonis de Stagno:* Archidiaconum Metenſem, Gallos omnes iterum Nicolaus promouerer. Cęteri à Felice creati, aut iam mortui erant, aut dignitatem abdicarent. Baſileenſis acta Concilii confirmauit iuxta tenorem prædeceſſoris Eugenii IV. qui teſtę Trithemio, *Chron. Hirſaug.* actis Concilij confirmatis; in ſolum Felicem non conſenſit. Amedęus poſt ſuam abdicationem, priſtini amore ſeceſſus, Ripalliam regreſſus, ibi diuinis meditationibus, pijſque operibus totus intentus reliquum vitæ transegit vſque ad Idus Ianuar. 1452. Geneuæ obiit, Ripalliæ ſepultus, eius oſſa poſtea Taurinum tranſlata in ecclesiam S. Ioannis, non ſine opinione Sanctitatis, & fama miraculorum. *Philip. Bergom. lib.* 15. Pingonus *in Arbore gentil. Sabaud. Princip.* Monotus *in Amedęo*. Spondanus n. 8. An. 1452. A

2. **I**Sidorus Theſſalonicenſis ex Presb. Card. tit. SS. Marcel. & Petri Epiſcopus C. *Sabinus* creatus à Nicolao V. vide ſub *Eug. IV. n.* 26.

3. **G**Eorgius Fliſcus ex P. C. *S. Anaſtaſiæ*, Ep. C. *Oſtienſis*, à Nicolao V. dictus. Lege ſupra *n.* 27. *in Eugenio IV.*

4. **G**Villelmus d'Eſtouteuilla, ex Card. P. C. tit. Equitii, Ep. Card. *Portuenſis & S. Ruffinæ* promotus à Nicolao V. vide *in Eug. IV. n.* 25.

5. **B**Eſſarion Græcus ex P. C. Baſilicę SS. XII. Apoſtolorum, Ep. C. *Tuſculanus*, Lege in *Eug. IV. n.* 28.

## Presbyteri Cardinales.

6. **P**Etrus Barbus ex Diacono Cardinali *S. Mariæ Noua*, Presb. C. tit. *S. Marci*. Papa futurus nomine *Pauli II.*

7. *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote: quoniam nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* B

Eccl. 2.



**M**Ag. Antonius (quem aliqui *Martinum* dicunt) Cerdanus, Maioricenſis, ex vico S. Margaritę, Canonicus cenobita factus ordinis SS. Trinit. in cænobio S. Spiritus Maioricenſi Redemptionis Captiuorum [ teſte *Placido Samperio*, ac *Fr. Io. Figueras* ] per Angliam; Scotiam, Hiberniam domos ſuę Religionis viſitauit; poſtea Romæ, Procurator ſui Ordinis Generalis Theologorum ſui temporis Princeps, Cubicularius Papæ, Archiep. Meſſanenſis, ea exiſtimatione apud Pium II. non Magiſter appellaretur, ſed *Princeps Theologorum*. Eius doctrina & morum ſanctitate excitatus Nicolaus V. eum vnicè dilexit, ampliſſimis ditauit muneribus, & honoribus, & primum omnium & vnicum Presb. Card. tit. *S. Chryſogoni* creauit XIII. Cal. Aprilis, Romæ, Anno 1448. Eius opera pax inter Florentinos & Alphonſum Regem Arragoniæ inita. Romæ obiit Anno 1459. in veſtibulo ſepultus ſacrarii Baſilicæ Principis Apoſtolorum, cum ſequenti epitaphio. C

*M.CD.LIX. die XII. Septemb. Antonius Cerdanus Maioricenſis Cardinalis quieuit in Domino.* Cur vulgò *Illerdenſis* diceretur Cardinalis? Eccleſiis dicunt præfuiſſe Illerdenſi, & Iuuenacenſi. Eius commendatione, Arianenſibus reſtituta ſunt oſſa B. Othonis. Extant litterę Regis Alphonſi ad eum datæ ſequentes. D

*RR. in Chriſto Patri, D. A. tit. S. Chryſogni Presb. Illerden. Amico.*

*Intus*

*RR. in Chriſto Pater Domine, & Amice Noſter chariſſime. Ciues Ariani cupiunt maiorem in modum, vt corpus B. Othonis Conf. quod tempore, quo Infideles in Italia inuadebant, inuitis Arianenſibus, ab eccleſia Arianenſi ad Beneuentanam fuit translatum, Arianenſi reſtituatur: hoc enim & honeſtum, & pium eſt. V. propterea R. P. ea animi vehementia, qua poſſumus, rogamus, vt pro hac reſtitutione facienda, & cum SS. D. Noſtro, & cum Archiep. Beneuentano vices veſtras interponatis, vt omnino dicta reſtitutio ſequatur, quod nobis ad ſingularem complacentiam accedet. Dat. Puteolis. 12. Mar. 1452.*

*Rex Alphonſus.*

Ciacon. Porregnus. Panuin. Rocchus Pyrrh. *de Eccleſ. Meſſan.* Summon. *hiſtor. Neapol.*

8. *In carceribus abundantius.* 2. Cor. 11.



**N**On multos Cardinales Nicolaus promouit, ſed optimus quos elegit; inter eos Aſtorgius Agnenſis, Neapolitanus patritius, nobilioribus cultus diſciplinis per omnes togæ gradus in aula Romana, virtutis lenocinio, ad ſupremos aſcendens honores, ſub Io. XXIII. delectus Ep. Melitenſis, mox tranſlatus ad Rauellenſem, & Melphienſem eccleſiam ſub Martino V. factus Anconitanus Antiſtes, & ab Eugenio IV. ad Beneuentanam traductus Eccleſiam An. 1436. Eugenio defuncto, cum Romę Vice Cancellarii munerę fungeretur, populi tumultum ſedauit excitatum à Stephano Porcario nobili Romano; propterea à Nicolao V. in ſecunda Cardinalium promotione, 13. Ian. 1449. diuerſis legationibus functus (*ex Ciaconio*) vir litterarum ſcientia, prudentia, animi dexteritate præditus, ad regimen natus, Presb. Card. *S. Euſebij* creatur, ab eodem Nicolao in Patrimonium Legatus, Marchiam, Ducatum Spoletanum, Bononiam rectè gubernauit, iuſti-

iuſtitiæ teſtimonio ad poſteros tranſmiſſo. Abſens Beneuentanam Eccleſiam rexit Annis plus minus 15. Romæ moritur de Eccleſia benemeritus, quam ſemper promouere in animo habuit etiam ſuæ vitæ periculo. Nicolao namq. Picinino patrimonium S. Petri populante ſub Nicolao V. Aſtorgius Neapoli coactus Romam pergere, catenas ſubiit hoſtiles, Eccleſiæ tamen maieſtate ſeruata etiam in carcere; teſte *Garimberto lib. 1. c. 2.* ſepultus quieuit in clauſtro S. Mariæ ſuper Mineruam marmorea tumba muro affixa, cum inſignibus & elogio.

*Aſtorgio Agnenſi patria Neapol. tit. S. Euſebij P. C. Beneuent. cuius pro Rom. Eccleſ. virtus & omnis vita* A *ſemper in actione fuit; & qui rebus & legationibus maximis, ſedentibus Martino V. Eugenio, & Nicolao Rom. Pont. benè geſtis, Romæ obijt An. Sal. 1451. Vixit Annos 60.*

*Galeotus eiuſdem familiæ vir inſignis, & Doctor paterno benemerenti conſtrui, & ſe propè poni mandauit.*

Eius memoria in eccleſia Beneuentana, in qua quatuor Canonicatus erexit. Deuotus B. Franciſci Aſſiſium venit, & beneficio Eugenii IV. vidit corpus Seraphici.

*Ciaconius. Vghellus. Victorellus. Panuinius.*

9. *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi; ego autem* B *orabam.* Pſal. 108.



LAtinus Vrſinus, Domicellus Romanus, vtili Iuriſprudentiæ ſtudio, natalium ſplẽdorem auxit, & poſt adeptam lauream Archiepiſcopus dictus Compſanus ad Tranenſem tranſfertur eccleſiam die 21. Nouemb. 1439. quam cum egregia animi virtute, ſuſtineret, Presb. Card. tit. *SS. Io: & Pauli, tit. Pammachij* à Nicolao V. renuntiatur, Anno 1449. Cardinalium promotione C ſecunda, exactoque Anno Vrbinatenſem etiam [Tranenſem occupante Ioanne Vrſino Latini fratre, ex gratia Nicolai V. ad quem Platina Dialogum dedicauit *de vera nobilitate*] commendatam accepit, quam ad duos fermè Annos adminiſtrauit; & Anno 1454. Barenſis Archiepiſcopus declaratur princeps liberalitatis excelſę, ingenii acutiſſimi, pietatis non fucatę, vt cuiuſlibet honoris faſtigium, omnium teſtimonio, conſcendere mereretur, vno excepto Volaterrano apud *Sanſouinum p. 5.* qui Latinum familiæ ſolùm intentum, inofficioſum, ſuæ tantùm glorię cupidum accuſat; cum tamen teſte Garimberto, aliiſque M. S. hiſtoricis, eum propter Regias virtu- D tes Romanus Populus prædiligeret. Mortuo Nicolao V. promouit in Pontifices Romanos Callixtum III. Pium II. [cuius nomine, coronauit Ferdinandum Regem Neapolis] Paulum II. à quo Legatus dictus perpetuus Marchę Anconitanę, eo defuncto auctor fuit ſupra omnes, vt Franciſcus de Ruuere Cardinalis S. Petri ad Vincula in Rom. P. nomine Sixti IV. crearetur, à quo gratitudinis titulo *S.R.E. Camerarius* renuntiatus, & ſumma cum poteſtate aſſumptus ad arcana Imperii eccleſiaſtici; coram Principibus ſęculi. In hoc tamen ego vitupero; quòd Cardinalem Nicęnum paciſci renitentem, in Pontificem ex hac cauſa promouere renuerit; Cardinalem verò S. Petri in vincula priùs conditionibus illigatum elegerit [teſte *Papienſi ep. 395.* graui indignatione Populi Romani, qui exeuntem ad coronationem Sixtum, lapidibus obruiſſent, niſi Latini Cardinalis auctoritas interceſſiſſet; teſte *Panuinio.* Viuente Eugenio IV. plenus fidei, & religionis, ſumma liberalitate, S. Saluatoris in Lauro, Romę, templum ſplendidè exornatum variis ſuorum prouentuum fructibus locupletauit, vt ſaxum indicat ſupra oſtium.

*Latinus Vrſinus Cardinalis*
*Templum hoc erexit & dotauit.*

Cui, ſtudio non minori, cęnobium addidit, cultus in impluuio per eumdẽ extructo, ſub eiuſdem Cardinalis marmorea effigie, ſequens legitur inſcriptio,

*Latino Cardinali Vrſino*
*Optimo, & munificentiſs. parenti*
*Canonici grati animi C. P. C. An. Dom. 1621.*

Sollicitus quam Religioſorum familiam adduceret in cęnobium à ſe conſtructum, Canonicos ſęculares Venetiis Romam euocauit: *Locus priùs vndique clauſus, interiori structura picturis, marmoribus, vberrimiſque fontibus ſpectabilis, Hic bina clauſtra, Priùs Eugenij IV. epitaphium exornat, vnaque elegans ciſterna. Alterum fonte amęnius redditum. Hinc tricliniumpictura celeberrimi Ioſephi Saluiati illuſtrat. Hortus malis citrijs & aureis conſitus ſuo virore oculos lætificat, Cardinalem à grauioribus negotijs ſe ſubtrahentẽ quietis cauſa dimiſſa, numeroſiore familia huc receſſiſſe ferũt, atque in cellula ſibi ſelecta cum ſanctiſſimis viris pietati operam dediſſe, eodem victu in triclinio cum patribus ſobriè vſum, beatiorem hanc vitam ſummoperè extuliſſe. Cum affectu ita creuit in optimo Principe noſtri ſtudium, vt ſuppellectilem ſacram ſeorſim augeret, quin opulentiſſimum Abbatiam S. Pauli iũgeret, vicinaſque domos cęnobio adijceret.* Iacob. Philip. Tomaſinus *in Annal. Canonic. Sæcul. p.* 339. Bibliothecam etiam eis donauit refertiſſimam, quę à Barbaris, Anno 1527. Roma expugnata, incendio conſumpta. Pompam abhorrens humanam, mandauit vt eius cadauer minimè Mauſolęo exciperetur prędiuite, ſed ſubtus Altare humaretur B. Virginis in eadem eccleſia: vt qui viuens faſtu tumidus, ſplendore familię, & ſuppellectilis, ſcandalo fuerat; mortuus exemplum iaceret humilitatis. Ea eius apud Pontificem exiſtimatio, & Purpuratorum Senatum, vt morbo grauatum Sixtus IV. lecto iacentem viſitauerit cum Cardinalibus, eiuſdemque in cubiculo Conſiſtorium habuerit (res ſine exemplo) vt facultatem ei permitteret teſtamẽti. Romę obijt, ætatis Anno 74. tertio Idus Aug. 1477. Infiſſura Latinum ſcribit obiiſſe Anno 1472. die 21. Aug. cum eſſet Epiſcopus non *Sabinus*, vt vult Ciaconius; ſed

*Tuſcu-*

Digitized by Google

*Tuſculanus*. Anno 1468. dictus eſt Ep. *Sabinus* à Paulo II. ad *Tuſculanum* tranſlatus à Sixto IV. Anno 1476.

De eo *Sanſouinus*, *Garimbertus*, *Vghellus*, *Panninius*, *Ciaconius*. Cardinalis Papienſis in *epiſtolis ad Latinum ſcriptis*, *Auberij* Marracinus *in Pur. Mar.* deuotiſſimum refert Virginis Deiparæ, cuius in Annunciatione, Aſſumptione, Natiuitate, ieiunijs, orationibus ſe macerabat: ex quo eam per quietem videre, & audire meruit, certiorque fieri de hora mortis: & quòd Dęmones tunc non haberet infeſtos. Eius inſignia viſebantur olim in porta Septentrionali Baſilicæ Lateran. *Raſpon. De Baſil. Later.* Plura de eo Cromerus, ſuſpectę tamen fidei; quòd tempora non concordent.

10. *Fecit itaq. ſuperhumerale de auro hyacintho, purpura, coccoq. bis tincto.*

Ex. 39.



ALanus Coetiuus Brito, Gallus, filius Pregentis Franciæ Polemarchi, & Thalaſſiarchę, nec non Mariæ de la Val Dominę de Rais. Eius patruus Oliuarius de Coetiui, pater Caroli Comitis de Taillebourg, maritus Ioannæ Valeſiæ patruę Franciſci Magni Galliarum Regis. Præſul primùm Dolenſis, poſtea Coriſopitēſis in ſinu Oceani Aquitanici euocatus, tandem Auenionenſis, & Sedis Legatus Apoſtolicæ, Concilium habuit Prouinciale Anno 1457. cui Petrus de Fuxo S. R. E. Card. Archiep. Aquenſis, cum XII. Epiſcopis, & Capitulis Cathedralibus adfuit pro obſeruantia eccleſiaſticæ diſciplinę; ſubſcripſere etiam Baſileenſi decreto, *De Conceptione* Deiparę. Litteras accepit ab Eugenio IV. vt reuocationem procuraret Pragmaticæ Sanctionis, in Regno Galliæ, non ſine retributionis prę- C mio, pro tanto labore, & purpuræ ſpe Cardinalitiæ. Tractauit oppidò Eugenius in ſecreto Conſiſtorio, de eo inter Cardinales aſſumendo; licet poſtea declarauerit idem Eugenius diplomate ſcripto, die 30. Ianuarij, 1446. ſuæ intentionis non fuiſſe, vt illum inter Cardinales aſſumeret: propterea Cardinalatus inſignia Alanus depoſuit, quæ vſque adhuc geſſerat in eam diem. Purpuram tandem accepit à Nicolao V. Presb. tit. *S. Praxedis*, An. 1449. promotione Cardinalium ſecunda Romæ facta; & litteras accepit gratulatorias à Iacobo Card. Papienſi, ep. 310. teſtante Ænea Syluio *lib. 2. Commentar. Excellenti acie ingenij fuiſſe, & virtute vinci neſcia*. Titulo D Adminiſtratoris Dolenſis exornatur Anno 1456. Miſſus in Britanniam Armoricam à Callixto III. Legatus à latere ad exhumandum corpus S. Vincentij Ferrerij, qui Alphonſum Borgiam, Papam futurum prædixit: inde ab eodem Callixto III. Anno 1456. ad Carolum VII. Francorum Regem, vt hunc ſollicitaret in Turcas, eloquentia ſua Regem, Regnique Proceres Cruce ſignauit, dumque milites colligit, Papa morte preuento, euanuit expeditio.

Mortuo Callixto, cum Patres ferè vnanimes conuenirent in electione Beſsarionis Cardinalis ad Summum Pontificem; vnus Alanus Cardinalis Auenionēſis obſtrepere cępit. *Eccleſia ergo Latinę Graecum Pōtificem dabimus, & in capite libri neophitum collocabimus? nondum barbam raſit Beſſarion, & noſtrum caput erit? En paupertas eccleſia Latina, qua virum non reperit Summo dignum Apoſtolatu; niſi ad Graecos recurrat. Agite Patres quodlibet. Ego, & qui mihi credent in Graecum Præſulem non conſentiemus. Mouerunt ea verba nonnullos, adeò vt duæ partes Collegij nullo pacto ad Beſſarionem accederent. &c.* Gobelinus in *Comment. Pij II. lib. 2*, Lege quę de- A dimus in vita Calliſti III. Ex corde loquutus Alanus, vel vt alium Cardinalem in Pontificem promoueret? incertum. Non enim teſte Garimberto *lib. 4. c. 1.* ſemper corde declamabat ſincero. Immò auro corruptus gratiam aucupabatur ambientium, non veritatem; & in Conclaui Nicolai V. Calliſti III. Pij II. Sixti IV. Gullielmo obſtrictus Cardinali Rohanenſi, cęteris omnibus excluſis, eius tantummodò procurauit aſſumptionem, quòd ab eo munus expectaret Cancellariæ, & grande lucrum. *Garimber. lib. 6. c. 2.* Magni tamen & liberi animi ſe oſtendit in pleno Conſiſtorio, aduersùs Paulum II. R. P. [teſte Papienſi *in epiſtolis*] conantem leges retracta- B re, quas Cardinalis iurauerat pro bono Eccleſię regimine, Pontifex factus firmauerat: cum illius ſimulationem damnauit: *Rectè Paule Annos viginti quatuor adhibuiſti ſtudium, vt nos ſemel falleres* Indignationem etiam incurrit Ludouici Gallorum Regis, à quo bonorum fructibus expoliatus, quòd Io: Cęſarini Legati Apoſtolici in Britanniam mittendi cauſa fuiſſet, teſte Pio II. *lib. 12. Com.* Card. Papien. *lib. 2.* Obiit Alanus auaritię infamia pollutus 11. Cal. Aug. Romæ. Anno 1474. ſepultus in ſuo *S. Praxedis* titulo, ſepulchro marmoreo, prope ſacellum, in quo & Chriſti columna, cum epitaphio.

*Sedente Sixto IV.*

*Alanus Ep. Sabin. E. R. Cardin. nobiliſſ. in Britonibus Coetiuorum Gente natus, illuſtri legatione ad Gallos pro Fide functus, cuius vita exemplum virtutis, actiones autem priuatim & publicè ſalutares fuere, Hoc monumento conditus eſt. Vixit Annos 66. Menſ. 8. dies 15. M.CD. LXXIV.*

Sabinus hinc dicitur Epiſcopus, & ſanè ſub Sixto IV. Sabinenſe ei Sacerdotium obuenit,

De eo *Victorellus: Ciaconius: Vghellus. Garimbertus: Card. Papien. Frizonius: Claudius Robertus; Auberij; Contelorius.*

11. *Templi altitudo ab ipſo fundata eſt , duplex ædificatio, & excelſi parietes templi.*
Eccl. 50.



IO: Rolinus Auguſtoduni natus patre Philippi Burgundię Ducis Cancellarij Nicolao, & matre Ioanna de Landes, parentibus pijs, qui Prochotropium Belnenſe ędificauere Anno 1443. & ampliſſimis dotauere redditibus. Ædes Deiparæ A ſacras Auguſtodonenſes à fundamentis erexere , Canonicorum ibidem numero inſtituto duodenario, vnà cum Præpoſito, & Capellanis viginti qnatuor ; qua in Eccleſia Nicolaus iacet.

Auguſtodonenſis Archidiaconus Io: Pior S. Marcelli M. cuius cauſam reſtituit . Monaſterii D. Martini Æduenſis, Ord. Bened. cænobiarcha, cuius loci primus Abbas Lupus à S. Gregorio M. conſtitutus ; cui Lupo ſuceſſit eiuſdem nominis Ioannes Rolin Præſul Æduenſis. Ludouico Delphino à Confeſſionibus Regi futuro huius nominis *XI*. Præſul Cabilonenſis, poſtea Auguſtodonenſis Anno 1436. præfuit huic Sacerdotio Annos 46. Eccleſiam cathedralem incendio conſumptam reſtituit, Campanam maiorem dono dedit , quamplurima Templi ornamenta; ęneas columnas ad aram principem, aquilam in choro ; diem inſtituit anniuerſarium annuatim celebrandum . Feſtum D. Lazari in S. Sacello Diuionenſi celebre reddidit , eiuſqne Io: habetur memoria in capęlla ipſi Diuo erecta, quæ vulgò dicitur *la Cardinale* . Eidem Ioanni Officialis datus Ferricus Cluniacenſis, poſtea Cardinalis . Suffraganeum habuit , ſeù Propontificem Ioannem Buiſſon Carmelitam, Epiſcopum Bethleemiticum . Purpura donatur à Nicolao V. Presbyterali *tit. S. Stephani in Monte Calio*, promotione ſecunda Anno 1449. à quo & pallium accepit . Confunditur ab aliquibus eum Ioanne Caſtrenſi creato in ſciſmate ab Antipapa Amedeo Sabaudo. Eccleſię D. Genouefes plura erogauit , vt habetur in eiuſdem Eccleſiæ Calendario. Nec confundendus cum Ioanne Raulin Ciſtercienſi , qui opera plura ſcripſit. Ex mortali ſtatione ſeceſſit An. 1483. dierum plenus , hæredem reliquit eccleſiam Vici dę Beſſe appellati in triente , legitimis hæredibus inſtitutis.

*Ciaconius. Frizonius, Claudius Robertus , Io: Chenu Vghellus. Panuinius Contelorius, Auberij .*

12. *Cum digeſſiſſet vinum Nabal: indicauit ei vxor ſua verba hęc: & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.*
1. Reg. 25.



PHilippus Callendarius frater Vterinus Nicolai V. Sergianenſis, ex Canonico, & Archidiacono Lucenſi , ad ſedem aſſumptus Bononienſem , fratre mandante Pontifice An. 1448. Annoque ſequenti, ad titulum *S. Suſannę* Presb. Card. deinde *S. Lucinæ* ; Maior Penitentiarius, ac Picæni Legatus , quam prouinciam omni clementia, & benignitate adminiſtrauit, charus populo, quē vt diligebat, diligebatur. Corrigebat namq. peccãtes ſed tempore opportuno. Epiſcopatũ adeptus Portuenſem An. 1470. Bagnariæ obijt non procul Viterbio, Anno 1476. Non. Cal. Aug. poſtquàm tres Pontifices promouiſſet Romanos, Pium II. cum quo adfuit Mantuano Concilio: Calliſtum III. Paulum II. ſepultus in S. Laur. in Lucina, cum hoc epitaphio.

*Philippo Calandrino Sargianenſi, Cardinali Bonon.*
B *Ep. Portuenſi, Sanctaq. R. E. ſummo Pęnitentiario , Nicolai V. Pont. M. fratri, Io: Mattheus Calandrinus patruo cariſſimo poſuit ; Vixit Annos LXXIII. Obijt An. Sal.* 1476.

*Petro Cæſari Carolo Leonardo tribus liberis adhuc impuberibus pientiſs. pater hoc eodem hipoger condit.*

Eius memoria in Eccleſia S. Mariæ Charitatis , quam Fratribus dedit tertii ordinis S. Franciſci de Obſeruantia . Collegium Canonicorum , Baſilicæ S. Petronii ; & Conſtitutiones Synodales Bernardi olim Epiſcopi probauit .

De eo ſcripſere *Garimbertus , Ciaconius , Vghellus , Victorellus*. Sigonius de Ep. Bononien. litteras reci-
C tat datas Clero, & Popolo Bononienſi à Nicolao, V. dum is fratrem legeret Ep. Bononien. *Auberij* .

13. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt .*
Lucæ. 23.



D

M. D. Nicolaus de Cuſa (Cuſa vicus apud Moſellam fluuium in diæceſi Treuirenſi, vbi Nicolaus natus eſt) Theologię, & Decretorum Doctor, Decanus S. Florini Conſtantienſis, Canonicus Regularis, Præpoſitus (teſte *Pennoto lib. 2. cap. 39. §. 1. Hiſtor. Trip.*) Monaſterii Vvotobergenſis, Archid. Leodienſis, Protonotarius Apoſtolicus, magnarum virtutum Mecenas, & clarum Germaniæ Sydus ; æquè Pius ac doctus a Card. Bellar. appellatus ; à Poſſeuino in *Apparatu ſacro* , ſcientiis penè vniuerſis expolitus . Canonum peritia eximius, aliis vitæ dotibus excultus: à *Trithemio* in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, Theologorum ſui temporis facilè princeps, in ſæcularibus litteris

egre-

egregiè doctus, Philoſophus, Rhetor, Mathematicus celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, linguarum Hebraicę, Græcæ, & Latinæ peritus, vita conuerſatione integerrimus, ſingulariter deuotus, Syncerus ac feruidus ſalutis animarum cuſtos; in Germaniam Legatus multa eaq. vtilia pro eccleſiæ reformatione, & pręcipuè Ordinis Benedictini fecit, conſtituit. Concilio adfuit Baſileenſi, cuius poteſtatem mirè extulit, donec patefacta eorum peruicacia contra Eugenium IV. quòd & Sciſma conflarent, ſententiam deteſtatus inſanam, vnà cum Iuliano Card. Cæſarino, & Ænea
Syluio, in fauorem decertauit Eugenii, vt ex *ep.*1. A
*ad Rodericum de Treuino*, *Regis Caſtellæ in Francofordienſi conuentu Oratorem*, 20. *Maij*, 1442. in qua de Summi Pontificis poteſtate optimè diſſerit, & ſciſma crimen nominat Diabolicum. Coloniæ, Traiecti ex ſacro concionando ſuggeſtu, (teſte *Meyero*) peccatorum veniam impartiendo, non ſolùm Monachorum ſtatuta reformauit, ſed Veſtales virgines omnes reclusit. Cardinalis Presbyter *S. Petri ad Vincula*, *tit. Eudoxiæ* dictus à Nicolao V. Anno 1449. die 13. Ianuarij. promotione ſecunda tectum ſui Tituli refecit, de nouo conſtruxit; multa & varia ornamenta prædictæ contulit eccleſiæ. Creatus po-
ſtea Epiſcopus Brixinenſis, & Apoſtolicæ Sedis Le- B
gatus, vir vndecumque fidei Zelator Chriſtianæ, cum alia ratione Huſſitis ſuadere non poſſet; epiſtolas de variis dogmatibus, præcipuè verò de Communione ſub vtraque ſpetie ſcripſit, in quibus ex locis Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, Communionem ſub vtraque ſpetie non fuiſſe à Chriſto præceptam; neque ad ſalutem neceſſariam, & rectè Laicis in cauſas grauiſſimas ſublatam. In Bohemiam miſſus à Nicolao V. Anno 1452. vt fingentibus Bohemis vnionem, & reconciliationem deſiderare cum Eccleſia Romana, pro iuſto, & æquo ſatisfaceret, acceſſit ad confinia, eorumq. illuſione & do-
lo detecto, per literas iterum eorum confutauit C
errores. Earum vnam, quæ hiſtoriam memorat, habes apud Bzouium, to. 7. An. 1452. n. 12. Miſſus ad Fridericum V. Imperatorem eo tempore, quo Chriſtiana Religio, maximò agitaretur diſcrimine ea ſe geſſit prudentia, vt Imperatorem ac Germaniæ Principes Pontifici reconciliauerit, veteri reſtituta diſciplina. Cum ſolo Sigiſmundo Auſtriæ Duce lis improſpera De Feudis, & Iuriſdictione in territorio Brixinenſi. Cum enim accepiſſet Sigiſmundus Ep. Cardinalem Brixinenſem Cuſanum, ad Eccleſiam ſuam perrexiſſe Brixinenſem, iræ impatiens atq. furoris, coactis copiis, Brunekam Brixi-
nenſis eccleſiæ oppidum, in cuius arcem Cardina- D
lis ſeceſſerat, petiit atque in die Dominicæ Reſurrectionis, ſacro oppido expugnato, arcem, ipſumque Cardinalem in deditionem accepit, cuſtodiæ tradidit, propterea à Pio II. excommunicatione percuſſus, ad futurum Pontificem & Generale Concilium appellauit, eamque ſcripto conceptam manu Grogorii Heimburgi, ad valuas affixit eccleſiæ Florentinæ. Pius verò datis ad Germaniæ Præſules, & Principes litteris, præcipuè Magiſtratus Norimbergenſes, vt contra Sigiſmundum inſurgerent: quorum timore, Cardinalem cuſtodia ſoluit iuratum tamen, nullo vnquàm tempore vindicarurum iniurias; immò abſolutionem anathematis procuraturum à Pontifice, in gratiam Sigiſmundi: qui eodem die (teſte *Spondano n. 4. An.* 1461.) fuerat excommunicatus cum altero Sigiſmundo Malateſta. Erat hic illegitimè natus eloquentia inſignis, arte militari, hiſtoriarum, philoſophiæ peritus, ſed malis moribus, oppreſſor pauperum, nulli parcens cum reos facerent ſubditos opes, vxores liberi forma pręſtantes Sacerdotes odio habuit; de ſæculo futuro nil credidit animas cum corpore perire exiſtimauit. Inquiſiuit in eum, mandante Pontifice, Cardinalis Cuſanus & inquiſitionem à ſe factam Purpuratorum ſenatui expoſuit, & cum Patribus impium, facinoroſum damnauit. Duorum Pontificum comitiis adfuit Calixti III. & Pii II. ſub quo ad Conciliū proficiſcente Mantuanum, Romæ ſubſtitit Legatus Vrbis, ea animi moderatione, vt ab inuidis Cuſani frugalitas quaſi ſordida argueretur auaritia, quòd in menſa lucernis vteretur, non cæreis *Garimbertus l.* 23 *c.* 9. In ſummo dignitatum faſtigio, & ad omnes ferè Chriſtianorum Principes legationibus, ſemper modeſtus dignitati perſonam dirigens, non dignitatem perſonæ, nunquàm ingratus abiit, vel acceſſit moleſtus, ſed Eccleſiæ, Reipublicæ procurator ſollicitus Iuſtitiam, Religionem, Pacem omni conatu perquiſiuit, inuenit, retinuit. In omni diſciplinarum genere verſatiſſimus præclara ſcripſit opuſcula typis data, quæ terno volumine diſtincta leguntur.

*Tom. 1. De docta ignorantia ad Iulianum Cæſarinum Card.*
*Apologia doctę Ignorantiæ*.
*Idiota De Sapientia*.
*De Coniecturis*.
*De Geneſi*.
*De Viſione Dei*
*De Filiatione Dei*.
*De ludo globi myſticè*.
*De Fortuna*: *Compendium*: *Directorium Speculantis*.
*Trialogus de Poſſeſſione*: *eſt*: *de Berylo*: *De dato Patris Luminum*.
*Da quærendo Deum*: *De Venatione Sapientiæ*: *De apice Theoria*.
*De Deo abſcondito*
*Tom. De Annuntiatione*.
*De ęqualitate*.
*De concordia Catholica*.
*Exercitationum lib. X.*
*Epiſtolarum lib...*
*De pace Fidei*.
*Cribratio Alcorani lib.* 3.
*De die nouiſſimo*.
*Tom. 3. De Geometricis tranſmutationibus*.
*De Arithmeticis Complementis*
*De Mathematicis complementis ad Nicolaum V.*

*De*

*De quadratura Circuli,*
*De Fidibus & Chordis.*
*De vna recti, curuique menſura*
*Complementum Theologicum,*
*De Mathematica perfectione.*
*Reparatio Kalendarij.*
*Correctio tabularum Alphonſi.*

De virtutibus huius Cardinalis, nonnulla Garimbertus *lib. 2. c. 3.* De doctrina *c. 9.* De Animi moderatione *lib. 4. c. 3.* De eo lege Penottum *lib. 2. c. 39. §. 2. Hiſtor. Tripar.* Belarminum; Poſſeuinum; Trithemium; Sixtum Senenſem; Boſtium. A

Tuderti obiit in Vmbria, ætatis ſuæ Anno 63. pridie Idus Aug. 1463. Corpus Romam relatum in Tit. S. Petri ad Vincula, quem retinuerat, ſepultum fuit cum ſequenti epitaphio.

*Nicolaus de Suſa Treuirenſis, S. Petri ad Vincula Card. Brixienſis Epiſcopus, Tuderti obijt M.CDLXIV. XI. Aug. ob deuotionem catenarum S. Petri, hic ſepeliri voluit, Dilexit Deum, timuit, & veneratus eſt. Promiſſio retributionis non fefellit eum,*

Eius Cor Cuſam delatum, in choro Domus Hoſpitalis ſub marmore cubat (teſte Andrea Victorello) quam ipſe erexit in honorem S. Nicolai, magnis dotauit redditibus, & nobili Græcorum & Latinorum voluminum auxit bibliotheca, In eccleſia B principe Salisburgenſi, alia extat huius Cardinalis memoria duobus expreſſa carminibus,

*Qui iacet ante tuas Nicolaus Petre catenas*
*Hoc opus erexit, cætera marmor habet.*

Vincentius Belluacenſis *ſpeculo Hiſtoriali*, de eo ſequens ſcripſit elogium: *Vir fuit ſua tempeſtate doctiſſimus, vitiorum hoſtis acerrimus, integritate animi admirabilis, vir ſupra opinionem eloquens & latinus,* C *& tanta omnium doctrinarum vbertate præditus, vt quidquid ex tempore dicendum incidiſſet, id tali copia diſſereret, vt illi ſoli facultati ſtuduiſſe cenſeretur. Hiſtorias omnes recentiores, & antiquas memoria tenebat, & in Mathematicis diſciplinis fuit ſuo tempore, illo doctior nullus.*

Lege Ciaconium, Xixtum Senenſem.

14. LVdouicus Alemandus Gallus Archiep. Arelaren, priuatus ab Eugenio IV. reſtitutus à Nicolao V. Cardinalis Presb. tit. *S. Cæciliæ*, promotione III. Anno 1449. die 14. Cal. Ian. Lege ſupra *in Mar. 5. n. 4.*

15. *Venite, reuertamur ad Dominum; quia ipſe cepit, & ſanabit nos; percutiet, & curabit nos.*
Oſeę. 6.



IOannes Arſius, natu Gallus, Comes & Archiepiſcopus Tarentaſienſis ad Iſaram fluuium, Alpium Penninarum, & Graiarum metropolis (quę olim Forum Claudij Neronis Centronum appellabatur) Synodo adfuit Baſileenſi, cuius mentio recurrit *ſeſſ.* 38. Sciſma propugnauit Amadei Sabaudi, à quo dictus pſeudo Cardinalis, cum errorem abiuraſſet, indulgente Nicolao V. promotione Cardinalium tertia, permiſſus eſt Titulum Cardinalem adminiſtrare *SS. Nerei & Achillei.* Lege ſupra in *Felice V. Antipapa, n. 19.*

16. LVdouicus de Vatambone P.C. tit. *S. Anaſtaſiæ*, eodem tempore, eodemque voto, ad ignem ſcilicet Sciſmatis extinguendum, Cardinalis dictus cum Io: Arſio, à Nicolao V. Lege in *Felice V. Antipapa, n. 1.*

17. GVillelmus vel Vuillelmus vel Hugo de Stagno P. C. *S. Sabinæ*, Lege n. 22. in Felice V. Antip.

## Vice Cancellarij S. R.E. ſub Nicolao V.

FRanciſcus Condulmerius Venetus Ep. C. *Portuenſis*, ab Anno 1. Pontif. Nicolai V. vſque ad D ſeptimum. Reliquo tempore, vacauit Eccleſia Romana Pro Cancellario,

# CALLIXTVS III. R. P. CCXI.

CAllixtus III, Electus die 8. April. An. Sal. 1455. obijt 8. Idus Aug. An. Sal. 1458. Eius adfuere comitijs.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Georgius Fliſcus Ep. C. *Oſtienſis*. Decanus Sacti Collegij, ex Eug. IV. & Nicol. V.

Ex Eug. IV. & Nicol. V.

2. Iſidorus Ruthenorum Archiep. Ep. C. *Sabinus*.
3. Beſſarion Græcus Ep. C. *Tuſculanus*.
4. *Guillelmus de Eſtouteuilla Gallus Ep. C. *Portuenſis*.

## Presbyteri Cardinales.

Ex Eug. IV.

A

5. *Petrus à Scouuembergh P. C. S. Vitalis, tit. Veſtinæ
6. *Dionyſius Agatenſis Vngarus Archiep. Strigon. P. C. S. Cyriaci in Thermis.
7. F. Io: Turrecremata P. C. tit. Sixti.
8. Ludouicus Scarampus de Media Rota P. C. tit. S. Laur. in Damaſo.
9. Dominicus Capranica, Ep. Firmanus, P. C. tit. S. Crucis &c. ex Mat. V. & Eug. IV.
10. Alphonſus Borgia Ep. Valentinus, P. C. tit. SS. IV. Coronat. Papa futurus Callixtus III. ex Eug. IV.

B

Ex Nicol. V.

11. Antonius Cerdanus Ep. Illerden. P. C. tit. S. Chryſogoni.
12. Latinus Vrſinus Archiep. Auenion. P. C. tit. SS. Io. & Pauli.
13. Alanus Coetiuus, Archiep. Auenion. P. C. tit. S. Praxedis.
14. *Io: Rolinus P. C. tit. S. Stephani in Cælio.
15. Philippus Calandrinus Ep. Bonon. P. C. tit. S. Laur. in Lucina.
16. *M. Nicolaus de Cuſa Ep. Brixinen. P. C. tit. S. Petri ad vincula.
17. Guillelmus de Stagno Archiep. Metenſis P. C. tit. S. Sabinæ Ex Felice V. & Nicol. V.
18. Petrus Barbus Ep. Vicentinus P. C. tit. S. Marci.

## Diaconi Cardinales.

19. Proſper Columna D. C. S. Georgii in Velabro, Prior Diaconorum. Ex Martino V.
20. Io: Caruagial electus Placentinus D. C. S. Angeli. Ex Eug. IV.

Omnes hi adfuere Conclaui quinque exceptis, qui aſteriſco notantur.

C

## Epiſcopi Cardinales creati à Callixto III.

1. IOannes de Turrecremata ex P. C. tit. Callixti, Epiſcopus Card. *Albanus* Vide *in Eug. IV.*

## Presbyteri Cardinales.

2. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*, Iſai. 63.



IOãnes Ludouicus, vel Ludouicus Ioannes, vel Lucius Milanus, apud Hiſpanos, Valentiæ natus, Callixti III. R. P. ex ſorore nepos, cum Illerdenſis eſſet Epiſcopus, promotione Cardinalium prima, facta An. 1456. die 14. Kal. Octob. Romæ, Presbyter Cardinalis creatur tit. *SS. IV. Coronatorum*, & Bononiæ Legatus, mox Commiſ- D ſarius vt diſcordias componeret Principum Arragoniæ, & Comitatus Barchinonenſis aduerſùs Regem Ioannem exortas, Abbas rexit eccleſiam, cœnobiumque S. Michaelis de Lucedio, nunc S. Ianuario propè Creſcentinum diœceſ. Vercellen. Obiit in Hiſpania in eccleſia ſepultus campeſtri, tranſlatus poſtea ad Dominicanos Illerdenſes, in eccleſia S. Annæ, iuxta tabulas teſtamenti. Obiit teſte Ciaconio, ſub Iulio II. Anno 1607. die 10. Septemb. Volunt alij obiiſſe poſt Annum 1508. Is ſolus ex nepotibus Calliſti III. Pontificis nomini non denigrauit. Cum reliqui diuitiis incubantes, gloriam conſpurcauerint Pontificis Sancti. In gratiam huius Cardina-

nalis titulum nouum inuentum *S. Callixti*, prope eccleſiam S. Mariæ tranſtyberim ſcribit Iacobus Cohellius *in notitia Cardinalatus c. 6.* cuius rei profundum ſilentium apud hiſtoricos: immò titulum *SS. quatuor Coronatorum* ei aſſignatum Panuinius referunt & Ciaconius. Titulus porrò Callixti idem fuit cum titulo S. Marię Tranſtyberim tit. Callixti, à Paſchali II. datus Ioanni Monacho Abbati S. Pauli, circa Annum 1099.

Ciaconius, Victorellus, Porregnus *elog. Card. Hiſpan.* Auberii. Æneas Siluius *in Comment.* Platina.

3. *In malitia lætificauerunt Regem: & in mendatijs ſuis Principes.* Oleę. 7.



RAynaldus Piſſicellus ciuis Neapolitanus vir ſolers mitiſſimi ingenii, qui ſplendorem gentilitium, litterarum cultu, & morum honeſtate exornauit. Ex Canonico Eccleſię Metropolitanæ, & Apoſtolico Protonotario, in Epiſcopum poſtulatus Catazenſem ab Alphonſo Rege Neapol. vt ex literis ad Nicolaum V. (extant in Regio tabulario Neapolitano) quamuis poſtea mutata ſententia, litteras idem Rex dederit diuerſas Romano Pontifici, vt eamdem eccleſiam Catacenſem: Fr. Palamedi Abbati S. Petri ad Aram conferret: Raynaldo verò Abbatiam largiretur S. Petri ad Aram, cum retentione Canonicatus, aliorumque beneficiorum. Aſsenſit Papa, qui nō longè poſt, Archiepiſcopatum etiam contulit Neapolitanum, magna Canonicorum lætitia, qui ad Raynaldum litteras tranſmiſere ſequentes. *Capitulum & Canonici Eccleſiæ Maioris Neapol. RR: in Christo P. & D. Raynaldo Piſſicello, Archiep. electo fælicitatem dicit. Pridie Non, Iunij, Mercatoribus noſtræ ciuitatis litteræ traditæ ſunt, quibus de promotione dignitatis tuæ, in huius noſtræ eccleſiæ de te electionem, ſignificatum eſt; quo nuncio tanta lætitia ac iucunditate viri ac mulieres affecti ſunt, vt maiori non potuerint: nec iniuria. Habituri enim ſunt poſthac religioſum patrem, omni virtutum genere præditiſſimum, vita quidem ſanctiſſimum, & ſcientiarum omnium cognitione cumulatum; quas ob res certò intelligimus, Eccleſiam noſtram non mediocriter gubernandam, diuinum officium quàm diligentiſſimè miniſtrandum; pergentes Pontifici M. habenda ſunt gratia ac ſeorſum immortali Deo, qui pecudibus per deuia errãtibus tali paſtore prouidesit. Nemo eſt qui non certum putet, te cum ob bonam manſuetudinem tuam, cum ob religionis obſeruantiam, & vitæ tuæ ſãctiſſimam integritatẽ, tum & in priuatis ob immortalem virtutũ tuarum famam, maiorem etiam dignitatem* Dei gratia *aſſecuturum. Hæc ſcribimus, vt ſumma nos voluptate, tali nuntio affectos intelligas. Poſtremum eſt; vt R. R. Paternitati tuæ hos noſtrę ciuitatis ciues vnicè commẽdemus, quos omnes pro viribus nomine tuę ampliſſimæ dignitatis facturos ſperes Vale.* ita Andreas Coturnus. Roma reuerſus Eccleſiam ſibi commiſſam maxima cura, & pietate direxit. Nicolao V. mortuo, Romam rediit ad Callixtum III. Alphonſi Regis orator obedientiæ cum ſelectiſſimis Præſulibus, viriſque Illuſtribus, teſte *Zurita*. Anno vero Salutis 1456. Neapolim digreſſus, ex ingenti immanique terremotu, ſuæ Cathedralis ruinam proprijs oculis vſurpauit, impulitque exemplo ſuo ciues, ac Regem ipſum ad nouam templi molitionem, quæ nunc egregia & munificẽtiſſima proſtat mortalibus. Mugiebant Cœlum & Terra aduersùs Alphonſi inſaniã qui totus intentus in concilianda ſibi gratia Lucretiæ ſpecioſæ mulieris Neapolitanæ, quam perditè amabat. Huic vt Rex morem regeret (teſte Gobel-
A lino *lib. 1. Comment. Pij II.*) enixiſſimè rogauit Callixtum R. P. Raynaldum Piſſicellum Archiep. Neapol. inter Cardinales aſſumere patruum ſuæ pellicis Lucretiæ. Pontifex verò, ne Regis animum magis exacerbaret iam iratum ob repulſam Callixti negantis Regnum Sicilię tam ipſi Alphonſo, quàm ſpurio aſſerere Ferdinando (quod tam impatienter Alphonſus tulerat, vt poſt obiurgatum per ſuos Oratores Callixtum de natalium obſcuritate, beneficiorum receptorum ingratitudine, deque impenſiſſimo Papæ ſtudio in euehendis ſuis conſanguineis; Caſtellæ Regem tentauerit ad abiurandũ Callixtũ ſollicitare; vt contra Martinum V. & Eug. IV. fe-
B cerat idem ipſe Rex) Raynaldum Presbyterum Cardinalem promouit tit. *S. Cæcilię* die 18. Decemb. 1456. non ſine Callixti nota, licet virum aliàs purpura dignum promouiſſet. Extat adhuc in Vaticano diploma Callixti concedentis, vt vnà cum Cardinalatu, Archiepiſcopatu, & S. Petri Commendam retineret. Non diù tamen ſuperuixit Raynaldus, Romæ ereptus humanis annum agens ætatis ſuæ 43. Medicorum potius incuria, quàm aeris prauitate. Eius cadauer Neapolim relatum iacet iuxta aræ principis gradum marmoreum cum effigie, & Epitaphio.

*Raynaldus Piſcicellus primò Pontificio iuri operam de-*
C *dit, mox Archiep. Neapolitanus, deinde Cardinalis euaſit; in vtroque perhumaniter verſatus, mirificè obſeruatur. Deceſſit Anno ętatis ſuę 43. & hic clauditur, Anno* 1458.

Ex hoc epitaphio exceſſiſſe videtur Anno 1458. ſed noui tumuli tempus annuitur, non mortis ait Oldoinus: teſte namque Callixto III. in diplomate dato die 12. Cal. Martij, An. 1457. *legitur Raynaldum Archiepiſcopum Neapolitanum, & Cardinalem bonę memoriæ.* Sic Pius II. ep. ad Ioan. Cardinalem S. Angeli data Romæ die 8. Martij, 1457. Cardinalis Neapolitanus propediem ingreſſurus creditur. Obiit ergo (concludit Oldoinus) Anno 1457. non 1458.
D Verũtamen cum ſibi aduerſantia Oldoinus adducat teſtimonia, nihil probare creditur. Callixtus namque die 18. Februarij, 1457. dicit mortuum Raynaldum: Pius verò, die 8. Martii, 1457. morituturum renuntiat.

In tabulario Canonicorum Neapol. Inſtrumentum legitur rogatum 14. Octob. 1507. inter Capitulum Cathedrale, & Aloyſium ac Hectorem Piſcicellos, de lapide apponendo cum imagine & inſignibus dicti Cardinalis cum onere ſoluendi pecu-

niam pro annuo cenſu, ad celebrandum Anniuerſarium, in ſuffragium dicti Cardinalis.

Ciaconius, Panuinius, Spondanus, Summontius *Hiſtor. Neapol.* Aubetii, Chiocarcl. *de Archiepiſcop. Neapol.* Vghellus, S. Antoninus. Gabriel Pennot, *hiſtor. tripar.*

4. *Debitores ſumus non carni*, Rom. 8.



IOannes de Mela natu Hiſpanus, ciuis Zamorenſis, Alphonſi ordinis S. Franciſci fra- A
ter, qui denuò excitata Fratricellorum ſecta, à Mauris Granatæ confixus iacuit, quò iudicii metu couſugerat. Iuuenis, in Salmaticenſi Collegio, ſcientiis incubuit; Iuri per Annos 40. ſumma cum laude, operam dedit in Vrbe Roma, Archidiaconus fuiſſe dicitur Matritenſis, deinde Toletanus, Romanæ poſtea auditor Rotæ, à Martino V. Epiſcopus aſſumitur Zamorenſis in Hiſpania cui ingenuè præſuit, ſacellum ibidem extruxit in honorem S. Idelphonſi, redditibuſque dotauit. Omnem mouit lapidem vt purpuram aſſequeretur B
honeſtè tamen, eoque ſemper collimauit, licet ſecreto Conſiſtorio vox aliquandò erupiſſet, Ioannem Cardinalem promotum, & ad eum gratulatum acceſſiſſent non pauci; *Sum tandem* [inquit Ioannes] *aſſecutus, quod Annis vno de quadraginta expectaui*: nec indon item nuntium remiſit: poſtea ante Virginis imaginem Deiparæ in genua procumbens, grates ſoluit. Sed Spes tunc eum deceperat; & fama mendax. Virtutis tamen radijs magis, quàm natalium ſplendore corruſcans, neminem ſuæ promotionis adhibuit interpretem, doctrinæ lumine, & longa rerum experientia notus purpuram accepit venientem, non ipſum purpura, tit. *S. Priſca* die 16. C
Cal. Ian. 1456. Vultu deformis, ſpecioſus animo, Collegium Purpuratorum illuſtrauit, eiuſque decorem auxit, teſte *Ænea Syluio*. Cardinalis Papienſis *lib. 2. Commentar.* Ioannem elogio exornat ſequenti. *Huius prima iuuentus ingreſſa urbẽ in extremum nunc ſenium perſeuerat, uir laborioſus, & iuſtitiæ miniſter intrepidus; diuerſis quoq. temporibus, cunctos penè noſtra Curia Magiſtratus ſolus adminiſtrauit.* Lege Garimbertum *lib. 2. c. 8.* Romæ obiit ſeptuagenario maior, die 13. Octob. 1467. in eccleſia ſepultus Hiſpanorum ſub Paulo II. cum hoc epitaphio.

*Ioanni de Mela, genere Hiſpano, familia ingenua, Cæſarei ac Pontificij iuris conſultiſſimo, S. Laur. in Da-* D
*maſo Presb. Card. Sacrum. Vixit Annos L.XX. Obijt XIII. Octob. An. Sal. N. 1467. Pontificatus Max. Pauli II. Anno IV.*

Ab eccleſia Cardinali *S. Priſca*, ad aliam *S. Laurentij in Damaſo* fuiſſe tranſlatum apparet ex epitaphio.

Scripſit (teſte Papienſi) librum, cuius argumentum: *Clericis illicitum eſſe, Vrbes peſtilentia pollutas deſerere, ob iniuncti Sacerdotij curam.*

Ciaconius, Porregnus, Panuinius, Victorellus, Auberii, Garimbertus, Æneas Syluius.

5. *Qui confidunt in virtute ſua: & in multitudine diuitiarum gloriantur.* Pſal. 48.



IOannes Caſtellio Mediolanenſis vel Caſtillioneus nobili ſanguine inter Papienſes & Mediolanenſes, & Iuriſprudentia clarus, ex Apoſtolico Protonotario Epiſcopus Cōſtātienſis in prouincia Rothomagenſi, deinde 5. Non. Octob. 1454. Papienſem ſuſcepit Eccleſiam, quam adminiſtrauit per Vicarios ſuos vſque iu Annum 1460. Legatus namq. à Nicolao V. ad Federicum III. Imper. ibidem perſeuerauit ſub Callixto III. interfuit, & perorauit Ratiſponenſi conuentui; adfuit Francofordienſi, vt & in noua ciuitate pro expeditione in Turcas. *Ex Italia* (inquit Pius II.) in Comment.) *Legatus Apoſtolicus affuit idem, qui Ratiſbonam, & Francofordiam adierat Io: Ep. Papienſis ſuo iudicio valdè ſapiens & eloquens; multorum tamen iudicio, neque ſtultus, neque dicendi prorsùs ignarus.* Supra namque vires de ſeipſo præſumebat tumidus. Abſens inter Presb. Card. aſſumitur tit. *S. Clementis*, à Callixto III. die 16. Cal. Ian. 1456. poſt cuius obitum, comitijs adfuit Pii II. à quo in Marchiam legatus Anconitanam, dum ſolers equitando confinia cuſtodit armatus aduersùs Piccininum, nè in Regnum iſte irrumperet Neapolitanum, febri petitus vitam poſuit non ſine Prouincialium gaudio, cuius regimine querebantur grauati. Eius cadauer Mediolanum delatum in ſepulchro quieuit parentum ſuorum ſub epitaphio.

*D. O. M.*

*Ioanni Caſtilionæo Mediolanenſi, Ep. Papienſi, tit. S. Clementis S. R. E. P. C. Cæleſtini IV. P. Max. Octauiani, Gotsfredi, & Branda Cardinalium gentili, qui cum legationis munere apud Frider. III. Imper. concitandi in Turcas exercitus cauſa Apoſtolicæ Sedis nomine, ſecundò fungeretur, à Callixto III. in amplissimum ordinem abſens eſt cooptatus; eoque defuncto à Pio II. Legatus Marchiæ Anconitanæ deſignatus dum in ea prouincia, Legiſlatoris, ſtrenui ſimul Ducis operam contra Piccininum nimis ſollicitè impendit, inopinata febre prauentus Maceratę interijt, XVIII. Cal. Maij. An. Sal. 1460.*

Ciaconius, Panuinius, Vghellus, Auberii, Antonius Niger *hiſtor. Caſtellion. Mar.* Spelta *De Ep. Papien.* Contelor.

6. *Exaltaui electum de plebe mea.* Pſal. 88.



IAcobus Theobaldus Romanus, ex colle Scipionis Iuris vtriuſque peritia clarus, Mōtis Feretri Prǫſul, equi bonique cupidus, litteras fouit, pauperes aluit. *Feretranus* dicitur lib. 1. Comment. Pij II. & de eo Cardinal. Papien. *Iacobus S. Anaſtaſia .... Romanus benignitate inſignis,*

*gnis, & ſemper bonorum conſiliorum ſectator. Hunc paulò ante Cardinalatum Spoletano Præſidentui, & hinc Peruſino Callixtus præficiens, mox in Collegium adoptauit.* Apud Vghellum in Epiſcopis Spoletanis & Peruſinis nulla mentio. Cardinalis Presb. tit *S. Anaſtaſię* dicitur à Callixto III. promotione ſecunda; intercedente pro eo Simone eius fratre, qui Medicus erat Pontificis, teſte *Ænea Syluio lib. 1. Comment.* Romæ obiit die 4. Septemb. Hora 16. An. 1466. ſepultus in æde S. Mariæ ſupra Mineruam, cum hoc epitaphio, teſte Nomenclatore.

A *Qui fuit vrbis honos generoſa prole Theobaldus*
*Frigida marmoreo Iacobus tenet oſſa ſepulchro;*
*Cæſareas notat leges, Montiſque Feretri*
*Præſul erat, nullique fide, & pietate ſecundus.*
*Pauperiem tollebat humo, clariſque fauebat*
*Ingenij, iuſtique pater moderator & æqui*
*Cuius virtutem admirans, animumque pudicum*
*Cardineo Diuus decorauit honore Callixtus.*
*Qui obijt Anno Chriſti, 1466. die 4. Septemb.*
*Hora XVI.*

Huius Cardinalis natalia ſordida [ patre namque naſcitur, qui Roma excurrebat, oleum
B vendens oſtiatim, teſte Garimberto p. 239. & p. 336.) expurgauere Virtus atque Fortuna, tanta affluentia, vt neſcias, an Fortunæ plus debuerit, vel Virtuti? Ludouicus Iacobillius *in vitis Sanctorum Vmbriæ*, è Dominis Collis Scipionis familiæ Rapazzonæ natum voluit. Iacobus Thebaldus auus fuiſſe dicitur huius Cardinalis, ciuis Romanus de regione Triuii, qui menſibus Aprilis, Maii., Iunii An. 1452. Comeſtabuli illius regionis munus ſuſtinuit, vt ex monumentis antiquis, & Regiſtris Martini V. munus ſolis Nobilibus Romanis committi ſolitum. Carmen conſonat epitaphij.

C *Qui fuit vrbis honos generoſa prole Thebalda.*

Generoſa non dicitur progenies, quę à plebe deducit originem; neque tam cito Theobaldi arctam cognationem contraxiſſent cum primariis Romanorum familiis, Creſcentia, Capiſucchia, Aſtalla, De Valle, Cæſarina, Capite ferrea, ſi obſcuri generis homo fuiſſet Cardinalis. Adijce ſepulchralem inſcriptionem Marci Thebaldi, qui Romæ iacet in templo S. Mariæ ad Martyres.

*Hic iacet Marcus de Thebaldis genitor D. Cardinalis S. Anaſtaſiæ, ac D. Simonis almę vrbis Cancellarij primi. Obijt An. Do.* 1444. in die S. Lucię.

D Si Iacobum Cardinalem filium procreauit Marcus; falſitatis Garimbertum redargues, accuſantem, Cardinalem hunc infimę plebis hominem. Nobilem ego vel ignobilem non arguam. Quid enim prodeſt Pontice longo, ſanguine cenſeri? pictoſque oſtendere vultus? Vnica mihi nobilitas virtus. Si Garimberti apologiam agerem; ex vno Marci epitaphio, veritatem natalis terrei deſſumerem. Moritur Marcus, eique ſcribitur epitaphium Anno Sal. 1444. in quo pater dicitur Cardinalis S. Anaſtaſiæ, cum tamen filius in Cardinalem fiat Anno ſolummodo 1456. en itaque iuxta Garimbertum conficta Nobilitas.

Archiepiſcopus fuerit Neapolitanus? ſcribit Vghellus electum quidem fuiſſe, 3. Aug. 1458. ſed poſſeſſionem non iniiſſe, ſed poſt tertium à ſua electione menſem, liberè ſe abdicaſſe, vt in *Actis Conſiſtor.*

*Ciacon. Victorellus, Panuinius, Auberij, Contelorius.*

7. *Dirige nos in viam iuſtitiæ.* Eccli. 36.



Richardus Oliuerius, vel Oliuarius Longolius de Augio Neuſtrius, Guillelmi filius V. Comitis Augi, Domini de Longueil, Varengeuillæ, & Ofrainuille, clariſſimus cum eſſet Iure conſultus, Præſes Cameræ Computorum à Carolo VII. Frācorum Rege pręfectus, & Archidiaconus Rothomagenſis, Epiſcopus Conſtantienſis Galliæ, iudex datus inquirendæ, & reuiſendæ cauſæ, Ioannę d'Arch vulgò, *puella Aurelianenſis*, ab Anglis igni deuotę Rothomagi, An. 1431. Carolo VII. Francorum Rege poſtulante, Anno 1456. Presbyter Cardinalis dicitur tit. *S. Euſebij*, à Callixto III. teſte Ænea Syluio *lib.* 1. *Comment. Ioannes Papienſis Eccleſiæ Antiſtes Caſtilionenſi nobili domo apud Mediolanenſes natus, Æneas Præſul Senenſis ab Imperatore, à Ladiſlao Vngariæ Rege, & ab omnibus ferè Germaniæ Principibus petitus; Iacobus Toretanus Romanus Simonis Medici frater; Richardus Conſtantius Normanicus Sacerdos à Carolo Francorum Rege quæſitus.* Huius memoriam habes in oratione Chriſtophori Longolii, Romani oratoris dicta coram Leone X. Anno 1521. In qua promotus dicitur à Nicolao V. Romam minimè venit ſedēte Callixto; ſed coronationi interfuit Ludouici XI. Rhemis, die 15. Aug. 1461. Ad hunc Pius II. miſerat rubrum pileum in Gallia ſtantem; poſtea ab ira Ludouici Regis declinantem, Romæ benignè ſuſcepit. (Omnes enim Parentis Miniſtros Ludouicus exauctorauerat, à genitore genitus ſemper diſcors.) Audi Papienſem: *Abſit à me, vt de te, fide, & iuſtitia tua aliquid dubitem, ſcio te Reuerendiſſime Pater conſentire nomini tuo, & in fide eſſe conſtantem. hoc experti Frācorum Reges antea ſunt; hoc nos quotidianis documentis agnouimus. Noſco praterea eſſe te iuſti, & æqui amatorem; nil gratia indulgentem, aut corruptela conſiſtoria noſtra, & demandata tibi iudicia teſtimonium perhibent. Quis meo Conſtantienſi, in dicendo ſententia iuſtior; Quis in interpretationibus iurium verior? Quis denique in ſuo cuique reddendo minùs perſonarum acceptor? memor es, quàm crebrò Pius II. laudauit conſilia tua, quàm libenter iudicandas cauſas tibi credebat. Mihi ſæpè hoc dixit: vtinam Conſtantienſes haberemus plures; benè conſultum eſſet Eccleſiæ: vir grauis eſt, vir bonus, vir mitis, vir doctus, in ſuis ſententijs liber; quomodo ergo in tanto experimento & tam graui teſtimonio Romani Pontificis dubitare poſſum de tua fide, ac iuſtitia? an non ſcio amaſse te Pium II. in vita, & gratam tibi nunc ſcio memoriam eius? repeto memoria quoties vacante ſede, & ſedente etiam Paulo ſententiā*

*dixe-*

*dixeris pro ijs Afflictis reliquijs ſuis*; Et inſra *Tibi SS. pater Pius II. pileum dignitatis in Galliam miſit; te ad Curiam uenientem honorificè accepit; preſentem in pretio habuit oppreſſũ falſis calumnijs manu patris leuauit* [quando ſcilicet à facie Regis Ludouici ſugit; quo iubẽte, bona Cardinalis cũ Augi Vicecomitatu Fiſco adiecta] *loquebatur mecũ frequẽter de cõfratribus noſtris de te benè ſenſit, & locutus eſt cum honore compatiens per ſingula uexationibus, quas patiebaris in Gallijs, uno uerbo complectar; uirtutem tuam amabat, talemque te iudicabat, quales eſſe reliquos Collegas tuos optabat*. In epiſtola III. ſequentia leges: *Habes in multa, quibus ſine ullo adiumẽto ſuperare detractiones poſſis; & illud in primis, quòd iuſtè* A *uiuis & mundè*. Paulò poſt: *Nulla ſordes, nulla coinquinamenta auaritiæ coniunxerunt me tibi: ſola uirtus tuum me fecit: es doctus, es integer, es humanus, & qui dignè ſedeas ad conſilium Romanæ Eccleſiæ* Et alibi: *nemo dignationem tuam uincere beneficentia poteſt, quanto doctior, & in omni genere virtutis præſtantior, tanto es humanior, atque benignior*. Sedente Pio II. ſupplicationi interfuit, que Anno 1462. ex Peloponneſo Romam delatum Sacrum Andreę Apoſtoli caput in Baſilicam Vaticanam [teſte Ænea Syluio] Viterbii pariter In feſto SS. corporis Euchariſtici, vnà cum Rothomagenſi & Albretio Cardinalibus Gallis, aulęis obduxit parietes, auroque argento, B thure altaria exornauit. Mortuo Pio II. promouit Richardus Paulum II. à quo *Portuenſis* creatus Epiſcopus, legatuſque in Vmbriam, litteras protinus recepit à Papienſi miſſas Cardinalibus, quomodo ſe in illa legatione Gallus cum Italis gereret, & de quibus ſe præcauere diligenter aduerteret.

Archipresbyter cum eſſet S. Petri, ædes iuxta vetuſtiſſimam S. Appollinaris eccleſiam à fundamentis reſtituit, morte tamen oppreſsus non incoluit. Harum in foribus [teſte *Garimberto*] carmina mandauit incidi ſequentia.

*Quàm benè ſtare vides; quondàm deiecta iacebam*
*Et de decus hac facies fert modò cultu nouum.*
*Richardus Normanna tuus Conſtantia Præſul*
*Cardineę ſtruxit gloria magna togæ.*
*Presbyter & Veneto Paulo regnante ſecundo*
*Primus in hac Petri, quæ fuit Eccleſia.* C

Curauit etiam deſtructa Iouis Capitolini ſtatua ęneum S. Petri collocari ſimulachrum, in ipſa Vaticana Baſilica, quod adbuc extat cum inſignibus Longolianis propè ſacellum Gregorianum. Laudatur à Garimberto *lib. 4. c. 16.* tanquàm priſcę ſeueritatis, & libertatis cultor antiquę, cuius amore nulli mortalium Principi obſtringi paſſus. Diem clauſit D extremum in legatione Peruſij, die 15. Cal. Septemb. 1470. cuius cadauer Romam delatum, in Petri iacet Baſilica cum hoc epitaphio, in pauimento.

*Richardus Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Cõſtantienſis è Normandia oriundus hoc altare vetuſtiſſimum noua facie & dote nouu, teſtamento iuſſit ornari, ubi in pace requieuit Anno D. 1470.*

Ante obitum grandem pecuniam largitus Vaticanæ Baſilicæ, ea conditione, vt à duobus Capellanis celebrentur, ſingulis Annis, Miſſę centum & viginti; vt ex tabula in ſacrario D. Petri appenſa, & ſacello SS. Proceſſi & Martiniani. *Capella SS. Proceſſi & Martiniani M. à Richardo Ep. Portuenſi Card. Conſtan. Archipresb. Baſil. ornata & dotata An. D. 1470. cum onere, ut per duos Capellanos celebrentur ſingulis Annis, centum & uiginti Miſſæ; ideſt per quemlibet, 60. miſſę.*

Extant etiam fragmenta quędam antiqui lapidis cum notis vetuſtate conſumptis,

*.........*
*......huius ſac. Baſil......Conſtantienſis qui....., tus ob* A *ſuas virtutes ac merita ..... eſſe verandoque Senatui rariſſimo ..... inſignis de patria.... & Roue....*
*Vixit an. 63. dies. 1. obijt an.... V.....*
*Nomine Richardo patria Thoca fuit*
*Doctis præſidium, ſubſidiumq. bonis.*

Frizonius pro inſignibus, tres roſas aureas in area cærulea; cæteras inferiores miniatas appoſuit; vt ex Vaticano ſua Ciaconius deduxit.

Ciaconius, Auberij, Vghellus, Claudius Robertus, Ludouicus Iacobillus *hiſtor. Fulgin.* Contelor, Nomenclator.

B 8. *Mori maluit, quàm natales fœdare.*
2. Macc. 14.



IAcobus Luſitanus ex Petro Infante Conimbriæ Comite Ioannis I. Regis Luſitaniæ filio, & Iſabella Aragonia Comitis Vrgellenſis filia, Regum Aragoniæ nepte, naſcitur, & Sanctis moribus educatur, pueritiam Regij pueri dirigente Deipara, cui ab Infantia ſe totum deuouerat. Occiſo parente, ab aula Luſitana C profugus, in Belgium venit ad Iſabellam Burgundię Ducem, vxorem Philippi cognomento Boni, à qua perhonorificè acceptus, digniſque ſtipendijs honeſtatus, vt Regium decebat iuuenem, omnem mouit lapidem in litterarum cultura, vt magis vitæ innocentia, quàm auita nobilitate fulgeret. Inde Romam digreſſus hortante Iſabella, à Callixto III. R.P. Archiepiſcopus electus Vlyſſiponenſis, deinde Cardinalibus adſcriptus Diaconis, Cardinalium promotione prima, eccleſiæ præfuit, *S. Mariæ in porticu* [dicunt alij] *S. Euſtachij*, fortaſſis vtrique. Comitiis adfuit Pii II. à quo in Germaniam legatus Florentiam peruenit, vbi graui morbo correptus è D quo, ſuadentibus Medicis, fęminęo coitu mortem declinare, verba proferens albo ſignanda lapillo, *Malo mori quàm fœdari* obdormiuit in Domino, die 27. Aug. 1459. Ætatis ſuæ Anno vigeſimo ſexto, ibidemq. ſepultus apud S. Miniatum, tumba marmorea. In ſacello per eum ædificato, & ab hæredibus dotato hæc leguntur.

*Regia ſtirps, Iacobus nomen, Luſitana propago.*
*Inſignis forma, ſumma pudicitia.*

Car-

*Cardineus titulus, morum nitor, optima vita*
*Iſta fuere mihi: mors iuuenem rapuit;*
*Ne ſe pollueret, maluit iſte mori.*
*Vixit An. XXV. Menſ. XI. dies X. Obijt An. Sal.* 1459.

Breue eulogium ſcripſit ei Æneas Syluius, ſed graue: *Iacobus de Portugallia Regis ſanguine natus; in quo ea modeſtia & grauitas, id acumen ingenij, id ſtudium litterarum, is amor virtutis emicuit; vt quamuis iuuenis adhuc; tardiùs tamen opinione omnium ad Cardinalatus dignitatem aſcenderet*. Conſonat Victorellus: *Inter plurimos Purpuratos Luſitanos Iacobus hic Vlyſſiponenſis Archiepiſcopus Sanctimonia præluxit, vitæque innocentia, & caſtitate magis, quàm auita nobilitate*. Bozius to. 5, De ſignis Eccleſiæ, Poſt primi ordinis viros, qui virginitatem coluerunt, ſuccedunt qui aliquo malè affecti morbi genere, poterant, *ſi quoſdam Medicos audiſſent, coniugem ſibi adſciſſere, ac virginitate amiſſa vitam ſeruare, & tamen hanc illam prætulerunt. Huiuſmodi fuit ætate noſtra integerrimus ille Cardinalis Robertus è* B *familia Nobilium, qui nondum ſacris erat initiatus Ordinibus; & multò ante ipſum Iacobus à Callixto III. creatus Cardinalis, Portugalliæ Regis filius* [lege nepos, non filius] *qui Florentiæ ſepultus iacet in S. Miniati*.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Porregnus. Zurita *in Annal.* Garimber.

9. *Omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſq. ad mercedem meretricis reuertentur.* Micheæ. 1.

A RODericus Lenzolius Borgia, Papæ Callixti III. ex altera ſorore nepos, Hiſpanus, cognomine donatus eſt inſignibus gentilitiis ab auunculo Callixto III. Diaconus Card. *S. Nicolai in Carcere Tulliano* S.R.E. Pro Cancellarius, Ep. *Portuenſis*, Papa futurus nomine *Alex. VI.* cuius tyrannis Simonia legenti occurrit vitam eius in Pontificem aſſumpti.

10. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*. 76. Pſal.

ÆNeas Syluius Picolomineus, ciuis & Ep. Senenſis, Diaconus Card. *S. Euſtachij*, poſtea Presb. Card. tit. *S. Sabinæ*, Papa futurus nomine *Pij II.* poſtquam cum neutralibus nec Papam adoraſſet, nec Antipam condemnaſſet.

## Vice Cancellarij ſub Callixto III.

RODericus Borgia D.C.S. Nicolai in carcere, &c.

# PIVS II. R. P. CCXII.

PIus II. Electus Anno 1458. die [illegible] Kal. Septem. cuius ad fuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

### Ex Eug. IV. & Nicol. V.

1. Georgius Fliſcus Ep. C. Oſtienſis, Decanus S.C.
2. Iſidorus Theſſalonicen. Archiep. Ruthenus, Ep. C. Sabinus.
3. Beſſation Archiep. Nicenus, Ep. C. Tuſculanus.

C 4. Guillelmus de Eſtouteuilla Archiep. Rothomag. Ep. C. Portuen.
5. F. Io: de Turrecremata Ord. Prædicat. Ep. C. Albanus ex Eug. IV. & Callixto III.

## Presbyteri Cardinales.

### Ex Eug. IV.

6. *Petrus Scouuembergh P.C.S. Vitalis, tit. Veſtinæ, Prior Presb.
7. *Ludouicus Scarampus de Media Rota P.C. tit. S. Laur. in Damaſo, &c.

### Ex Nicol. V.

8. Antonius Cerdanus, P.C. tit. S. Chryſogoni, Ep. Meſſanen.
9. Latinus Vrſinus P.C. SS. Io: & Pauli, tit. Pam. Archiep. Tranen.
10. Alanus Coetiuus, P.C. tit. S. Praxedis.
11. Io: Rolinus P.C. tit. S. Stephani in Cælio Monte.
12. *Philippus Calandrinus de Sarzana, Ep. Bonon. P.C. tit. S. Laur. in Lucina.
13. *F. Nicolaus de Cuſa, Canonicus Regularis P.C.S. Petri ad Vincula, tit. Eudoxiæ.
14. *Petrus Barbus Ep. Vicentin. P.C. tit. S. Marci. Ex Eug. IV. ex Nicol. V.

D

### Ex Callixto III.

15. Ludouic. Milanus P.C. tit. S. IV. Coronat. Ep. Segobien.
16. Io: de Mela P.C. tit. S. Priſcæ.
17. Io: Caſtello Ep. Papienſis, P.C. tit. S. Clementis.
18. Iacobus Thebaldus Ep. Ferentinus P.C. tit. S. Anaſtaſiæ.

19. *Ri-

19. * Richardus Oliuerij, Ep. Conſtan. P. C. tit. S. Euſebii.

20. Æneas Syluius Picolomineus P. C. tit. S. Sabinæ, Papa dictus Pius II.

## Diaconi Cardinales.

21. Proſper Columna D. C. S. Georgii in Velabro S. R. E. Archid. ex Mattino V.

22. * Io: Caruagial D. C. S. Angeli, electus Ep. Placent. Ex Eug. IV.

23. Iacobus Portugalen. D. C. S. Mariæ in Porticu.

24. Rodericus Borgia D. C. S. Nicolai in Carcere &c.

Ex his defuere, qui notantur aſteriſco.

## Epiſcopi Cardinales ab eo creati.

1. IO: Caruagial ex Diacono Card. S. Angeli, A Presb. Card. tit. S. Marcelli ſub Eug. IV. Ep. Card. Portuenſis à Pio II. Vide ſupra *n.* 42. *in Eug. IV.*

2. GVillelmus de Eſtouteuilla ex Ep. Portuenſi, Ep. C. Oſtienſis. Lege ſupra *n.* 25. *in Eug. IV.*

3. IO: de Turrecremata ex Ep. C. Albano, Ep. C. Sabinus. Lege ſupra *n.* 34. *in Eug. IV.*

## Cardinales Presbyteri.

4. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.*
Pſal. 8.



ANgelus Capranica Romanus, Dominici olim Cardinalis frater Archiep. Sipontinus primò dictus eſt, 16. Kal. April. 1438. vita integer, doctrina ac rerum agendarum peritia inſignis, Annos nouem in ea abſoluit Eccleſia; inde III. Non. Maij, 1447. ad Aſculanam tranſlatus Eccleſiam, ſedente Nicolao V. ſub quo Fulginei Gubernator, & à quo in quodam diplomate (teſte *Vghello in Ep. Aſculanis*) Princeps & Ep. vocatur Aſculanus; tandem Ep. Reatinus Anno 1470. 7. Cal. Octob. propter inſignem prudentiæ notam, qua vrbem rexit Bononienſem, Presbyter Card. tit. *S. Crucis in Hieruſalem*, Anno 1460. tertio Non. Mar. Romæ, in prima Cardinalium promotione primus aſſumptus, ſuffragante ei morum innocentia, Sacræ Theologiæ peritia, Euangelij prædicatione, qua per plures Annos, Gregem ſuum pauit Dominicis omnibus, atque Sanctorum Feſtis, Diœceſanorum abuſus ſedulò corrigendo, qui ſub aliorum iniuria ſubrepſerant, Veri & Eccleſiaſtici paſtoris exemplar, qui in Eccleſia Dei deſideratur, teſte *Garimberto l. 1. c.* 2. Ad Principes legatus Italiæ, moribus, Angeli nomen impleuit. Hic ille Angelus, qui cum celebre S. Bartholomæi propè Ferrariam cœnobium commendatum haberet; *Bernardo de la Caſa*, rariſſimi exempli Monacho Ciſtercienſi liberaliſſimè ceſſit; ex cuius Monaſterij ceſſione, Congregatio S. Bernardi in Italia ſumpſit exordium. Promouit Angelus Paulum II. Sixtum IV. à quo promotus Ep. *Praneſtinus*, titulo *S. Crucis* retento, teſte Contelorio. Poſt obitum Nicolai nepotis, Firmanam regendam ſuſcepit Eccleſiam, eamque adminiſtrauit Synodo celebrata, vſque in Annum 1473. Reatino contentus Epiſcopatu, Ibidem eccleſiam conſecrauit F. Minorum de Obſeruantia. Plures piiſſimo
B Cardinali concinere elogia, vt legere eſt in epiſtolis Cardinalis Papienſis ad eum datis. Sed vnum audi pro cunctis Pium II. in publico Conſiſtorio, *Angelus Reatinus Epiſcopus, verè Angelus & vita & morum honeſtate conſpicuus: huic frater fuit Dominicus tit. S. Crucis in Hieruſalem quondam magni nominis Cardinalis: non minor hic germano, & multa eius extant, quæ poſſumus commemorare. Vita omnis ſua mundiſſima, præfuit eccleſia ſibi commiſſa non ſine magna ſubditorum vtilitate prædicauit Euangelium plebi ſuæ multis Annis, correxit mores, reformauit quæcumque inuenit malè diſpoſita. In legationibus, quas Sedes ſibi Apoſtolica mandauit,*
C *diligentiſſimus & fideliſſimus extitit: & nunc Bononiæ cum maxima ciuium gratia, Legationis munus exercet.*

Romæ deceſſit 5. Non. Iulii 1478. decus purpuræ & Sydus Eccleſiæ, Sepultus in S. Mariæ ſuper Mineruam, in tumulo Dominici Capranicæ fratris, de quo habes *lib. 4. Commentar. Pij II. & lib. 2. Card. Papien.* Lege quæ dedimus ſupra *n.* 19. *in Martino V.*

Ciaconius, Panuinius, Victorellus, Auberii, Vghellus; Ioannes Soareſius in *Antiqua Præneſte*.

Eius memoriam ſeruant grati Ciſtercienſes in tabula marmorea ad parietes Eccleſiæ S. Mariæ Nouæ, Florentiæ.

D *Angelus Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem Abbatiam hanc D. Bartholomæi deſtitutam, ac penè collapſam, Bernardo D. Saluatoris almæ vrbis Florentiæ Monacho reſignauit. Qui ſub Innoc. VIII. P. M. decreto Patrum Congregationis D. Bernardi in Tuſcia eiuſdem Ordinis, in poſterum ſine Commenda auctam, reſeruatam liberamque fecit. Anno Gratiæ 1484. 12. Kal. Decemb. regnante Hercule Duce ſecundo.*

5. *Laus*

*5. Laus eius in eccleſia Sanctorum*
Pſal. 49.



BErardus Herulus Narnienſis, ex obſcuris natus parentibus, doctrina verò, & moribus inſignis, Callixti III. familiaris, ſub quo Referendarius Apoſtolicus; ſub Nicolao V. Sacræ Rotæ Auditor, & Romæ Vicarius, ac demum Epiſcopus Spoletanus renuntiatus die 26. Nouemb. 1448. tandem ob morum elegantiam, artiumque nobilem eruditionem Pio II. carus (teſte Card. Papienſi *lib. 2. Commentar.*) *adminiſtrationem omnium Magiſtratuum Curia, ad Cardinalatum aſſumptus Peruſinam legationem accepit: vir propoſiti tenax, & Syncerus iuſtitia cultor.* Anno 1460. in prima Cardinalium promotione, Presb. C. tit. *S. Sabinæ*; vna nobilem Trium Fontium Abbatiam commendatam accepit, quam reſtaurauit, ex vſu Monachorum ibi conſtituto, ad pſallendum in choro, eandemque ſacra ſuppellectili, ac picturis adauxit, ornauit. Aduerſarios in ſua promotione ſub Callixto III. Berardus paſſus Cardinales Dominicum Capranicam, & Proſperum Columnam, qui poſtea, Capranica mortuo, Sede vacante per obitum Callixti III. [fallitur hic Oldoinus annuens Dominicum Capranicam obſtitiſſe electioni Berardi, ſub Pio II. cum ante Pii promotionem deceſſerit] non deſtitit charitatis prætextu nouum Papam à Berardi promotione retrahere, dicens purpuram cum paupertate vileſcere, opibus verò fulgere; cum autem minimè præualuiſſet ſermo Columnæ, nè Papam aduersù ſeipſum concitaret, mutato ſermone inſtare cœpit, ditandum priùs, poſtea ad purpuram promouendum. Quibus omnibus omiſſis, Pius eum tit. *S. Sabinæ* cohoneſtauit, laudauitque in publico Conſiſtorio, elogio ſequenti, *Berardus Ep. Spoletanus apud Narniam non ignobili loco natus, qui cum per Scholas Italiæ Cathedras magna cum auditorum dilectione, atque vtilitate rexiſſet, tandemque Romanam Curiam acceſſiſſet; à Nicolao præceſſ. qui eius doctrina culmen admirabatur, in palatium receptus, Referendarij accepit officium, in quo ita ſe geſſit, vt omnia ſibi crederet. Nam verbum eius, verbum veritatis fuit, & iam tum dignus Cardinalatu indicatus fuit. Apud Calixtum quidem cariſſimus fuit; nec ad promotionem eius aliud obſtitit, quàm inuidia paucorum. In noſtra verò familia receptus, ob famæ ſingularis odorem, & noſtram gratiam, & aulicorum omnium beneuolentiam meruit: primuſque ſemper apud Nos habitus eſt, eum & prudentiam eius, & fidem, & doctrinam & admiraremur & diligeremus.* Promotus itaque æmulos caſtigauit prudentia, & animi magnanimitate, celſitudinem dignitatis pauper ipſe magis cuſtodiens, quàm illi opibus & clientelis, ne gratiam Principum amitterent; quam Berardus Eccleſiæ decori ſemper poſtpoſuit. Federicum namq. ſecūdogenitum Ferdinandi Regis Neapolitani Romæ, hoſpitio ſuſceptum à Sixto IV. cum inuiſiſſent omnes Purpurati; ſolus Berardus [teſte *Garimberto l. 4. c. 3.*] negauit eo honoris genere, Regis proſequi ſecundogenitum; quòd Cardinalem non deceret, ſecundoGenitum Regis Eccleſiæ Feudatarii, domi conuenire. Narniæ Monaſterium non tàm pulchritudine & operis elegantia, quàm Monachorum frequentia commendatum: & in Monte Roſeo Eccleſiam erexit à fundamentis, adiecto valetudinario, ſeù Xenodochio, pauperibus illius caſtri valdè vtili; vt in epiſtolis Cardinalis Papienſis n. 454. *Cum iter Narnia, agerem, contemplatus ſum opus cœnobij, veſtra cura erectum, Fratrum frequentia, & ſtructura inſigne; benedixi nomini veſtro; rur-* A *ſum nunc per vicum Montis Roſuli tranſiens, magno meo & aliorum exemplo, vidi Sacellum, coniunctumque Xenodochium; quod impenſa veſtra à fundamentis erigitur.... dixi: Beatus uir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala &c. Felicem eccleſiam ſuſpiraui; ſi illi multi Spoletani contingerent. Quæ in re venere in mentem Patres nonnulli Ordinis noſtri; qui in Domino dormierunt S. Crucis, Cæſarinus, Firmanus, de Cuſa, ac nuper S. Angeli Hiſpanus, per quorum ſanctas actiones commendatum eſt miniſterium noſtrum. Comparans inde, qui nunc ſumus, & quàm in paucis Religio, quamque in paucioribus religionis, vice Romanæ Sedis indolui, noſque vel unum, vel cum paucis putaui.* A Sixto IV. promotum B fuiſſe in E.C. *Sabinum* habes in eius epitaphio.

Fugiit Berardus Beneficiorum onus, & Commēdatiorum; theſaurum in Cælis cogitans non in terris: & ſi facile potuiſſet, mediocri domo contentus, aulæa, paramenta contemnens. menſa frugali omnibus ſi honeſtis patebat quamuis pauperibus, modeſtiæ ſeruiens non luxui. Romæ deceſſit, in Baſilica ſepultus S. Petri, cum ſubiecto epitaphio, teſte *Nomenclatore*,

*Sedente Sixto IV. P. M. Berardo Herulo Narnienſi, Epiſcopo Sabinenſi, S. R. E. Cardinali Spoletino: Pontificij, Ciuilis Iuris ſummo interpreti; Iuſtitiæ ac Religionis cultori, ſingulari integritate cunctis eximijs Romanæ Cu-* C *ria honoribus functo; abſtinentia ſeueritate inſigni humanæ vitæ exemplo; à Pio II. P. M. Cardinali ob uirtutem creato, cæteris Pontificibus, ac Patribus æque caro. Conſtantinus Ep. Spoletinus Auunculo B. Mem. poſuit Annum agens LXX. Communi omnium bonorum mœrore, immortali de ſe apud poſteros fama relicta. Diſceſſit 3. Non. April. An. Sal. M.CD.LXXIX.* Huius ſepulchri nonniſi fragmenta occurrunt in cryptis Vaticani, cum notis *Hæc imago erat ad ſepulchrum*.

Verbum ne te fugiat in hoc epitaphio, *Beatæ Memoriæ.* Spoletanam Berardus adminiſtrauit Eccleſiam, vſque ad Annum 1474. deinde eo munere vltrò abiuit, quò facilius laboribus Eccleſiæ incum- D beret Romanæ.

De eo lege Garimberſum *lib. 3. c. 15. lib. 4. c. 10.* Vghellum, Victorellum, Ciaconium, Contelorium, Nomenclatorem, Auberii. Amiciſſimum habuit Berardus S. Antoninum, vt in huius vita apud Franc. Caſtellionem.

*6. Deus laudem meam ne tacueris,*
Pſal. 108.



NIcolaus Fortiguerra Piſtorienſis, Bartholomei filius iuuenis adhuc nobiliter eruditus, legumque peritia excultus Romam conceſſit, ſedente Eugenio IV. exceptuſq. ab eodem inter aulicos, ſub Callixto III. & Nicolao V. diuerſis in locis operam nauauit egregiam A ob legum peritiam, quibus excellebat. Eius virtutem admiratus Pius II. Theanenſem pronuntiauit Epiſcopum, mox Presb. Card. tit. *S. Cæciliæ*, Anno 1460. Cardinalium promotione prima, Legatumque creauit aduerſus hoſtes Eccleſiæ; quibus expeditionibus fortis & armatus iura, oppida propugnauit, redemit Eccleſiæ, crudelitate prohibita, rigiditate neglecta. Populos reducere malens ad Eccleſiæ obedientiam clementia, non ſupplitijs, amari voluit & timeri iniquorum hoſtis, oppreſſorum vindex. Eius laudes collegit Papienſis Cardinalis, epiſtola Romæ data, 11. Ianuar. 1474. *ad Cardinalem Spoletanum, ſub numero* 541. *De vleiſcendis erroribus noſtris* B *quantum video, cogitat Deus &c. Ad imum confuſionis, iudicio diuino detrudimur: eripit conſilia, vt in tenebris ambulemus: tollit auctoritatem, vt contemptui hominibus ſimus. Labenti iam Ordini noſtro, abſtulit paucis Annis firmo præſidia Io: Card. S. Angeli, Beſſarionem Card. Nicenum; nunc quoque Nicolaum S. Cæciliæ; quorum virtute quanta ſuſtinerentur, tu ipſe videbas, quotidie &c....... Theanenſi autem noſtro quid vtilius in domo Dei? cuius vita omnis labor fuit, & veritas, & ſalutare ſemper conſilium. Meminiſti quæ, ſedente Eugenio, & Nicolao, iuuenis adhuc diuerſis in locis Eccleſiæ præſtitit. Vidiſti, quæ, admirante Pio, magnis ſuis diſcriminibus egit. Ærumnarum plenus is Pontificatus fuit: quæ autem eius pars fideles* C *ſuas curas non ſenſit? Neapolim cum miſſus eſſet, ad coronam Regni Ferdinando reddendam, ſcis id, quod tuis conſilijs de recipiendis vrbibus Beneuento & Terracina, Sedes decreuerat, illius aſſidua diligentia perfectum fuiſſe, relata etiam documenta rerum noſtrarum, quibus vinculum regia in nos Fidei, noſtræque poteſtatis, & beneficij ius probabatur. Ortis bellis, quibus in Flaminia, in Sabinis, ad fines Campaniæ vexati ſumus, tenes, vt ſua diligentia ſecunda omnia nobis acciderint. Grauis hoſtis ad flumen Lyrim, ne in Romanorum agrum tranſiret, exiguis copijs prohibitus eſt. Loca munita obſeſſa & capta: oppidis penè omnibus Iacobus Sabellus exutus, qui, cum Andegauenſibus ſentiens, omnia per Latium infeſta habebat. Sigiſmundus* D *Malateſta attritus, concluſuſq. Arimini, ad abiurandam hæreſim, & petendam veniam compulſus eſt*. Pius II. elogio eum laudauit ſequenti. *Tuo fides, & in rebus omnibus diligentia liberat nos ſcribendi onere: quia vbi tu es, nos ſumus: & facis, quæ nos faceremus, nec hortationibus eges.* Et alibi, *Digna ſunt omni laude opera tua; à te perfidus hoſtis Eccleſiæ domitus eſt, & amputatis alis in ſpeluncam concluſus..... Nobiſcum patere Fili, qui nobiſcum es regnaturus.* Laude plenæ recurrunt epiſtolæ Cardinalis Papienſis, & loca frequentiſſima eius reſperſa nomine, atq. memoria. Rara erant de ſummis rebus Concilia, ad quæ non vocaretur; rari delectus Patrum, inter quos primus non eſſet. In Senatu pro conſilio liber, ad diſſerendum rectus, ad omnia benè videnda perſpicax; iudicia eius ad conſcientiam, non ad gratiam. *Fortis eius animus publica ſemper ſpectans nil humile ſapiebat; erant de ijs tantùm ſermones eius, & cura..... Vitam priuatam taceo, modeſtiæ Sacerdotalis, & continentiæ ſpecimen: non quæſierat ſibi ſacerdotiorum aceruos, quos in pleriſque dolemus; non theſauros; qui nulli inuenti ſunt..... Habitauit modicis ædibus uſque* A *conductitijs..... Domini virtute, non externis artibus ædes honeſtabantur.... Menſa nihil exquiſitum habuit vnquàm, aut nimium: cubiculum nil delitioſum & molle: veſtis erat communis, & modica. Diſciplinam omnem domus, & ſuam eò vir iuſtus redegerat; ut ſatisfacere caſtis animis, no delectare ambitioſos oculos poſſet*. Piſtorij piam domum, *Sapientiam Fortiguerrarum* appellatam in patria inſtituit, vbi Piſtorienſes iuuenes ad omnē ſcientiam adipiſcendam alerentur. Occurrit in ea eiuſdem Cardinalis ſtatua marmorea, ad cuius pedes, Piſtorienſes ſequentia ſubſcripſere carmina.

B *Ille ego ſum Patriæ verus Pater, inclyta virtus*
*Tyrrhenæ gentis gloria, & Italiæ,*
*Surgit in immenſam totum mea fama per Orbem,*
*Quâ viget, & notum eſt nobile Piſtorium*
*Quæque hæc æternum pateant Gymnaſia Muſis*
*Sunt quoque donata, & munere ſtructa meo.*
*Denique Nicoleos ſum, Fortiguerra galero*
*Qui ſacro irradians progeniem decoro*

Animi celſitudo, & liberalitas decorum ei ad purpuram lenocinium. Neapoli namque legationem agenti Æneæ Syluio apud Alphonſum Regem, & pecunia indigenti, ære ſuo Nicolaus abundè con- C ſoluit, teſte Garimberto *lib. 2. p. 217*. Cuius liberalitatis memor Æneas dictus Papa, vt beneficium rependeret, dixit Cardinalem. Mortuo Pio II. comitiis adeſſe cum nequiiſſet Pauli II. propter corporis ægritudinem, neque Conſiſtorio, in quo Paulus pacta iurata pro bono Eccleſiæ regimine ſubuertere conatus eſt, Cardinalis Papienſis litteras Nicolao miſit ſequentes: *Dignationem tuam languiſſe omnes dolemus: non reſtitutum adhuc Dominis noſtris adſcribimus; abeſſe autem tamdiu horis omnibus gemimus præſtans eſt fides tua, authoritas magno, ſententia autem ſemper grauis & pluſimi habita, fortem pugnatorem non ſatis firma acies noſtri Ordinis perdit*. Sperabat enim Papienſis Nico- D laum ſe obiecturum Pontifici quaſi murum pro domo Dei; cum alii Cardinales prece corrupti, vel metu deterriti in Pauli ſententiam eſſent abituri, Viterbii obiit, dum legatione fungeretur An. 1473. Corpus exanime Romam relatum, in templo quieuit S. Cæciliæ, ſepulchro marmoreo, cum hoc epitaphio.

*Nicolao Piſtorienſi cognomento Fortiguerra, S. Cæciliæ Presb. Card. expugnato Fano, ſuperata Flaminia, deuictis*

*ctis Sabinis, Euerſaniſque hoſtibus de Eccleſia benemerito Fratres pientiſſimi faciendum curarunt. Is vt foris inuicti, ita domi ſente ntys dicendis grauis & conſtantis animi eſt habitus. Vixit Annos LIV. Menſ. 11. dies XIV. M.CDLXXIII.*

Piſtorii, die feſto S. Bartholomæi, quo Pia Domus ſapientiæ aperta eſt, memoria eius colitur Anniuerſaria: alio die Exequię celebrantur, cum oratione, qua *Pater Patriæ* ſalutatur. In æde Cathedrali Piſtorienſes ſequens excirarunt grati animi monimentum.

*Nicolao Fortiguerra Cadinali grata patria, Ciui ſuo de ſe optimè merito poſuit. Vixit An. 54. Men. 11. dies 14. Obiit M. CDLXX.III.*

Nomenclator, Ciaconius, Panuinius, Garimbertus, Victorellus, Vghellus, Contelorius.

7. *Diſplicet Deo infidelis & ſtulta promiſſio.* Eccl. 5.



BRocatdus Vveiſpriach Prępoſitus Saltzburgenſis, quem publicare Pontifici non placuit, donec alii crearentur Tranſalpini, vt ex *Comment. Pij II. lib.* 4. Cæterum in ſecunda promotione creatus fuit teſte ipſo Pio II. in Commentariis. *Quartum locum tenuit Brocardus Præpoſitus Saliſburgenſis, quem publicare non placuit, donec alij crearentur ex Tranſalpinis l.* 4. Legatus iſte ad Pium cum Ioanne Inderbachio, & Artzongo cognomento *Capel* Iureconſultis, cum Florentiam veniſſet, ibidem ſubſtitit indignè ferens, Matthiam vt Regem Vngariæ ſalutatum fuiſſe à Romano Pontifice, eiuſque oratores in Curia, more Regali fuiſſe ſuſceptos; cum eodem tempore Vngari Palatini Regium Vngariæ titulum Cæſari obtuliſſent conſentienti. Excuſauit tamen Pius; quòd mos eſſet Sedis Apoſtolicæ, eum ſalutare Regem, qui Regnum poſſideret. Qua excuſatione placatis Legatis; Brocardus in templo Deiparæ, Florentiæ, Pontifici obſequium ſoluit oratione ornatiſſima, quæ M. S. aſſeruatur in *bibliotheca Cornelia Piſcopia*. Ibidemque legitur ſpe purpuræ lactatus Brocardus, excuſationi acquieuiſſe Pontificis, inſcio Cæſare. Eius promotio die 31. Martii, 1462. ſolumodo publicatur; datuſque ei titulus Presbyteralis *SS. Nerei & Achilles*, Archiepiſcopatu retento Saliſburgenſi, quem nouis Sacerdotiis auxit, ac ſuppellectili. Vita exceſſit die 16. Feb. 1466. in Cathedrali ſepultus Saliſburgenſi ante aram D. Ruperti.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Vghellus, Victorellus.

8. *Depoſuit potentes de Sede, & exaltauit humiles.* Lucę. 1.



M. F. Alexander Oliua de Saxo Ferrato, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Prior Generalis humilibus ortus parentibus rus Buccelinum Saxo Ferrato proximum incoluit. Trium Annorum puerulus cum flores quæreret, in fontem cecidit; ex quo penè mortuus iacuit;
A inde extractum poſt nouem horas mater eiulans in æde Deiparę; ab ea opē periit, accepit; conſpectaq. in Sacratio imagine Deiparę *Mater, Mater* (exclamauit puer) *Hæc mihi in fōte ſubſidio fuit:* nec ab ea auelli poterat. In eo fonte ſacellum rei admirādæ monumentum erexere. Poſt biennium, pia mater vota ſoluit, Ordini offerens S. Auguſtini, in quo clarus Philoſophus, eximius Theologus euaſit. Arimini, Bononiæ, Peruſii publicè docuit, ſemper cum laude, & modeſtiæ exemplo. Religioſi cultor inſtituti, Peruſinæ præfectus Prouinciæ, & ab Eugenio IV. Ordinis Procurator deſignatus illicò quæ vſui habebat, in commune contulit: ſalutiſque auidus animarum,
B populis diuina doctrina erudiendis animum adiecit. Ad publica inuitatus Gymnaſia à Cardinali Tarentino Ordinis Protectore, vbi nomen quæreret immortale, negauit gloriolæ ſuccumbere, contentus. Euangelicam ſpargere doctrinam, per duos latuit circiter menſes apud Petrum quemdam Anachoretam; donec à Sede impetrauit Apoſtolica, vt prædicationi euangelicæ totus intentus, à cæteris ſtudiis feriaretur. Hoc feruore multos Italiæ populos erudiuit, & innocentis vitæ exemplo ad cæleſtes incendit triumphos. Ordinis ſui Vicarius pedibus incedens vrbes luſtrauit; cum per valetudinem non liceret, aſello vtebatur. Magiſter Generalis inſtitutus
C munus impigrè obiuit. Antequam Pius eum Cardinalem diceret, mandauit Cardinalibus cogitate, *qui eſſent idonei. De numero ipſi iudicabimus curaturi, ne vel nimietate vileſcat dignitas; vel paucitate, Reſpublica non ſatisfaciat.* Vt quinque donarentur purpura, & in iis Pii nepos, Cardinales cōſēſere. Tunc Pius: *Sextum non negabitis, quem nominauero omni exceptione maiorem.* Aſſentientibus Patribus, nominauit *Alexandrum Oliuam Presb. Card. tit. S. Suſannæ ad duas domos, virum Theologica doctrina celebrem, & Sanctitate illuſtrem: nam vera virtus, quamuis occultè ſæpius impugnetur, propalam tuta eſt; ex lib. 4. Com. Pij II. Hic enim Ordinis Auguſtinienſium Magiſter Generalis, ſummus*
D *Theologicæ ſapientiæ Doctor, atque interpres, qui Annos duos & quadraginta in Religione verſatus, eximius cultor, & paupertatis & humilitatis extitit. Huic patria eſt Saxoferratum; parentes eius quinquennem, aut paulò maiorem Deo dicauerunt. Cum in fontem cadens mortuo ſimilis extraheretur, locus in quo primò receptus eſt, B. Mariæ profeſſionem emiſit, & reuolutis Annis eadem feſtiuitate & Miſſam primam celebrauit, & magiſterium Theologiæ adeptus eſt, & in ciuitate B. Mariæ ad Cardinalatum per Nos aſſumptus eſt, vir omni ex parte perfe-*

*eius, vocatus à Deo tanquàm Aaron, neſcius, nil petens & dignitates prorſus effugiens receptus eſt in conſilium. Traxit Nos odor boni nominis, & vita exemplariſſima: nam etſi animus eius honorem quemuis horreret, virtutes tamen eius petebant, nè inhonoratus relinqueretur.*

Electio hæc multum admirationis prębuit, & priùs cognita quàm excogitata. Nemo enim pauperem monachum, anguſtæ cellæ cultorem, quamuis ſanctum, & ſcientificum inter Cardinales aſſumendum expectabat. Ab huius promotionis die plures virtuti & probitati incubuere ardentiùs. Nulla res enim adeò virtutem excitat, quàm ſpes ipſa premii, quod eſt honor. Huius electionis nuntius ad Alexandrum venit dormientem in ſeamno emiſſis ę cella fratribus; pulſatoq. oſtio ter, quaterque, tumultu excitatus pulſanti aperuit, nil minus ſperans quàm Cardinalatum. Audita ſalutatione irriſionem primò arbitratus, ſiluit, poſtea abſtractus, & confuſus, *vnde* prorupit: *Vnde Præſulis in me charitas; quid promerui? quid feci?* Electionem hanc cum tota Italia gaudio accepiſſet, vrbes dona miſerunt, & ciuem ſuum eſſe voluerunt. Papa miſit argentum, quo decoraret. Aulæi non deſuere muneribus. Pius laudabatur ab omnibus, quòd in ea collatione plus accepiſſet, quàm contuliſſet quàuis pauperem & egenum extuliſſet. Purpura indutus priorem viuendi regulam non deſeruit. Opes nõ congeſſit: munera plura pretij non exigui remiſit: nullum ſine Pontificis venia accepit: oblara à non ditiſſimis, accipienda non putauit; quòd boni Principis liberalitas ſit, aliis donare; ab infirmioribus non accipere. Piceni Legatus non ſolum vaſa reiecit argentea, ſed victualia dono miſſa. Amicis cum auro haud poſſet, pignore, ſponſionibus opitulabatur. Familiares ad petendum inuitabat: indigentibus ſponte ſubſidium parabat, Iuſta petentibus operam ſuam nunquàm negauit: iniuſta, nunquàm exhibuit. Romæ plures alebat familias: ad Fidem conuerſis, exulibus ſemper occurrit: ſtipem petenti ianuam patere voluit: quòd pauperum eſſent bona à Deo data. Agnatis vt pro alimentis conſuleret, veniam à Pontifice impetrabat. Vini parcus pauperam adamauit menſam, in qua ſacras hiſtorias ſemper audire voluit. Quotidianis diſputationibus ad duas horas ſemper adſtabat. Venientibus omnibus ianuas recluſas volebat, quos manſuetudine, comitate excipiebat. Pannis lineis nunquàm vſus, cilicio aſſiduè membra comprimebat, quotidiana in veſte ſemper cubauit; neq. eam in morte dimiſit. Romæ in ſacello domeſtico ſepulchrum ſcrinii ſpetiem referens confici, in eoq. ſui imaginem, quæ eum mortuum referret, collocauit, iis adiectis. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Artificem ſacramento adſtrinxit nemini pãdere, nè è ſepulchrali puluere gloriola enaſceretur. Viros doctos magni fecit, cæteros non contempſit. Duo hominum genera pernicioſa indicauit, mendaces, & ſeditiagos, Ipſe iureiurando affirmauit, nullum ſe vnquàm protuliſſe mendacium. Ægrotans à ſeruis non ſacratis tangi noluit. Mortem præſenſit & prę-nuntiauit. Morbo vexatus SS. Euchariſtiam petijt, quam poſt explanatum Apoſtolorum Symbolum, humi ſtratus, expanſis manibus pronus, lachrymis obrutus percepit: æſtu febris incenſus; quàm vera ſit Chriſtiana fides, & quam magna hominibus piã vitam agentibus in Cælo ſint propoſita præmia, *copia numquàm audita diſſeruit*, teſte Antonio Campano, qui eum laudauit in funere. Extrema Vnctione munitus Dei Matrem ſemper in ore habuit, quam ſibi diu, noctuque adſtare affirmauit, Interrogatus vbi humati vellet? *Animam* (dixit) *iam pridem Deo voui: corpus Pio relinquo: ubi is uolet, ibi me ſepelitote*,

A An aliquid ſuis mandaret? Vt *boni ſint, & rectè uiuant*, Morte imminente, cum familiares dicerent, nè timeret. *Quid* (ait) *ego timeam, qui ad nuptias eo*. Anno ętatis deceſſit LVI. *Summo Pontificis dolore: cuius uita Sanctimonia cum per omnem uitam emicuiſſet, tum maximè in obitu claruit: qui etſi dies quamplures agonizauit, nunquàm tamen intermiſit de fide Catholica diſputare, ſymbolum exponere; obſtruſos ſcripturarum ſenſus aperire, dubiaque reſoluere, hortari adſtantes, ad Euangelicam uitam, ad cęleſtis patriæ deſiderium erigere, contemnenda eſſe huius promiſſa ſæculi, quæ uelis, nolis relinquere oportet. In ea patria theſaurizandum, cuius gaudia fine carent. Cum rogaretur teſtamentum facere; Animam (inquit)*

B *meam Deo relinquo; Pio Pontifici corpus: & hęc quę vocantur ſæculi bona ipſi familiæ, & curam ſepulturę meę committo. Deinde quaſi dormiens expirauit ingens Sacri Collegij decus, in quo vitę fulgor cum doctrinę luce contendit ..... In hoc graue vulnus accepit Eccleſia ......Pius exequias Cardinale dignas amico peregit; & familię curam ſuſcepit.* Anton. Campanus. Tybure obijt: cadauer Romam relatum in æde iacet S. Auguſtini, cum hoc epitaphio,

*Alexandro Oliuę Saxoferratenſi Theologo eximio, Eremitarum B. Auguſtini, ab Infantia ſpei maximę alumno, qui cum eſſet Ordinis Generalis Cardin. à Pio II. ignorans creatus eſt. Vixit Annos LV. obijt Anno Sal. 1463.*

C

*Vt tibi ſolo dedit probitas, non gratia ſoli,*
*Digno Cardineum nomine reque Decus.*
*Sic eadem indignis raptum dum tollit ad aſtra*
*Felix, hoc (inquit) Principe Roma foret.*

De eo lege Ciaconium. Victorellum. Garimbertum *lib.* 3. c. 15. *lib.* 4. c. 20. Philelphum ep. ad Alex. qui *nouum uas electionis* appellauit. Chron. Auguſtin. Hieronymum Plat. *de tit. & offic. Card.* Commentaria Pij II. Victorellum. Ioannem Antonium Campnum *oratione in funere Alexandri Oliua*: Ambroſium Landucium

D *Chron. Cęnobij de Iliceto, Eremitarum S. Aug.* Beatum dixit.

Scripſit Alexander Oliua,

*De Chriſti ortu Sermones centum.*
*De Cęna cum Apoſtolis facta.*
*De Peccato in Spiritum Sanctum.*
*Orationes plures elegantes.*

Aliaque plura morte pręuentus emendare non valuit.

Vi-

Viuens templo Deiparæ in Saxo Ferrato, ædes emit fructuarias Romę, aureis ducentis, donauitque calices argenteos, libros, veſtes. Tenuem fratris fortunam cum ſacris opibus exaltare nefas crederet; auctor eidem fuit ad bellum pergere, ne domi deſidendo; quæ pauperibus eroganda Deus Cardinali crediderat, frater arroderet. Horas eum recitaret Canonicas, tam piè, tam diſtinctè litteras appellabat, vt quamuis publicis implicatus negotijs, horas quatuor quotidie inſumeret. Maiora qui cupit, legat eius vitam apud citatum Io: Anton. Campanum.

*9. Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.*

1. Reg. 2.



BArtholomæus Rouerella Ferratienſis, filius Ioannis Rhodigini ex Clerico Epiſcopi Mutinẽſis, & Sacellano Patriarchæ Aquileienſis Epiſcopus Hadriæ, poſtea ad Archiep. Rauennatem̃ tranſlatus Anno 1445. ab Eugenio IV. doctrina, moribus, conſilio, integritate conſpicuus varias, graueſque legationes pro Eccleſia Romana fæliciter abſoluit præcipuè ad Anglos, Siculos in gratiam Regis Ferdinandi Aragonij aduersùs Andegauenſes, cui ritu ſolemni regia impoſuit inſignia. Summæ prudentiæ expediuit conſilia. Beneuentanis ius dixit tempore Pij II. à quo Presb. Cardinalis dictus tit. *S. Clementis*, Anno 1461. præfectuſq. rebus Eccleſiaſticis, quas ſumma fælicitate, & facilitate tractabat. Tres habuit germanos fratres ſummæ exiſtimationis viros, Laurentium ſcilicet Epiſcopum Ferrariẽſem, litteris & legationibus clariſſimum: Nicolaum Generalem Monachorum Montis Oliueti; & Florium equitem Hieroſolymitanum. Adminiſtrationes omnes ſtatuum Eccleſiaſticorum, quæ diuerſis curiæ Romanæ Prælatis ſolent diſtribui, diuerſis temporis ipſe ſolus geſſit: res rariſſima, quæ tandem ei fæliciter cecidit. Rauennæ Præſul, Viterbio ab Anguillariæ Comite occupato, copijs coactis, ſtatim accurrit auxiliaris. Adfuit paulò poſt Oddo Peruſinus eius vrbis moderator, qui Anguillariæ Comite aberat irruente, & Rouerellam iuuit in expugnatione oppidi, ſed magna iactantia, quaſi ab eius gladio victoria ſtaret. Tunc Antiſtes memoria repetens quod de Fabio ſcripſerat Liuius: *Probe* [inquit] *ego nunquàm Viterbium recuperaſſem, niſi tu prior amiſiſſes.* Multis Annis Rauẽnatem rexit Eccleſiam, rerumq. multarum gloria illuſtris, ſeptuagenarius exceſſit, in eadem eccleſia *Filaſio* nepote ſucceſſore relicto. Cadauer in D. Clementis, cuius titulo fuerat inſignitus, iuxta Florij fratris ſepulchrum, marmoreo quieuit ſepulchro, cum ſequenti epitaphio.

*Hoc monumento clauditur, Vrbi, doctis, & bonis omnibus deſideratiſſimus Bartholomæus Rouerella, ob ſuar animi dotes, ſingularemq. fidem & ſcientiam, Eugenij IV. P. M. ſecretarius, & ab eodem Archiep. Rauennas; inde à Pio II. P. M. tit. S. Clem. P. C. creatus qui legationibus multis pace & bello peractis ſplendum Sixti IV. P. M. & Collegarum beneuolentia, Principumq. ac Nationum plurimarum clientelis inſignis tranquillam, & conſilij vtilem ſexagenarius ætatem ageret, omni ſuppellectile in familiæ remunerationem diſtribui iuſſit. Romę obijt An. Sal. 1476. VI. Non. Mar. Teſtam. execut. Collegæ.* Ex Nomenclatore *p. 19. inter Epitaph.* Lege de eo Garimbertum *lib. 1. c. 4.* Commentaria Pij II. *l. 7.* & Card. Papien. *l. 2.* Hieronym. Rubeum *lib. 7. hiſtor. Rauen.* Auberii. Vghellum. Nomenclatorem. Summontium. A Thomam Coſta *hiſtor. Neapol.* Ioannem Pontanum *hiſtor. ſui temp.* Ioannem Marianam *Hiſtor. Hiſp.*

Huius Cardinalis nũmiſma recurrit, in quo Crux cum pileo Cardinalitio ſub epigraphe. *Ob elementiam ipſius, morumq. ſanctimoniam, & in Sedem Apoſtolicam ingentia merita.*

*10. Scientia inflat: charitas verò ęmulatur.*

1. Cor. 8.



IOannes Geoffroii, Luxouii in Burgundia natus, frater Ioannis Goffredi, non Lofredi, B [vt notant Claudius Robertus, & Frizonius] & Henrici Gofredi Nicolcę Geoffroii, fundatricis Sanctimonialium Metenſium, Ordinis S. Claræ. Fuit Ioannes Prior B. Mariæ de Caſtro ad Salmas, poſtea Cænobiarcha Andrii, S. Petri Luxouienſis, Ordinis Benedictini, Congregationis Cluniacenſis, Diæceſis Biſuntinæ: Cęnobiarcha D. Dionyſii in Francia LX. Referendarii etiam Officio functus. In Epiſcopum electus Arrebatenſem poſt Iacobum à Colibria Cardinalem; competitorem habuit & æmulum Dionyſium de Montmorencii C Decanum Tornacenſem, defuncto verò Roberto Delphino fit Præſul Albienſis, ob excellentes animi dotes. Doctrina namque, ingenio, & diuina quodammodo memoria excelluit: vnde purpuram adeptus, *cum ſibi in portu nauigare iam videretur* [teſte Pio II. lib. 7. Commentar.] *quæ de animo Ludouici ad res Siculas, ſilentio preſſerat, ſcribere cœpit, & Pio in conſultationibus reſiſtere.* Idem Pius de Ioanne ita loquitur l. 12. *Commentar. Cum aliorum iudicio doctus, ſuo verò doctiſſimus videretur; vt qui litteras memoriæ multas mandaſſet & prophanas & ſacras, & quicquid apud Latinos legitur, perlegiſſet, ſelectiſq. Philoſophorum & Poetarum dictis referſiſſet memoriæ penu, ac de quacumque re ſermo* D *incidiſſet; paratus erat dicere aliquid: omnia hac de cauſa ſibi licere exiſtimabat.* Ab eodem offenſus Cardinalis Papienſis, pluribus eum redarguit epiſtolis [putà *ep. 17. 48. & 394.*] quamuis poſtea reconciliatus, amicam ei ſcripſerit epiſtolam, qua ad Curiam, purpura iam exornatum inuitat. Plures Ioannes legationes ſubiit; præcipuè ad Ludouicum XI. Francorum Regem, & Carolum vltimum Burgundiæ Ducem pro ſacra in Turcas expeditione; pro abrogatione Pragmaticæ Sanctionis; cui, refragante

Pari-

*nunc eſt omnis contentione contrarius. Cum autem mutationis huius amicè admoneretur, ſolam ſui Principis mutationem excuſat cum, inquit ſibi placebat & mihi; nunc diſplicens, diſplicet mihi: indigna vox Cardinali, ut ex perſonis, non ex honeſtate cauſę Apoſtolicæ ponderentur. Cum reprehenditur Cardinalis Atrebatenſis, quod primò Legationem pro Ludouico Rege Francorum ad Pontificem ſuſcepiſſet, deinde quod procurationem rerum ſuarum in Curia exerceret, aliorum exemplis, alterum ex iure eſt reprobatum. Guillelmum Card. Rothomagenſem, Oſtienſem Epiſcopum ex Gallijs ad Callixtum redeuntem, qui in Pontificem nuper erat electus, rogauit Carolus Rex Ludouici pater, ut Legatus unà cum cęteris, quos ad præſtandum obedientiam mittebat, ire non grauaretur; prudentiſſimus vir, cui notum erat officium ſuum, onus quamquam à magno Rege impoſitum recuſauit malens dignitati propriæ, quàm alterius gratiæ inſeruire. Nouerat enim nec debere, nec ſolitum eſſe Cardinalem niſi pro Romano Pontifice obedientiam accipere. Et certè modeſtiſſimus Rex id indignè non tulit, ſed mittens alios, quos elegerat Oratores, inter cætera mandata quę dedit, hoc eſſe voluit primum, ut quicquid acturi, quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, eiuſque conſilio & ſuffragio in omnibus uterentur. Federicus quoque Romanorum Imperator petens à Nicolao Cardinale S. Petri ad Vincula in Germania tunc agente, ut Legatus ſuus conuentus Ratiſponenſi intereſſet ob cauſam fidei indicto, exauditus non eſt. Reſpondit Cardinalis id ſibi niſi concederet Pontifex, nullo modo licere; neque antea Imperatori aſſenſit, quàm ſcriptum eſt Nicolao V. & conceſſio impetrata. De procuratione autem ita eſt dictum; ſi Cardinali, ſi illuſtri, & ſuper illuſtri ex iure eſt interdictum, ut non procuret negotium proprium; quantò magis cenſendum eſt interdictum eſſe alienum? Nihil uilius eſt Procurationis officio, nihil contemptibilius, nihil etiam Cardinali indignius, qui ideo ad eam dignitatem aſſumitur, ut in Senatu Apoſtolico ſedens, non quid alij petant, quid ſupplicent, quid contendant, quid litigent, anxio labore procuret; ſed quid uniuerſali Eccleſiæ conueniens, atque utile ſit, liberè conſulat, Conſiſtorij enim locus conſilij eſt, non contentionis locus. Nam quod de venatione dictum eſt; non nego poſſe Sacerdotes honeſtius rebus alijs intendere, & aliunde corporis exercitium quærere; veruntamen humanæ cogitationis eſt facere inter Sacerdotes & Sacerdotes diſcrimen. Parochiano regenti animas ſibi commiſſas cum liceat horto, vel agello colendo intendere, liberiuſque huc & illuc vel recreandi animi, vel tuendæ valetudinis cauſa deambulare, ſeuerius admiam venationem, ne qui admonendæ plebi eſt conſtitutus, reprehenſibilis ipſe in eius oculis videatur. Eadem eſt in ſua ciuitate de Epiſcopo ratio. Cardinalem autem cum dignitatis amplitudo domi contineat, tum verſare glebas, & ſaxa illi non liceat, cum recluſus vel moderetur, vel legat, cum ſe ipſum adeuntibus præbeat, cum ocio ipſo ualetudinem labefactet, cum denique in faciem populi nihil niſi ſerium, & graue oſtendere debeat; quis non indiges in tanta ſeueritate vitæ aliquando ut procul ab omni turba in nemoribus, & ſyluis ſe cum domeſticis ſine iniuria cuiuſquam oblectet? & valetudini ſeruiens ad opus officij ſui nouior & fortior redeat? Plebem Cardinalis non curat; præcepta quotidiana Parochianis non dat, ad nullum miniſterium ſacrorum ſe populo exhibet; ſolo conſilio Apoſtolicæ Sedi adſcriptus, inſtar quoddam ſecularis Principis habet. Sed uideamus obſecro, ne dum Cardinales domi continere uolumus non ſolum corpori, ſed animæ quoque damnoſiſſimè conſulamus: carnei ſunt Cardinales, ut cęteri homines, tentantur, urantur, & animi perturbationibus ſeruiunt. Colloquia uiſitantium non ſemper ſunt caſta, non caritatem, & proximi dilectionem continent ſemper: adulatur ille, murmurat alter: eſt qui inter fratres odia ſeminet, & in hunc uel illum cor Domini inflammet. Legi ſemper non poteſt, non ſemper diſputari, non ſemper cogitari de publicis rebus: ad hæc illicita aliquando nos carnis infirmitas trahit: ad alia*

A *quoque nonnunquam quæ ocium conſequuntur, & me ſilente, per vos cognoſcuntur, Prætereo ſomnos de die non ſalubres corpori, quos poſt prandia arcere non poſſumus: hinc podagra; hinc lateris dolor; hinc calculus & præmaturum ſenium, ac mortes acerbæ adueniunt; quæ ut ocio celeriter contrahuntur; ſic exercitio facilè prohibentur. Nec ſine cauſa Principes ſeculares, quos magnitudo, curarum grauat, hoc ſibi genus lauaminis elegerunt; unde reſumere animum, reſtaurare uires poſſint ad publica: nunquam apud veteros eſt damnata uenatio.*

> *Romanis*, inquit Horatius *ſolemne uiris opus,*
> *utile famę,*
> *Vitęque, & membris.*

B *Illa eſt damnanda uenatio, quę totos dies conſumit in agris, quæ mentem auocat à rebus gerendis: ſi Cardinalis ſibi à Pontifice opus iniunctam, ut uenatum eat, dimittit; ſi in Conſiſtorium, ſi in Eccleſiam ſtatutis diebus non uenit; ſi cogitare de Sede Apoſtolica negligit; ſi egentium patrocinium deſerat; reprehenſibilem illi eſſe uenationem contendam, & coercendum illum putabo, ut ſe domi contineat. Idem uerò ſi impletis, quæ quotidiani officij ſui ſunt, reliquum quod ſupereſt temporis, aliquando inter nemora, & feras, ad ualetudinem conferre; inter quas & ſancti Patres totam ſæpè uitam egerunt, non inuadam Catoniana increpatione hanc eius retinendæ ſanitatis prudentiam. Sed profectò ita eſt: quicumque ex nobis ita ſeuerè uenan-*

C *tem Cardinalem coarguit, aut ſenex iam eſt, damnatque quod neceſſitate omiſſum obire non poteſt, aut agreſtem animum gerit, nec quid habeat nobilitatis uenatio intelligit, aut natura ſeuerus eſt ualde. Ego quamdiu ualetudo mea incolumis manſit, & iugum laboris potuit ferre, licet ab adoleſcentia, uenatio fuerit grata, ea tamen ſemper abſtinui. Huc uerò unà cum Pontifice, & nobis remittendi animi gratia commigrans, ſentienſque mille morbos uehementiùs ſolito inſurgere, non priuato inſtituto, ſed medicorum conſilio, non quærendæ uoluptatis cauſa, ſed redimendæ ualetudinis, hunc exercendi corporis laborem accepi. In quo etiamſi neceſſariam non haberem cauſam, aliorum me tamen Cardinalium poſſent tueri exem-*

D *pla, quorum cum uirtus, & fides, & in publicis rebus diligentia probata ſit nobis, ab hoc tamen ſolatij, & recreationis genere non abhorrent. Et quoniam quę ante me locutus eſt, ſectatorem me leporum, & ferarum per irriſum dixit? irrideas dicam & ego, ſatius eſſe leporem, & feras ſine offenſione cuiuſquam ſectari, quàm cum perturbatione Eccleſiæ Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem confictis criminibus conſectari.*

Ioanni poſtea reconciliatum Papienſem alia monſtrat epiſtola, qua ad Curiã Ioannem inuitabat.

De

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Vghellum, Claudium Robertum, Frizonium, Io: Trithem. *de viris illuſtrib. S. Bened.* Contelorium, Auberij, Victorellum, Spondanum; Matthiam Palmerium.

11. *Venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis, Decurio,* Mar. 15.



IAcobus Cardona Hiſpanus, Arragonenſis, Ep. Vrgellenſis, regali ortus progenie, eius enim proaui Regale renuere faſtigiũ, Presb. Card. tit. S.... à Pio II. dictus, promotione ſecunda, titulum non obtinuit, quia Romam non venit. Ceruare in oppido apud Catalaunos moritur die 1. Decemb. 1466.

Ciaconius, Panuinius, Auberij, Spondanus, Porregnus, Contelorius.

12. *Vere Iſraelita, in quo dolus non eſt,* Io: 1.



LVdouicus de *Albreto* ſecundum Ciaconium, vel *Albretu* ex Gallorum Annalibus, paterno, maternoq. genere, è Regum prolapia filius Caroli II. Comitis Albretii & Tartaſij, qui parente Franciæ Conneſtabili Comite Droenſi interfecto in prælio Azincurtio, Anno 1415. vxorem duxit Annam Bernardi cognomento Craſſi filiam Comitis Armeniaci, ex qua natus Ludouicus propatruus Amanei Cardinalis Epiſcopi Pampilonenſis. Fratrem habuit præſens Ludouicus Albretium primogenitum, Franciæ Polemarchum, C & Carolum natu minorem Dominum S. Bazellæ in tractu Burdegalenſi, cuius caput amputari iuſſit Rex Ludouicus XI. Pictauij, Anno 1474. Ex ea familia ortus ſtirpe materna Henricus Magnus. Ioanna enim Albretia Nauarræ Regina maritum duxerat Antonium Borbonium Henrici patrem; Alebretiorum Ducatu Galliæ adiecto coronæ: *A parentibus* [inquit Card. Papienſis *ep.* 136.] *religioſis educatus, nil niſi Religioſorum ſapere poterat, verbum impudicum, inſolens, & aſperum nunquàm eſt ex ore eius auditum; conuerſatio erat grata, conſuetudo ad omnia facilis, ſenſus pleni miſericordia ſemper ad rectum intenti, odientes malum, & adhærentes bono: introſpexi præ cæteris hominem totum, ſcrutatus ſum renes & cor, nihil vnquàm malignum in cogitatione patris huius inueni.* Ob præclara (inquit *Andreas Victorellus*) merita magni cuiuſdam ducis de Albreto, qui Carolum VII. Galliæ Regem contra Anglos duxit, vniuerſæ familiæ conceſſum eſt, vt ſtemmati gentilitio Lilia adderet. Reclamat tamen Frizonius, Armando Ameneo Albretii Domino aſſerens aream coccineam cum tribus aureis liliis, in campo cæruleo conceſſam à Carolo VI. in gratiam vxoris Margaretæ Borboniæ ſextæ, filiæ Petri primi Ducis Borbonii.

Adurenſis dictus Epiſcopus, & Cadurcenſis habuit adminiſtrationem die vltima Februarii, 1461. vſq. ad ſexageſimum quintum. Presb. Cardinalis promotus tit. *SS. Petri, & Marcellini* à Pio II. Anno 1461. die XIII. Cal. Ianuarii, ob inſignem litteraturam, quam ſortitus fuerat, & honeſtiſſimas animi dotes, non ſolum à Cardinalibus, ſed tota Curia vnicè diligebatur, vt *Amor* vocaretur & *Vrbis delitiæ*. Nobilitas namq. ſanguinis cum animi candore certabat, plenus religione, & modeſtia. De eo Pius II.
A *l. 2. & 7. Comment. Ludouicus Librettus ex Regio Francorum ſanguine ortus, & placida conuerſationis, cuius uita generi conuenia*t. Sic Cardinalis Papienſis. *Ludouicus Libretto tit. SS. Marcellini & Petri, amor & delitiæ Collegij noſtri, qui Anno proximo uita functus eſt. Hic nobilitate generis inter Gallos excellens maternum & paternum ſtemma à Regibus Francorum ducebat, puri admodum cordis, & ad charitatem hominum facti.* Gregorius Lollius ep. 133. data ad Papienſem Cardinalem, *Virum* dixit *ſincerum, nulla adſperſum macula*; & cuius interitu, Sacri Collegii dignitas imminuta. Nec minora repoſuit ipſe Papienſis ep. 135. *Erat charitas noſtra, mi Lolli, amicitia, non quæſtus. Reſpiciebas nos,*
B *non ea, quæ ex nobis. Habebam qui mori poſſet pro me, qui meum ſequeretur exilium, qui in ſe reciperet omnem acerbitatem fortunæ. Ito nunc tu, & alterum quære, aut monſtra qui hæc impendat amico. ,,,,,. Communia inter nos erant omnia, nihil partitum: vt animi, ſic fortunæ ſpes, expectationes, & omnes res in vnum venerant glutinum: coniunctius excogitari nil poterat.* Die funeris ad aram diuinam rem faciens Papienſis, eam lacrymarum vim effudit, vt adſtantes ad idem impulerit, & vix Sacrum abſoluere potuerit. Scripſit de eius morte ad Cardinal. Senenſem ep. 136. *Amor & delitiæ Collegij noſtri Ludouicus Card. SS. Petri, & Marcel...... qui diligebat nos vnicè, nocte proxima, inter ſextam & ſepti-*
C *mam horam, ſpiritum Domino reddidit ....., Admirabilis fuit hic tranſitus eius: moriturum ſe noſcens, cogitare, & loqui, & audire de eo alia, præterquàm de ſalute animæ, non eſt paſſus: fuerunt ſibi lacrymæ ſuæ panes, dum recogitauit Annos præteritos: cubiculum eius aſſiduis queſtibus, & compunctionibus cordis repletum eſt. Sacramentum D. N. Ieſu Chriſti ſumpturus, è lectu in terram ſe iuſſit deponi. Horas Canonicas non ante dimiſit, quàm à voce eſt ipſe dimiſſus. Inter orandum, ſi quando labente memoria alicuius verbi eſt facta amiſſio, toties iterauit .... Cum ab ijs vacabat, Paſſio Saluatoris noſtri legebatur aſſiduè: inter audiendum non ceſſauit ſuſpirium, & fletus. Vnum modo locutus, quod ſapere humanitatem eſt viſum, & tamen fragilitati*
D *noſtræ ſit concedendum; audiens deſperatam à medicis ſalutem ſuam, & cogitandum ſibi de tranſitu, aliquando tacens, mox conuerſus ad ſuos, non dolet inquit, mors mihi propter me, obeunda enim eſt ſemel; dolet propter patris & matris ſenium, qui biennio ante amiſſo apud Barchinonem filio vno altero anno præſenti, nunc de me audientes, me ſtatim propter dolorem ſequentur: iſtis, & mihi ſit Deus præſidio: tota Curia contriſtata eſt obitu eius: Pontifex vbertim fleuit, cum Epiſcopo Oſtienſi, & mecum, quos ille ad implenda legata elegit: ego conſolari vix poſſum: amiſi*

dimi-

*dimidium animæ, & mentis meę, ſcit dignatio tua quanta inter nos erat coniunctio, quanta rerum omnium communicatio: leuator ille erat ægritudinum mearum, ego viciſſim ſuarum: fideles manſimus in dilectione; nulla querela, nulla expoſtulationes auditę inter nos vnquam: ſtudia mea erant ex ſuis; ſua ex meis: gratia, honore, & obſequijs inuicem præueniebamus: mores eius cuiuſmodi eſſent, dignationem tuam non latet: reſpondebat vita nobilitati, ſanguis erat regius, vt ſcis, ſuperans, ſine controuerſia genus omne illud Gallicanum à parentibus religioſis educatas, nil niſi religioſum ſapere poterat: verbum impudicum, inſolens, & aſperum nunquam eſt ex ore eius auditum; conuerſatio erat grata, conſuetudo ad omnia facilis, ſenſus plens miſericordia, ſemper ad rectum intenti, odientes malum, & adhærentes bono: introſpexi præ cęteris hominem totum, & ſcrutatus ſum renes eius, & cor nihil vnquam malignum in cogitatione Patris huius inueni; videor mihi nunc mancus relictus, & imperfectus, & cum communicationis noſtræ memoria venit in mentem non ceſſo à lacrymis: illi in morte nihil contigit mali: deceſſit enim tempore ſuo, non noſtro: ſortitus vitam quæ indeficiens eſt, atque omni caret moleſtia: nos ad continuationem miſeriarum ſumus relicti: erat hic ex filijs Pij noſtri vt dixi, eadem voce aſſumptus, quâ nos; atque eadem manu benedictus quâ nos: dilexit dignationem tuam, & familiam noſtram, & omnes qui ex famulatu illo ſancto fuerunt: debemus viciſſim illud diligere: dilectio autem noſtra, ſi fructuoſam eſſe optamus in orationibus ſit, & pijs ſuffragijs: hęc ego & præſtiti, & præſto quantum poſſum, idem quæſo faciat bonitas tua: commendatur permultum hæc pietas, dicente Scriptura:* Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur: *tricenas Miſſas Gregorianas animę fratris, & Collegę inſtitui: ſi totidem inſtitueris tu, rem meo iudicio piam, & ſalutarem inſtitues: menſura illa remetietur nobis quâ nos alijs menſi fuerimus, vt habeamus qui noſtri ſint memores, cum moriemur, mortuorum nos habeamus memoriam.*

Aliam leges epiſtolam eiuſdem Papienſis, ad Gregorium Lollium de obitu Ludouici.

13. *Innocens manibus, & mundo corde.*
Pſal. 23.



IAcobus Amanatus Lucæ apud Hetruſcos natus, familia non ignobili, parentibus honeſtis, ſed pauperimus, in oppido Piſcię diæceſis Lucenſis, prima didicit rudiměta Grammaticæ, Florentiæ poſtea ſub Carolo & Leonardo Aretinis, Poeſim & Rhetoricam. Anno exeunte Iubilęi, ſub Nicolao V. Romam venit ſecretarius Dominici Capranicę Cardinalis Firmani. A Callixto III. qui Nicolao ſucceſſit, eodem Secretarii ornatus munere, Apoſtolicorum ſcriptor diplomatum declaratus, cœpit leuare paupertatem ſuam, vt ipſe indicat *ep. 178. & 375. Decem Annos ego laborioſam ſeruitutem ſeruient, adhuc vnde tondeter non poſſidebam: accumulauit omnia vno impetu Deus, & longa patientia fructum porrexit.* Defuncto Callixto, Pius II. ad eandem Secretarii dignitatem, ipſo aſſumptionis die, illum nec poſtulantem, nec opinantem vocauit; eoq. iubente in Picęnum profectus, reliquias eccleſiaſtici exercitus in vnum collegit, ſtipendium militibus diſtribuit vt Sigiſmundum reprimeret Malateſtam eccleſiæ rebellem, Prouinciales firmaret nutantes, aſſumpto in Ducem Caſtrorum Neapoleone Vrſino, qui ſigna direxerat Alphonſi Regis, ac Venetæ Reipublicæ; cuius fama, nouiq. exercitus delectu territus tyrannus receſſit. Miſſus quoque ad exigendas pecunias bello ſacro neceſſarias cum eas ex animo collegiſ-
A ſet Pontificis, inſulam retulit Papienſem cum ſequenti gratulatoria.

*Pius PP. II. Venerabili Fr. Iacobo Epiſcopo Papienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Conſolatus es Nos litteris tuis; nam qui nuper egeni omnium rerum ad colligendas diſſipatas copias Noſtras vacuum pecunia miſimus in Picęnum, diligentia tua ex Prouincialibus ſtipendium adinuenimus: plus profeciſti fili, quàm fieri poſſe putauimus, & plura es executus, quàm tibi eſſent iniuncta: commendamus fidem hanc tuam, idq. in primis vtile ducimus, quod in re neceſſaria, ſumma celeritate es vſus; quo vno expectationi noſtrę, & deſiderio ſatisfeciſti abundè: voluntate igitur tua ad nos redi, redibis*
B *enim carus atq. acceptus. Datum &c.*

Elapſo biennio (notat Oldoinus gemino errore deceptus) Eccleſiæ Ticinenſi, mox Papienſi Iacobum præfecit Pius. Si enim quando ob fugatum tyrannum in Picæno, ad eum ſcribens Epiſcopum ſalutat Papienſem, quomodo biennio poſt ad cathedram dicitur promotus Papienſem. Fallitur ſecundo ſcribens ex Ticinenſi Epiſcopatu tranſlatum fuiſſe ad Papienſem: cum vnum & idem ſint Ticinenſis & Papienſis Epiſcopatus. Corrige itaque & dic ex Ticinenſi Epiſcopatu ad Liuenſem patriam ſuam fuiſſe tranſlatum. Hunc adeo Pius ob ſtudiorum ſympathiam prædilexit, vt communicatis cum
C illo, Piccolomineę gentis inſignibus, ſub titulo *S. Chryſogoni*, inter purpuratos adlegit, Lib. 2. Commentar. poſtquàm nonnullos recenſuiſſet Cardinales, de ſeipſo ita loquitur: *Reliquus ego ſum, qui ſcribendis his operor, Iacobus tit. S. Chryſogoni, Lucenſi patria natus, qui ſextumdecimum abhinc annum Vrbem ingreſſus, poſt longam inopiam, miſerante Domino, Secretariatum Callixti primo, inde Pij II. ſum aſſecutus, moxq. eccleſię Papienſi præpoſitus ad Cardinalatum, vigeſimum poſt menſē aſſūptus ſū, nulla Principū, aut Maiorū comendatione adiutus. Quanquàm verò demandatas legationes inriūq. Codices referre in meritis meis non poſſim: referre tamen poſſum ſalutares vigilias, documentaq. permulta ingenij,*
D *quibus aliquando vel repreſſa, vel oppreſſa ſunt impiorum conſilia: in primis autem manuum puritatem, quas in maxima corruptelarum opportunitate Deo adiutore innocentes ſeruaui.* Et in epiſtola ad Carolum Salandum; *Natus ſum pauper, altus pauper, ad Pium vſque perſeueraui in paupertate; quid me angat ad ſortem redire, vnde exiui? Si miniſtros viginti non potero alere, dimidium alam, ſi nec hoc, vno tantùm contentus lætius ad extremum perueniam, quàm cum ingentibus theſauris.* Sic ad Cardinalem Nicęnum: *Videbam quàm breui ſpatio, & quàm nul-*

*ijs laboribus ſumma omnia cumulaſſet diuina clementia, quam facile paupertatem in ſubſtantiam, obſcuritatem nominis in claritatem: humilitatem verò in eam dignitatem mutaſſet, quę poſt Romanum Pontificem prima eſt in Eccleſia; agnoſcebam quoque hęc omnia in recenti ætate eſſe conceſſa, ualido corpore, & mente ad bonum opus idonea.* Ad purpuram euocato cum alijs lectiſſimis viris, qui aberant omnes, Pontifex lecto decumbens manu ſua vel ægra rubrum galerum impoſuit; quem nullo Principum intercedente, ſed propriis meritis, præcipuè manuum puritate, quas toto vitæ curriculo ſeruauit immaculatas, promeruit ea Pontificis beneuolentia, vt aliquando prandio etiam exciperetur. Cardinalis renuntiatus has ad ſeipſum litteras dedit.

*Ad Cardinalatum vocatus es, o Papienſis, dignitatem in Eccleſia celebrem, ſi feratur vt debet, circumſonant nunc auribus tuis gratulantium uoces; curritur ad blandimenta fortunæ, hi te fortunatum prædicant; ſunt qui repromittunt maiora, iucundæ gratiæ omnes, formandæ menti nemo inſeruit. Intenditur ſuis, non amici bonis. At tu inter hæc fortis, ſi maximè his frontem aperis, claude aure, & vulta excipe eorum dicta, non corde, Vana loquuntur unuſquiſque ad proximum ſuum, & linguis doloſè agunt, ſuntque molliti illorum ſermones ſuper oleum, & ipſi iacula. Redi ad te ipſum ſemper, & audi ſpiritum rectum, qui innouari debet in viſceribus tuis, non fallet ille te, ſed dabit præcepta ſalutis, quæ inſtitutam ad publica dignitatem, in publicis continebit officijs. Ea verò huiuſmodi ſunt, vt ſuſpicias ante omnia timorem Domini, & illum omnibus diebus vitæ tuæ cuſtodias; eſt enim initium ſapientiæ, eſt auriga fidus, qui excipiens cogitationes noſtras, & linguam ad exitum ſalutis perducat. Loquitur Eccleſiaſtes:* Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificant animas ſuas. *Sine illo nec ſalutare conſilium es nec in aduerſis robur. Pondere timoris, tanquàm ancora ſiſtitur mens; quin & lingua præſertim nil habet, ſi frena Domini non tenent, non incitant, non circum agunt, corde eſt opus;* Non vos eſtis qui loquimini, *inquit Saluator*, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Hic uerò ſpiritus niſi cum timore in uobis non habitat,* Super quem cum requieſcam, *ait* niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea? *Actionum utique noſtrarum eadem eſt ratio. Inanes ſunt atque inutiles, cum dono hoc carent, velut arbor, cui ſucciſa eſt radix, ſic opus hominis à quo illud abeſt acturum areſcit. Ergo accedens ad nouam hanc Dei tui ſeruitutem, ſta iuxta uerbum ſcripturæ* timens & tremens. *Et ad eum dic cum Propheta.* Confige timore tuo carnes meas, quia firmamentum eſt timentibus te, & oculi tui ſuper metuentes nomen tuum. *Hoc ſancto initiatus decreto, ſine gratia non eris in reliquis. Crede quoque hunc, in quem veniſti gradum, non tam honori nomen habere, quàm oneris: nec tam loci quàm negotij locum. Reprimet hæc cogitatio efferentem ſe animum, & leuiora faciet quæcumque ſunt grauatura. Ad ſana etiam conſilia animum præparabit, ſi aliud eſſe Cardinalatum putas, erras uehementer; quicquid hic eſt, labor eſt, & diſpenſatio Chriſti, non quies, aut imperium. Auxiſti miniſterium Dei; augenda pariter humilitas eſt, ac patientia. Sanctum miniſterium hoc à te exigit, dicens Dominus,* qui mihi miniſtrat, me ſequatur, *hoc videlicet dicit, ſicut humilior ego, & patior, ſic tu humiliare, & patere. Collati honores ſi delectant, non contriſtent honorem opera. Nil magnum Cardinalatus ex ſe habet, occaſionem laudis affert non laudem, tantuſque ille eſt quanta illius eſt virtus qui eum ſuſtinet, clarus ſi tu dignus gloria; ſine honore, ſi vita eſt contemptibilis;* Non facit cathedra Sacerdotem (*inquit Chryſoſtomus*) ſed Sacerdos Cathedram, non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum, non omnis Sacerdos Sanctus, ſed omnis Sanctus Sacerdos. Qui benè ſederit ſuper Cathedram, honorem accipit cathedræ, qui verò malè, iniuriam facit Cathedræ,
A ideo malus Sacerdos Sacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatem: *contendere ergo quanta potes ſolertia, vt inane non ſit, quo nunc gloriaris, nec ſupercilij pabulum habeat, ſed recti officij. Pugna contra ſuperbiam, quia ex diabolo eſt, & audi gentilem hominem, à quo per es inſtitutus; licet enim ſine Chriſto ſit, ſine ſenſu bono tamen non eſt: equidem inquit vt honore dignum eſſem, primum laboraui ſemper, ſecundò vt æſtimarer, tertium mihi fuit illud quod pleriſque primum eſt, ipſe honos: Rectè vir ſapiens rerum nomina non antetulit rebus: idem quoque octingentos iam dicit ciues fuiſſe vſque ad ſua tempora, qui aſſecuti Conſulatum Romæ eſſent, ſed eorum vix decimam partem repertam dignam gloria, nec hoc quidem*
B *iniuria. Attenditur enim quòd extra arridet oculis, quòd eſſe intra, & primum perdi oportet, negligitur. Tu ergo tene ſemitam rectam, & honorum vocabula cum honoribus iunge, cogitans non quid, ſed à quo; non quantum, ſed cuius gratia es aſſecutus. Inſtruis per ſingula non eſt operoſum, modò præſtare te dignum Cardinalem velis. Qua id fiat ratione habes in promptu, velle eſt opus, dicebat Socrates, quibus hominibus perſuaſum eſſet, vt nihil mallent ſe eſſe, quàm bonos viros, ijs reliquam facilem eſſe doctrinam. Pauca, & prima de multis hæc ſunt quæ commemoro. Voluntas & ſtudium porrigere reliqua. Sed addam aliud, in quo eniti toto ſtudio debes, vt quantùm uidelicet antecellis loco, tantùm & meritis pręſtare, laudata poteſtate nihil*
C *utilius, nihil quòd infrapoſitos ad reuerendum, parendum, & ad ſuſcipienda bonorum operum deſideria fortius animet. Diuinitatis non humanitatis putant populi, quod ſupra uident, & magna admirantes æquanimiter patiuntur duci, quæcumque eſt opus. Ea res quantum publicis proſit, nemo ignoras. Exempla attendimus omnes magis quàm præcepta, nec eſt in quo peccent grauius malè Eccleſiæ Principes, quàm qui in imitationem ſuis reliquos trahunt. Induendus ergo nouus eſt homo, & noui ſeſe formandi, qui iuxta Platonem plus à cęteris hominibus differant, quàm uiri à pueris, quę poterant priuato forſitan indulgeri, non indulgebuntur publicam perſonam tenenti. Cum dignitate creſcunt crimina, in magna fortuna, in-*
D *quit Hiſtoricus, minima licentia eſt, neque ſtudere neque odiſſe, ſed minimè iraſci debet; quæ apud alios iracundia dicitur, tu in imperio ſuperbia, atque crudelitas appellatur. Relinquendæ ſunt tibi delectationes antiquæ, omittendæ euagationes quotidianæ, raro niſi cum expedit, producenda in publicum hæc dignitas eſt; oblata enim frequenter vulgò oculis uilet, ſecretum, & raritas æſtimabiliorem illam reddit, inſtituenda eſt vita ſeuerior, & vitæ adiungenda maior religio, quod in alijs eſt mediocre, id in te eſſe cumulatum oportet, continuum, & conſtans, opus bonum*

pro-

*proprium tuæ profeſſionis appareat, ut acrò, quod Euangelis eſt conſecratum, nil habeat, turpe, aut vanum, aut malcam, in eu perſonet ſemper verbum Dei, & ſicut turpe ſibi Iureconſulti putant ſine lege loqui, ita tu inconueniens verbum crede, quod caret ſcriptura. Cantato cum Propheta quotidie,* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo, *nulla porrò intemperati animi in te ſigna appareant, non libido, non luxus domeſticus, caſtigata ſunt ad vnguem ſingula, corporis tui ſit cultus, is veſtitus familia, ea frugalitas menſæ, illa mediocritas totius ornatus, vt qui hæc intueantur, Sacerdotio digna exiſtiment, & benedicant operibus tuis; multum hæc cura miniſterium noſtrum comendat, nihil enim ad laudem, vel de-* A *trectationem tam obuium eſt, quàm exterior ſpecies. In qua eò diligentiùs eſt vigilandum quò difficilior eius moderatio; Magnam, inquit Cicero, eſt tueri perſonam Principis in Republica, quæ non animis ſolùm, ſed etiam oculis debet ſeruire ciuium. Innocentiæ quoque, & integritatis, & magnitudinis animi, & beneficentiæ ſtudium ſuſcipe. Actiones tuæ dignum in domo Dei famulatum oſtendant, illa etiam diligentia non habeatur in vltimis, vt pateat omnibus domus tua, & faciles ſint acceſſus ad te. Audiendi non ſis impatiens, nec accelerata attentio. Benigna dentur reſponſa, conſolationem capiant qui te adeunt, nemo triſtis diſcedat, opera verò non ſegniùs impendenda quàm offerenda.* Tibi *enim (vt ſcriptum eſt)* derelictus pau- B per, orphano & pupillo tu eris adiutor, *labor nullus moleſtiam habeat. Eſſe nunc te Cardinalem puta, cum aut egenti pium aliquid præſtas, aut publicum curas, hæc ſi propter gloriam in gentilitate olim fiebant, quidni tu in Christiana vita propter Deum id agas? Addi ad hæc præcepta poſſent plurima dignitati tuæ cognata, ſed ea per te noſcens, ſi (vt dixi) adiungere honori onus etiam voles. Quæ dico, magis eò pertinent vt ſanum aliquid inter multa noxia repas, quàm vt abſoluta aliqua forma tradatur. Vigila Papienſis, & eſto ſobrius, & non careant dies tui, & noctes recordatione beneficij accepti: Anni prætereunt, & mors appropinquat. Pugna ut hæc tanti oneris ſpecioſa ſarcina, ſicut corpus grauat, ita non opprimat hominem. Dominus* C *Deus ſit in corde tuo ſemper, & quando Vicariatus ſuo membrum te addidit, etiam præſtet ut collaborare ad communem ſalutem vtiliter valeas.*

Qualem autem ſe parauerit & inſtruxerit ad eccleſiæ vniuerſalis obſequium; ipſum audi.

*Animum firmo ad diligendam Sedem Apoſtolicam, ad diligendam ſalutem gregis Dominici, ad tuendam, quantum per exilem hunc ſpiritum licet, Romani Pontificis maieſtatem: totus hic hæreo; totus hic ſum; totum me locus hic habet; patriam præter hanc unam non noui: corporis hæc, & animæ eſt patria. Princeps nullus mihi eſt præter Romanum Pontificem: à nullo honor exhibitus, à nullo vita commoda data, præterquàm ab uno Romano Pontifice;* D *frater mihi ſolus erat, ex omni fratrum turba reliquus: hic militiam Eccleſiæ ſequens, ſanguinem pugnando dedit Eccleſiæ: ego in Curiam veniens pauper & egens, renatus hic ſum, altus hic ſum, ditatus hic ſum, & poſitus cum Principibus Eccleſiæ ad conſilium vniuerſalis Eccleſiæ: hic habitant oculi mei, hic meæ curæ incumbunt: fortuna vexante Eccleſiam, uexor & ego; triſtante Eccleſia, triſtor & ego: eadem ſecundis ſuis lætante, lætor & ego: nullus illi affectus eſt, quod ego ſtatim non ſentiam: ſi inutilis miniſter ſum, fidelis ſum tamen: denique ſi cor hominis reſpicit Deus, & ex illo homines iudicat, iudicium certè ego cum miſericordia expecto, quia domus ſua mihi eſt cordi, quia toto ſinu eam complector:* & alibi: *ſum peccator maximus, ſed inter mala multa, id boni præſtitit Deus, ut coluerim ſemper Apoſtolicam Sedem, & quaſi ſatelles fuerim Romanæ Eccleſiæ uſque adeo Summo Pontifici ſeruiens, ut nullà unquam ſæcularium principum patrocinia; propoſitis etiam non contemnendis præmijs ſim paſſus ſuſcipere.*

Defuncto Pio, comitiis adſuit Pauli II. quo ſedente habitauit Iacobus ad ripam Tiberis modicis A ædibus, ſed ob amænitatem, & aeris ſalubritatem conſpicuis. Emit deinde ſibi domum, quā piæ mem. Alex. Oliua incoluerat Card. S. Suſannæ, vt ex ep. ad *Carolum Salandum* procuratorem ſuum: *audiuiſſe te credo emptam à me domum, quæ nuper fuit Card. S. Suſannæ; laudatum eſt ab omnibus conſilium meum; dicam nunc habitare vt Cardinalem ante at mus*. Ad tantum faſtigium cum ex humili perueniſſet fortuna, haud tamen in ſtudiis, quę immortalitatem parere ſolent mortalibus, vel latum vnguem remiſit. Quin vt adeptæ dignitatis, viciſſim eſſet, decori, multa ſcripſit, compoſuitque tum ſoluta tum metrica oratione; Commentaria Pii II. non dum completa abſoluit; B pluresq. epiſtolas doctrina, eruditioneq. pleniſſimas reliquit, in quibus omnes ſui ſęculi de litteris meritos diligentiſſimè coluit. Amauit Senenſes, ad quos ob Pii II. memoriam benefactoris ſui æſtiuo tempore deſcendebat, ibique domos ſibi parauerat & prædia. Biennio ante obitum Lucenſi præfectus eccleſiæ, quam cum Papienſi retinuit, & ad eam viſendam profectus, iiſdem fuit receptus honoribus, quibus Pontifices Maximi ſi quando Lucam diuerterunt, recipi conſueuere. Huius Eccleſiæ Epiſcopale palatium in parte reſtaurauit. In Eccleſia Papienſi, vnde Ticinenſis nomen ſibi adſciſcere placuit, nobilis ſacrarii fundamenta iecit: longeq. plura ſolus C ornamenta contulit de ſuis ſacerdotiis, quàm reliqui omnes anteceſſores eius, vt de ſeipſo commemorat *ep. 194.* licet pauper inter Cardinales haberetur, *Inopem Cardinalem me Pius reliquit, & quamquam ſummè diligeret, parum prouidit*. Sub Sixto IV. cuius adſuit comitijs, Legationem obtinuit Peruſinam in Vmbria, & in adiacentibus prouincijs, quas prudentiſſimè & integerrimè adminiſtrauit. Ibi vt ex eiuſdem Papienſis *ep. 494. Rem audita paruam, fructu magnam, tractatu difficilem, ſuſceptam à multis, à nullis perfectam, ab officio etiam Sacerdotis non alienam, quinquaginta trium dierum pertinaci opera, tandem confeci, patientia mea victa eſt ruſtica duritas: pronuntiaui,* D *ut ſcis inter Lucinianenſes, & Foyanenſes: id quidem iudicium, quod non doctorum hominum modo, ſed prudentium quoque laudabatur ſententia, neutris tamen placebat iudicatum: parabant ſe ambo ad implendas querelis Reſpublicas ſuas, & Oratores ad eas iam miſerant, in cauſa æquiſſima non defui mihi: contraxi vndique quicquid ad trahendos animos vel arte, vel ingenio potui: vide tamen mutationem dexteræ Excelſi: quod voluntate ſuſcepturi antea non videbantur, paulò poſt vel neceſſitate iudicij, vel ſedulitate iudicis, honorificis ſuſceperunt decretis: agro*

*igitur litigato ad cognoſcendos fines ſtatuti ſunt termini, & æternum pax imperata, cuius etiam ſtabiliendæ cauſa, quadragent à quoque oppido publicè miſſi, complexi ſe inuicem ſunt ac oſculati: regio hac omnis tam inſperato euentu, non modo exultat, ſed mihi gratulatum occurrit, ac gratias agit. Florentinis quoque ac Senenſibus perincundum hoc nuntium accidit, non obſcurè videntibus magna inter eos contentionis occaſionem eſſe ſublatam: non fuit tamen diligentia noſtra, non operis tam ſalutaris conuentio: egit omnia virtute ſua Altiſſimus, qui in faciem Chriſti ſui reſpiciens, ſigno etiam cæleſti oſtendit, quem vellet finem piis laboribus fiebat meo inſtituto quaque die in vicina Eccleſia ſolemne Spiritus Sancti: horis etiam omnibus ad* A *quamque actionem inuocabatur ille à me: mirares, & à fidelibus non irridenda: Conuentu uno inter cæteros, qui in agris apud deſertam quamdam B. Sabini Eccleſiam à contendentibus me præſente eſt habitus, cum altercationibus mutuis eò uſque progreſſum eſſet diſſidii, vt ad deſperationem vltimam res iam inclinaret, mæſtis omnibus, & ad diſceſſum paratis, lux Domini ſubitò affulſit, ſpem amiſſam reddentis: clariſſima die nullis ventis, aut nubibus Columba candoris immenſi à Septentrionibus lapſa, deuolanſque ſupra ipſum Conuentum, antequam terram attingeret, in flammam eſt reſoluta, neque poſt amplius viſa, admirationi omnibus fuit: oſtenti huius teſtis eſt locuples Dominicus Lucenſis vir grauis, & verax,* B *cuius ad primum initium concitatior vox quaſi indicantis eam, aliis eſt intellecta: redii domum lætus affuturumque operi eum Spiritum qui in Columbæ ſpeciem Conuentui ſe obtuliſſet, incubui acrius, nec multos poſt dies, illo duce, & auſpice perfeci quæ dico. Gloria igitur Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Quàm miſerè obierit tantus Cardinalis? attende.

Biennio ante obitum, Tuſculanæ Eccleſiæ titulo honeſtatus ad lacum profectum Vulſinum, quartanamq. febrim, qua tunc laborabat, potionibus volens diſcutere, ab imperito medico haud ſatis diluto elleboro, ſumpto, ſtatim profundo ſomno correptus, minus diei ſpatio, in oppido Laurento, tertio, vel quarto Idus Septemb. die Veneris, vita exceſſit mortali, Anno ætatis ſuæ 57. teſte Volaterrano, Chriſti verò 1479. Magnæ virtutis Cardinali infelix hic vitæ exitus. Cadauer mandante Pontifice, in Vrbem relatum proſequente familia humum ſubiit non in Vaticana Baſilica poſt aram S. Gregorii, ad dexteram Pii II. cum epitaphio, quod ipſe ſibi teſtamento parauerat; ſed in æde Æremitana S. Auguſtini, ſepulchro marmoreo, cum ſequenti epitaphio.

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria: nomen*
*Dum vixi Iacobus: Mens bona pro genere.*
*Papa Pius ſedem Papienſem detulit, Idem*
*Cardineo ornauit munere, gente, domo.*
*Viuite qui legitis, cæleſtia quærite, noſtra hæc*
*In cineres tandem gloria tota redit.*

*Obiit apud Laurent. Vulſinen. An. Sal. 1479. X. Septemb. In Vrbem relatus Pia Familia domeſtica proſequente, & hic conditus, Sixti IV. P. M. beneficio. Vix. An. LVII. Menſ. 6. D. 2.*

Truncum ſupraſcriptum eſt epitaphium; quod enim ſibi parauerat, ſequens fuit.

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria: nomen*
*Dum vixi Iacobus: Mens bona pro genere.*
*Papa Pius ſedem Papienſem detulit. Idem*
*Cardineo ornauit munere, gente, domo.*
*Quem colui viuens, non linquo mortuus, hic ſum*
*Et prope ſancta Patris filius oſſa cubo.*
*Viuite qui legitis, cæleſtia quærite, noſtra hæc*
*In cineres tandem gloria tota redit.*

A Aliud Epitaphium à Latomio conſcriptum.

*Hic ille Cardo, & Alpha litteraria,*
*Gloria Iacobus Papienſis accubat*
*Pro parente homuncioni Syluio*
*Vterq. quorum litteris euectus eſt*
*Ille ad thiara triplicis faſtigium*
*Hic ad rubentis purpura: in qua ſubſtit*
*Patri hoc libenter deferens honoribus,*
*Vt præſtet ipſe cæteris ac dotibus*
*Pro parente filius gratiſſimus.*

Eius Teſtamentum, quod in funeris diſpoſitione B conſiſtit, in fine legitur epiſtolarum eius. Cur autem Sixtus IV. qui viuum vnicè dilexit, inſultauerit mortuo, teſtamentum non exequendo, opulentamq. hæreditatem Fiſco adſcribendo, *Vghello* teſte; & *Ioano*, cuius accipe verba. *Scripſerat antea ingenua, piaque liberalitatis teſtamentum, ſed id Sixtus Pontifex irritum fecit; quòd pecunia ſatis grandis apud menſarios occultè depoſita, tanquam frugi atq. opes contemnentis cenſa, amplior æſtimatione publica videretur. Epigramma tamen ex eodem teſtamento in Fiſcum non venit, hæredibus atq. relictum, ut hoc modo marmorei ſepulchri tabulæ inſcriberetur.*

Plura de hoc Card. celebrāt, puta obſequioſā geni- C tricis ſuæ dilectionem, de qua habes in *ep. ad Iacobum Volaterranum ſecretarium ſuum*. De educatione Chriſtophori nepotis ſui, vt in ep. De Gratitudine erga benefactores, præcipuè erga Cardinales Firmanum Dominicum Capranicam, vt in ep. ...... erga Pium II. vt in ep. ad Philelphum, poſt mortem Pii, hortando vt ea retractet, quæ aduerſùs eiuſdem Pontificis memoriam mendaciter, & mordaciter indignabundus effuderat. Decantata poſtea palynodia gratias egit eidem Philelpho. De officioſa amicorum, & litteratorum protectione, in famulos gratitudine, cum epiſtolarum volumen innumeris ſit refertum exemplis; hic tranſcribere ſuperfluum D duxi.

Eius doctrinæ obſeruatores fuere Philelphus *ep.* 21. Campanus *ep.* 68. Ficinus, Politianus, Lollius, alii. Eius vitam compendio contraxit Iacobus Volaterranus, quam habes in prohemio Operum Card. Papien. ex quo colligitur *vitas* ſcripſiſſe *Romanorum Pontificum*, quę ex inuidia malignantium deſiderantur deperditæ.

*Commentaria à Pii profectione Anconam in Turcas.*
*Commentaria meditabatur totius Orbis terrarum.*

*Epi-*

*Epiſtolas ſupra 600.*
*Carmina argata magis quàm ſuauia.*
*Orationem in Florentino gymnaſio.*
*Itinerarium Dominici Capranica, ſeù Legationem ad Ianuenſes.*

Huius ſcripta, poſt recenſitas laudes, Iouius ſequentibus carpit elog. 20. Vir. Illuſtrium. *Fuit hic vir inter Sacrati Ordinis Senatores pari virtutis atque fortunæ munere lectiſſimus: erat enim cum optimarum litterarum ſtudio, & vigilantis ingenij fertilitate, tum animi iudicio, ſtyloq. & perſpicuis moribus Pio II. perſimilis, à quo adoptatas in familiæ nomen, & ad purpuram decat euectus eſt: extant Commentarij grauiſſimarum actionum, atq. epiſtolæ: quibus Senatoriæ prudentiæ potiùs, & Chriſtianæ ſeueritatis nomenq. perfectæ orationis laudem petiſſe videri poteſt. Quod in curſu hominum maximis obeundis muneribus occupatus ſplendidum illud antea conceptum illuſtris eloquentiæ lumen, feſtinato & penè præcipiti, vt neceſſitas ferebat, ſcribendi genere vehementer infuſcarit. Verum ex.udis adhuc ſæculi ingenia facile ſumma, ac admiranda cenſebantur, quæ hodie tanquàm expergefactis cenſoribus, vix in infimis litterati Theatri gradibus Sedem inueniunt. Sed fortaſſe populari commendatione contentus, eam abſolutè ſcribendi gloriam vti leuem, & à doctiſſimis tantum, ideoq. paucisſimis intellectam ſpreuit, vt ingenio ad ſacrarum litterarum ſtudia reuocato, illam quam Dij Superi dederant, perſonæ dignitatem religiosè tueretur. His enim moribus ſibi iter ſternebat ad ipſum rerum faſtigium; ſed illudente fortuna, in ſummo ferè deceptus haſit; cum fata potiorem ei viam ad Cælum permunirent. Perijt enim non adhuc ſenex in ſeceſſu ad* A *cryptas Laurentianas Vulſinienſis lacus, à circumforaneo medico miſerabiliter enecatus, quum vir in omni negotio, præterquàm in tuenda ſanitatis ratione prudentiſſimus, vt quartana febris tadium diſcuteret et &c.*

Eius inſignia habes in Pio II. R.P.

Lege Ciaconium, Panuinium, Spondanum, Auberij, Sandetum *in Elog. Card.*

## Diaconi Cardinales.

14. *Antequam Abraham fieret: ego ſum.*
Io: 8.



FRanciſcus Gonzaga Mantuanus Ludouici Marchionis Mantuani, qui Pium Romanum Pontificem, Mantuæ, regio exceperat apparatu; & Barbaræ Brandeburgenſis Secundogenitus, Franciſci Mantuani Principis frater, Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris conſanguineus, Annorum nondum viginti, cum Pius bonarum artium ſtudijs incumberet, corpore lõgè maiorem præferret ætatem, animo verò grauitatem, ac prudentiam prope ſenilem referret, ex Protonotario Apoſtolico Epiſcopus Mantuanus deſignatus, Diaconus Cardinalis *S. Mariæ Nouæ* Cardinalium promotione ſecunda, die XV. Cal. Ian. 1461. à Pio II. renuntiatus, poſtea S. Agathę Commendatarius, de quo Gobellinus Cardinales enumerando creatos à Pio II. *Franciſcus Mantuani Principis filius; nondum viginti Annos ætatus, verùm qui corpore longè maiorem præſeferret ætatem, & grauitate ac prudentia prope ſimilis ad Diaconatum aſſumptus.* Alibi. *Franciſcus Mantuanus nobiliſſimis Italiæ, atq. Germaniæ familijs ſanguine iunctus.* Primus hic, qui Gonzagę Genti ſacram intulerit purpuram. Quanti eum faceret Cardinalis Papienſis, habes ex epiſtolis ad eum datis; & ex libro II. Commentar. *Franciſcus S. Mariæ Nouæ Ludouici Marchionis Mantuani ſecundogenitus filius, materno genere Brandeburgenſem Domum, Reges, atq. adeo Fridericum III. qui nunc Romanorum habet imperium, conſanguinitate attingit, prudentis conſilij, atq. ante Annos virilem curam, grauitatemq. gerens.* Natiua is cum præſtaret benignitate; & eo nemo liberalior ætate illa iudicaretur, amicas omnes habuit Muſas, quæ laudibus cumularunt innumeris. Mortuo Pio II. promouit Franciſcus cum alijs Cardinalibus Paulum II. à quo Legatione donatus Bononienſi, & munere Commiſſarij, in ditionibus Ludouici patris, cum facultate Crucem prædicandi aduerſus Turcas, munificentiam ſuam vbique exercuit, in egenos largitione profuſa. Poſt obitum B Pauli II. ex Sympathia, qua obſtringebatur cum Cardinali S. Petri ad Vincula, futuro Pontifice Sixto IV. lapis fuit angularis, ſuper quem erecta Sixti promotio. Hic gratitudinis ergo confirmauit primo Legationem Bononienſem, poſtea Epiſcopatum eiuſdem contulit Vrbis; vt ipſemet Franciſcus ad Iacobum ſcripſit Cardinalem Papienſem. *Nihil ambigo iam ad aures RR. D. veſtras delatum eſſe nuncium obitus bonæ mem. D. Card. Bononien. quem non potui non maximè deplorare, ob meam in eum præcipuam obſeruantiam & ſeruitutem: fuitq. mihi eo acerbior quo breuiore tempore, tanquàm ex plena incolumitate pro illius paris ætate, & valetudine veluti ſubtractus viſus eſt. Heri* C *euocati ſumus ad Conſiſtorium Veſpertinum, in quo ſpolia Bononienſis diſtributa ſunt. Vicecancellariatus ad Portuenſem translatus, Neapolitanus Albanenſis creatus; titulus S. Laurentij & Domus dati ſunt Melphitenſi; ego Bononienſis eccleſiæ adminiſtrationem habui.* Ibi cum etiam populares magnis ſumptibus ducerentur ad tumulum, lege ſumptuaria prohibuit ne vltra vnum Religioſorum Collegium cum denis Clericis aſſociarentur cadauer: neq. cuiquam laico, lugubri campanæ S. Petronij occentu parentaretur. Fanum in Galeria vt Deiparæ excitaretur, vbi antiquum quoddam hoſpitale olim Virginis venerabatur imaginem; modò in ſtabulum profanato Sa- D cello, imaginem vſurpauerat vicina familia. Legationem etiam geſſit Ferrarienſem pro Italiæ pace, Legatuſq. in Germaniam, teſte Papienſi: *Hodie cum nil tale expectarem, tale nil crederem, rem à tuis rationibus alienam putarem, Legatus in Germaniam es deſignatus in Pluuiali & Mitra. Si hunc laborem quæſiſti, benedicente Domino, ſit factum quod placuit; ſi aſſenſiſti, obedientiæ tuæ diuina bonitas adſit: ſi te inſcio*

Digitized by Google

*ſcio, demandata legatio eſt: dolent amici; ſed ſecundos tibi exitus optant. I, ergo, ſi eundem videtur, ac Papienſi auſcultans, matura quæ demandantur: & cito in Italiam redi: magno Cardinali longa in externis peregrinatio afferre facilè pœnitentiam poteſt.* In hac legatione, teſte Garimberto p. 224. Bononienſes clandeſtinè cõfœderatos Florentinis, in quos Papa arma gerebat, in fide ſeruauit; Italiæ Principes aduerſus Venetos Ferrariam obſidentes, excitauit, belloq. grauiſſimo finem impoſuit, quo maceratus vigiliiſque conſumptus compagibus mortalitatis exutus, Bonooiæ, die 21. Octobris, 1483. vitam reliquit: *quamuis Volaterranus, qui ei à ſecretis erat, Venere, otio, voluptatibus ſcribat abſumptum.* [Garimbertus p. 308. & p. 381.] quibus iuuenis volutabatur. Cadauer inſigni pompa Mantuam delatum, in D. Franciſci, vel in Cathedrali ſepultum iacet. Hic approbante Sixto IV. Monaſterium Benedictinum S. Andreæ ſibi commendatum, Mantuæ in Eccleſiam erexit Collegiatam. Auctoritate, prudentia, animi magnitudine, erga Eccleſiam amore Romanam, quibus excelluit, Purpuratos omnes anteiſſet, niſi tantam virtutem Veneris illecebris fœdaſſet. *Garimbertus.* A

Lege Ciaconium, Vghellum, Panuinium, Antonium Poſſeuinum *de Gonzag. Famil.* Sigonium *de Ep. Bononien.* Alphon. Loſch. *de Gonzag. Famil.* Paulum Corteſium *de Cardinal.* Auberii, Scipion. Amirat. *Hiſtor. Florent.* Contelorium. B

15. *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, ut ſiam gener Regis.* C
1. Reg. 18.



IOannes ab Aych nobilis Germanus, Eiſtadenſis in Germania, ſacrarum ſcripturarum, iuriſq. Doctor Pontificii, eloquens ac ſapientiſſimus, Cancellarius Alberti II. Imperatoris, omnibuſque Germaniæ Principibus chariſſimus, Pio II. R.P. venerabilis, ab eodem inter Cardinales aſſumptus, 4. prid. Cal. Iunii, 1462. gratias agens beneficium remiſit, cæleſtibus curis intentus, & tanto honore indignum ſe reputans. Acerrimus iſte apud Germanos, Cleri reſtaurator, pauperum humaniſſimus pater Xenodocbium Eiſtadianum de nouo cõſtruxit; vt pauperes & ægroti ibidem commodiùs habitarent. Ex mortali euocatur ergaſtulo, Cal. Ianuarii, 1464. in cœnobio S. Vualburgis ſepultus in ſacello S. Agnetis à ſe conſtructo, cum epitaphio. D

*De Aych, cui nomen erat, claraq. à ſtirpe Ioannes,*
*Aureatenſis tu hic Præſulis oſſa uides.*
*Si Deus & Superi uiuunt, & amœna piorum*
*Sunt loca; nec probitas munere caſſa ſuo eſt.*
*Hunc benè pro meritis lector, iam credere dignum eſt;*
*Inter Cœlicolas connumeraſſe Deum.*

Eius audita morte Pius ingemuit in publico Conſiſtorio, dicens: *Eccleſia meritò deplorandam eſſe mortem huius Epiſcopi; quæ uerè iam amiſiſſet auream ſui corporis columnam.* Hunc quamuis Contelorius inter Cardinales connumerare neget: & apud Io: Antonium Campanum Secretarium Pij II. duas ſolumodo legamus promotiooes à Pio II. factas; ne quid à Ciaconio, & Panuinio recenſitum omittamus; Lectoribus iudicaodum ſubiecimus.

Lege Gaſpar. Bruſchium *de Ep. Germ.* Auberij. Vghellum.

16. *Gratis accepiſtis, gratis date.* 10. Matth.

FRanciſcus Picolomineus Pij II. R.P. ex ſorore Laudemia nepos, Nannes Todeſchini filius, in familiam cooptatus Picolomineam, educatuſq. à patruo, adhuc adoleſcens, Senenſium Præſul pronuntiatur Anno 1460. die 19. Februarij, Commendatariuſq. Abbatiæ S. Vigilij, ac paulo poſt Diaconus Card. *S. Euſtachij* Papa futurus nomine Pij III. Simoniam Cardinalis ſemper abhamit, Papa dictus damnauit.

## Vice Cancellarij ſub Pio II.

ROdericus Borgia D. C. S. Nicolai in carcere Tulliano.

PAV-

# PAVLVS II. R. P. CCXIII.

PAulus II. Electus pridie Cal. Septemb. An. Sal. 1464. Mortuus 5. Kal. Aug. An. Sal. 1471. Eius adfuere comitijs.

## Epiſcopi Cardinales.

Ex Eug. IV. & Nicol. V.

Beſſarion Græcus Ep. C. Tuſculanus,
Guillelmus Eſtoutcuilla Ep. C. Oſtien,

A Io: de Turrecremata Ep. C. Sabinus. ex Eug. IV. & Call. III.
Io: Caruaial Ep. C. Portuenſis : ex Eug. IV. & Pio II.

## Presbyteri Cardinales.

*Petrus Scouuemberg S. Vitalis tit. Veſtinæ, ex Eug. IV. *Aberat.*
Ludouicus Scarampus de Media Rota, P. C. S. Laur. in Damaſo: ex Eug. IV.
Latinus Vrſinus P. C. tit. S. Io: & Pauli: ex Nicolao V. B

Ex Nicol. V.

*Io: Rolinus, tit. S. Stephani in Cælio monte; *aberat.*
Philippus Calandrinus de Sarzana tit. S. Laur. in Lucina,
Petrus Barbus, tit. S. S. Marci: ex Eug. IV. & Nicol. V.
*Ludouicus Milanus, tit. SS. IV. Coronat. ex Callixto III. *aberat.*

Ex Callixto III.

Io: de Mela, tit. S. Priſcæ,
Iacobus Thebaldus, tit. S. Anaſtaſiæ,
Richardus Oliuerij, tit. S. Euſebij.

Ex Pio II.

Angelus Capranica, tit. S. Crucis in Hieruſalem
Berardus Herulus, tit. S. Sabinæ,
*Nicolaus Fortiguerra, tit. S. Cæciliæ: *aberat.*
Bartholamæus Rouerella, tit. S. Clem.
*Fr. Ioannes Lofredi, tit. S. Martini in Montibus: *aberat.*
*Iacobus de Cardona P. C. ..... *aberat.*
Ludouicus de Alibreto tit. SS. Mar. & Petri.
Iacobus Amanatus Papienſis tit. S. Chryſogoni.
C *Brocardus P. C. ...... *aberat.*

## Diaconi Cardinales.

Rodericus Borgia S. Nicolai in carcere. Ex Callixto III.

Ex Pio II.
Franciſcus Picolomineus S. Euſtachij.
Franc. Gonzaga S. Mariæ Nouæ.

## Epiſcopi Cardinales à Paulo II. creati.

1. LVdouicus Scarampus de Media Rota ex P. C. S. Laur. in Damaſo, ſub Eug. IV. Ep. C. *Albanus.*

D

2. LAtinus Vrſinus ex P. C. SS. Silueſtri & Martini creato à Nicolao V. Ep. C. *Sabinus.*

3. RIchardus Oliuerij ex P. C. S. Euſebij, ſub Callixto III. Ep. C. *Portuenſis.*

4. PHilippus Calandrinus ex P. C. S. Laur. in Lucina, ſub Nicolao V. Epiſcopus Card. *Portuenſis.* &c.

## Cardinales Presbyteri.

5. IO: de Mela ex P. C. S. Priſcæ ſub Callixto III. Presbyter C. S. *Laurentij. in Damaſo.*

6. Theo-



THeodorus Lelius Ep. C. Taruiſinus à Paulo II. Cardinalis S. R. E. renunciatur, teſte *Ciaconio & Panuinio*, Cardinalium promotione prima, Sal. An. 1464. ſed per errorem; quia in eius epitaphio.

*Theod. Lelio Taruiſino Ep. Diuini, humaniq. iuris conſultiſſimo, ac Pauli II. P. M. Referendario: Qui vix. An. XXXVII. M. nſ. II. dieb. 22. Gaſpar. Lalius faciendum curauit. 1466. prid. Kal. Apr.* A

Duobus ſi ſuperuixit Annis, promotioni ſuæ in Cardinalatum, quomodo in epitaphio Epiſcopus ſolummodo nominatur? Die 17. April. 1486. Franciſcus de Petroſis ad Eccleſiam vocatur Taruiſinam vacantem *per obitum Theodori Epiſcopi*; non ergo Cardinalis. Papienſis eius contemporaneus ep. 179. ad Card. Nicenum, de eiuſdem Theodori laudibus & obitu, apertiſſimè negat Theodorum fuiſſe Cardinalem, vt notauit Victorellus. Audi hominem.

*Deſiderio immenſo, vt aliquando uirtutis eius ratio haberetur, & nobiſcum ſederet ad Romanæ Sedis conſilium; debitus enim hic gradus ei erat, futurus aliquando, ſi mors non præueniſſet.*

Plura de Theodoro recurrerent, quæ conſulto omittimus, cum geſta hic perquiramus Cardinalium *ep. cit.* Vghellum.

7. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici tui.* Pſal. 117.



THomas Bourcherius Anglus: Henrici frater Erſexiæ Comitis, doctrina, morum innocentia illuſtris in Oxonienſi Accademia ſcientias humanarum, diuinarumq. rerum aſſequutus, eidem poſtea Accademiæ Cancellarius præfuit. In ęde S. Martini Londinenſis Decanus, ex Æ lienſi Epiſcopo Archiep. Cantuarien. & Primas Angliæ, Cancellarii Conſiliariiq. munere functus ſub Regibus Henrico & Odoardo, carceri traditur ſub Ricardo III. tanquàm ſuſpectus, & filiorum Henrici & Odoardi fidelis miniſter, quorum partes ſuorum ſanguine propugnauit. Ob vitæ Sanctimoniam, à Paulo II. R. P. in prima Cardinalium promotione, Sal. Anno 1464. ex Ciaconio: ex Contelorio verò, die 18. Septemb. 1467. Presb. aſſumptus Card. tit. *S. Cyriaci in Thermis*; eodem mandante Pontifice, ſæpiſſimè quæſtiones inſtruxit aduerſus Hæreticos, quorum examen ad Sedem ſcripto remiſit Apoſtolicam. C

Plura ſcripſit vt in *Catalogo ſcriptorum Angliæ*, quorum tituli non exprimuntur præter Decreta quædam Synodalia. In Anglia deceſſit die 30. Martii 1486. Cantuariæ ſepultus in Cathedrali cum ſequenti inſcriptione.

*Hic iacet RR. Pater & Dominus D. Thomas Bourchier quondam Sac. S. Romanæ Eccleſiæ, S. Cyriaci in Thermis Cardinalis, & Archiep. huius eccleſiæ. Qui obijt XXX. die Martij, Anno 1486. Cuius animæ propitietur Deus.*

Inſignia huic Cardinali per Ciaconium adiecta damnat Auctor de Antiquitate Britanniæ: qualia eſſe debeant, non aſſignat.

Ciacon: Panuin. Auberii. Vghel. Nicolaus Arpſel. *hiſtor. Angl.* Io: Franc. Blond. *hiſtor. Angl.* Pirſcus.

8. *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in Cœlo & in terra.* Pſal. 112.



STephanus de Varada natu Hũgarus, paupere humiliq. genere, ingenio nobilis, Legum cultura clariſſimus, obſequiis mancipatus Epiſcopi, poſt cuius obitum miniſterio traditus Archiepiſcopi Andegauenſis, Præpoſitus eſt Eccleſiæ Agerenſi, inde Archiepiſcopus Colloceñ-B ſis, randem præeibus Ludouici XI. Gallorum Regis, Presb. Card. tit. *SS. Nerei & Achillei*, promotus die 14. Cal. 1464. à Paulo II. vitam poſuit apud Vngaros, menſe Iunii 1471. vel cum Ciaconio, & Auberii, Anno 1473. *Contelorius*.

9. *Venit mulier, habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpiccati pretioſi; & fracto alabaſtro effudit ſuper caput eius.* Mar. 14.



OLiuerius Caraffa Neapolitanus, Franciſci Diomedis Caraffe Magdaloni Comitis, germani fratris filius, maiorum ſplendore illuſtris, ſua verò illuſtrior virtute, litterarum ſtudia cum laurea abſoluiſſet legali, in caſtra tranſiit eccleſiæ, Canonicus primò, deinde Archiepiſcopus Neapolitanus à Pio II. die 18. Nouemb. 1458. conſecratus 13. Ianuarii 1459. vt in tabulario Neapolitano; quo non obſtante, Regio præfectus conſilio à Ferdinando Aragonio Neapolitanorum Rege, citra iniuriam eccleſiæ, & Regis plauſu per plures Annos, tanti Magiſtratus tractauit habenas, vt ex diplomate Re-D gio, die 22. Iunii, 1466. cuius exordium. *Ferdin. Dei gratia Rex Siciliæ, Hieruſalem, Vngariæ, Reuerendo in Chriſto patri Oliuerio Archiep. Neapolitano, ſacri noſtri Collegij Preſidenti, Conſiliario fideli noſtro dilecto gratiam & bonam voluntatem.* Summis laudibus cum litterarum profeſſores Oliuerium extollerent: *ego enim* (inquit Victorellus) *ſed præſtantiſſimi, Romani Pontificis quaſi parentem, & inſtitutorem dixerim Pauli IV. Hic enim cum adoleſcens Romam adijt Oliuerium virtutum doctorem conuenit, in eius contubernio diu vixens,*

*ad*

*ad clauum S. Eccleſia benè regendum alebatur, erudiebatur.* Adiunge Ioannem Mediceum, futurum Leonem X. R. P. non alium habuiſſe magiſtrum in politico regimine, quàm Oliuerium Carafam, & Franciſcum Picolomineum. Et hęc in laudibus ſit vna pro cunctis. Præcibus Regis Ferdinandi, a Paulo II. Presbyter aſſumptus Cardinalis non An. 1464. vt notauit Ciaconius; neque 1465. vt ſcripſit Panuinius; ſed Anno 1467. ex M. S. bibliothecæ Vaticanæ, ac tabulario Neapolitano; in litteris enim datis Anno 1464. An. 1465. 1466. Cardinalis non appellatur: ſed teſte Stephano Inſeſſura ex diarijs M. S. cuiuſdam ciuis Neapolitani, die 20. Septemb. 1467. promotio nuntiatur; die 21. Octob. Romam accerſitur: ſic in diurnalibus M. S. Ludouici de Raymo. Menſe Decembri 1467. Vrbem ingreſſus titulum obtinuit *SS. Petri & Marcellini*, vt ex lib. Conſiſtoriali M.S. in Vaticano; quem poſtea mutauit in titulum *S. Euſebij*, mox Albanenſis Epiſcopus, & An. 1479. Ep. *Sabinus*: cuius cathedralem eccleſiam in loco campeſtri poſitam, ad eccleſiam tranſtulit S. Liberati, caſtri Maliani, Alex. 6. die 14. Cal. Octob. 1495. Demum titulo relicto Sabino, *Oſtienſem* obtinuit ac *Veliternum*; Canonicorum protector Regularium Lateranenſium, & Canonicorum ſęcularium S. Georgii in Alga, Venetiarum. Ordinis Patrum Prædicatorum. Mortuo Paulo II. comitiis adſuit Sixti IV. cuius Legatus à latere ad Ferdinandum Regem Neapolitanum fœdus percuſſit in Turcas inter Pontificem, Regem, & Venetorum Ducem, vt instructis 98. triremibus quarum 24. à Pontifice, totidem à Rege Ferdinando; 50. à Venetis ſubmitterentur, Oliuerius tanquàm Pontificis Legatus claſſi pręeſſet. Audi Cardinalem Papienſem datis litteris, 29. Maij 1472. *Heri magnis Honoribus noſtris, ſummo dolore meo emiſimus Legatum claſſis die quidem ſolemni corporis Chriſti mane, aſtante Pontifice, & Patribus in baſilica Petri operatus eſt ſacris: vexilla inde triremium ex more benedicta in magna frequentia hominum de manu Pontificis ſumpſit, & pranſus eſt apud eum. Ad horam 20. nouo exemplo idem Pontifex comitante Senatu & Curia Legatum duxit ad claſſem, qua paulo infra baſilicam Petri, in medio Tyberi ſubſederat: aſcendit prætorium, & à puppe ex loco edito benedixit iterum triremibus, Legato, & familia, & omni nautica turba, quibus ſiue in prælio, ſiue caſu aliquo, vita migrantibus plenā peccatorum remiſſionē indulſit: complexus inde Legatum in triremi eum dimiſit, & ad Vaticanū occidente iam Sole reuerſus eſt. Putas in digreſſu tā intimi Patris tenere me potuiſſe lacrymas; non tam luxit unquàm pia mater unicum filium quàm fleui ego abeuntem Neapolitanum.* In hac expeditione laboribus minimè parcens aleam tamen ſubire non valuit, non occurrentibus ex Boſphoro Turcis. Hinc Smyrnam conuerſus vrbem Aſiæ præcipuam, fugatis incolis, expugnata vrbe, incenſis oppidis, præda onuſtus, Sataliam duxit in Africa, cuius in portu refracta catena ferrea, potiorem partem Baſilicę intulit Vaticanæ, cum inſcriptione ſequenti.

*Smyrnam vbi Oliuerius Carafa Sixti IV. Pontificia claſſis Dux vi occupaſſet, in Sataliæ Vrbis Africæ portum vi irrupit, ferreumq. catenam inde extraxit, & ſuper valuas huius baſilicæ ſuſpendit.*

Hodie in Sacrario adhuc omnibus patet cum epigraphe.

*Carolus V. Imp. Tuneto expugnato, vectem & ſeram hanc B. Petro ob inſignem victoriam tranſmiſit Smyrnam vbi cum Oliuerius Card. Neapol. Carafa Sixti P. IV. Pontificiæ claſſis dux eſſet, accepiſſet; in Sataliæ urbis Africæ portum vi irrupit, ferreamque hanc catenam inde extraxit, & ſuper valuas huius Baſilicæ ſuſpendit.*

Romam reuerſus mandante Pontifice, Herculi occurrit Eſtenſi Ferrariæ Duci in vrbem venienti A ad excipiendam Eleonoram Ferdinandi Regis filiam ſibi deſponſatam. Nec longe Legatus à latere, Neapoli Beatricem Arragoniam Regis Ferdinandi filiam, vxorem Mathiæ Coruini Vngariæ Regis, die 15. Septemb. 1476. diademate coronauit, eamq. Vngariam vſque comitatus, apud Albam Regalem in Regio conuiuio, in orbiculari menſa, ſupremo loco conſedit. Budæ verò in alio conuiuio, immediatè poſt Regis Neapolitani filium ſupra alios receptus. Anno exinde 1482. bello recrudeſcente inter Sixtum IV. R. P. & Regem Ferdinandum; ſigna iam inferente hoſtilia ad oppida Romana, Alphonſo Calabriæ Duce Ferdinandi filio, pa- B cis interpres accedens Oliuerius, armorum motus breui compoſuit ca ſruge, vt inde totius emerſerit pax Italię. Ea enim Oliuerij apud Regem Ferdinandum, Romanoſque Pontifices exiſtimatio, vt nil arduum eo abſoluerent inconſulto. Alexander VI. cupiens inter Clericos diſciplinam reſtituere eccleſiaſticam, ſex Cardinales delegit, quorum primum Oliuerium Carafam, qui initio à Cardinalibus facto, leges edidere ſanctiſſimas, quibus vt Cardines præſtarent Eccleſiæ, & Candelabra elucerent in monte Domini. Poſt hæc ſynderesi ad ſponſam reuocatus Neapolitanam, quam per Annos XX. non inuiſerat, die 27. April. 1498. cum perueniſ- C ſet pluribus vectus triremibus, ipſo comitante Rege Federico, cum Regni proceribus, in palatium ductus Archiepiſcopale, curę incumbens paſtorali, Cathedrali ſuæ argentea vaſa, ſacras veſtes dono miſit: ſacellum in ea condidit è candido marmore, cælatiſque figuris in quo altare cum ſepulchro ſibi & ſucceſſoribus parauit Archiepiſcopis. Structura verè Regia, artem ſpectes, vel magnitudinem expenſarum. Redditibus quoque ditauit ampliſſimis, vt in eo decem Sacerdotes cum duobus clericis, & Sacriſta ſacra peragerent, iure patronatus familiæ reſeruato Carafę. Tredecim in eo altaria ſtatuit, quorum princeps ſacras exuuias exciperet D martyris Ianuarii Neapolitanorum patroni, quas ipſe Anno 1497. ex Monaſterio Montis Virginis Neapolim relatum ibidem collocauit. Duodecim deſignauit Altaria ad cultum Apoſtolorum; adiectis inſcriptionibus, quarum prima à dexteris ipſius ſacelli.

*Oliuerius Carafa Ep. Oſtien. S. R. E. Card. Neapol. Diuo Ianuario M. Pontificiq. Neapol. Patrono ſacrophagum hoc dedicauit, ſacellumque marmoribus miro opere conſtruxit, ornauitq. additis ei Sacerdotibus, qui quotidie*

*Deo ſacrificent, quibus dotem perpetuis prouentus conſtituit. Ius patronatus ſacelli gentilitium eſſe uoluit, in primis Dei honorem, & laudem ſanctorum quaſiuit. Fauete animis, & auctori Deo preces fundite. An. Sal. 1506.*

Altera à ſiniſtris

*Currite qui cupitis cæleſtis munera uitæ*
*Et caſtas huc ferte preces hæc ianua Cęlo*
*Pandit iter uotis Deus hic lacrymisq. precantum*
*Mitis adeſt. qui martyris, precibusq. beati*
Ianuarij, *totam commiſſo crimine ab omni*
*Parthenopem natu; ac præſenti nomine purgat.*
*Currite, vim patitur diuina Regia Regni.*

In ſummo Altari imaginem Virginis Aſſumptæ tum Apoſtolis admirantibus circa ſepulchrum pingi curauit à Petro Peruſino Raphaelis Vrbinatis magiſtro. Palatium ampliauit Archiepiſcopale. Xenodochium erexit ad curandam peſtem. In æde S. Dominici, ſacellum exornauit familiæ Carafæ, in qua Crucifixi veneramur imaginem, quę Thomę Aquinati reſponſum edidit, *Benè ſcripſiſti de me Thoma*. In eodem ſacello Franciſco genitori ſuo ſepulchrum erexit cum ſtatua & eulogio.

*Par vita Religioſus exitus*
*Franciſco Carafæ Equiti Neapol. inſigni*
*Chriſtian. Religionis obſeruantiſſ.*
*Qui ſumma omnium mortalium veneratione ac beneuolentia,*
*Ætatis Anno LXXXIV. obijt*
*Senij nunquam conqueſtus,*
*Oliuerius Card. Neap. parenti optimo poſ.*

Abbas commendatarius eccleſiam Montis Virginis dirigens, eius proximum cænobium, imò & Neapolitanum nouis auxit ædificijs. Romæ quoque tectum S. Laurentij extra muros ſublaqueatum picturis & auro exornatum conſtruxit. In Araceli maiorem partem reſtituit Eccleſiæ. Plura reſtaurauit in titulo SS. Silueſtri & Martini in Montibus. In S. Petri ad Vincula Organum erexit. In ęde S. Mariæ ſuper Mineruam, ſacellum S. Thomę erexit, picturis ornauit penicillo Philippi Lippi, dotauit, datis redditibus etiam pro virginibus elocandis. Legitur adhuc oratio Lippi Brandolini, in templo habita S. Mariæ ſuper Mineruam ad Cardinales, ob natalem D. Thomæ celebratum ab Oliuerio, qui materno ſanguine genus ducebat ex ſtipite Thomæ Aquinatis. Canonicorum Regularium Patronus, quos Sixtus IV. Laterano expulit, ad S. Marię de Pace, Monaſterium erexit à fundamentis, vt ex inſcriptione, quæ adhuc legitur in periſtylijs.

*Oliuerius Carafa Ep. Oſtien. Car. Neapol. piè à fundamentis erexit An. Sal. Chriſtianæ M. D. IV. Deo O. M. & D. Mariæ V. glorioſę Deiparæ Canonicisq. Regularibus congregationis Lateranenſis.*

Alia in eodem Cænobio

*Oliuerio Carafæ Card. Neapol.*
*Fundatori Pientiſſ. Protector Benè Merenti*
*Canonici Regulares poſ. An. Sal. M. D. III.*

Eidem Cænobio ſuam legauit Bibliothecam, ac Vineam extra Portam Flaminiam, teſte Gab. Pennoto *hiſtor. Cler. Canon.* Templum proximum S. Mariæ de Pace organo ditauit & aulæis. Ædes ædificauit & incoluit in Quirinali; Vineam in eodem A Quirinali ornauit, aſſeruitque perpetuo Gentilibus ſuis: in qua plures leguntur inſcriptiones,

*Villam perpetuę ſalubritatis*
*Suburbi modò Montis Exquillini*
*Oliuerius ille Cardinalis*
*Docta clara Neapolis propago*
*Nunc Carafa pius ſuis amicis*
*Dicat omnibus, Hoſpites venite.*

Ad Paſquini quoque ſtatuam,
*Oliuerij Carafæ beneficio hic ſum*
*Anno Sal. M. D. I.*

B Innumeras propè alias Populus deturpauit Romanus poſt mortem Pauli IV. in funeſto illo excidio familię Carafæ.

Abbas Commendatarius Cauenſis Monaſterij, vt regularem reſtitueret obſeruantiam, Anno 1494. Monachos *Conuentuales* dictos S. Benedicti inde dimittens, Patres vocauit S. Iuſtinæ, qui Patauij fama ſanctitatis degebant, vt diſciplinam ibidem inſtaurarent Monaſticam, quibus pro victu bona quædam annuamque penſionem initio aſſignauit. Die poſtea 7. Aug. 1497. annuente Alex. VI. Abbatiam illam Monachis liberaliſſimè remiſit, penſione annua ſibi C retenta ſcutorum 1400. ea conditione, vt poſt obitum ſuum nulla amplius penſione grauaretur cænobium. Litteratorum Mæcenas omnes habuit in partes tutela, beneficijs, adſtrictos atq. muneribus, Abecedarium complectent nomina eorum, qui litterarias ei obtulerunt lucubrationes, eiuſque nomini conſacrarunt: vel in ſuis Commentarijs honorificè appellarunt,

- *Auguſtinus Niphus* librum de cauſis noſtrarum calamitatum.
- Andreas Victorellus.
- Auberii.
- Antonius Feltrius in *Diarijs*.
- D Antonius Summontius.
- *Baptiſta Mantuanus* Poeta clarus De Calamitatibus temporum. Syluarum itidem librum tertium pro pace Italiæ.
- *Fr. Bernardinus Siculus*
- Barthol. Chiocarellus de *Archiep. Neapol.*
- Bernardus Corius *hiſtor. Mediol.*
- Bzouius *in Annal.*
- *Ælius Franc. Marcheſius* librum emendatum de vitis Philoſoph. Laertii.

*Feli-*

*Felinus Sandeus* celeber Canoniſta, Rotæ Auditor Romanæ Commentaria dicauit vniuerſi iuris Canonici.

Franciſcus Nouellus in ſuis Commentariis.

Ferdin. Vghellus.

Felix Conrelorius.

Gabriel Pennotus in hiſtor.

Henricus Spondanus.

Hieronymus Garimbertus.

Iacobus Card. Papienſis in epiſtolis, præcipuè in ea, quę inſcribitur ad Oliuerium & Patriarcham Aquileienſem de expeditione in Turcas.

Io: Berrachinus Firmanus carminibus elegantiſſimis opus ſuum *De Epiſcopo* dicauit An. 1505.

Iulius II. obitum Oliuerii ſignificans Leonardo S. Suſannę P. C. Agennenſi, Romę legato nepoti ſuo, & Fr. Ieſuc Ep. Aſculano almę vrbis Gubernatori, ita ſcripſit. *Dilecte Fili, & Ven. Frater. Grauem animi dolorem accepimus, audito obitu Beatæ memoriæ Oliuerij Ep. Oſtien. Card. Neapolit. nuncupati: erat enim firmiſſima S. Apoſtolicæ Sedis columna cuius conſilio vt pote ſapientis & optimi viri libenter in grauibus rebus vtebamus. Is vigore facultatis ſibi conceſſa, & per nos confirmata, teſtamentum vt accepimus, condidit: quare volumus, & mandamus vobis, vt teſtamentum ipſum per executores in eo nominatos executioni ad vnguem demandari ſinatis. Datum in arce Mirandulæ Regienſis Diœceſ. ſub Annulo Piſcatoris 24. Ianuarij, 1511. Pontif. noſtri An. VIII.*

Iacobus Thomaſinus in Annal.

Io: Bap. Flauius *in vita Cardinalis Caietani*.

Io: Franc. Picus Mirandulanus diſputationes in Aſtrologos.

Leander Albertus *in deſcriptione Italiæ*.

*Matthæus Afflictus* in conſtitutione Regni, & in prǽludiis Feudorum Oliuerium cum laude memorat.

Onuphrius Panuinius.

Petrus Felinus quæſtionem de Fato Oliuerio nuncupauit.

Paris Graſſus in Diariis indicans Oliuerii mortem, virum dicit *Sanctum, & irreprehenſibilem à viuis exceſſiſſe*.

Panuinius.

Syluester Guarinus in Diariis.

Stephanus Infeſſura in Diariis M. S.

Scipio Capyeius *ep. ad Sigiſmundum Loffredum*.

Fr. Thomas de Vio Caietanus Prædicatorum Generalis Mag. Cardinalis S.R.E. libros de Anima Oliuerio conſcripſit. *Nulli decentiùs de Anima lucubrationes inſcribi poſſunt quàm ei viro, qui corporis voluptatibus abdicatis, animam pietate multa, & ſapientiæ ſtudio ſemper excoluit.*

Vincentius Verax *de Abbatib. Montis Virg.*

Neapoli vt litteras promoueret, ſtudioſæ iuuentuti domum aperuit *ſapientiæ*, in qua non minùs corpora alerentur quàm animi. Veruntamen cum operi finem imponère non potuiſſet morte præuentus; hæredibus non repugnantibus, in Monialium cænobium Domus illa conuerſa, quòd adhuc *S. Maria De Sapientia* appellatur. Comitiis cum interfuiſſet Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Pij III. Iulij II. pluries proximus fuit Pontificatui, nunquam tamen aſſequi valuit quamuis per media etiam obliqua ad clauum Eccleſiæ aſcendere conaretur, vt ait Zurita, Auctor non ignobilis, qui tamen centum poſt Annos circiter floruit, propterea rerum hiſtorias referenti antiquas fides datur nutans & inconſtans. Idem tamen fatetur Zurita, eidem Oliuerio debitum Pontificatum, neminemque Cardinalium ei præferendum ob rectitudinem & integritatem, Alexander VI. die, qua Carolus VIII. A Rex Gallorum Romam cum phalangibus petijt, vltima Decem. 1494. in munitiſſimam S. Angeli arcem ſe recipiens, nulli alij perſonam ſuam credidit quàm Oliuerio Caraſę, & Baptiſtæ Vrſino Cardinalibus; quos (volunt reliqui) ſecum traxiſſe, quia ſoli valdè timendi, in turba Cardinalium.

Vitio etiam adſcribitur non tàm dantis, quàm accipientis, aceruus Beneficiorum. Quid mirum enim, ſi Romæ, Neapoli tantis in locis ſua erexerit inſignia, cum fructus eccleſiaſticos, quibus ali potuiſſent centennę familiæ, in eo ſolo Pontifices congeſſerint Romani? Ecce Abecedarium dignitatum, quas ſubijt.

B Albanus Epiſcopus.

Ariminenſis Ep. Adminiſtrator.

Caiacenſis Ep. Adminiſtrator.

Cauenſis Monaſterij Abbas Commendatarius.

Cardinalis SS. Marcellini & Petri.

Cardinalis S. Euſebij.

Decanus Sacri Collegij.

S. Georgij in Alga Canonicorum Protector.

Legatus Claſſis in Turcas.

Legatus ad Herculem Eſtenſem.

Legatus ad Ferdinandum Regem Neapol. ter.

Legatus ad Mathiam Coruinum Regem Hungariæ.

C Montis Virginis Abbas Commendatarius.

Neapolitanus Canonicus.

Neapolitanus Archiepiſcopus.

Neapolitani Præſes Conſilij.

Oſtienſis, & Veliternus Epiſcopus.

Prædicatorum Ordinis Protector.

Sabinus Epiſcopus.

Terracinenſis Ep. Adminiſtrator.

Theatini Ep. Adminiſtrator.

Pluralitatem beneficiorum in eo excuſant, quòd plura acceperit inuitus. Cum enim Albanenſis Eccleſia ex veteri inſtituto, Cardinali debita Papienſi, Oliuerio fuiſſet oblata rogauit Papam, D non fraudere Papienſem, vt ex ep. eiuſdem Card. Papienſis ad Ep. Caurienſem. *Confer Neapolitanum & me: videbis ab illo omnia, à me nulla poſſe præſtari: gratia ille apud vicinum Regem plurimum valet: neceſſitudine quoque iunctus ijs eſt, à quibus Rex ipſe ſumit affectus. Mihi quid tale, qui nec ſuffragio Principum creui, nec illorum patrocinio ſum gloriatus; nec niſi Romanam Sedem in hanc diem aſpexi; Quod ſola vires Cardinalis exigua poterant, hæc ſperari licebat de me: quod Neapolitanus poteſt, & ſui poſſunt, & Rex poteſt, expectari de illo me-*

*vitò aebuit . Prouidè igitur Pontifex maiora minoribus in dando beneficio præferens, & &c.* Paulo poſt . *Immeritus aliquis qualem aliquando noſtra ſors habet ſi mihi eſſet prælatus ; plena ferſan res ſtomachs potuiſſet uideri ; ſed cum Prælatus collega ſit nobilitate inſignis , uita egregius, doctrina præſtans , cuius menſura omnis longè meam excedit, quid triſter redditam meritis eſſe mercedem? præſertim cum recuſauerit diù , locumque inepta conſuetudini deditum , diu à ſe deprecatus amico Papienſi optarit , Coniuncta erunt ſubſellia noſtra .*

In eius excuſationem , ſpolia adijcias reportata ex captiuitate Smyrnæ. Nil enim ex numeroſa claſſe tanta ſollicitudine parata , ducibuſq. recta præclaris in publicam relatum vtilitatem, præter illius vrbis prædam, quæ muris deſtituta , facili poterat occupari negotio . Hinc Romam reuerſus Legatus cum duodecim Camelis præda onuſtis , & viginti quinque Turcarum magnatibus cum generoſis equis triumphator ſigna traxit hoſtilia.

Romę obiit octogenarius, cum Annos 44. in Cardinalatu vixiſſet, die 20. Ianuarij , Anno 1511. in eccleſia ſepultus S. Marię ſuper Mineruam, in ſacello S. Thomę , cum epitaphio *Oliuerij Carafæ Neapol. ordinis Prædicatorum Protectoris, rari exempli depoſitum. Qui vixit Annos LXXX. Menſ. X. dies X. Sacri Senatus ornamentum . Obijt XIII. Cal. Feb. religiosè , intrepidèque magno ſui deſiderio relicto .*

Inde Neapolim in Cathedralem tranſlatum , & in ſacello à ſe conſtructo repoſitum annuatim Exequias audit , quas ei concelebrant dię 20. Ianuarii, in eccleſia Metropolitana .

10. *Qui retribuunt mala pro bonis , detrahebant mihi ; quoniam ſequebar bonitatem .*
Pſal. 37.

MArcus Barbus Venetus patritius , Pauli II. patruelis, vir eruditus prudentia , liberalitate, cæteriſque virtutibus clarus , ad Epiſcopatum aſſumptus Vicentinum, poſſeſſionem adijt per procuratorem Angelum Faſolum Ep. Feltrenſem die 27. April. 1465. tradito equo albo phalerato iuxta antiquam conſuetudinem, viris nobilibus *de Beſſarijs* Vicentini Epiſcopatus Vicedominis, à quibus primo ingreſſu Epiſcopus in ciuitatem deducitur per frena equorum . Sanguine poſtea lenocinante virtuti, Presb. Card. aſſumptus tit. *S. Marci*, An. 1464. à Paulo II. eidem à ſecretis adfuit conſilio iuuit & opere . Succeſſit Ludouico Scarampo in Patriarchatu Aquileienſi , Anno 1465. tenuitque inſulam vſque ad Annum 1490. Prouinciale ibi congregauit Concilium Epiſcoporum , in quo plura ad diſciplinam eccleſiaſticam , & Eccleſiarum tranquillitatem ſancita : ſtatuitque diplomate ſuo quæ per Officiales Canonicos in exigendis Eccleſiæ redditibus perpetuò obſeruanda forent , vt apud Vghellum *to. 5. Italiæ p.* 147. In eodem Codice eiuſdem Cardinalis ſtatutum legitur , quòd nullus Canonicus minor 18. Annis vocem haberet in Capitulo : ſic non Reſidentes voce priuarentur in Capitulo, niſi antea per bimeſtre reſidentiam habuiſſent. Factus tandem Ep. *Præneſtinus* An. 1478, comitijs adfuit Sixti IV, à quo in Germaniam legatus, die 22. Februarij , 1472. Roma diſceſſit cum mandatis (teſte Papienſi *ep*, 436, 440.) Federicum admonere Imperatorem , memorare ſe eſſe Reipublicæ Chriſtianę defenſorem; propterea arma ſumeret in Turcas Vngaris inhiantes atq. Germanis . Reges Vngariæ & Poloniæ de Bohemia contendentes ad concordiam redigere : Hæreticorum Bohemiæ audaciam comprimere . Mathiam Vngariæ Regem ſecurum facere de auxilio Apoſtolico aduersùs Bohemos . Caſimirum monere Poloniæ Regem, qui à Pontifice oblatam Boemiam A recuſauerat, poſtea poſtulantibus hæreticis filium , in Regem dederat . Tutius eſſe , vnam ex filiabus Mathiæ in coniugem dare , ad quorum liberos Boemia deuolueretur; vel ſi liberi non extarent , ad Polonos . Quòd ſi æquam conditionem Polonus negligeret; Matthiæ regnum Boemiæ , Legatus confirmaret . In Poloniam cum veniſſet Legatus , honorificè quidem à Rege ſuſceptus nihil pro pace abſoluit ob duritiem Mathiæ ; cum quo ſolùm per Internuntios loquutus legitur . Triginta Menſium ſpatio Legatus ab vrbe abfuit , reuerſus prolixam habuit in Senatu, geſtorum narrationem , quam flexis poplitibus abſoluit veniam petens , quòd nec B publicis neceſſitatibus, nec imperio Pontificis, nec Patrum expectationi ſatisfeciſſe , cognoſceret . Nihil tamen à ſe omiſſum, quod ſui fuiſſet conſilij , vel poteſtatis , Virum laudauit Pontifex , & cum Cardinalibus gratias egit de legatione benè functa, teſte Papienſi *ep. ad Card. S. Theodori* . Cum nil in eo eſſet reprehenſibile ; ſed ſola Chriſtianorum ambitus & diſcordia cauſam ageret Infidelium . Vir pius , prudens, integer Marcus cum indigni homines ad Infulas promouerentur vel Purpuram, gemebat, cruciabatur, de cauſa interrogatus mæroris, reſpondebat : *quia Malorum felicitas , bonorum calamitas eſſe ſolet* . Eius non ſolum doctrinam referunt Philelphus, Ficinus; ſed monimenta , quæ ad poſteros tranſmiſit : C ſcripſit enim Græcè & Latinè .

*De Cœlibatu* libros duos: teſte *Eiſengrenio* .

*Epiſtolas* plures, quibus vſus eſt Panuinius in conſcribenda hiſtoria eccleſiaſtica .

*Orationem* in Conſiſtorio habitam ex Vngarica legatione reuerſus .

Eloquium Patriarchæ Conſtantinopolitani ; *reſponſum* de Fide Catholica ad queſtiones Mahometis Turcarum Regis: & *S. Dionyſij Areopagitę Opuſculum*, è Græco Latinè reddidit teſte *Nomenclatore* .

Abbas Commendatarius cænobij Saxouiui , Monachos illos , qui centum & triginta ab hinc Annis D in antiqua , eaq. percelebri Abbatia morabantur , ſæpius incuſauit, admonuit, corripuit , vt ad Benedictini inſtituti, quod profitebantur , obſeruantiam reſpicerent; cum omnia incaſſum proycerent ; illis reiectis , Oliuetanos ſeuerioris regulæ cuſtodes S. Benedicti, diplomate ſubrogauit Apoſtolico , nonnullis ad victum redditibus ſeiunctim conſtitutis ab ijs, quos Abbas perciperet Commendatarius. At nil magis laudandus videtur , quàm quòd omnes ſuas opes pauperibus erogauerit , hæredibus ex teſta-

ſtamenro inſtitutis ſub lemmate , *Ad locum unde exeunt flumina reuerti, oportere : ut iterum fluant : Eccleſiæ quippe bona, pauperum Chriſti patrimonium eſſe, pleriqueS. Patrum diſertè docuerunt.*

Vitam poſuit die 11. Martii 1490. Romæ, in æde ſepultus S. Marci cum epitaphio, iuxta tabulas Teſtamentarias, cuius fuerat Cardinalis.

*Marcus Barbus Card. S. Marci Patriar. Aquileien.*
*Ita ſibi uiuens fieri uoluit.*
*Orate pro eo Dominum.*
*Obijt An. S. 1490. die XI. Martij,*
*Oliuerius & Franciſcus Cardinales executores B. M. poſuerunt.*

Eius memoria in lapide recurrit Altaris , quod conſecrauit in eccleſia S. Marci de vrbe.

*Marcus Barbus Venetus, miſerat. diuina tit. S. Marci S. R. E. P. C. Patriarcha Aquileien. 28. die Iunij , qua fuit Vigilia S. Apoſtol. Petri & Pauli, SS. D. N. D. Sixti, diuina prouidentia Papa IV. Anno VI. conſecrauit Altare ſitum in prædicta Eccleſia S. Marci de vrbe , & in capella Corporis Chriſti, in honorem SS. Cypriani M. & Ep. Carthag. ac Catharinæ V. M. & in eo condidit de reliquijs SS. M. Abdon, & Senen, & B. Marci Papæ & Conf. & contulit Indulgentiam 100. dierum in forma in ſimilibus conſueta.*

Eius inſignia habes in Paulo II. R. P.

De eo lege Ciaconium; Panuinium , Io: Mar. Soareſium in *Ant. Præneſt.* Io: Candidum *Hiſtor. Aquil.* Blondum *Ital. Illuſtrata.* Victorellum. Vghellum. Spondanum, Cootelorium. Petrum Iuſtinian, *de reb. Ven.* Auberii . Gaſp. Veron. *De geſtis Pauli II*, Hieronymum Garimber. *p.* 240. vbi leges eam fuiſſe Marci Barbi apud Patres exiſtimationem , quòd iam Pontificem præluderent Romanum ; ſi Innocentio VIII. ſuperſtixiſſet . Poſt obitum Pauli II. [ teſte eodem Garimberto *p.* 278. ] cum à quodam Purpurato vrgeretur creationi ſubſcribere cuiuſdam Cardinalis in futurum Pontificem, priuſquàm cogerentur comitia, reſpondit *ex fœtibus immaturis nonniſi abortus produci.*

31\. *Miſerunt eum in caueam, in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis, miſerunt eum in carcerem; ne audiretur vox eius vltra ſuper montes Iſrael.*
Zech. 21.



IOannes Balue vel Balues natu Gallus Virduni, parentibus infimæ claſſis , patre namq. molitore , vel ſarcinatore , aut calceolario ortus, abundè notus etiam de facie, Cardinali Papienſi *l.* 2. *Commentar.* acri vt erat ingenio, à prima ætate inter Monachos aſſumptus S. Benedicti, domeſticus Iuuenalis Vrſini , Patriarchæ Antiocheni, qui tunc Eccleſiæ præerat Pictauienſi, *aſtu tamen præualuit, litterisq; enim minimè poterat ; ut breui partim pulſis , partim afflictis qui longo ſeruitio fidem meruerant* (teſte eodem Papienſi lib. 7.) *ſolus iam in familia poſſet : eius verò mox defuncti ad præſtandum teſtamentum relictus minùs gratè ac religioſè eam diſpenſationem adminiſtraſſe creditus eſt . Inde ad nouum Epiſcopi Andegauenſis Io. de Bellaualle famulatum tranſlatus, parem tulit, accepitque miniſterij gratiam.* Quo tempore, Epiſcopo *illo oratore à Rege Carolo VII. ad Pium miſſo, Balues cum eo profectus quotidie negotiorum cauſa ad Papienſem mittebatur : cui tum* ( vt ipſe ait ) *is viſus eſt, quem non eius actiones modò , ſed actionum quoque exitus declararunt . Ab Andegauenſi ad Regem contendens,* A *cooptatus primò in collegium Quæſtorum ærarij, inde ad Secretariatum vocatus eſt . Et occupato facile Ludouici Regis animo, qui hominum infimæ originis miniſterio delectabatur, factus eius Eleemoſinarius varia Sacerdotia obtinuit ; ac primus omnium inſigne Monaſterium Beccenſe in Normannia in commendam accepit.* Epiſcopus deinde factus Ebroicenſis , mox ſumma Regis inſtantia Presb. Card. tit. *S. Suſannæ* à Paulo II. Anno 1464. ac ſubinde Epiſcopatum obtiouit Andegauenſem , pulſo per criminationes antiquo ſuo domino. Obtinendæ porrò purpuræ callidum artificium audiamus *à Paulo Æmilio, in Ludouico XI. Ad purpuram cum aſpiraret ſed* B *aduerſo rumore , & parum fecunda morum, vitæq. fama, qua permotus P. M. Paulus non poterat exorari , Regijs Oratoribus ſummo ſtudio id contendentibus. Rex repulſæ impatiens, ex intima familiaritate Fumeam mittit acris ingenij virum, ac ingentis dexteritatis , ad magnorum virorum voluntates elyciendas, qui in vrbem profectus, ad Pontificem facile admiſſus, multa verba de ſtudio Regis in Balua excolendo. Paulus ea de illo delata eſſe aiebat, ut ei pernegare purpuram cogeretur, quod Sanctitatis & uirtutis inſigne feret. Intrepidè tunc Fumea, Beatiſſime (inquit) Pater, iam non miror uirum optimum Baluam hic in urbe tua malè audire; cum ubiq. uirtus inuidos urat, & à calumniatoribus oppugnetur. Fama nil uanius, nil rumoribus* C *magis mendax in bonos, cum alibi, tum Romæ inueni. Audieram ad Sanctitatem Tuam, difficiles aditus, clauſas ei in ſupplices aures; quæ omnia uanitatis , & inuidiæ plena coram experior, benigniſſimè acceptus patientiſſimè auditus : proinde Sanctius & incorruptius exiſtima Regis teſtimonium , Sanctitati tuæ dediti ſſimi de viro integerrimo, quàm maleuolorum fabulas confictas .* His motus Paulus purpuram contulit Baluæ, grauiſſimo Eccleſiæ diſcrimine, recepto inter Patres Camaleonte , qui varios induens colores , nonniſi ſemina ſpargeret diſcordiæ. Hac arte ad conciliandum ſibi Pontificem vti ſolitus , cum grauius aliquid petendum excogitaret , prouocaret priùs per calumnias Re- D gem in Papam , indeq. adiutorem ſe ſimulans ad conciliandum, in tollendi mali gratiam, rem peteret concupitam pro mercede: tanta diligentia fraudem regens, vt hic ſolus pro Romana Curia ſtare ex Gallis omnibus crederetur. In faſtum porrò intolerandum cum dignitate Cardinalatus euectus, adeo omnia ſibi licere putauit, vt iam pro Rege imperare videretur, omniumque in ſe odium accendit. Quem etiam cum bellica delectarent, eorum nihilominùs planè ignarum; contigit Anno 1467. vt cum is Re-

gio

gio nomine copias Pariſienſium armatas extra Vrbem veſtę linea ornatus & mulla vectus recenſuiſſet; ea re indignatus Comes Damnartini Senex & expertus bellator, ad eum ſugillandum à Rege petierit, vt ſibi concederet Ebroicas ad examen de Sacrandis Sacerdotibus faciendum proficiſci; quandoquidem tam ſibi hæc cura quàm Epiſcopo militum recognitio conueniret. Poſt adeptam purpuram miſſus in Galliam fuerat Balues, vt à Parlamenro confirmationem extorqueret regij decreti, de abroganda Pragmatica ſanctione, quod ab initio regni ſui Ludouicus conceſſerat Ioanni Cardinali Attrebatenſi. Verum cum non videretur plena abrogatio, niſi & Pariſienſis Senatus conſenſus accederet; Balues occaſione feriarum, menſe Octobri, acceptas à Rege abrogationis litteras primò in Caſtelleto [ curia hęc forenſis Parlamenro ſubiecta abſque vllius intereeſſione publicauit. Vbi verò in aula palatij, id exequi voluit, Ioannem à S. Romano Regium in Parlamento Procuratorem reperit, qui forti animo interceſſit, nè litteræ publicarentur. Propterea irato Balue, & muneris priuationem, Regio nomine minanti reſpondit procurator: liberum eſſe Regi, repetere quod iam conceſſerat officium: quandiù verò illud exerceret, nil ſe facturum, quo in Regni damnum, verſurum eſſet: Baluem ipſum pudere debere poſtulationis iniuſtę. Contumelioſè itaque reiectus Balues ad peiora animum intendit, ingratuſque in Regem, qui eum de ſtercore ſuſcitauerat, Regiam violauit Maieſtatē, & cum Epiſcopo Virdunenſi cum Carolo conſpirauit Regis fratre, [qui ad Burgundum cenſugerat] vt ipſe inter Regia diſſidia præualeret. Clam itaque arcana hoſtibus communicando; cum menſe Aprili in Burgundiam nuncium miſiſſet; venit iſte Claiani vicum agri Dumenſis; vbi in medio loci, equus [ teſte Papienſi ] progreſſum declinans adeò pertinaciter, vt nec calcaribus, nec fuſtibus, nec manuductione moueri vnquàm voluerit, concurrente ad colluctationem populo, & clamoribus ſeſſorē illudente. Erāt etiam in turba duos Regios milites aduertentes equitem territum, qui rem in religionem vertere cæperat, pallentibuſque oculis viam quęrere effugij, excitauerit eum comprehendere, & interrogare, vnde eſſet? quò pergeret? aduertentes litteras geſtare in intimo ſinu linei thoracis, tacitè perduxerunt ad Regem. Qui obſtupefactus tam ingrata rerum imagine, Cardinalem & Epiſcopum rei adhuc ignaros accitos, exprobrata perfidia, miſit in carcerem, quæſtioni ſubiecit, Moriendum cum ſibi omninò putarent, & vera confeſſione, Dei inuenire miſericordiam, aperuere breui delicta omnia. Cardinalis cauſam ſuæ machinationis, dolorem protulit imminutæ ſuæ dignitatis, ac poteſtatis appetitæ ſtudium, ob quam regias diſſenſiones ſemper procurauerat tam cum fratre, quàm cum Romano Pontifice, vt ipſe omnium moderator fieret. Receptas confeſſiones miſit illicò Rex in Britanniam ad fratrem, vt ex iis videret, quibus conſultoribus vſus fuiſſet. Rediret proinde aliquando ad fratrem, & ad ſeipſum: quod factum à Carolo fraude cognita. Romæ autem nunciata Cardinalis captiuitate, tam miranda viſa eſt, quàm inſolita apud Gallos. Rex ne iniuſtitiæ culparetur à Sede Apoſtolica, duos miſerat I. Conſultos, non excuſandæ captiuitatis cauſa, ſed petendi iudices, qui è veſtigio in Gallias deſcenderent, promittens interim ſupplicio abſtinere. Habito propterea Romano Conſiſtorio, cum Cardinalium alij Romæ habendum vellent iudicium; nec videretur in Gallia haberi poſse proter timorem magni Regis. Alij magnum Regem per ſummam legum obſeruātiam, irritari non oporrere aſsererent: de Cardinali iudi-A cium Romæ ſuſpectum futurum, in quo Cardinales dignitatem magis, quam cauſam inſpecturi eſsent. Proteſtabantur à Rege miſſi, delegationem in Gallia neceſsariam, vbi & probationum maior vis eſſet; & certior Regi fieret iuris dicendi fides. Ne Romam traducerentur rei; certiſſima obſtare pericula; quòd ita inflammati Galloram animi, nulla vi prohiberi poſsent, quin membratim tantorum bellorum auctores à ſe abeuntes diſcerperent. Penſatis itaque omnibus decretum: Iudices delegandos qui à Rege impetrarent Auenione quæſtionem inſtrui id ſi minus impetrare valerent, tres vrbes in Gallia proponerent ſummo imperio Epiſcopi ſubditas, B quorum vna per Regem delecta, ad eamdem iudicaturi concederent, vbi in liberam cuſtodiam permiſſis Prælaris, fide recepra acquieſcendi futuro iudicio vel in fauorem captiuorum, vel contra; ad examen procederenr, cuius acta ſub ſigillo Romam mitterent aperienda in Senatu Cardinalium, qui ſententiam poſtea remitterent in Gallia publicandam. Delecti ad tantum opus fuere Alphonſus Ciuitenſis Eccleſię Præſul in Hiſpania, multos Annos Romæ parrocinandis liribus verſatus. Nicolaus Vbaldus Rotæ Auditor Romanæ; Paulus Tuſcanella Aduocatus Conſiſtorialis, & Ludouicus Ieminiacenſis vnà cum duobus Scriptoribus, adiuncto tan-C quàm omnium auriga fidiſſimo Falcone Romano Sinibaldo Clerico Cameræ Apoſtolicæ, qui duabus legationibus functus apud Regem, eique gratus impetum eiuſdem Regis lenire poſſet. Quid tantis actum pręmiſſis? non legitur. Certum eſt, Virdunenſem coniectum in Balliſtam arcem Pariſienſem; & [teſte *Cominео*,] qui Regi auctor fuerat ferrearum quarumdem cauearum altitudinis, humanæ ſtaturæ, ipſum omnium primum in vnam earum fuiſſe coniectum. Balues verò in carcerem detruſus, poſt duodecim Annos intra ferreos cancellos, emenſus, ſimulato morbo non fluentis vrinæ, quòd illam clàm ebiberet, medicos & Regem decepit. D Cum enim ſalus deſperata crederetur ( teſte *Garimberto pag.* 367.) Rex vt odium effugeret, neci tradiſſe Cardinalem S.R.E. rogante Legato Apoſtolico Iuliano de Ruuere (fuit poſtea Iulius II.) Baluam manumiſit. Liber factus tranſuerſis itineribus, peregrino cultu Romam venit; vbi Sixtus IV. profugi hominis miſeratus fortuuam, non modò vt Cardinalem complexus, ſed cenſu fouit, Picænaque legatione prouexit. Epiſcopus etiam aſſumptus Albantis Zizimum Baiazetis fratrem recepit in Piceno cuſto-

cuſtodiendum, & Petro d'Auboſſon Rhodiorum magno Magiſtro creato Cardinali, ita ſubſcripſit. *Ego Io: Ep. Alban. Card. Andegavenſis in omnibus & ſingulis ſuprascriptis me liberè obligo ſaluo quoad promotionem R.R. magni Magiſtri, pro qua ſpondeo daturum liberum votum; quando Zizimus frater magni Turcæ erit in poteſtate Sanctiſſimi noſtri, vel mea, & non aliter: & ita in præſentia S.D. Noſtri manu propria ſubſcripſi.* O variantis fortunæ ludibrium & exemplar, in quod ſubinde intueantur fælices; nè ex nimia proſperitate ſpes alant immodicè, certiſſimè inde caſuri, niſi proſperam aduerſamq. fortunam moderato animo tolerare didicerint. Ex Albano Epiſcopatu ad Præneſtinum tranſlatus die 13. Martii, 1491. eodem Anno deceſſit die V. Octobris (non Romę) in oppido Ripæ Tranſonæ apud Picenos, ætate prouectus, auro, & dignitatibus. Amicus namque Ferdinandi Regis Neapol. noua ſemper in Gallos meditabatur; imò aduersùs Romanum ipſum Pontificem Concilium ſollicitauit ingratus, & de eius deſpoſitione conſuluit, donec indignata Natura *Baluem* vel *Beluam* oppreſſit, & Curiam graui peſte liberauit. Cadauer Romam telatum, iacet apud S. Praxedem, in ſacello Ancheri Pantaleonis eiuſdem eccleſiæ Titularis, cum ſequenti epitaphio.

*Deo Optimo Maximo, Io: Andegavenſi, Epiſcopo Albanenſi: hic Heros proſpera & aduerſa varia vſus fortuna in Piceno, ſub Innocentio VIII. Legatum agens ſeptuagenarius gloriosè abijt infelicitatis humanæ, & felicitatis exemplum memorabile. Antonius Epiſcopus veteris amicitiæ memor poſuit.*

Mentitur Archangelus Gianius, Baluam *Seruorum* alumnum faciens (teſte Vghello, *to. 1. Italia in Ep. Albanis*) cum vltra Belforeſtū in catalogo Ep. Ebroicenſium; Arnaldum ſerie Epiſcop. Andegauenſium, Baluam aſſerentes fuiſſe Benedictioum; Acta accedant Conſiſtorialia Pauli II. R. P. in quibus Benedictinus aſſeritur. Alium Victorellus cumulauit errorem, inſignia pingens huic Cardinali, quibus vtuntur Seruitæ, obliteratis iis, quæ ex tumulo eiuſdem Cardinalis in S. Praxede ingenuè Ciaconius obtulit. Hinc meritò argueodus Gianius Seruita eū ambitioſis ad ſuam illuſtrandam Congregationem, Cardinales fingit; quaſi Seruitarum inſtitutum per tot Annos, viris illuſtribus, ac longè doctiſſimis fætum, vno demum fictitio Cardinali inclareſcere poſſit, indigeatque Gianii mendacio, vel parum accurata narratione vt perennet ad gloriam. Habuit pro inſignibus Balua ſcutum argenteum cantherio cæruleo tribus Leonum capitibus aureis, duobus in ſummo; tertio in infimo impreſſum.

Sub Pontificatu Innocentii VIII. Legatus eligitur Balua ad Zizimum Baiazetis fratrem conducendum in partes Picenorum, ibique cuſtodiendum mandato Pontificis; Cardinale creato Petro d'Aubuſſon Rhodiorum militum Magiſtro.

De eo lege Garimbertum; Frizonium; Ciaconium; Vuionem libro *de Ligno Vitæ*; Cardinalem Papienſem *l. 7. Comment.* Claudium Robertum, &c. Spondanum; Victorellum; Vghellum; Auberii; Philippum Cominęum; Ludouicum Dominici *in hiſtor.* Contelorium.

12. *Apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenæum venientem de Villa, & impoſuerunt illi Crucem portare poſt Ieſum.* Lucę 23.



A Mieus ruſticis prognatus parentibus in villa collis Medii, diœceſ. Aquilanæ, adeo pauper vt oues paſcere, porcos curare conatus fuerit. Aquilam poſtea ſe conferens litteris operam dedit eorum cura, quibus inſeruiebat. Hinc patriæ ſuæ Epiſcopus, poſtea Cardinalis factus, ingenioſo commento ſtemmata ſibi effinxit gentilitia, quæ ouem geſtarent, cuius capiti liber imminerct ſupernè; vt inde contuentes doceret quamlibet abiectam ſortem poſſe ſtudiorum ope, ad altiſſima quæque ſubleuari. Negant alii Amieum ex infima plebe hominem, ſed nobilem fuiſſe Aquilanum ex familia *Agni filii* de Rocha Medii, filium Colletti viri ſummæ exiſtimationis, ac nobilis. Sed vtrumque ſe habeat; ſiue ille cum nobilitate virtutem coniunxit, magnus vtique fuit (dieam cum *Vghello in Ep. Aquilanis*) quippe qui non potuerit felicitate corrumpi vt Balues; ſiue ignobilis natus, & ſola virtute conatibuſque ad tot dignitatum titulos ſibi cōparauit præſidia, ſeipſo maior euaſit; quem ſciIicet verę nobilitatis adeo rapuit amor, vt quę natalium ſors omninò negauerat, etiam aliud agens fuerit aſſecutus, Bononiæ bonis artibus operam dedit, vbi ad legem Canonicam inſtituit multos primatius ſacrorum Canonum interpres, Reuersùs in patriam Cathedralis electus Canonicus, atque Archipresbyter S. Pauli de Cauoreto, Romam abiit inter familiares receptus Cardinalis Capranicæ, cuius fauore Canonicatum obtinuit S. Mariæ Maioris. Legatus inde ab Aquilanis ad Eugenium IV. ad Piū II. dicit Garimbertus, cum Collucio de Valle, vt ab eo optimum paſtorem impetrarent propoſitis quatuor nominibus ex ſelectiori nobilitate, cum in eis Pius (qui animi nobilitatem quærebat) Amieum non inueniſſet, adiecit, & Epiſcopum promouit Aquilanum die 4. Maii 1431. ætatis ſuæ An. 33. Primo ſuę adminiſtrationis ingreſſu cum templum penè euerſum offendiſſet, ingenti animo, ingentiq. conatu reſtaurationem aggreſſus adeo ſingularia intulit ornamenta vt Fundator potiùs, quàm reſtaurator appellari debeat. Muris namque labantibus noua iecit fundamenta, ſacram turrim erexit, atria fornicibus texit, ſubſellia ad chorum parauit, pretioſa denique ſuppellectili, vaſibuſque argenteis ærarium ditauit. Epiſcopale poſtea Palatiū omni deſtitutum cultu ampliauit, adauxit, depictis in aula maiori ad perennitatem Anteceſſoribus ſuis,

Men-

lo II. An. 1468. die Lunæ, 21. Nouemb. Diaconus Card. *S. Mariæ in Porticu* aſſumptus, mox Presb. tit. *S. Anaſtaſiæ*, demum Ep. *Tuſculanus* munus geſſit Archipresbyteri in Baſilica Vaticana, S. Zenonis nobilem Veronenſem Abbatiam commendatam habuit, quam reſtaurauit, exornauit. Venetijs Templum erexit non D. Franciſco, ſed *D. Fantino* ſacrum, cuius capellam principem viuens abſoluit. Partem reliquam Procuratores S. Marci iuxta tabulas teſtamentarias. Supra quinquaginta Scutorum millia viuens expendiſſe dicitur in reparandis aris, inſtaurandiſq. Eccleſijs cum Veronæ, tum Venetiis ad Dei laudem, quam toto animo procurauit. A Romæ apud Vaticanum domum conſtruxit, quæ adhuc temporibus noſtris viget cum inſcriptione ſequenti.

*Baptiſta Zeno Venetus Ep. Tuſculanus*
*Card. S. Mariæ in Porticu, & Ep. Vicentinus*
*A fundamentis erexit. Anno Chriſti* 1483.

Auſteritatis & ſeueritatis arguitur à Garimberto *p.* 488. quæ ipſum minùs amabilem reddidit Palatinis, & familiaribus; ſeueritatem forſan iuſtitiam interpretatus, qua eum loquendi libertate vitia increpabat vel ſi in purpuram, vel thiaram obtepere B conſpexiſſet. *Idem p.* 292. Familiam eum lautè tractaret, diſciplina tamen exacta modeſtiæ, & obſequij erga dominum; non ſemper habuit in partibus: eamque natalibus claram, exercitiis inſtrui mandabat equeſtribus, in quibus ſi aliquem vidiſſet aberrantem, ex equo reuocatum, peditem iuxta currum ſuum pergere cogebat, circumpedem ſubmittebat equiſeſſorem, vt nobilem rubore confunderet. Ianitorem eum aliquando euocaſset caſu abſentem, cauſa forſan purgandi ventrem: ira percitus, retro feras abſconditus, vt irrueret in redeuntem, Æconomum alterius Cardinalis, qui forte intromiſſo capite circumquæritebat hominem, qui ſe ad C Cardinalem dirigeret, crinibus apprehenſum, colaphis, calcibus multauit innocuum, donec errore cognito veniam rogauit vnà, & ſilentium, quod verberatus promiſit, ſed non ſeruauit. Poſt mortem Pauli II. comitiis adfuit trium Pontificum Romanorum, Sixti IV. (ſub quo aduerſus patriam ſuam dilectiſſimam, bello ſubſcribere recuſauit, quod ei deſignabat Sixtus IV. pro redimenda Ferraria, teſte *Garimberto p.* 330.) Innocentii VIII. Alex. VI. cui ob innatam dicendi libertatem inuiſus, & diuitiarum famam ſibi ſuſpectus, quòd in eius necem conſpirarent nepotes Pontificis ſpetie viſitandi Eccleſias ſuas, Patauium feceſſit, pietati, iuſtitiæ, munificen- D tiæ ſemper intentus, ſolitus dicere cum Tito Veſpaſiani filio; *à ſe diem illum amiſſum, quo nullum contuliſſet beneficium.* Cognomento *Iuſtus* cum inter Purpuratos recurreret (teſte Garimberto p. 292.) ſat ci pro elogio.

Patauii deceſſit die 8. Maii, 1501. *grandi pecunia* (teſte Petro Bembo) *argentiq. fabrefacti magno pondere, teſtamenti tabulis ſua gentis, & propinquis, & Sacerdotum Collegijs, & Reipublica relicto. Abſconderat hic Romæ venient aliquot ante Annos, Auri libras* 260. *Ancona, in ædis ſacræ pariete: de eo Alexander certior factus à Senatu, aurum abſtulit.* Non tamen contentus tantum auri voraſse Alexander, reliquum petiit hæreditatis à Senatu. Neganti fulmen obiecit anathematis, præcipuè in Oratorem Reipublicæ, quem Dominica ſecunda Aduentus ingredi volentem Capellam Pontificis, excluſit Cæremoniarum Præfectus, nec ingredi permiſit, ita Garimbertus *p.* 490. Cadauer Venetias relatum, diebus plurimis inſepultum, atque inſigni pompa humatum ſcripſit Petrus Delphinus. *Funus ampliſſimum publicè curatum;* laudauit Angelus Gabriel: poſtea ei ex teſtamento in ædis Marcianę porticu ſepulchrum ex ęre ponendum *locauit;* inquit Bembus. Sex ęneę ſtatuæ, Fidem, Spem, Charitatem, Prudentiam, Pietatem, Munificentiam repręſentantes exornant; argumentum futuris, Zenum virtutes illas enixiſſimè excoluiſſe. Superiori parte ſepulchri, ſtatua ænea ſpectatur Cardinalis, decreto Senatus impoſita. Tantis virtutibus impar cū eſſet ſepulchrum; appoſitum et iam ſequens epitaphium.

*Baptiſta Zeno*
*Pauli II. ex ſorore nepoti*
*S. R. E. Cardinali meritiſſimo*
*Senatus Venetus*
*Cum propter eximiam eius ſapientiam, & ſingularem pietatem. Et munificentiam in Patriam*
*Quam ampliſſimo legato moriens proſecutus eſt M. PP. C. Ætatis Anno LXII. obijt M. D. I. die VIII. Maij Hora* 12.

Annuatim etiam Dux Venetus cum Senatu, Oratoribus Principum, in templo S. Marci, Cardinalis adſtant exequiis, & orationi, quæ habetur funebris.

Ciaconius. Panuinius. Victorellus. Vghellus. Sanſouinus *Hiſtor. Ven.* Garimbertus. Petrus Bembus. Auberti. Contelorius. Doglionus *Hiſtor. Ven.*

16. *Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.*
Pſal. 139.



IOannes Michaelius vel Frangipanes Patritius Venetus, (Familia namq. Michaelia Frangipanę ſurculus) Pauli II. ex altera ſorore nepos, iuuenis cum ſtudiis ſcientiarum incumberet, litteras accepit à Cardinali Papienſi, qui Baptiſtam Zeno, & Ioannem Michaelium amicos eadem epiſtola *ad gymnaſium* inuitauit *ſtudio virtutis, & doctrinæ, nil vel ad Sacerdotium benè gerendum, vel ad iuuandam eccleſiam, in qua nouella planta Domino creſcitis, vel ad aſſequendos honores, utilius eſt. Ad retinendam quoque manſuetudinis, & bonæ mentis exiſtimationem, nil aeſtra concordia, & mutuę charitatis officio magis neceſſarium.*

 Sin-

Singulatim verò ipſi Michaelio: *Video nil tibi deeſſe, quod ad benè operandum littera Sacra admoneant: lætatus ſum plurimum ingenio tuo, & mihi cogratulor, quòd amor ab eo, eumq. amem, qui pleno gradu ſemitum laudis ingreditur. Sic facito ſemper Ioannes, & qua intelligis ſerua; & qua didiciſti, operibus comproba.* In curiam accitus titulo Protonotarij Apoſtolici, factus eſt breui Diac. Card. *S. Lucia in Septiſolio*; promotione Cardinalium ſecunda, Anno 1468. die Lunæ, 21. Nouemb. poſtea *S. Angeli*. Epiſcopus Veronenſis, *de cuius poſſeſſione* [teſte Panuinio *lib. 6. Antiquit. Veron.*] A *acriter a ciuibus Veronenſibus per ſeptennium dimicatum eſt, aſſerentibus olim ſe à Venetorum Senatu decretum obtinuiſſe, quo canebatur, ne Pontificis dignitas cuiquam deinceps daretur, qui non apud ipſos in ciuitate aſſiduè eſſet permanſurus. Verum poſt diuturnam concertationem, tandem ille voti compos factus, quoad magnificandam populi inuidiam magnificentia ſua aliquod ſpecimen daret inſigne, palatij Pontificum ianuam in auguſtiorem formam erexit, ſtatuiſq. marmoreis, & columnis exornauit.* Comitijs adſuit Sixti IV. Innocentij VIII. cui ob eximias virtutes, & in pauperes charitatem charus [quamuis in Conſiſtorio habito pro bello decernendo aduersùs Venetos pro Ferraria redimenda, Michaelius contra Patriam chariſſimam ſubſcribere B recuſauerit] titulum obtinuit Presb. *S. Marcelli*; deinde Patriarchatum Conſtantinopolitanum; quo titulo comitijs adſuit Innocentij VIII. à quo caſtrorum Legatus aduersùs Ferdinandum Regem Neapolitanum, ſua diligentia pacem toti Italiæ tamdiu concupitam ſanciuit. Dictus propterea Epiſcopus Patauinus, An. 1485. eoque munere functus vſque ad Annum 1488. poſtea Præneſtinam accepit Eccleſiam & ſub Alexandro VI. Portuenſem, qui tantæ inuidens fælicitati, ſuaſu Cæſaris Valentini Borgiæ, nothi ipſius Alexandri VI. omnē virtutis indolē excidere cupientis Michaelium veneno ſuſtulit pro- C pinato per Æſchinū Foroiulianū eius cubiculariū, 3. Idus Apr. 1503. voratis illicò ingentibus diuitijs, quas Cardinalis ex ampliſſimo patrimonio, tum ex eccleſiaſtico cenſu congeſſerat. *Cauſa interficiendi hominem* [ait Bembus] *fuit aurum, atq. argentum, quod is habere exiſtimabatur: quarum omnino rerum inexplebilis Alexandri animum cupiditas ad omnem iniquitatem incendebat; vt filio pecuniam exercitibus alendis, ſuppeditaret; quo is Italorum Principum regna occupare celeriùs poſſet ſe iam ſene. Miniſter veneni haud multò poſt, Iulio P. M. re per iudicium enuntiata, in vincula conjectus, quæſtione habita, ſui ſceleris pœnas perſoluit*, in fruſta diſſectus. Moriens Ioannes aureorum 14. millia, D quæ in nominibus habebat, in ædificationem Cathedralis eccleſiæ Veronenſis legauit. Cadauer Romæ ſepultum in Baſilica S. Marcelli, Alex. PP. VI. & Maximiliano Cæſare, cum ſequenti epitaphio.

*Ioanni Michaelio Patritio Veneto Ep. Portuenſi S. Angeli. Card. ac Patriar. Conſtantinop. Pauli II. P. M. nepoti, qui in rebus arduis Senatorijs, maximè eloquentia, integritate, eminentique ingenio præſtans, ab Innoc. VII. in caſtris contra Ferdinandum Neapol. Regem Legatus pacem in magnam Italia quietem compoſuit. Obijt Anno M.D.III. die X. Aprilis. Ætatis verò ſuæ LVII.*

Eius mortem tota fleuit Italia, quæ Cardinalis induſtria pacem obtinuerat. Verona, quæ eius in Epiſcopum promotioni aduerſa fuerat, nunc meſta patris obitum lugebat; à quo tantis exornata beneficijs. Eius opera Archidiaconatum, ſecundam & vetuſtiſſimam dignitatem in eccleſia Veronenſi, Sixtus IV. die 8. Idus April. 1475. reſtituit. Eius memoriam grata ciuitas omni Zelotypia cuſtodit in ianua palatii Archiepiſcopalis, in quo [ſedente hoc præſule] pernoctauit Fridericus R. Imper. dum in Germaniam rediret.

*Io: Michael. Veneti Card. S. Angeli, & Veron. Ep. munificentia. An. Sal. M.D.II.*

In baſe dextera.

*Deo Optimo Maximo. Epiſcopio & Rei P. Veron. Matthia Vgonio Brix. Vicario Curante.*

In baſe ſiniſtra.

*Prolis. Improliſque. Par aditus. Diſpar exitus.*

Ciaconius. Vghellus. Victorellus. Hieron. Curt. *hiſtor. Veron.* Concelor. Ioſeph. Soares. *Antiqua Præneſte.* Auberii. Nomenclator.

17. IO: Archiep. Strigonienſis.

18. PEtrus Fuſcarus Venetus.

19. IO: Baptiſta Sabellus Romanus.

20. FRanciſcus Ferricus Burgundus de Cluniaco.

Hi quatuor promotione Cardinalium facta à Paulo II. An. Sal. 1471. Cardinales creati in Conſiſtorio ſecreto, ea conditione, vt contingente Pauli obitu, ſtatim publicati intelligerentur; datique eis fuere tituli Cardinalium: Verum cum os eis non fuiſſet apertum, nec dati pilei; obſtaretque Extrauagans Eugenii IV. in electione futuri Pontificis ſuffragium ferre prohibiti. Lege Alexandrum Imolenſem *Conſ. 3. lib. 1.*

21. HVgo Coattretrez natu Gallus, Epiſcopus Trecorenſis inter Presb. Cardinales aſſumptus Anno 1466. aſſeritur, ſed non probatur.

## Vicecancellarij S. R. E.

ROdericus Borgia Lenzolius D. C. S. Nicolai in carcere Tulliano, nepos Calliſti III.

SIX-

# SIXTVS IV. R. P. CCXIV.

Sixtus IV. Electus V. Idus Aug. Anno Sal. 1471, Obiit XI. Aug. Anno Sal. 1484. eius adfuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

Beſſarion Archiep. Nicenus, Ep. C. Tuſculanus, Decanus Collegii. Ex Eug. IV. & Nicol. V. A
Guillelmus Eſtouteuilleus Rothomag. Ep. C. Oſtienſis: ex Eug. IV. & Nicol. V.

Ex Nicolao V. & Paulo II.

Latinus Vrſinus Ep. C. Sabinus.
Philippus Calandrinus Ep. C. Prænestinus.

## Presbyteri Cardinales.

Ex Nicolao V.

* Alanus Coetiuus P. C. tit. S. Praxedis, *abſens erat*.
Io: Rolinus P. C. S. Stephani in Cælio Monte.
* Ludouicus Milanus tit. SS. IV. Coronat. Ex Callixto III. *abſens erat*. B

Ex Pio II.

Angelus Capranica tit. S. Crucis in Hieruſalem.
Berardus Herulus tit. S. Sabinæ.
Nicolaus Fortiguerra tit. S. Cæciliæ.
Bartholomeus Rouerella tit. S. Clementis.

* Fr. Io: Luxinienſis tit. S. Martini in Montibus.
Iacobus Amanatus tit. S. Chryſogoni.

Ex Paulo II.

* Thomas Anglus tit. S. Cyriaci in thermis.
* Stephanus de Varada tit. SS. Nerei & Achillei.

Ex Paulo II.

Oliuerius Carafa tit. SS. Marcellini & Petri.
Marcus Barbus tit. S. Marci.
* Io: Balues tit. S. Suſannę.
Amicus tit. S. Mariæ Tranſtyberim.
Fr. Franciſcus de Ruuere tit. S. Petri ad Vincula.

## Diaconi Cardinales.

Rodericus S. Nicolai in carcere Tulliano, Archid. S. R. E. & Cancellarius: ex Callixto III. C

Ex Pio II.

Franciſcus Gonzaga S. Mariæ Nouæ.
Io: Michaelius S. Angeli.

Franciſcus Picolomineus S. Euſtachii.

Ex Paulo II.

Theodorus Paleologus S. Theodori.
Baptiſta Zeno S. Mariæ in Porticu.

## Epiſcopi Cardinales creati à Sixto IV. & mutati.

1 Rodericus Borgia ex D. C. S. Nicolai in carcere, ſub Callixto III. Ep. C. *Albanus*, poſt *Portuen. & S. Ruffina*. D

2 Latinus Vrſinus ex Ep. C. Sabino, Ep. *Tuſculanus*.

3 Alanus Coetiuus ex P. C. tit. S. Praxedis ſub Nicolao V. Ep. C. *Sabinus*.

4 Angelus Capranica ex P. C. tit. S. Crucis, ſub Pio II. Ep. C. *Præneſtinus*.

5 Berardus Herulus ex P. C. tit. S. Sabinæ, ſub Pio II. Ep. C. Sabinus.

6 Oliuerius Carafa ex P. C. tit. S. Euſebii, ſub Paulo II. Ep. C. *Albanus* poſtea *Sabinus*.

7 Iacobus Amanatus ex P. C. tit. S. Chryſogoni, ſub Pio II. Ep. C. *Tuſculanus*.

8 Marcus Barbus ex P. C. tit. S. Marci, ſub Paulo II. Ep. *Præneſtinus*.

9 IVlianus de Ruuere ex P. C. tit. Eudoxiæ, ſub Paulo II. Ep. C. *Albanus*, poſtea *Oſtienſis*.

10 BAptiſta Zeno ex D. C. S. Mariæ in Porticu, ſub Paulo II. P. C. tit. S. Anaſtaſiæ; poſtea Ep. C. *Tuſculanus*.

11 IO: Balues ex P. C. tit. S. Suſannæ, ſub Paulo II. Ep. C. *Albanus*.

12 Io: Michael ex D. C. S. Angeli, ſub Paulo II. P. C. tit. *S. Marcelli*, Lege in Paulo II, n. 16.

## Presbyteri Cardinali,

13. *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt; & iuuenes veſtri viſiones videbunt*. Ioel. 2.



FR. Petrus Riarius Sauonenſis, *mediocri familia* ortus, teſte *Panuinio*, ex ſorore nepos Sixti IV. annum agens ætatis duodecimum, extincto patre, Sauona Senas, vbi Franciſcus Auunculus ſacras litteras explicabat, adiens, ordini D. Franciſci nomen dedit. Venetiis deinde, Patauii, Bononię, Senis, Ferrariæ ad ingenuarum artium ſtudia diligenter incubuit ingenio excellenti, ac memoria ſingulari. Nonnulla aliquando ſomniauit; præcipuè Venetiis in cænobio S. Nicolai, vbi Philoſophiã docebat, quę acciderũnt. Neſcio quomodo pręſcius futuri, Franciſcum auunculum iteratis precibus excitauit, Romam aſcenderet, futurum eum promittens Pontificem, ſeque ab eodem purpura honeſtandum. Hunc habuit Sixtus in Conclaui præfectum cubiculi, & induſtrium ad Pontificatum promotorem. Miris enim artibus conciliauit Beſſarionem, Latinum Vrſinum, Borgiam, Gonzagam, quibus ſuffragantibus promotus eſt Sixtus. Ab hoc ſummè dilectus Petrus, ob gratitudinem, quam Sixtus profitebatur ſorori ſuæ, & beneficia ab eadem in Iuuentute ſuſcepta; vel quòd Sixti filius eſſet Petrus naturalis (teſte *Garimberto*) vix Pontificatum exorſo, Epiſcopus aſſumptus Taruiſinus, Anno 1471. Presbyter Cardinalis tit. *S. Sixti*, paulo poſt Archiep. Florentinus Senogallienſis Metenſis in Gallia, Hiſpalenſis, Minatenſis, Valentinus, Dienſis, Spalatenſis, demum Conſtantinopolitanus Patriarcha, S. XII. Apoſtolorum Baſilicam, & Abbatiam S. Ambroſii maioris Mediolanenſis, ſublimes & imperio idoneos induit ſpiritus, familiam conſcribens more Regum; quingentos namq. fermè alebat domeſticos, illuſtri omnes vel honeſto loco natos, Antiſtites, Equites, Doctores, Oratores, Poetas, *ſe omnium honeſtorum uirorum hoſpitem* appellans. Vir vtique profundi luxus, atq. prodigalitatis, quem ideo diuinum Numen viſum eſt citius ſubtraxiſſe, ne ſanctas ſedes, quas fuerat aſſecutus, vſq. ad extremã inopiam fœdè depauperaret. Cum enim domus præfectus ei aliquando referret: illius indulgentia & liberalitate nonnullos ex familiaribus inſolentiores effici; *Tuum eſt* (inquit) *errantium familiarum mores*

A *corrigere; meum verò eorum erga me amori premia tribuere: fac illud, hoc ego faciam: vterque ſuo fungatur munere*. Plura de hoc Cardinali leguntur in M. S, quæ pronis auribus audiuntur, à me ſtudio omiſſa, quòd ſatyram non inſequar ſed hiſtoriam. Veruntamen ne me fugere videantur, quæ de eo typis Fulgoſius dedit, *lib. 9.* audias ſed verecundè, *Vidit ætas noſtra Petrum Riarium Sauonenſem, ordinem Minorum fratrum profitentem, quem Sixtus quartus Pontifex ad Cardinalatum extulit, inter domeſticos aureis veſtibus vtentem, neque verò lectos aureis ſtragulis integere ſatis habuit, ſed lectorum etiam ipſorum culcitras & ſericeis pannis confecit, argenteis quoque vaſis onus ventris excepit.*
B *Is Heleonora Aragonia, cum Ferrariam Herculi Eſtenſi duci nupta proficiſceretur, conuiuium Romæ fecit, quod propter ferculorum numerum, quæ pretioſis atque delicatiſſimis cibis conſtabant, inter quæ ludi inſignes plurimis internallis edebantur, horas ſeptem durauit; architriclinique in eo atque miniſtri omnes, ſæpius, vt conuiuij magnitudini reſponderent, amictum pro ferculorum genere mutauere: populoque ea ex cibis ſpargebantur, quæ de menſis auferri contingebat, quorum particularis commemoratio, longiora ſpatia quàm preſens patiatur locus, occuparet. Et ne quid deeſſet, in quo ordinis ſui ſeueritatem contempſiſſe videretur, amicam Thireſiam, non palàm ſolum, ſed tanto etiam ſumptu alebat, quantus ex eo intelli-*
C *gi poteſt, quod calceis margaritarum tegmento inſignibus vteretur: temporis meliore parte, inter ſcorta atque exoletos adoleſcentes conſumpta, carnibus toto anno, etiam parte ea, cui carnium vſum religio interdixit, veſcebatur; arbitratus fortaſſe ita facilius ad cœleſtia peruenire regna poſſe, quàm per caſtitatem atque ieiunia, quibus is operam dabat, cuius ab initio habitum ſumpſit, & ſequi vitam vouit, & ante eum Apoſtoli vtebantur: quorum in Cardinalatu factus poſtea ſucceſſor, ita vt dictum eſt eorum imitari debeat vitam.*

Baptiſtam prætereo Mantuanum in *Ecloga*, & in vno hęreo Cardinali Papienſi *ep.* 558. ad Franciſcum
D Gonzagam, qui graphicè mores deſcribens Riarii, ex eo humanæ exponit exemplũ viciſſitudinis. *Quãtis quotidie exemplis erudimur ad vitam mi Mantuane? Quanto nobis ſe offert ab alieno exitu diſciplina? perraro eſſet errori locus, ſi vt illa intuemur, ita ſenſibus imis mandaremus regustaremuſque quotidie. Vel vno hoc exemplo, Cardinalis S. Sixti, Vidiſti hunc à Sixti Pontificatu menſe quinto, cum ex Minorum eſſet ordine, iuuenis adhuc, nulla illuſtri re antea cognitus, graui Pontificis contentione creatum eſſe Cardinalem ex illa die potuiſſe, quod voluit. Quantum autem nec credi facile eſt,*

*nec*

*nec auditum noſtra eſt, nec patrum maiorumque memoria Euntem illum ac redeuntem in curiam, ſcis quanta omnis ordinis, ac dignitatis multitudo comitaretur: multitudini antecedenti, ac ſequenti iam via ſatis non erant: manentem quoque domi plures multo adijſſe negotij cauſa, quàm ipſum prope Pontificem: præſulibus, & legatis omnifariamque hominibus quaque diei hora ędes latiſſimas inundaſſe.*

*Etiam memores conuiuij inauditi, quo Gallorum oratores anno ante accepit; ſolemnius aliquid vetuſtas tota, nec gentilitas quidem audiuit vnquam; molimen dierum plurimorum fuit. Tota Hetruſcorum induſtria conquiſita eſt atque adhibita, uacuefacta rarie pretioſiſque omnis;* A *ideque ac tum, ut euincendo conatui nulli in poſterum ſupereſſet facultas. Apparatum magnitudo, & uarietas, miniſtrorum ordines, epularum numerus, rerum pretia appoſitis ſpeculatoribus notata ſunt litteris, deſcripta verſibus, nec per urbem modo uulgata paſſim, ſed per Italiam quoque & trans alpes ſingulari ſtudio miſſa. Nam multos ab eo conuiuio dies cum virgo regia (ea erat Leonora Ferdinandi Regis Neapolitani) ad ſponſum Ferrarienſem duceretur, audiſti quanta admiratio ſolemnis hoſpitij fuerit: ad eum enim diuertit, exceſſit honor modo credendi fidem, ſed facultatem narrandi. Viſebantur ſtupore ingenti ędes non lapidea iam oculis, ſed quoquo te verteres magnis opibus locupletiſſimè conueſtita, & parietes, & pauimenta* B *ſerico argento & auro inſignes: culcitra cubiculorum nulla non ſericea fuere, lectorum puluini conopea, & pallia nulla non auro intertexta: oſtiorum vela omnia exquiſitis operibus picta: ſellæ argenteis pedibus fultę, plures textili auro contectæ quæ etiam ad interius natus commodum habentur ex ſolido argento facta, culcitralis ex ſerico ſuper impoſitis: abaci aularum ad admirationem uiſentium lati, editi, & pleni: longiſſimam porticum continentis ędis ad conuiuij amplitudinem deiecto tecto conſtrauit, ut prandentes cenanteſque inde cernerentur, pateretque omnis interior apparatus, & infra.*

*Poſtremo, & admirati per niminum ſumus congeriem ſacerdotiorum ad hac explenda creſcentem quotidie, nec* C *ulli ſorti aut nationi parcentem: nam præter illuſtria cœnobia magna, & multa ubique gentium comparata, præter inferiora imęque dignitatis non ſpreta, etiam eę ſupremæ ſedis in unum ipſum etiam aggeſta patriarchalis Cõſtantinopolitana, metropolis Hiſpalenſis, metropolis Florentina, & Mimatenſis Gallicana congerenda haud dubiè plures, niſi ita, & cupiditati una Dei diſpenſatione eſſet modus impoſitus. Biennio toto hic tantus fortunæ ſucceſſus fuit iam, vt apparet, feſtinatus, quàm breuis erat caſurus. Quid ergo ex tanta gloria reliquum nunc illo mortuo inſpicimus, quid ex tanto rerum faſtigio conſpicuum extat. Videmus illum iuxta verbum ſcripturæ exaltatum ſupra cedros libani, tranſiuimus nunc, & ecce non eſt, &c.* D

Concordant litteræ Carſii Veronenſis Canonici Regularis de morte huius Cardinalis ad Cardinalem datæ Papienſem. Ità vaniſſimus adoleſcens cum è medio tollere auunculum cogitaret, vt Pontificatum arriperet; cuius cauſa, ſpetie legationis, ad omnes Italię Principes, tabellarii more cõcurrerat, vt ſibi conciliatis Principum animis, ad Petri ſedem pararet acceſſum, Romam rediens, veneno ſuccubuit à Principibus propinato, in quos fœdus procurare ſuſpectus, Anno 1474. Alij voluptatibus confectum, & luxu tabidum in ætatis flore emarcuiſſe referunt; cum Monachum ſe pauperem oblitus, genio, gulæ, Veneri totus intentus, cuncta corpori indulgeret. Lege Fulgoſium lib. 6. *Ætas noſtra non ſine admiratione, Petrum Riarium Saonenſem vidit, ordinem Minorum profitentem, qui quamquam non ignobili prorſus genere ortus, inops tamen panem, vt ordinis eius mos eſt, mendicabat: eum Sixtus IV. cui diu in ordine ſuo miniſtrarat, ad Cardinalatum euexit, & præterea Conſtantinopolitani quoque honore decorauit. Is in tantis opibus, tantaq. vaſorum aureorum, ædificiorum, ac omnis generis veſtium pompa tam prodigè, nè largè dicamus, vixit, ut æquari multis Regibus poſſit, Luculloque potiùs, ac Xerſi, quàm Franciſco aut Bernardino [quorum ordinem profitebatur] uideretur conferendus: atq. omnes qui eius originis notitiam non haberent, in admirationem conuerteret. Petri frater Hieronymus nomine, nulla maioris fortuna; quàm frater, cum honeſtiore ſe negotia exercere non poſſet; in patria, uili mercede, publicanorum ſcriba fuit. Is à Sixto Pontifice auctus ac Forliuij, atq. Imolæ urbium, nonnullorumque aliorum locorum principatu honeſtatus, ad Neapolitani quoque Regni Coneſtabulatum (qui poſt Regem primus eſt honor) & militarium Pontificis copiarum ducatum aſcendit: in cuius manu ita eſſe Pontificis voluntas putabatur, ut Regum Principumq. Legati, item magni Antiſtites, Pontificis aliqua in re cupientes aſſenſum, priùs Hieronymum adirent, tanquàm ad Pontificis flectendam mentem pernecceſſarium.*

Iuſtitiæ, liberalitatis, religioſę mortis eum laudauit Nicolaus Epiſcopus Modruſienſis in oratione funebri, quę poſtea typis data; quaſi mortuum obiurgare poſſet, qui à Romano Pontifice defuncti auunculo delectus fuerat vitia excuſare defuncti. Obiit die Mercurii, 5. Ianuarii 1474. ſepultus ad S. Apoſtolos in marmoreo ſacrophago, quod ei ad leniendum dolorem ſuum Pontifex excitauit cum ſequenti epitaphio,

*D. O. M.*

*Petro Saonenſi è gente Rearia nobili, ac vetuſta*
*Ex Ordine Minorum Card. S. Sixti Patriarcha*
*Conſtantinopolitano, Archiep. Florent. Peruſij,*
*Vmbriaque Legaco Sixtus IV. P. M. nepoti bene merenti poſuit. Vixit An. 28. Menſ. 8. D. 6. gratia, liberalitate, ac animi magnitudine inſignis totius Italię legatione functus, moritur magno de ſe in tam florida ętate, deſiderio relicto: Quippe qui maiora mente conceperat, & pollicebatur; vt Ædes miro ſumptu apud Apoſtolos inchoata oſtendunt. M.CD.LXXIV.*

Aduerſus illius immaturam mortem ſic luſit Poeta,

*Ante Annos sciuiſſe nocet; nam maxima Virtus.*
*Perſuaſit morti, vt crederet eſſe ſenem.*

Sixtus præ teneritudine prædilectionis continere ſe impotens, die, S. Antonio Abbati ſacra ad ſepulchrum acceſſit cum tercentis pullaris, & ſuper

De-

Defuncto plorauit, nimis molliter *filiolum* appellando, ac *ſpem ſuam* inclamando.

Ita excedit humanitas, neſcia parcere loco, tempori, vel Dignitati.

Laudant, quòd ab amicis excitatus condere teſtamentum, reſponderit. *Quod meum ſit, nihil habeo, omnia ſunt Eccleſiæ*. Quaſi teſtamenti capax ſit, qui ære alieno obſtrictus, ſexaginta millia debebat aureorum, teſte Volaterrano *lib. 22. Antropologiæ*. *Virum alioquin natum perdendæ pecuniæ. Nam biennio quo tantum poſtea uixit CC. aureorum millia, in luxu nictitando ſolum abſumpſit LX. millia, æris alieni: argenteorum item CCC. pondo dimiſit. Deceſſit tabidus uoluptate, annorum XXHX. opificibus maximè deſideratus, quorum officinas nouis ſemper lucris & operibus replebat*. A Auunculum rogauit moriens, vt æs alienum, vellet diſſoluere. An factum? non legitur.

Ciaconius, Panuinius, Vghellus, Auberij, Lucas Vadingus *in Annalib.* Caſſius Veronen. in ep. Spondanus. Gaſpar. Iongelin in *elogijs Card. Minorum*.

14. *Ecce duo gladij hic*. 22. Lucæ. 38.

IVlianus de Ruuere P. C. tit. *S. Sixti*, Ep. Sabinus, Albanus, Oſtienſis, Papa futurus nomine *Iulij II.* Bello totus intentus plurimas vrbes clauo & clauibus reſtituit Eccleſiæ.

15. *Incidit in foueam, quam fecit*, Pſal. 7.



Stephanus Nardinus, natione Italus, patria non Forouulienſis, vt per errorem ſcripſit Oldoinus, ſed Foroliuienſis, familiaris, notariuſq. Pii II. P.M. grauiſſimis expediendis negotijs probè verſatus, ab eodem Pontifice Archiep. Mediolanenſis adlectus Anno Sal. 1460. & à Paulo II. R.P. Neapolim ad Ferdinandum legatus, poſtea Vrbis gubernator Romanæ, æſtro ambitionis percitus, auctor fuit Paulo II. periurare ea, quæ in Conclaui iureiurando firmauerat, ſeque religiosè adſtrinxerat de Cardinalibus non promouendis, vt ab eodem inter Purpuratos promoueretur, ſpecie aſſerendæ dignitatis Pontificiæ, quia Chriſti Vicarius nullis hominum teneretur legibus, ſuæ conſulens vtilitati, & proprium fouens ambitum, Cardinales accuſabat; ab his odio haberi nouas promotiones. ne fructus Eccleſiæ inter plures diſtraherentur, quos pauci vorabant. Quibus victus Paulus contra datum iuramentum, nouos Cardinales delegit Nardino prætetito; ita permittente Deo, vt Papa qui Nardino inſtigante, deficiebat promiſſis, ipſi deficeret inſtigatori. Hinc propè deſperatus Nardinus curia ſeceſſit, donec poſt obitum Pauli II. reuocatus à Sixto IV. & Presb. Card. tit. *S. Hadriani* promotus ambitionem potiùs auxit, quàm extinxit; quamuis ex paupere ciue Forolouienſi, Romam veniens in eo vaſtiſſimo mari, Protonotariatum expiſcatus S. Petri, Archiepiſcopatum Mediolanenſem cum pluribus legationibus ſub, Pio II. ad Regem Neapolis, Æmiliam, Picenum, Romam ipſam gubernaſſet. Sub Sixto IV. Presb. Card. *S. Hadriani* primò, mox *S. Mariæ Tranſtyberim*, Ariminum miſſus, vt extincto Roberto Malateſta, vrbem illam Sedi aſſereret Romanæ, obijt Anno primo Innocentij VIII. mærore conſumptus (quia Sixto IV. promotori ſuo in Sedem ſuccedere Apoſtolicam non fuerit permiſſus) die Veneris 22. Octob. ante primam noctis, 1484. in Baſilica Vaticana ſepultus cum epitaphio.

*D. O. M.*

*Stephano Nardino patria Foroliuienſi tit. S. Mariæ Tranſtyberim Presb. Card. Mediolan. Archiep. Legato Auenionen. Obijt An. Sal. 1484. die XI. Cal. Nouemb.*

Temporibus noſtris, In cryptis iacet Vaticanis, in quarum fornice ſequentia leguntur.

*Hic humi exiſtunt ſepulchra Card. Stephani Nardini, & Carolæ Reginæ Hieruſalem, Cypri, & Armeniæ*.

Virum fuiſſe integerrimum & eruditiſſimum Nardinum ſcripſit Cardinalis Papienſis in epiſtolis ſuis. Ripamontius in famoſis enumerat Præſulibus, qui aliquando Eccleſiæ præfuere Mediolanen- B ſi. Sanè plura egit ad propagationem Religionis: Supplicationes à Lazaro quondam prædeceſſore ſuo ſanctè inſtitutas in Eccleſia Mediolanenſi reſtituit: ad portam Ticinenſem, locum conſtruxit amœnum, quò Præſules leuandi animi cauſa diuerterent. Cathedralem ſuppellectili nobiliſſima locupletauit: Ædes extruxit Archiepiſcopales: Eccleſiaſticam diſciplinam, ſenſibiliter corruptam, reuocauit. Abbatiæ præfuit Villarii SS. Conſtantii, & Victoris, ad radices Alpium. Romæ, Collegium *Nardinum* dictum erexit, in quo viginti ſex pauperes alerentur ſtudioſi gratis, quorum electio ad Archiep. ſpectaret Mediolanenſem, vnius alumni ex- C cepta denominatione, quæ Abbati datur S. Ambroſij: Hoſpitali Lateranenſi plura bona donauit, præcipuè Palatium Romæ ſuo ære conſtructum, in quo hodie habitare ſolent Vrbis Prætores: vnde in foribus ſequentia leguntur.

*Ste: Nardinus Card. Mediol. M.CDLXV.*
*Steph. Nardinus Car. Mediol. Anno Iubilei.*

Hius donationis memoria extat adhuc in acie palatii, & eſt.

*Saluatoris Lateran. pia hoſpitalitati & manſuræ Bonarum Ærtium Accademiæ Ste: Nardinus Car. Mediol.* D *has ædes ſuo ære poſitas uiuens dono dedit Anno Sal. MCCCC.*

In Eccleſia S. Mariæ Tranſtyberim Sacrarium extruxit, ornauitque, vt ex eiuſdem Eccleſiæ monumentis, atque inſcriptione in foribus Sacrarii.

*Ste: Nardinus Car. Mediolan. Sacrarium hoc erexit, atque ornauit* 1483.

Tantas virtutes vno ambitu polluit. De eo lege Ciaconium, Vghellum, Garimbertum, Auberii, Panuinium, Contelorium, Victorellum.

16. *Quid*

16. *Qaid ſuperbit terra & einis?* Eccl. 10.



AVxiam de Podio Hiſpania genuit in regno Valentiæ ſanguine elarum; quem ipſe Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudio, & laurea coronauit. Canror Eccleſiæ Barehinonenſis, Ioannis Regis Arragonum Conſiliarius plures ſubiit legariones ad Reges, quorum intereeſſione inſulam obtinuit Capuaquenſem, deinde ætatis Anno A trigeſimo quinto Archiepiſeopus Montis Regalis in Sicilia, Anno 1458. Sub Sixto IV. vrbi præfuit, & Viee Camerarii munere ſunctus, tandem inter Purpuratos aſſumptus Presb. Car: tit. *S. Vitalis*, mox *S. Sabinæ*, Tuſco feruente bello in Germaniam legatus Principes excitauit in Turcam, eomitiis habitis Francofurti. Romam reuerſus, titulum auxit S. Sabinæ, Sacerdotiis, & ædiſiciis, canente illius cui Poeta,

*Auxias ędes auxit, ędemque Sabinę*
*Sic ſuprema ędet auxit in ęde ſibi,*

Eleonoræ Aragoniæ filiæ Ferrantis primi Regis Neapolitani Spōsę Herculis Ferrarię Ducis obuiam procedens, nomine excepit Sixti IV. R. P. Cæſaraugustanam Eccleſiam eum ei commendaſſet Sixtus, litteras dedit ad Ioannem Regem Arragonum, *Cardinalem S. Sabinę, qui tibi fidus eſt, & nobiſcum preſentibus moleſtijs angitur; non dubitamus libenter ſubiturum quodcumque illi onus imponendum duxerimus.* Archiepiſcopus Montis Regalis, Eccleſiam B. Virginis Mariæ à Guillelmo II. Sicilię Rege ædificatam pluribus exornauit donariis, quorum adhue Crux viſitur argentea cum Crucifixo affabrè elaborata, & mons eum iconibus B. Virginis, ipſiuſque Cardinalis ante Deiparam genuflexi. In eadem diæceſi. Monachos diſciplinæ reſtituit vetuſtæ, vt ex litteris Sixti IV. ad Auxiam Card. S. Sabinæ, die 17. April. 1480. Romæ. De Hiſpana grauitate, qua ſolus inter Cardinales domi conuentus à Secundogenito Ferdinandi Regis Neapolitani, negauit eumdem Domi reconuenire, nè purpuræ præiuditium facerct; quamuis cæteri Cardinales hunc honorem ſoluiſſent filio Regis; vt in *ep. Card. Papienſis ad Theodorum Cardinalem Paleologum*; dubium, an Bernardo Heruloc P.C.S. Sabinæ, vel Auxiæ de Podio conueniant.

Obiit Auxias Sexagenarius ſeptimo Idus Septemb. 1403. ſepultus in ęde S. Sabinę, marmoreo D ſaerophago, ornato figuris variis, & inſcriptione.

*Auxię Valentino, patria Setabenſi, Cardinali Montis Regalis, Nobili Podiorum familia orto, Vitę ſanctimonia, ſacrarum litterarum cognitione, & omni virtutum genere exornato; qui varijs Hiſpanorum Regum legationibus functus, Vrbem prudēter gubernauit. Exinde à Sixto IV. in ſacrum Collegium adſcriptus, Thuſco feruente bello, in Germaniam Legatus Apoſtolicæ Sedis profectus eſt, Cæſarem eloquio demulſit, Nationem in Turcos animauit. Rediens D. Sabinæ tituli ſui ædem Sacerdotibus, & ædificio auxit. Compoſitis poſtremo rebus familiaribus, Mortalitatem exuit Anno ætatis LX. Sal. Chri. 1483. VII. Idus Septemb. Par. vita religioſus exitus. Pecuniam egenis alimentum Amici teſtamentarij integra fide diſtribui curarunt. Vt moriens viueret, vixit vt moriturus.*

Bona illico pauperibus diſtributa: Saecllum in Eccleſia S. Sabinæ erectum, in quo dietim pro eo Hoſtia offertur Incruenta.

17. *Fecit labrum aneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum.* Exod. 38.



A PHilibertus Hugonetus apud Burgundos ciuis & Epiſcopus Matiſconenſis, ibidem primis inſtruitur rudimentis: Diuionem poſtea acceſſit ſtudiorum cauſa, mox Taurinum Ticinum, vbi ſex Annos tranſegit, & I. V. lauream acquiſiuit; Fratrem habuit Guillelmum Cancellarium Caroli Burgundiæ Ducis, à quo euocatus in patriam, Eccleſiæ Matiſconenſis primò Decanatum obtinuit, poſtea Antiſtes ſucceſſor patrui Stephani Hugonetij, de euius origine, & B familia plura inuenies apud Petrum de S. Iuliano, *in Annal. Matiſconen.* Pluribus legationibus functus nomine Caroli Burgundiæ Ducis Romam venit ab eo miſſus, obtinendi pilei gratia Cardinalitij Protonotario Cluniacenſi; cui cum ſe oppoſuiſſet *Latinus* Cardinalis Vrſinus, vel eum Vrſino conſpiraſſet contra Cluniaeenſem, vt ſibi & non alijs conſuleret; tandem non aberrauit. Vrſino namq; procurante, Cardinalis Presb. tit. *S. Luciæ in Silice* à Sixto IV. Anno 1473. promotione Cardinalium tertia, poſtea *SS. Io: & Pauli*. graui Burgundi Dueis iniuria, qui oculis conjectis in fratrem Philiberti, ſui Cancellarii, tanquam læſę Maieſtatis reo caput amC putari iuſſit, teſte *Garimberto lib. 3. p. 242.* Huic veritati reſtagatur Frizonius *in Gallia p. 520.* ſeribens. *Si res ſecundùm veritatis trutinam ponderetur, beneficio Caroli Sixtum rogantis purpuram conſequutus eſt Philibertus, cuius frater Guillelmus Carolo Duce Burgundiæ vltimo in Nanceianis campis interfecto Dominica prima Ianuarij, 1476. pœna capitis plectitur, & Dominus de Imbercuria à Gandauenſibus vindictę cauſa, quòd ijs non fauiſſet rebellibus Guillelmus, dum Dux in humanis ageret.* Fetidę tamen adulationi reſiſtit indignatio Ludouici Francorum Regis, à quo annuis priuatus redditibus, vnde vitam aleret, non habebat: propterea miſericordia motus Romanus Pontifex Philibertum D Viterbij Legatum declarauit, vt vrbem potius Legato traderet, quàm vrbi Legatum. Intimus Cardinalis Papienſis vt ex *ep. 520. ad Philibertum*, Annos XI. & Menſes IV. inter Purpuratos vixit, illuſtri nomine, & elara fama, vt ex oratione funebri Antonij Lulij frequenti Senatu habita; *Philibertus ſacrorum Canonum peritia, iuſtitia, clementia facilitate, rerum vſu, liberalitate, animi magnitudine, innata humanitate, qua dignitatis tamen ratione non prætermiſſa omnes complectebatur, modeſtia, continentia enituit: clara*

*ra & erudita ingenia domi aluit litterarum, cultor, & Doctorum virorum Mecenas, hos ipſos è cano erigebat, & à tenebris in lucem vendicabat : munificentiam in ignotos etiam exercuit, tantaque eſt uſus liberalitate, ut in alieni gris compedes inciderit*. Romæ ſpiritum exhalauit 14. Decemb. 1484. Anno Innocentij VIII. primo ſepultus in Eccleſia D. Mariæ de Populo ; cuius dies Anniuerſaria III. Non. Septemb. in Calendario Pariſienſi.

Epiſtola porro hic non omittenda Card. Papien. qua ſeries, cauſa ob quam reiecto Protonotario Cluniacenſi, Epiſcopus promotus fuerit Matiſconenſis; ad *Ep. Capacenſem*. *Protonotario Cluniacenſi* A *nulla eſt cauſa, cur amicos Cardinales accuſet, ab hiſque, ut ſcribis, partim deceptum, partim malè adiutum ſe lamentetur. Officia illorum ſua dignitate non defuere. Commendarunt, preenti ſunt, ſententijs adiuuere. Maior ratio, meo iudicio, ut præteriretur effecit, notior fortaſſe nobis quàm uobis: Meminiſti ſedente Paulo, Cardinales quatuor ſecretò creatos fuiſſe, illo defuncto, apertè reiectos : inter eos repulſus fuit Sabellus, & Venetus ; de Sabello quidem quæ mens fit quibuſdam ex Patribus, ipſe tu ſcis. Veneto etiam trium Venetorum Cardinalium numerus obſtat. Horum, quantum ego puto, ſocietas Cluniacenſem noſtrum excluſit : per eius ingreſſum putatum eſt illis quoque poſſe aliquando aditum aperire. Sententiæ huius auctores numero plures fuere, & multitudine nos peruicerunt*. B *Vt enim in cæteris, ſic in noſtro quoque Senatu ex maiore numero ſemper decernitur. Pontifici quoque ſua cura non defuit, memori in ſeeligendo illos ipſos non affuiſſe. Literæ Ducis Matiſconenſem commendantes, maiorq. pars Patrum abolen æ occultæ creationi intenta facilè Pontificem in hunc quàm illum inclinarunt. Omnia planiùs inſigni Æquiti Iacobo aperui, qui nuper ad nos pro Cluniacenſi eſt miſſus. Illum tu audiens rationem conſiliorum noſtrorum plenè intelliges. Nam qui vel ipſi Matiſconenſi, vel Oratori ad Ferdinandum profecto facti culpam adſcribunt; in errore ſunt non mediocri. Optare forſan Cardinalatum hunc potuere; ſed certè non ſunt operati. Peroſa, ut dixi,* C *ſocietas hoc fecit, quod factum audiſti. De Protonotario tamen non ſum ſine ſpe. Confido Pontificem, Patreſque omnes augendis honoribus ſuis non defuturos ; quam ad rem fauet, fauturuſque eſt ipſe Matiſconenſis, qui de dignatione ſua ſentit benè, & honorificè loquitur. Pater eſt, mi Capacienſis, ut ante nobis cognitus, ſic nunc cognitus propter humanitatem ſuam, ingenium & litteras noſtro Ordini carus. De illo omnia expectamus, quæ conuenire in Cardinalem egregium poſſent &c.* In litteris verò ad ipſum Cardinalem Matiſconenſem datis hæc habet : *Cum Oratoribus Ducis tui ſum multa locutus ; hortatus quoque ad ea ſcribenda, quæ de tota re longo ſermone explicui, docens, non tuo, non alterius cuiuſquam ar-* D *tificio, ſed ſolis factionibus noſtris Cluniacenſem præteritum, Aſſenſit omnibus ; à Pontifice quoque ea ſe accepiſſe ait. Perſuaſus videtur redire, & aquam non ſtipulam ad Ducem referre, &c.*

Singulare in hoc Cardinali legimus, cum de Curialium vitijs ſermo recurreret, oculis in terram defixis obmutuiſſe : Labrum propterea æneum erectum Iudæorum de ſpeculis mulierum ad lauandas, peccatorum ſordes, ei apponimus pro ſymbolo : quod propria primo purgare quis debeat vitia & in ſpeculo ſeipſum inſpicere; vt valeat aliena corrigere.

18. *Diſcite benefacere: quærite iudicium ſubuenite oppreſſis : iudicate pupillo: defendite viduam*, Iſai. 1.



PHilippus filius Euſtachij de Leuis Baronis de Couſan, & de Quelus, & matris Alicis de Couſan, frater Euſtachij ſucceſſoris ſui in Arelatenſi Archiepiſcopatu Anno 1475. eodemq. tumulo Romæ ſepulti. Huius familiæ fuit Guido de Leuis in Albingenſi expeditione dictus *Fidei Polemarchus*, Huius ſtirpe gloriatur familia *Perotta Saxoferratenſis* in Italia, vt apud Frizonium in *Gallia Purpurata*. Fuit Philippus Referendarius Pii II. & Agathenſis Antiſtes ; Auxitanus Archiep. qua in Eccleſia tunc Regulares degebant Canonici Auguſtiniani. Inſula ornatur Arelatenſi per reſignationem Petri Fluſſaris Cardinalis, Anno 1472. vt ex epiſtola Pii II. R. P. quam refert B Frizonius.

Equites Hieroſolymitanos Decimas ſoluere recuſantes in ius vocauit, & mediis Arbitris minimè exemptos iudicari curauit. Ad Inſulas & ad purpuram aditum fecit nobilitas generis, & morum probitas, titulum conferente Presbyteralem *SS. Petri & Marcellini* Sixto IV. ſecunda Cardinalium promotione, Nonis Maii, 1474. In aula Pontificia vitam traduxit, Archiepiſcopatus cura commiſſa Antonio Guiramando. Vitam poſuit Romæ, Anno 1475. in baſilica exceptus Liberiana, ſepulchro marmoreo iuxta fores Eccleſiæ cum epitaphio.

*Philippus de Leuis tit. SS. Petri & Mar. Card. Arela-* C *tenſis è Gallia ortus illuſtris natalibus, virtute illuſtrior, Romano Pontifici, & Chriſtianiſſimis Francorum Regibus magno in pretio habitus in Senatum Apoſtolicum probitate aſcitus. Obijt ſuo natali, magno ſui relicto deſiderio, quippe qui corporis & animi bonis præditus, ſummaque auctoritate pollens profuit, quibus potuit, obfuit nemini. Vixit Annos XL. obijt MCCCCLXXV. pridie Non. Nouemb. Duo fratres iacent hic eodem clauſi ſepulchro.*

*Philippus & Euſtachius ; primus Cardinalis fuit, ſed vterque Archiep. Arelatenſis.*

D *Sedente Innocentio P. M. Euſtachius natione Gallus, nobili Leuorum ſanguine, Arelatenſis Archiep. hic ſitus eſt. O quanta in hoc Antiſtite fides, Religio, Sanctitas, ob quæ eum meritò Pontifex M. inter Sacroſanctos ſibi Diuinarum ceremoniarum Antiſtites connumerari voluerit, qui cum fratrem Philippum S. R. E. Cardinalem, qui iuxta ſe cubat, vnicè dilexiſſet in uita, in morte quoque, ut tumulo illi iungeretur, mandauit. Vixit Annos XLII. Obijt 1489. Menſe Aprili. Die XXII.*

Ciaconius, Panuinius, Victorellus, Auberii,

rii, Frizonius, Claud. Robertus; Albi *in Elog. Card.*

19. *Non erubeſco Euangelium.*
Rom. 1.

LVdouicus Albretius (cuius inſignia ſupra in Ludouico Seniore) cognomento *Iunior*, nepos Ludouici Senioris Cardinalis Albretij, & patruus Cardinalis Amanei Albretij Ep. Pampelonenſis, filius Ioannis Albretii V. C. Tartaſii, Franciæ Polemarchi, & Catharinæ de Roham, filiæ Alani IX. V. C. Rohani. Ea tempeſtate quo tantùm erant Franciæ Mareſchalli, Io: Albretius, & Ioachinus Rouault Dominus de Gamaches. Fratrem habuit Ludouicus Alanum Albretium natu maiorem, Comitem Drocenſem, Dominum d'Aueſnes, Sponſum Franciſcæ de Broſſe, vel à Britannia. Habuit etiam nepotem Ioannem Albretium Nauarræ Regem vxori nomine Catharinæ Foxenſis; & nepotem Carlotam Albretiam coniugem Cæſaris Borgiæ Ducis Valentini nothi Alexandri VI. Ex hoc matrimonio nata Lodoica Borgia vxor Ludouici II. de la Trimouille V. C. de Thouars: ſecundis nuptiis locata Philippo Borbonio Dynaſtæ de Buffer, à quibus prodiere Buffetti in Aruernia.

Cardinalis promouetur (teſte Frizonio in *Gallia Purpurata*) ſub Sixto IV. poſt obitum patrui Cardinalis, Anno 1473. Legem Chriſti Ludouicus ſolitus explanare populo; ſæpe ab eo exordiebatur Pauli, *Non erubeſco Euangelium*.

20. *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.*
125. Pſal. 5.

IO: Baptiſta Cibo Genuenſis filius Aaronis Cibo Presb. Card. tit. *S. Balbinæ* promotus An. Sal. 1473. à Sixto IV. demum *S. Cæcilia*: Papa ſtitutus nomine *Innocentij VIII.*

21. *Væ qui opulenti eſtis in Syon, confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum ingredientes pompatice Domum Iſrael*, Amos. 6.



ANtonius Iacobus Venerius, natu Italus, patria Recinetenſis prope Laurctū in Piceno, Antonii filius, & Griſeidæ, litteris excultus, gratiam promeruit Pij II. R.P. [qui ingenia inquirebat non natalia] à quo ex Breuiū Apoſtolicorū ſcriptore, ſeu ex Clerico Cameræ Apoſtolicæ Epiſcopus primò Syracuſanus; poſtea ſub Paulo II. Legionēſis, demū ſub Sixto IV. Cōchenſis, & An. Sal. 1473. Presbyter Cardinalis tit. *SS. Viti & Modeſti in Macello Martyrum; mox S. Clementis*, munera omnia Curiæ percurrit Romanæ. Sub Pio II. Collector Apoſtolicus in Luſitania, Legatus apud Regem Hiſpaniarum, & ab eo legatus ad Paulum II. vbique in pretio ſed nullibi cum amore, potiùs cum odio ob dicendi ſuam libertatem præcipuè Sixto IV. promotori ſuo, eiuſq. nepoti Petro Riario, qui morte præuentus virus euomere non valuit aduerſùs Venerium. E viuis abijt Recineti, tertio Nonas Auguſti 1479. Corpus (eo iubente) Romam relatum humum ſubijt in titulo S. Clementis.



Epitaphium.

*Antonio Iacobo Venerio Rechanat. T. T. S. Clementis Presb. Card. Ep. Conchen. magnanimitatis, conſtantiæ: ſeueritatis, fidei, integritatis exemplo; cunctis in Romana Curia honoribus, ac in omnibus penè Occidentis oris, miragratia, faelicisſ: ſucceſſu, Legatione perfuncto, in Cardinalem ob merita, totius Senatus ſuffragijs,*
A *aſſumpto Sixtus IV. P. M. B. P. Annum agens 57. tertio Non. Aug. An. Sal. 1479. in patria deceſſit.*

Ex eius hæreditate centum & viginti aureorum millia, pecunia, vaſis, ſtragulis, vltra nobile palatium, quod in patria extruxit à fundamentis, ſexennio Cardinalatus collegit: quæ omnia titulo ſpolii, Cameræ ceſſerunt Apoſtolicæ. Viuens veſtes aureas auro criſpo, opere phrygio, Deiparæ obtulit Lauretanæ. Ianuas exornauit Cathedralis Syracuſanæ, eiſque ſtemmata ſua affixit.

Ciaconius, Panuinius, Vghellus, Auberii, Victorellus, Garimbertus p. 102. & p. 293.

B 22. *Audite hoc Sacerdotes, & attendite Domus Iſrael, & Domus Regis auſcultate; quia vobis iudicium eſt: quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi*, Oſeæ. 5.



IOannes Arcimboldus natu Italus, Mediolanenſis Nicolai Arcimboldi natu Parmenſis, qui à ſecretis Galeatio Sfortiæ Duci Mediolanenſi ob fidem, & peritiam Reipublicæ charus Filium non ſine difficultate, Collegio adſcripſit Iuris Conſultorum Mediolanenſium, in quos
C prohibentur aſſumi illi, qui ab Annis centum cum cæteris Nobilibus illius vrbis non ſiut recenſiti. Doctrina tamen & politia præualuit apud Ducem, quo iubente ex legitima coniuge liberos procreauit; legationem ſubijt apud Cæſarem, & apud Pontificem. Mortua Coniuge Protonotarius dictus Apoſtolicus, poſtea Epiſcopus Nouarienſis, XI. Cal. Decemb. 1468. poſtulante Duce Mediolanenſi, Anno Sal. 1473. Presb. Card. creatur tit. SS. *Nerei & Achillei*, poſtea *S. Praxedis*, quamuis pænitentia ductus Galeatius Dux Mediolan. inutilem, imò ſibi nociuum credens Arcimboldum Cardinalem futurum, vaſſallumq. ſuum in Republica expertiſſi-
D mum, Sedi tradere Apoſtolicæ, Inſubrum Ducibus vt plurimum infeſtæ, datis nouis epiſtolis ad Sixtum IV. ab Arcimboldi promotione tentauit retrahere, ſed incaſſum: aduerſus Galeatium fortunam vrgente Arcimboldi, Hieronymo Riario nepote Pontificis, qui Curiam dirigebat Romanam, muneribuſque corruptus Arcimboldi, præualuit. Hinc indignatus Galeatius per interpretem mandauit Arcimboldo, ad Papam ſecedere, quòd Mediolani, eo opus non haberet. Hac rigida miſſione Mediolano

A a expul-

expulſus Romam venit Pontifici gratus, Legatuſque Peruſium, Prouinciam laudabiliter adminiſtrauit. Anno 1484. occiſo iam Galeatio Duce, comitijs cum adfuiſſet Innocentij VIII. huius creationis die, Mediolanenſis eligitur Archiepiſcopus, vſq. ad Annum 1488. quo tempore Vidoni reſignauit nepoti ſuo. Habuit etiam in Commendam nobile S. Ambroſii cænobium Ordinis S. Benedicti, quod Anno 1489. reſignauit Aſcanio Mariæ Sfortiæ Diac. Cardinali. Die ſuæ inaugurationis, panegyrim ei cecinisse dicitur M. Antonius Maioragius; quod falſum; intuenti namq. patebit, in laudem fuiſſe Ioannis Angeli Arcimboldi; in qua de A Cardinali fit mentio auo Ioannis Angeli: qui nepoti ſuo ex filio (non citra ſcandalum) Sede permittente Romana reſignauerat Archiepiſcopatum Mediolanenſem.

Ad Ioannem Cardinalem plurimæ leguntur Iacobi Cardinalis Papienſis litteræ, præcipuè de eius aſſumptione in Cardinalem: *Gratulator tibi, non modò, quòd Cardinalis ſis factus; ſed quòd ſecundis Patrum ſententijs factus. Nemo diſſenſit. Nemo haſitauit. Nemo non dignum te hoc honore prædicauit. In ſalutem Eccleſiæ, & tuam hæc tanta dignitas ſit. Ita anteacta vita tua, & litteræ, & ſtudia, & Zelus Domus Dei omnibus repromittunt. Amaui te antea; nunc etiam frui* B *liberiùs potero. Itaque veni, & tuorum deſiderijs ne teneas. Amplecti te cupio, & ſitim vetiti viſus ad ſatietatem explere. Vale in Domino. 10. May 1473.*

Eius memoria recurrit in volumine Statutorum Ripariæ. *Ioannes Arcimboldus tit. SS. Nerei, & Achillei Presb. Card. Nouarien.*

Romæ deceſſit Anno 1489. poſt aſſumptionem Innocentii, cuius in comitiis ne ipſe Arcimboldus promoueretur in Papam, in cauſa fuere, loquendi inconſtantia, vanitas, vitia, quibus virtutes obruebantur Cardinalis Arcimboldi, teſte Garimberto *p.* 103. Poſt obitum, terræ mandatur in Eccleſia S. Auguſtini ſine epitaphio; cui poſtea Ionnnes ne- C pos Archiep. Mediolan. inſcriptionem adiecit ſequentem.

*Ioanni Arcimboldo Presb. Card.*
*Auo paterno legitimo*
*Et Guidoni Antonio Arcimboldo patruo magno Archiep. Mediol.*
*Et ſibi Ioannes Angelus Arcimboldus ab Epiſcopatu Nouarienſi. Cui XXVI. Annos præfuerat, ad Archiep. Mediolan. tranſlatus V. F. idem Annos LXX.*
*Mortem obijt. XIII. Idus April. M.D.LV.*

De eo lege Ciaconium: Panuinium; Vghellum: D Victorellum: Io: de Deis *in Catal. Archiep. Mediolan.* Contelorium: Auberii.

23. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia,*
Heb. 7.



GEorgius Coſta Luſitanus quanto obſcurus natalibus, rure namque natus, loco incerto, & genitoribus nobis incognitis; tanto virtutibus clarior, ingenio, prudentia, pietate, cum nomen ſibi deficeret gentilitium, S. Catharinam Regis Coſtæ filiam aſſumpſit in matrem, ab eiuſque Rota, qua virgo illa martyrio enituit, ſtemma deſumpſit, & nomen familiæ à martyris cognomine. Dignitatis exordium ei ab Archipresbyteratu S. Aranei, vbi curam agens animarum, concionibus ſæpè gregem paſcebat. Eò forte cum Rex & Regina ſe contuliſſent, peſtis declinandæ voto, vberi conſolatione, & ſalutis incremento, concionibus interueniebant; hinc amor Reginæ erga Georgium, quem à Confeſſionibus aſſumpſit; Rex verò à Conſilio, nec longè Archiepiſcopum Vlyſſiponenſem; tandem Alphonſo intercedente Rege Luſitaniæ, inter Presb. Cardinales tit. SS. *Petri & Marcellini*, deinde *S. Mariæ Tranſtyberim*, Anno B Sal. 1473. Sixtus IV. tranſcripſit. Ab eodem ad Venetam legatus Rempublicam pro Italiæ pace, aſſeruit inter Venetos & Ferrarienſem. Comitiis adfuit Innocentii VIII. à quo legatus ad excipiendum Sacræ Lanceæ ferrum, Narnia Romam deduxit; vt ex inſcriptionibus in Vaticano.

*Sacrum Ferrum reuerenter excipitur Narnia à duobus Card. Legatis Apoſtolicis.*

*Duo Cardinales è Narnia Romam lanceam deferunt.* Fuerunt Georgius Coſta, & Iulianus à Ruuere. Adfuit poſtea comitiis Alexandri VI. Pii III. Iulii II. ſub quo Romæ, obiit centennario maior, die C 19. Septemb. 1508. ſepultus in tumulo, quod ſibi viuens parauerat in æde S. Mariæ de Populo, cum hoc epitaphio.

*Georg. Ep. Alban. Card. Vlyxbonen. dum ſe mortalem animo voluit, viuens ſibi poſ.*

*D. O. M.*

*Georg. Luſitan. Ep. Portuen. S. R. E. Card. Vlyxbon. virtutis, doctrinæque ergo in Regiam adſcitus, ac multis Domi, foriſque præclaris facinoribus æditis, ad Regni procurationem prouectus, à Sixto IV. in Senatum adlectus, Romamque adſcitus, magnam ingenij, pietatis, prudentiæque laudem adeptus, ſub Iulio II. P. M. quem vnicè dilexit* D *& obſeruauit Annum agens ſecundum ſupra centeſimum obijt. M.D.VIII.*

*Georgius Ep. Portuen. S. R. E. Car. Portugal. ob maximam erga hos Sanctos deuotionem poſuit.*

*Georgius Card. Portugal. hanc Capellam D. Catharinæ dicauit, dotemq. dedit. Alia etiam bona ob ſuam in Virg. ſingularem deuotionem, huic Monaſterio religioſè contulit. An. Dom. M.CCCC.LXXXIX.*

*Georg. Archiep. Brachaten. qui dum Romæ ob pietatem fratris ſeruitijs inhæreret, immaturè eripitur.*

*Georg.*

*Georg. Ep. Tuſculan. Card. Portugal. munus, quod ab eo optabat.*

Ex hiſce inſcriprionibus Albanum fuiſſe Epiſcopum & Portuenſem collige, non tamen Abbatem S. Mariç de Alcobaria, Ordinis Ciſtercien. vt notauit Vghellus in *Ep. Portuen.* & Gaſpar Iongelinus in *Purp. Mariana*. Ætatem attigit prouectam non ſolùm organizatione naturæ, ſed viuendi ſobrietate, honorum minimè ſollicitus, neq. ambitu confectus. Miniſtros habuit ſuæ valetudinis ſemper fideles, quos ſibi conciliabat totius ſuppellectilis inter eos diſtributione, quoties ex morbo reſurgebat.

Lege Ciaconium, Panuinium, Auberij, Victorellum, Garimbertum p. 339. & p. 428. Iacob. de Alberic. *hiſtor. S. Mariæ de Populo.* Nomenclat.

24. *Fuit Iephte Galladites vir fortiſſimus pugnator, filius meretricis,*
Iud. 11.



PEtrus Ferrici Hiſpanus ex Concentaina oppido Catalauniæ patre natus incerto (ſi Ciaconio fides) inſtigante northorum indole, qui ad excelſa vt plu- B rimum collimant; vt ſtudijs incumberet, Valentiam, venit, vbi litteris imbutus humanioribus, Ilerdam tranſijt ad ſtudium Iuriſprudentię, inde in Italiam aſcendens, Bononiæ lauream accepit; poſtea Romam ęconomus Cardinalis Metenſis, quo mortuo Auditor Cardinalis S. Marci, Papæ futuri, nomine Pauli II. eo procurante, à Pio II. Rotæ Auditor deſignatus Romanæ, ſubſellium tractauit rigidè, & incorruptè: propterea Maguntiam Comiſſarius miſſus Apoſtolicus, diſſidia diuertit, quæ Cathedrali imminebãt Eccleſiæ. Mortuo Pio II. Paulus huius C ſucceſſor Tiraconenſi Eccleſiæ in Aragonia prępoſuit, atq. cauſarum primæ claſſis Referendarium declarauit. Sixtus poſtea Quartus inter Presb. Cardinales *tit. S. Sixti* promouit, Sal. An. 1476. arcanorum omnium participem adhibens, in quibus *Dexteram Romani Pontificis* appellabat. Ferrea namque patientia, ſolerti vigilantia, inter litigantium inuolucra, & Curialium nugas, mitis, prudens, ſapiens iuſtitiam quærens, nunquàm dicitur aberraſſe; ſed à cenſura immunis, appellationem ſuorum iudiciorum minimè paſſus, vel inanem. Tantis vigilijs ſtudia ſemper immiſcuit, quibus obrutus, Anno purpuræ exacto, Ætatis ſuæ quarto ſupra Sexageſimum, Sal. 1478. die 25. Septemb. Romę deceſſit ſepultus in clauſtro S. Mariæ ſuper Mineruam, cum epitaphio.

*Petro Ferrici è citeriore Hiſpania oriundo, tit. S. Sixti P. C. Tiraſonenſi; quem vt ſingulare ætatis ſuæ; integritatis, iuſtitię, doctrinæ, religionis, & virtutum omnium, exemplar, Principes & Nationes omnes Chriſtianæ Patrem, & Patronum, duo præcipuè clariſſimi Pontifices Romani Paulus II. & Sixtus IV. in deſcribendo, & Nauicula Petri regenda,* Dexteram ſuam *appellare dignabantur. Cum de humano genere, & hac Sede, ſummo cum labore & patientia benemeritus incredibili de ſe apud omnes mortales deſiderio relicto, Romæ obijſſet Anno Sal. 1478. ſeptimo Cal. Octob. Dominicus Card. S. Clem. Collega, & Andreas Ep. Tiraſonenſis Auunculo B. M. Vixit Annos LXIII. Menſes V. dies X.*

Eius in funere perorauit Ludouicus Imolenſis Ord. Minorum. In Eccleſia Tiraſonenſi ſequens legitur memoria.

*Petrus Ferrici S. R. E. Card. huius Eccleſiæ Præſul tantum valuit animi robore, vt duo Principes Terræ,*
A *Summique Pontifices eius conſilio ſubderentur, ac parerent. Is ingentia gratiarum, magnoſque Indulgentiarum theſauros Tiraſonenſi almæ Eccleſiæ obtulit, deditq.*

Alia extat Romæ, in Eccleſia *S. Sixti*.

*Petri tit. S. Sixti Card. Tiraſonenſis.* 1478.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Fab. Iuſtin. *Ind. Vniuer.* Victorellus, Roma Moderna, Vghellus, Gontelor. Porreg. *elog. Card. Hiſpan.*

25. *In Egyptum deſcendit populus meus, vt colonus eſſet ibi, & Aſſur abſque vlla cauſa columniatus* B
*eſt eum.* Iſai. 52.



IO: Baptiſta, Romæ, Millina familia natus, cum Platinam ſcriptorem non minus ſtylo, quàm dicendi libertate celebrem, vitæ ſuæ habuerit encomiaſtem, calamo abſtinere decreui: ne vaſa Samum, & Crocodillos Nilum tuliſſe inſimuler. Pauca infra adnotabo ex Garimberto, quæ lucidiorem Platinæ reddant hiſtoriam.

C Millina familia nobilitate, opibus, omni denique virtute in Vrbe Roma potens ſemper eſt habita, quod etiam nunc præclara monumenta oſtendunt; Maximè verò Eccleſia Sancti Nicolai Millinorum agnomentum pręſeferens; vel quod Virum ipſum antiquitus eum dignitate coluerint, Mea quidem ſententia Millinos traxiſſe originem, nomenque à Veteribus Romanis, vel ſolum Marci Tullij Ciceronis teſtimonium ſatis eſſe debet in Oratione pro A. Cluentio habita facientis haud ſemel Millinorũ mentionem tametſi, quantum etiam ex hiſtoria quouis modo ſcripta, & memoria Veterum noſtrorum conijcere poſſumus, Millina gens clariſſima D certè in numero Optimatum Romanorum ſemper cenſa eſt. Illuſtris profectò fuit hæc familia, vt ante dixi; ſed illuſtriorem eam reddidit Sauus natus, Pontificis Benedicti anno duodecimo: Is enim optimis moribus imbutus, & dignitates, & magiſtratus ei demandatos perſpicacia ingenii, & facilitate morum ita adminiſtrauit, vt magnam apud omnes laudem conſecutus ſit. Magnificus præterea, & beneficus in vita eſt habitus; paternis opibus, quæ magnæ fuere, ad dignitatem Vrbis, & ſplendorem

familia vſus: Gloriam quoque militarem ob res fortis egregiè geſtas adeptus eſt; pro Patria, quæ tum libera erat, ſtrenuè perſæpè dimicans. Annuos tunc magiſtratus creabat Populus Romanus, quos Bandereſios vocabat, quòd vexillum libertatis in publicum vbi opus erat deferrent: Hanc dignitatem cum integrè, & conſtanter Sauus adminiſtraſſet, Prætura, ei, & ſummus, qui tùm in Vrbe magiſtratus erat vltrò omnium conſenſu defertur: Cum Dictatura hic honos ſimilitudinem magnam habeat, quo adepto hoſtes Populi Romani mira celeritate ſuperauit; maximè verò Franciſcum Vrbis Romæ Præfectum, Vici dominum, ad ripas Cimini lacus poſiti, qui & Viterbii, & in multis Hetruriæ partibus grauem tyrannidem exercebat. Diripuere tum Romani, & euertere Caſtellum illud, ne amplius receptaculum hoſtibus eſſet ad inuadendam Hetruriam; extant adhuc veſtigia euerſæ tyrannidis, neque quiſquam locũ ipſum amplius munire auſus eſt Octauo idus Maii tantam victoriam Populus Romanus Duce Sauo adeptus eſt, quantam nunquam antea, ea præſertim tempeſtate: Hanc ob rem quotannis eadem die Calicem argenteum ad altare S. Angeli in Piſcina ſupplicando ferre conſueuit, ne ingratus tanti beneficii erga ſummum Deum haberetur. Idem quoque ad pacem compulit Honoratum Fundi Comitem, qui tùm Marinum firmis præſidiis munitum tenebat. vnde tanquàm ex arce totius belli, in agrum Romanum impetum faciens, Ciues, & Ruſticos magnis incommodis continuò vexabat, aduerſante huic rei Vrbano Pontifice, qui bello fatigari Populum Romanum cupiebat, quo facilius nimia eius libertas frangeretur: Has ob res magnam auctoritatem conſecutus Sauus, vicinos qui bellum inferre Romanis parabant, ad pacem impulit. Vxorem habuit Pernam è gente Pontiana familia nobiliſſima ortam, ex qua etiam generoſam prolem ſuſcepit. Senio confectus cum prodeſſe amplius Reipublicæ non poſſet, conſiliis feruidos iuuenum Romanorum animos comprimebat; Modeſtus, frugalis, & amator pacis, ac quietis ſemper eſt habitus; nam cum poſtea Ladiſlaus Apuliæ Rex Ioannem Pontificem armis ſuperaſſet, ſentiretque Romanam iuuentutem ob eam cladem licentioſiorem factam Curialium bona velle diripere, in publicum delatus, omnibus imperauit, vt ſe domi continerent: hac autem ratione & Curiales à tanto diſcrimine liberauit, & Ciues ſuos ab auiditate prædandi coercuit. Ad cæteras virtutes mira pietate, & religione in vita ſemper eſt vſus: Moritur autem ætatis ſuæ Anno nonageſimo, magno ſui apud omnes deſiderio relicto, quippè quem tota Ciuitas in mærore ſita, vt Patriæ parentem aliquandiu fleuit. Superſtites ei fuere gnati quatuor mares, femellæ duæ. Ex maribus Franciſcus maior natu ab Vrbano Pontifice Canonicus S. Ioannis Lateranenſis creatus fuerat. Is poſtea religione motus Fratrum Eremitarum Cænobium ingreſſus, cupiditate percitus benè, & ſanctè viuendi. Sancti Auguſtini vitam, & normam ij ſeruare dicuntur. Dùm in Conuentu S. Mariæ ad Populum ad Portam Flaminiam habitaret ſanctè, & caſtè viuendo, errantes reprehendendo, mæſtos conſolando, eò perpulit multos Italiæ Populos, vt ſumma cum auiditate Monaſteria, & Eccleſias eiuſdem Ordinis ædificarent: vt Carluſium cognomento Gattulam Caietæ fuiſſe nouimus, qui ſua impenſa Monaſterium S. Auguſtini condidit. Perpulit & Ladiſlaum Regem, eiuſque matrem Ioannam, vt Neapoli in Vico Carbonario in honorem B. Ioannis Baptiſtæ magna impenſa ædificarent. Sueſſani quoque eius auctoritate moti in honorem S. Trinitatis Templum erexere. Idem fecere Peruſini in honorem Matris Dei ad Aquæductus

A [locum ita Ciues vocant.] Hominis fama permotus Martinus V. Conſtantiæ Pontifex omnium conſenſu creatus, cum in Italiam rediiſſet, memor etiam antiquæ conſuetudinis [namque ſimul Canonici S. Ioannis in Laterano fuerant] eum inuitum & repugnantem Monaſterio Cryptæ Ferratæ in agro Romano præfecit. Hoc enim cænobium calamitate temporum, & negligentia Gubernatorum, rimoſum vndique, & lacerum ruinam minabatur, quod breui Franciſcus ſua diligentia in ſplendidiorem formam redegit: Recuperatis etiam villis, & agris non ſine magno labore, & periculo à Tyrannis antea occupatis, & diu poſſeſſis. Verùm hic labor, hæc

B diligentia Martinum impulſit, vt eum mitteret ad reformanda Italiæ, ac Siciliæ Monaſteria; quod cum breui ex ſententia Pontificis perfeciſſet, abſens, & omni prorſus ambitione liber poſthabitis duodecim Competitoribus, Senogalliæ agri Piceni Epiſcopus creatur. Hanc quoque Eccleſiam bellis, & auaritia Incolarum ferè derelictam breui reſtituit; Agere enim aliter nequiuiſſet homo natura, & ratione beneuiuendi ita educatus, & inſtitutus. Gratus itaque Pontifici, gratus Curialibus omnibus, carus Populo Cleroq. Romano, quinto, & quinquageſimo ætatis ſuæ anno moritur. Lucas verò alter frater ſecundus à Franciſco, adeò religioni à teneris

C annis deditus fuit, vt conſtans omnium opinio ſit procul omni ſuſpicione ipſum caſtè, & ſanctè vixiſſe: Ieiuniis enim, vigilijs, orationibus perpetuò deditus erat, & adeò quidem, vt corpus eius ſupra modum extenuatum eſſet. Hominis fama impulſus Alphonſus Borgia tituli Sãctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis, ad eum viſendum proficiſcitur. Confeſſus autem genibus flexis delicta ſua, cum ſe orationibus Viri optimi commendaſſet, bono inquit animo Alphonſe eſto, nam Sedes Petri tibi à Deo Maximo deſtinata eſt. Creatus enim poſt Nicolaum Quintum Pontifex, & Calliſtus vocatus, ſanctiſſimos Lucæ mores crebò com-

D mendabat, dolens quòd ſuis temporibus non viueret: In hoc homine præterea tanta fuit doctrina Sacræ Scripturæ, tanta conſtantia in rebus ad fidem, & religionẽ pertinentibus, tàm probata vita, vt bonorum omnium conſenſu generalis Abbas Cæleſtinorum ſit creatus, nullis vel Pontificis, vel Principum, vel Cardinalium præcibus (vt fieri ſolet) interuenientibus. In ipſo magiſtratu tanta eſt vſus comitate, & gratia, vt nihil de priſtina humanitate immutaſſe videretur: Moritur autem ſeptimo, & quin-

quin quageſimo ætatis ſuæ anno ſepeliturq; Aquilę
cum magna veneratione in Eccleſia S. Marię Collis
Maioris, vbi pro Diuo, & Beato colitur; conſtanſq.
fama eſt, & ante , & poſt mortem eum miraculis
claruiſſe . Ioannes autem à Luca tertius quinto
Idus Iulij naſcitur 1405. tantaq. cura nutritur , vt
omnium domeſticorum oculi in eum coniicerentur;
maximè verò nutricis, quæ rogata cur tanto ſtudio
puerum nutriret, reſpondit diuino numine afflata,
anſpecta etiam infantis indole, hunc inter optima-
tes Chriſtianæ Religionis magnum aliquando futu-
rum Virum . Tertio verò ætatis anno Præceptori-
bus commendatus ea breui didicit, ac tenaciter re- A
tinuit , quæ in illa tenella ætate percipi poſſunt .
Erat in puero vltra docilitatem ingenii, tanta oris
in pronunciatione ſuauitas, & gratia, vt quæ didi-
ciſſet elegauter pronunciaret . Annum agens ſe-
ptimum Canonicus Sancti Ioannis in Laterano à
Ioanne Vigeſimo tertio creatur, qua dignitate, tan-
quam calcaribus percitus , in ludo litterario , &
æquales , & quoſdam maiores natu diſcendo breui
ſuperauit . Martinus autem Pontifex cognita inge-
nii eius magnitudine, & dexteritate, mandauit, vt
Iuri Pontificio operam daret, aſſignata etiam quo-
tannis tanta pecuniarum ſumma, quanta ſat eſſet ad
eius ingenium in litteris alendum, quaſi tunc diui- B
naret, vt quod illi conferret , id totum Reipublicæ
Chriſtianæ pręſtaret: Nam & quidquid litterarum,
& bonarum artium habuit , id totum Chriſtianæ
Religionis rebus quoad vixit impendit . Hac libe-
ralitate motus Adoleſcens animum ad ſtudia bona-
rum artium ita vehementer applicuit, vt breui in-
ter Scholaſticos primus ſit habitus . Interim verò
cum ei nunciatum eſſet , Franciſcum Fratrem è Si-
cilia rediiſſe, quò vt diximus ad reformanda Mo-
naſteria miſſus fuerat, grauiter in Marſis ęgrotare;
pietate motus eò ſtatim proficiſcitur , ac fratrem
ſollicitudinę ſua, & diligentia in priſtinam valetu-
dinem redigit . Mortuo deinde Martino , in eiuſq; C
locum Eugenio ſuffecto, cum de inſtituẽdo Gymna-
ſio Romano cum publico ſalario mentio haberetur,
ortaque eſſet ob hanc rem inter Ciuitatem, & Pon-
tificem diſſenſio quædam , tandem Ciues ipſi do-
mum emere non longè à Circo Flaminio, vbi præ-
ceptores liberalium artium publicè legerent, vecti-
galque nouum impoſuere, vnde ſalarium legentibus
pręberetur ; vini aliunde Romam aduecti id vecti-
gal eſt , Quam verò neceſſarium ſit in tanta Ciui-
tate publicum Gymnaſium declarat Plinii auctori-
tas his ferè verbis: [ *Vbi autem iucundius Adoleſcentes
morantur, quàm in Patria? aut pudicè magis continentur;
quàm ſub oculis Parentum? aut minori ſumptu; quàm do-
mi educantur, vbi naſcuntur , & natale ſolum amare &
frequentare diſcunt.* ] Incitantur, inducunturque eò
non modò finitimi, verùm etiam amore litterarum,
qui ſunt remotiſſimi; hinc gloria, hinc laus certatim
naſcuntur, hinc Ciuitas maior fit, opulentiorq. Nam
poſtquam Imperium labefactari cæptum eſt, maius
incitamentum inueniri non potuit, præſertim in ea
vrbe, quę vt Imperii, ita litterarum patens eſſe de-
beret. Ad Ioannem ipſum redeo, qui poſt crebras,

& graues diſputationes publicè habitas in conuentu
doctiſſimorum hominum inſignia doctoratus acce-
pit : Eius diſputationibus interfuere Aduocati
multi viri clariſſimi, & legum interpretes fidiſſimi,
quorum de numero fuit Abbas Siculus, Ludouicus
Pontanus, Antonius Roſellus, Gaſpares duo Docto-
res eximij: Reliquam turbam reticeo , quæ magna
erat, inter quos nonnulli ob inuidiam obſtinatè ni-
mium homini aduerſabantur. Cum verò Eugenius
mutare Collegium S. Ioannis Lateranenſis inſti-
tuiſſet, multaq. Ioanni polliceretur, Epiſcopatum
præſertim, flectere hominem à propoſito numquam
A potuit. Nam eo tempore Florentiam ad Eugenium
Orator miſſus fuerat . Pontifex autem ad Vrbem
rediens malè in Ioannem animatus eum examinan-
dum tradidit Thomæ Sarzanæ, qui poſtea Pontifex
creatus Nicolaus V. appellatus eſt, Petro Barbo S.
Mariæ in Via Noua, Diacono Cardinali , qui poſt
mortem Pij Pontifex creatus Pauli nomen ſibi de-
ſumpſit , Amico Epiſcopo Aquilano in numerum
Cardinalium poſtea aſſumpto. Ij autem habita dili-
genti morum inquiſitione, nil inuenere, quod eius
vitam inquinaret . Secutus deinde Curiam Roma-
nam Patriarchæ Gradenſi , qui tùm Cancellariam
Apoſtolicam gubernabat, totum ſe tradidit ; ſub
B quo tantum profecit doctrina, & diligentia, vt in
numerum Abbreuiatorum , qui maioris Parci di-
cuntur, breui adſciſceretur . In quo magiſtratu
nec auarus, nec ambitioſus vnquàm eſt habitus; Pau-
peribus ſemper fauit, nil ab accedentibus ad ſe vn-
quam accepit. præter id, quod ex communi ſalario
debebatur ; de quo etiam particulam aliquam non
ita pecunioſis remittebat . Hanc ob rem ab omni-
bus ferè ad eum concurſus fiebat magna cum laude,
& gloria nominis ſui . Qua ex re primus ei locus in
Parco illo meritò aſſignatus eſt : extantque eius &
diligentiæ, & virtutis, & litterarum complura ſcri-
pta, quę nomen conſequentur ęternum . Mortuo
C autem Eugenio, cum Nicolaus Quintus , Thomas
Sarzanus antea vocatus, Pontifex creatus eſset, in
eaq; eſset ſententia , qua Eugenius, mutandi ſci-
licet Collegium Lateranenſe, Ioannem ſtatim ad ſe
vocat, eumque minabundus admonet, vt loco cedat:
Reſpondit is quidem primò, forti, & conſtanti ani-
mo; Verùm cum Nicolaus magis, magiſque excan-
deſceret, admonitus ab his, qui aderant, vt Pontifici
obſequeretur , ceſſit tandem ; nulla alia ratione
motus, quàm ne ſolus pertinax, & inſolens videre-
tur . Huius aſſenſu mirum in modum delectatus eſt
Pontifex , & ne beneficentia ſuperatus videretur,
Ioannem ipſum S. Petri ſponte Vicarium creauit ,
D præfecitque omnibus eleemoſynis, quę dictæ Baſi-
licæ offerebantur . Mandata Pontificis vt ſancta ,
& optima nequaquam renuit , ſed ea complexus ,
omnia ex ſententia perfecit . Exiſtimabat Nicolaus
hominem ob eius virtutes iam dignum Epiſcopatu
eſſe; vnde eum ei diuerſis temporibus, Sutrinus , &
Agnaninus offerentur; conſtanter renuit ; quòd di-
ceret, humeros ſuos nequaquam idoneos eſſe ad tan-
tum onus ferendum, adeò modeſtus erat , & ambi-
tionis aſpernator . Totus itaque conuerſus ad exor-
nan-

Digitized by Google

nandam Baſilicam B. Petri, cum pecuniæ publicæ
non ſufficerent partim ære proptio, partim ſua in-
duſtria aliunde queſito lampadas, candelabra, va-
ſaq; aliqua ad vſum ſacrorum pertinentia, cùm ox
ære, tùm ex argento, & auro fabricata ſacerdoti-
bus aſſignauit, nullo gentilitio ſigno exculpto, aut
nomine inſcripto, vt fieri ſolet. Parua quidem hęc
ſunt ſi magnitudinem animi ſui, à munificentiam
ei innatam inſpicimus. Ob hanc eius erga res ſacras
diligentiam, ſingularemque in rebus omnibus pru-
dentiam, Nicolaus Pontifex orta de creandis Car-
dinalibus mentione ex Romanis Ioannem tanto
Magiſtratu dignum cenſuit. Verùm cum non ſolum A
à Pontifice, ſed ab his, qui benè ſentiebant, om-
nia in eo laudarentur, vnum ſolum obſtitit, quòd
Romanus erat: Tanta eſt infelicitas noſtrorum tem-
porum, vt cum multis Patriæ ſplendor ad conſe-
quendos honores profuerit, ſolis Romanis vehemē-
ter obſit. Reformidabant iſti Romana ingenia, quod
ea in pleriſque ad amplitudinem, ad dignitatem,
ad omnem denique virtutem nata, & alta eſſe vi-
dentur. Obſtitit denique Ioanni ad obtinendam
hanc dignitatem coniuratio Stephani Porcarii viri
popularis, eloquentiæ inſignis. Pontifex enim dein-
ceps graui odio Romanos perſecutus eſt. Huic au-
tem biennio poſt in Pontificatu ſucceſſit Alphonſus B
Borgia tituli Sanctorum Quatuor coronatorum
Presbyter Cardinalis, Callixtus Tertius nuncupa-
tus: Qui ſtatim ad componendas res Gallicas miſit
Alanum tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum Car-
dinalem. Is verò cognita negotiorum multitudine,
& difficultate Ioannem Millinum, cuius fidem, &
integritatem multorum iudicio exploratam habe-
bat, ſecum, iubente Pontifice, duxit, in ma-
gnoq; honore ſemper habuit. Adeò præterea Ca-
rolo Regi Gallorum gratus fuit, vt cum poſt ea re-
deuntem ad vrbem, rerum ſuarum procuratorem
fecerit. Mortuo deinde Callixto, Pioque in locum
eius ſuffecto: cum tota Curia Mantuam ad Conci- C
lium proficiſceretur: ipſe Romæ ſubſtitit, donec
Cancellaria litterarum Apoſtolicarum eò omninò
transferretur. Recidit tùm quòd Ioanni cogno-
mento Rhode, qui literarum Apoſtolicarum Cor-
rector erat, proficiſci in Germaniam neceſſe fuit.
Hanc ob rem officij ipſius cura Ioanni demandata
eſt; qui omnia tanta cum prudentia, & humanita-
te gubernauit, vt magnam apud Pontificem, &
Curiales omnes commendationem meruerit: A re-
cto enim flecti à nemine vnquam potuit, vel largi-
tione, vel gratia, vel amicitia, vel pollicitatio-
nibus, vel amplitudine dignitatis: Idem ſemper
erat; extorqueri ab eo nil potuit, quod non iuſti- D
tiam & æquitatem præſeferret. Seuerus, & rigi-
dus in audaces, & iniqua petentes ſemper eſt ha-
bitus: humanus, & beneficus erga modeſtos, &
bonos. Pio in Pontificatu Paulus ſucceſſit, qui ad
hæc quòd Vrbem rerum omnium copia abbundan-
tem reddere ſemper conatus eſt, augereque digni-
tatem Pontificiam, legem illam laudatiſſimam tu-
lit, qua nemini in magiſtratu conſtituo munera ca-
pere liceret; adeò ob auaritiam Prætorum, & in-

curiam Pontificum omnia in peius dilabebantur.
Mortuo autem Theodoro Taruiſino Epiſcopo, qui
Pontifici dum ſignaret aſſiſtebat: cum multi vndi-
que operam ſuam in ea re pollicerentur; quidam
etiam Cardinaliū commendatione vterentur, Pau-
lus Ioannem ſpontè delegit, cuius conſilio in tran-
ſigendis negotiis Curialium, & aliunde ad Ponti-
ficem venientium, perpetuò vteretur. Homini
enim ab omni ambitione, & auaritia remoto plu-
rimum fidei rebus in omnibus præſtabat: Namque
antea malè acta cernebat, vel fraude, vel negli-
gentia cuiuſpiam, ea omnia in meliorem formam
redigebat. Hæc autem Pauli pręcipua laus fuit,
quod in toto ſuo Pontificatu conatus pro viribus eſt,
optimum quemque ad obeundos Magiſtratus aſſu-
mere. Eos præterea nulla de re frequentiùs admo-
nebat; quàm vt manus abſtinentes haberent, vtq.
iuſtitiam potiùs colerent, quàm auaritiam, cupi-
ditatem; cum benè agentibus maius propoſitum
eſſet præmium. Fretus itaque Ioannis conſilio, &
integritate, eius opera non ſolum in referendis cau-
ſis, vnde referendarij ſunt appellati vſus eſt, ve-
rum etiam in datandis ſupplicationibus, quod mu-
nus non niſi graui viro & optimo cuique committi-
tur.; Eius enim præcipua erat cura, ne quid fieret
contra iuſtitiam, & pietatem. Id vnum ſemper an-
te oculos habebant; & ob eam rem Paulo interdum
aduerſabatur: vel erranti (homo erat) vel tentan-
ti, numquid gratia, vel auctoritate alicuius a re-
cto flecteretur. Cognitæ tandem Ioannis conſtan-
tia, & integritate eum ad ſe vocat, hiſque verbis
alloquitur: Millini iam tandem te arbitror nouiſſe
quanti facio fidem, auctoritatemq. tuam, quemad-
modum omnis ſpes mea, omneſq. meæ cogitatio-
nes in te vno repoſitæ ſunt; Vtor conſilio tuo, quo
nullum mellius cognoſco, totus ex te pendeo ob ſin-
gularem animi tui prudentiam, & integritatem.
Hinc eſt quòd ſingularis iſta virtus tua, quæ quoti-
die magis, magiſque eluceſcet, meritaq; item tua
erga Sedem Apoſtolicam me volentem trahunt, vt
aliqua ex parte dignitati, & honori tuo conſulam
nullo ſuadente: Obtemperabis igitur nobis, vt
ſemper facere conſueuiſti; volumus enim Vrbina-
tis Eccleſiæ te Antiſtitem eſſe. Annuit Ioannes,
obſtare enim mandatis tanti Pontificis nequaquam
par erat. Sequenti autem Conſiſtorio omnibus ſen-
tentiam Pontificis approbantibus Epiſcopus pro-
nuntiatur. Noluit tamen Paulus ob hanc dignita-
tem hominem ab officiis conſuetis diſcedere, in
quibus rectè adminiſtrandis non minus vtilis habe-
batur, quàm neceſſarius. Quæ res eſt enim in Prin-
cipe laudabilior, aut præſtantior, quàm habere apud
ſe viros grauiſſimos, & optimos dùm publica, & pri-
uata negotia tranſigit? nulla certè maior: Homines
ſunt Principes ipſi; errare poſſunt: eo magis aliorum
conſilio indigent, quò plura, & grauiora nego-
tia obeunda eis ſunt. Conſulebat hunc Paulus non
in rebus ſolùm ad Curiam pertinentibus; verùm
etiam in his, quę pacem Italiæ, concordiam Prin-
cipum Chriſtianorum, quietem Populorum in ſe
continebant. Et ne deſes aliquando eſſet, ſi quid ocij
à re-

à rebus publicis ſupererat, id totum in reſtituenda Baſilica S. Petri, quę continua opera indiget, conſumere volebat, ſacrorumque ipſius Baſilicæ curam eidem demandauit. Cum verò Federicus Imperator è Germania Romam ea tempeſtate voti cauſſa veniret, Ioannes delectus eſt, qui primus inter Epiſcopos Palatinos ei obuiam honoris cauſa prodiret, & verba Pontificis nomine haberet, gratulationis ob eius aduentum, & pollicitationis plena. Hæc omnia tanta cum modeſtia ſemper egit, vt nullum vnquam ſuperbiæ ſignum in eo apparuerit. Mortuo autẽ Paulo, creatoque Pōtifice Frãciſco Cardinale S. Petri ad vincula, quem Sixtum Quartũ vocarunt: Multi vt fieri ſolet gratulabundi ad eum continuò accedebant, quos omnes, vt comis, & humanus erat, cum libenter audiuiſſet; ad Ioannem conuerſus, ei mandauit ne è Palatio diſcederet, vtq; officia conſueta exerceret. Ei præterea (tanti hominem faciebat) commendauit honorem, & dignitatem Sedis Apoſtolicæ. Deinceps verò apud Sixtum non minore in pretio eſt habitus, quàm apud Paulum fuerat, nec à natura, & inſtituto ſuo propter confirmatam dignitatem diſceſſit; ea humanitate vtebatur, & integritate, qua prius. In tranſigendis negotijs accedentium ad Curiam Romanam, maximam curam adhibebat, ne & tempus expectando tererent, & facultates in hoſpitijs meritorijs conſumerent. Ob hæc eius merita, quæ maxima fuere, ſi curriculum ætatis ſuæ, ſi modeſtiam ſingularem, ſi continentiam, ſi prudentiam, ſi doctrinam inſpicimus; Sixtus Pontifex hominem grauiſſimum, & innocentiſſimum in numerum Cardinalium meritò retulit 15. Kalen. Ianuarij Pontificatus ſui Anno ſexto. Ad eum viſendum, eique gratulandum non modò Cardinales acceſſere, & Prælati; verùm Curiales omnes certatim; & tota Ciuitas Romana vno ore omnes Pontificem laudabant, quòd non gratia, non precibus alicuius Ioannem de Eccleſia Dei, de Pontificibus, de Aulicis omnibus benemeritum, Cardinalem creaſſet. Interfecto non ita multo poſt Galeatio Mediolanenſium Duce à Ioanne Andrea Lampugnano liberandæ Patriæ cauſa, ortaq; diſſenſione non parua inter fratres, & Ducis filios; Bona mater auxilium à Sede Apoſtolica petijt: Motus precibus mulieris Pontifex paci, ac quieti Italicæ conſulturus, Ioannem legatum iniquo anni tempore eò celerrimè miſit. Nam aſpera tùm ſæuiebat hyems, qualis non antea hominum memoria fuerat: Rigebant omnia gelu, ſuperare Apenninum niuibus opertum, tranſire plana Galliæ Ciſalpinæ glacie incruſtata neceſſe fuit ſeni valetudinario, & ætate confecto. His incommoditatibus nullo modo perterritus, dùm Pontifici, & Senatui obtemperat; eò maturè in tanta difficultate itinerum proficiſcitur. Suſceptus vbique locorum cum magna veneratione eſt; honeſtiſſimo quoque obuiam prodeunte; maximè verò Mediolani, vbi tantum auctoritate, & gratia valuit vnà cum Ludouico Marchione Mãtuano; vt diſcordias non ita multò poſt inter Ducem & Patruos ſedaret, comprimeretque ſeditiones Mediolani, & in tota Prouincia ortas: maximè verò Parmæ, in qua aliquandiu tumultuatum eſt propter quorundam factioſorum diſcordias. Genuam item, quæ à Duce defecerat ſua auctoritate, & conſilio in priſtinam fidem redegit. Compoſitis hoc modo rebus, Inſubrum cum magna omnium gratia, & beneuolentia, legatione functus ad Vrbem redijt; carus Pontifici ob egregiè nauatam operam in tanta legatione. Cum verò milleſimo quadragenteſimo, ſeptuageſimo octauo anno peſte, & quidem graui laboraretur; ſtatuiſſetque Pontifex nullo modo ab Vrbe diſcedere, data tamen omnibus Cardinalibus quorſum vellent abeundi venia, in villam Millino-

A rum ad montem Mariũ ſitam, ſtatim ſeceſſit: vnde & Pontificem inuiſere & eius mandata facere commodius poterat, nam à Vaticano ferè mille paſſibus diſtat locus ſanè amęnus, & iucundus, Celſi noſtri Millini ſumptu, & diligentia in tam celebrem formam redactus, vt ab omnibus cum voluptate, & admiratione inſpiciatur. Cardinalis autem eo ſeceſſu eum religione vtens, ſingulis diebus celebrabat. Admirantibus domeſticis, & interrogantibus quare Sacerdotum ſuorum celebrationem interdum non audiret: Reſpondit, commendationes aliorum præcibus factas minus gratas eſſe Deo, quam illorum, ad quos pertinet; neſcire quo tempore Deus eum vo-

B caret; velle ſe rem própriam agere, & parare ſe vt Omnipotenti Deo eiuſq; filio Domino Noſtro Ieſu Chriſto animam ſuam commendaret, quaſi diuinaret propediem mortis horam inſtaret. Cum autem Pontifex ſententiam mutaſſet, diſcedereq. ab Vrbe inſtituiſſet, accitus Cardinalis illuceſcente adhuc aurora caligine oborta, ſtatim in Vaticanum proficiſcitur. Tranſactis verò rebus à Pontifice ei commiſſis non ita multò poſt, ſexto idus Iulij febre lenta primùm laborare cœpit: poſtea verò ingraueſcente morbo ad 12. Kalend. Auguſti moritur ante diem natalem libens & volens: Feſſus annis; nam tertium, & ſeptuageſimum iam attigerat annum. Delatus

C ad Baſilicam B. Petri procul omni pompa, partim inſtituto ſuo [adeò modeſtus erat] partim etiam temporum malignitate; nam peſtis in Vrbe tum maxime ſæuiebat: neque congregari ciues, & Aulici poterant ad honorandum tanti viri funus. Poſtea verò cognita eius voluntate ex chyrographo ſuo inde poſt trimeſtre; annuente Pontifice Sixto, ad Sanctam Mariam Populi, in qua iam antea Capellam erexerant, transfertur. Nam Eccleſiam illam à fundamentis Sixtus ędificauit: Saccellaq; aliquot à lateribus ſtructa amicis dono dedit; quorum de numero fuit Ioannes ibi ſepultus: procurante Petro Millino vt funus dignum tanto Viro dignum Magi-

D ſtratu, in quo erat conſtitutus, celebraretur. Credo ego, orationes Sacerdotum animæ illi ſanctiſſimæ multum profuiſſe; ſed non minus eidem profuere omnium, qui tantum Patrem notant benedicta, eum ad Cælum nomen eius laudibus ferretur. Hac fraterni nominis celebratione delinitus aliquantulum Petrus,* non tamen omninò dolore liberatus, amiſſo præſertim tanto germano, totum ſe conuertit ad exornandum ſepulchrum, ſacellumq; fratris picturis, marmoreiſq; ſimulacris. Fuit in Petro inge-

genitum docile, & ad bonas artes natum, quare ex indole cognita Sauus pater eum protinus optimis præceptis erudiendum tradidit, Is autem facilitate ingenij, & tenaci memoria tantum profecit, vt omnes æquales diſputationibus prouocaret. Verum cum Romæ peſtis ſæuire inciperet Caietam ad Franciſcum germanum mittitur; vbi tandiu litteris operam dedit, quandiu Romæ peſte laboratum eſt. In Patriam deinde rediens breui ad Peruſinum Gymnaſium mittitur, vbi & Dialecticæ primò, deinceps iuri Ciuili operam dedit. Inde poſtremò à fratre, quem vt dixi Martinus Abbatem Cryptæ Ferratæ creauerat, reuocatus: eius rogatu, & man- A dato vxorem duxit, licèt ęgrè id fecerit: quòd iam animum ad ſtudia litterarum applicuerat. Videbat enim Franciſcus breui prolem familiæ defuturam, cum reliqui Fratres religioni ſe addixiſſent, niſi Petrus filios procrearet. Sumpta deinde cura rei familiaris, ac publicæ, tantam auctoritatem & gratiam virtute conſecutus eſt, vt breui ab his, qui tum Vrbem gubernabant Cancellarius Senatus, ac Populi Romani Secretarius electus ſit. Miſſus deinde Orator ad Concilium Baſileenſe omnia ex ſententia Pontificis optimè peregit. In Patriam deinde rediens cauſis forenſibus animum non ambitione, aut auaritia motus applicuit. Sed quod ea ratione bo- B nos ab improbis tueri ſibi liceret; à diuitibus iuſtam cauſam præſeferentibus præmium laborum ſuorum volebat: pauperes, & circumuentos Cauſidicorum fallacijs ſine præmio tuebatur. Hac rationem vitam ducens tantũ auctoritatis conſecutus eſt, vt quartò Conſeruator creatus ſit. Cum Pius in Hetrutia eſſet eò à Populo Romano Orator miſſus, habita graui, & eleganti oratione, tranſactiſq; bona cum gratia negotiis publicis; ægrè à Pontifice impetrauit, vt ſibi liceret in Patriã reuerti, adeò gratus Pio in eo legatione fuerat. Auxit patrimonium Petrus ſuo labore, ſua induſtria, non auaritia, non muneribus illicitè acceptis, non cum iniuria alteri C illata; ſemper enim humanus, pius, abſtinens eſt habitus; facultatibus ſuis ad ſplendorem Vrbis, & dignitatem familiæ vſus. Splendidè enim in Vrbe ędificauit, non longè à Circo Flaminio, quem nunc Agonem à certaminibus appellant; quę illis quotannis fieri conſueuerunt: Hæc domus, vt mihi quidem videtur receptaculum totius Ciuitatis, & Curię eſt; adeò frequenter eunt quotidie, & redeunt, qui Petri vel filiorũ opera indigent. Nam eius nati auitam, paternámq; benignitatem imitati faciles ſe omnibus præbent. Non arrogantia, non ſuperbia elati accidentes contumeliis eiiciunt, & eliminant; ſed blanditiis, pollicitationibus, benignitate omnes ſibi deuinciunt. Maximè verò Celſus noſter, & Marius quorum alter literatos omnes ad ſe muneribus, & gratia allicit, verò cum Iuuentute Romana tantùm beneuolentię contraxit, vt nemo ſit in Vrbe, quem æquè nobiles, & plebei colant. Imitantur iſti maiorem ſuorum mores, ſequuntur veſtigia ſanctiſſimi Patrui ſui Cardinalis Millini, cuius vita omnium virtutum exemplar eſt. Quid non enim deſiderari in homine perfecto poteſt, quod non in iſto fuerit? ſi religionem quæris, iſto nemo magis pius fuit; quippè qui & reparandis templis, & conſtituendis altaribus, & vaſis ſacrorum ſtruendis vehementer intentus erat. Hanc ob rem Sixtus Ciboriũ, & arã Sãcti Petri huius cõſilio fretus, & diligentia, in hanc quam cernimus formã quidem ſplendidiſſimam redegit: Eius quoque induſtria feneſtræ cùm marmoreę, tùm vitreę in eodem templo conſtructæ ſunt; peruigili cura in tam celebri Baſilica exornanda vtebatur, non ſolum publico ſumptu, verùm etiam priuato, & ſuo. Sacrificaſſe, & horas Canonicas ſui temporibus repetiuiſſe, licèt A negotioſus eſſet, iſto diligentius neminem cognouimus. Cubiculum eius non quietis locum, ſed ſummum Dei ſacellum ob crebra Sanctorum ſimulacra videbatur. Si quod audiuiſſet dictum, aut factum ab amicis, & familiaribus eſſe, quod vel Maieſtatem Diuinam, vel Religionem noſtram lęderet, id ſtatim graui cenſura corrigebat. Suos crebrò ad pietatem colendam hortabatur, admonebatq; vt ſanctè, & integrè viuerent. Si quem vidiſſet ſacris præſertim initiatum minus honeſtè, quàm Sacerdotem par eſt viuere; eum prius bis, teruè admonitum, miſsum tandem faciebat; Domum enim ſuam religionis & pietatis receptaculum eſse volebat, B non impietatis, & libidinis. Sæpè quidem dictum illud vſurpare ſolebat: Errantes qui non caſtigat, ad malum irritat, Iuſtitia verò ita ſemper coluit, vt neque precibus magnorum Principum, neque gratia cuiuſpiam, neque largitione, & pollicitationibus multorum à recto flecti vnquam potuerit. Inſtabant Cardinales interdum commendationibus, & ſcriptis, vt vel ſua, vel amicorum negotia conuenientibus oculis tranſire pateretur: Agere id numquam voluit, dictitãs ſemper ſe pluris Deum facere, quem ante oculos habebat, quàm hominum gratiam. Interfui ego plerumque, (nam eius conſuetudine mirificè delectatus ſum) cum nonnulli Cu- C riales, quorum nomina conſultò prætereo: ambitioſi illi quidem, & ſimoniaca macula notari, peterent, & inſtarent, vt literas Apoſtolicas perperam impetratas, & ſuam cenſuram ſubituras in lucem prodire ſineret: facturum ſe id non modò conſtanter recuſabat; verùm etiam tàm iniqua petenter reprehendebat: quod diceret eorum culpa auctoritatem Sedis Apoſtolicæ imminui. Hac oportunitate allectus, vbi illi diſceſſiſsent vſum expectatiuarum ea ratione, qua paſſim omnibus ſine diſcrimine dantur improbabat, quòd diceret inter bonos & malos, doctos & indoctos, nobiles, & ignobiles nullum eſse diſcrimen: Ad hanc ſeueritatem, comitate etiam D vtebatur erga eos potiſſimum, quos monitis redigi aliquando ad ſanitatem poſse videbat; non erat ita rigidus cenſor quin pleraque etiam humanæ imbecillitati concederet: Malas conſuetudines leniri facilius dicebat, quàm omninò immutari. Præterea verò ita clemens in delinquentes erat cum erratum faterentur, vt eos in gratiam reciperet, & quouis genere officij iuuaret: Beneficus enim natura, & inſtituto erat, quod dignoſci toto curriculo vitæ ſuę potuit: maximà verò dùm Abbreuiator eſset, in

quo

quo Magiſtratu laboris,& induſtriæ ſuæ partem aliquam accedentibus ad ſe condonabat; immò interdum de ſuo largiebatur, his præſertim, quos inopia oppreſſos cernebat. Pauperibus etiam eleemoſynas impartiebatur, nec his tantùm, qui mendicant; ſed illis quoque, qui ob nobilitatem familiæ mendicare erubeſcunt: De ſuis enim aliquem clanculum mittebat; qui huiuſcemodi hominibus quædam ad victum,& veſtitum pertinentia ſubmittebat: Conſcius ego benignitatis, & munificentiæ tanti Viri, reticere eius laudes nec debeo, nec poſſum. Nam dum à Paulo Pontifice in carcere ob ſuſpitionem coniurationis Callimachianæ detinerer; vixq; conA ceſſum eſſet per Præfectum Arcis, vt mihi victus ſubminiſtraretur, vetante etiam Pontifice viuæ vocis oraculo, vt dicitur, ne quid pecuniarum ex officio Abbreuiatoris, quod in Cancellaria habebam, mihi in tanta calamitate conſtituto præberetur; tamen Vir iſte optimus, clanculum ſingulis menſibus tres aureos mihi ſubmittebat. Hanc ob rem quòd viuo, quòd aliquod pretioſi habeo, id totū eius humanitati, & beneficentiæ acceptum refero. Prudentia verò tanta in homine fuit, vt nihil quod ſuo conſilio, ſuoue iuſſu geſtum ſit reprehendi vnquàm potuerit, Literarum verò Apoſtolicarum iuuentionem, quam minutam vocant, ita prudenter; & ornatè B componebat, vt nil ſcribi poſſet in ea re præſertim maiore cum dignitate, & gratia. In dandis reſponſis, dùm Epiſcopus, & Cardinalis eſſet, nil vnquam ab eo reſponſum eſt, quod non prudentiam, & grauitatem ſaperet. Modeſtia poſtremò tanta in homine grauiſſimo fuit, vt tota eius vita continentiæ exemplum fuerit, Verborum parcus erat; plus amicis reipſa præſtabat, quàm verbis pollicéretur. Quod à Pontifice impetraſſet, vel accepiſſet amicorum cauſſa id nudis verbis exponebat, ne quod à pleriſque fit nugis aucupari gratiam putaretur. In dādis reſpōſis, tranſigendiſq; negotijs publicis licèt interdum moroſi quidam, & difficiles pertinaC citer inſtarent, à ſe ipſo, ideſt à conſtantia, & modeſtia ei innata nunquam diſceſſit. Patienter omnes audiebat, nec Romanos tantùm, & Italos, ſed exteros quoque officij cauſſa ad ſe accedentes, abeuntes à ſe impetrata gratia, vt benè viuerent admonebat, quo faciliorem deinceps Pontificem haberent, cum maiora peterent. Eos autem, qui de ſpe impetrandi aliquid ceciddiſſent, mitiſſimis verbis conſolabatur, meliora ſi rectè agerent, ſperare iubens. Si vellem omnes huius Sanctiſſimi Viri de Deo, de Republica Chriſtiana, de Sede Apoſtolica, de Curia Romana, de Ciuitate ſua benemeriti laudes inueſtigare, & deſcribere, in maius volumen, quàm ab initio D inſtituimus inuentio noſtra creſceret. Vnum hoc optare à Deo immortali poſſumus, vt in tanta perturbatione temporum, tantaq; inopia bonorum, Antiſtitem aliquem huic perſimilem nobis concedat; ne omninò flagitijs improborum periclitemur, Hucuſq. *Platina.*

Vexatum Io: Millinum ab Eugenio IV. quæſtione habita de moribus Millini; quia volenti Pontifici mutare Collegium S. Io: Lateranenſis reſtiterit conſtans, auctor eſt Platina: clariùs Garimbertus ſcripſit, margaritis pretioſiſſimis furto ſublatis ex capitibus Sanctorum Apoſtolorum; pro furto ſacrilego in quæſtionem vocatum fuiſſe Millinum; conatus Pontifex tramite indirecto Millinum in ſuam ſententiam pertrahere, ſed incaſſum, *Garimb. p. 119. p. 207. p. 252.*

Epitaphium.

*Io: Bap. Millino vtriuſq. Iuriſconſulto, quem ob eius religionem, prudentiam, iuſtitiam, meritaq. erga Sedem Apoſtolicam, Sixtus IV. P. M. congratulantibus omnibus* A *in numerum Cardinalium retulerit. Petrus Millinus Fratri B. M. poſuit. Is vbi Legatus poſt mortem Galeazij Ducis Inſubrum, Lygurumq. res turbatas compoſuiſſet: 74. ætatis Anno moritur, incredibili de ſe apud omnes deſiderio relicto. Vale qui legis & opta; vt multi huic viro perſimiles humano dentur Generi.*

*Obijt An. D.* 1478. *Nono Cal. Aug.*

Ciaconius: Panuinius: Auberij: Vghellus: Cęſar Raſpon. *de Baſil. Later.* Amb. Landucc. *De origine Templi S. Mariæ de Populo.*

26. *Stipendia peccati mors.*
Roman. 5.



CHriſtophorus de Ruuere Allobrox Ioannis de Ruuere, ex Dominis Vicinoui, & Annæ de Puteo filius, Bononię lauream adeptus Iuriſprudentiæ, ex Protonotario Apoſtolico & Archiep. Tarantaſieñ; Præfectus arcis S. Angeli, mox Presb. Card. *S. Vitalis tit. Veſtinæ* renuntiatus, penſatis meritis Ruuereę Domus erga Sixtum IV. R. P. non erga Eccleſiam. Patrocinio namque Ruuereę gentis, cum ex pauperculo C Minorita ad tantum conſcendiſſet faſtigium, audita eius in Pontificem promotione, confluxere Romam amici omnes, & conſanguinei, vel qui gratis dicebantur conſanguinei, inter quos Chriſtophorus, qui natura clemens, & pacificus in fidem illicò accepit arcem S. Angeli, depoſitum tunc temporis, magni pretij, & pignus fidei, nec longè Cardinalis die X. Decemb. 1477. quamuis tantę dignitati per vnicum menſem ſuperſtes, eam audiſſe potiùs, quàm vidiſſe dictus, prima Februarij, 1478. nondum galero recepto vitam Romæ poſuerit, ſepultus in æde S. Mariæ de Populo cum ſequenti epitaphio.

*Chriſtophoro Ruuereo tit. S. Vitalis Presb. Card. doctri*D *na, moribus, ac pietate inſigni Dominicus, Xiſti IV. P. M. beneficio mox tituli ſucceſſor, ac muneris fratri B. M. & ſibi poſuit. V. A. XLIII. M. VII. D. XIX. Ob. An. VII. Pontif. Xiſti. Kal. Feb.*

Lege Ciaconium, Garimbertum *p.* 179. Victorellum, Auberij, Panuinium, Landnec. de orig. *S. Mariæ de Populo.* Briani *Hiſtoria.*

*27. Numquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & Domus iſta deſerta.*
Aggęi. 1.

DOminicus de Ruuere ex Dominis Vici Noui, frater Chriſtophori Cardinalis ex Ioanne Domino Vici Noui, & Annæ de Puteo filius, nullo ſanguinis nexu cum Pontificę iunctus; neq. vllo facinore de Eccleſia meritus, amicitię intuitu, & gratitudinis, quam Sixtus IV. profitebatur erga gentem Ruueream, cum Chriſtophorum creaſſet Cardinalem *S. Vitalis*, poſt menſem rota ſublatum volubili, volens Papa rotam figere humanæ Fortunę, in ſpretum & opprobrium humanæ viciſſitudinis, Chriſtophori fratrem in eumdem titulum *S. Vitalis* Presbyterum ſubrogauit Cardinalem tertio Idus Feb. 1478. poſtea *S. Clementis*, cum antea Canonicum Lauſanenſem & Eporediæ, Priorem S. Andreę, Arcis Præfectum, Canonicum Vaticanæ Baſilicæ, & ſuum cubicularium creaſſet, verè creaſſet, cum nullis ſuffragantibus meritis ad tantas extuliſſet dignitates. Cumulauit in eodem Eccleſiarum Cathedralis SS. Antonii & Dalmatii, Taurini, Cariniani, & Ripolarum Præpoſituras, ac Abbatiam S. Chriſtophori de Vercellis; quarum redditus profudit magnificè in extructione ędium, ad Petri Scalas in Vaticano, quas ipſemet Vaticanæ Archipresbyter incoluit, & ſucceſſoribus incolendas reliquit. In D. Mariæ de Populo ſacellum extruxit in honorem Deiparæ, ac S. Hieronymi, congrua dote exornauit, vt ex epigraphe ibidem exarata. A B

*Dominicus de Ruuere Card. S. Clem. Capellam Mariæ Virg. Genitrici Dei, ac D. Hieronymo.*

In ea ſepulchro poſito ſibi & fratri, vt ex epitaphio.

*Dominicus de Ruuere Card. tit. S. Clem. qui ędem hanc à fundamentis perfecit, hic pro tempore quieſcit.* C

*Concordes animos, piaſque mentes*
*Vt dicas licet vnicam fuiſſe*
*Commixti cineres ſequentur, & ſe*
*Credi corporis vnius iuuabit.*

Eccleſiam S. Mariæ Salutiarum, in Collegiatam erexit Dominicus; S. Mariæ de Tiuoleto in territorio Vici Noui reparauit. Cathedralem Taurinenſem reſtaurauit, vt ex memoria ante ędem repoſita.

*Ioanni Baptiſtæ Præcurſori.* D

*Dominicus de Ruuere Taurinenſis Præſul in S. R. E. Cardinalem tit. S. Clem. à Sixto IV. PP. M. collectus Baſilicam ſitu, vetuſtate collabentem à fundamentis demolitam, auguſtiore ornatu piè religioſeq. ad Patriæ decus, & Reſp. Chriſtianæ honeſtamentum Illuſtribus Sabaudiæ Ducibus Io: Carolo Andrea & Blanca eius matre tutrice Remp. æquo iure adminiſtrantibus, erexit; & Philiberto II. Duce itidem florente, abſoluit. An. Sal. 1498.*

Idem conſtat ex litteris eiuſdem Dominici Cardinalis ad Petrum Carum.

*Dominicus de Ruuere Card. S. Clem. Petro Camerę Ducalis Sabaudiæ Senatori S. P. D. Eruditiſſime vir, nobiſque cariſſime. Gratiſſimæ nobis fuerunt litteræ tuæ, quæ & ab amiciſſimo datæ ſunt, & id continebant quod ad prudentem, ad pium, & verè Chriſtianum virum maximè accommodatur; ob quod te, quem ſemper propter virtutes tuas; meritaque amauimus, ac magni fecimus, tibique in quibus cum Deo poſſumus in iis omnibus ſatisfacere cupimus; atque vt ad rem veniamus, tuęque honeſtæ petitioni vt par eſt, ſatisfaciamus; de huiuſmodi Capellę fundatione, ornatu; ac dote contenti ſumus; ſed quoniam in ipſa noſtra Eccleſia plures capellæ antiquitùs fundatæ, dotatęque ſunt, quæ dimoueri nec poſſunt, nec debent, Eccleſiaque ipſa duplici ædificio, vt cernitur, conſtructa eſt, ob quod & antiquis, nouiſque capellis faciendis locus accommodari poterit; huius tuæ petitionis determinationem, vſque ad noſtrum aduentum ad partes iſtas, qui breui futurus eſt, ſeruandam putauimus, vt oculata fide rem tibi quam gratiſſimam faciamus: nos enim non ſolum Eccleſiam noſtram quadratis lapidibus, ſtructuris, tabulatiſque ornatiſſimis, quod parum eſſet reſtaurandam duximus, ſed etiam quod magis cupimus, intendimuſque ipſam viuis lapidibus, ſpiritualibuſque ædificiis reformare, augere, ac conſeruare decreuimus: non ſit igitur tibi moleſtum eorum aduentum expectare, quibus tibi rem gratam facere cordi eſt: bene Vale. Romę 24. Decembris, 1495.* A B

Ex quibus Taurinas Epiſcopus apparet fuiſſe; die 3. Decemb. 1483. ingredienti pompa ſolemni obuiam iuit Dux Carolus cum Ludouico patruo Auxitano Archiep. quam ſedem vſq. ad Annum 1499. adminiſtrauit, reſignauitque Ioanni Ludouico Ruuereo. Eccleſiam quoq. Cathedralem Montis Faliſcorum, & Caſtra Cinſani, ac Riualbę à fundamentis extruxit, quas vnà rexit cum Archiepiſcopatu Tarantaſienſi. Romę obiit die 22. April, 1501. ſepultus in S. Mariæ de Populo, cum fratre, ædibus, quas ad Petri ſcalas ædificauit, Xenodochio S. Spiritus pro medietate legatis. Inſignia gentilitia ſupra habes, in fratre. C

Lege Ciaconium. Panuinium. Vghellum. Auberij. Contelorium. Hippolytum Marracin. *in Purpura Marian.* Lauren. Schrod. *Monum. Ital.* Garimbertum *p.* 136.

*28. Ædificauerunt altare Nouum: ædificauerunt ſancta, & quæ intra Domum erant intrinſecus, & ędem & atria ſanctificauerunt.*
1. Macc. 4.

D



HIeronymus Baſſus de Ruuere, Ligur patria Sauonenſis, ſeù de Albizzola Dięceſ. Sauonenſis, nepos Sixti IV. ex ſorore, mitis naturæ, ab omni vitio, & labe alienus, *paruæ litteraturæ* [teſte Ciaconio] ex Epiſcopo Albigauenſi Recinetenſis primò Anno 1477. palatium Epiſcopale à fundamentis reſtituit; paulò poſt

Presb.

Presb. Card. tit. *S. Balbinæ*, An. 1478. vulgo dictus Cardinalis Recinetenſis, cuius tempore Lauretana Diæceſis Recanatenſi iuncta fuit, quam Sixtus IV. inde diuulſerat. Titulum poſtea mutauit *in S. Chryſogoni*, tum *S. Cæciliæ*. Comitijs adfuit Alexandri VI. à quo Epiſcopus dictus *Præneſtinus*, An. 1502. Elegit etiam Pium III. & Iulium II. à quo ad Eccleſiam tranſlatus *Sabinam* die 29. Nouemb. 1530. Modicæ ipſe litteraturæ, ſtudioſos tamen amauit, iuuit, promouit; vnde communiter benè audijt. Pauper inter Cardinales cum paraſitis & gurgitantibus ſatisfacere non valeret, ex redditibus namque Eccleſiaſticis familiam vix alere poterat, non multos habuit adulatores, vel encomiaſtes, teſte Garimbetto *p.* 242. Sed vnus pro cunctis laudat Iulius II. P. R. qui affinem ſæpè ſe gloriabatur illius Cardinalis, quem perpetuæ vitæ curſus morum candor, integritas, ſingulare religionis ſtudium vnà omnium voce laudabat. Virginis Lauretanę, Sixti IV. mandato, tutelam cum ſuſcepiſſet, eiuſdem templum à Paulo II. inchoatum, deuotione abſoluit ſingulari, ſacra ſuppellectili, lectiſſimis Sacerdotibus, & Cantoribus auxit. Idem deſtinatis propugnaculis, in modum arcis communire cogitans, ſub Iulio II. perfecit. Auctoritate Innocentij VIII. eidem templo Carmelitas (Horum etiam patroni munus gerebat) præpoſuit: quorum Generalis Lauretanæ domus hiſtoriam ſcripſit, & Hieronymo Cardinali dicauit. Sanctiſſimæ Cellę pauimentum, ſupplicantium genibus attritum, auellentium manibus effoſſum, quadrato marmore ſtrauit. Circa veſtibuium templi, magnificentiſſimas ædes à Bramante nobili Architecto deſcriptas moliri cœpit: ciſternam ingenti amplitudine in atrio templi extruxit, ne vnquàm oppidanis aqua deeſſet: Ab hoc paupere Cardinali officium diſcant, qui diuitijs abundant Eccleſię.

Vita migrauit die 1. Septemb. 1507. in oppido Fabricæ: cadauer Romam relatum Iulius II. ſacrophago cooperuit marmoreo, cum ſequenti inſcriptione.

D. O. M.

*Hieronymo Baſſo Sauonenſi Sixti IV. P. M. ſororis filio Ep. Sabin. Card. Recinetenſi, in omni vita conſtanti, integro, religioſo, Iulius II. P. M. Amitino ſuo poſ. M. DVII.*

Ciaconius: Vghellus: Victorellus: Garimbertus: Ioſeph. Maria Soares. *in Antiqua Præne.* Panuinius: Auberij: Marrac. *in purp. Mar.* Contelor.

29. *Scandalum mihi es: non enim ſapis ea quæ Dei, ſed ea quæ hominum.*

Matt. 16.



GEorgius Heſſer vel Heſler, Herbipoli natus ex infima plebe, diſcipulus Fr. Io: de Capiſtrano, ſed moribus valdè diſſimilis; aſper namque tumidus, ſeditioſus, & petra ſcandali. Ex Conſiliatio Mathię Coruini Regis Vngariæ, Epiſcopus promouetur Herbipolenſis, & Protonotarius Apoſtolicus tandem à Sixto IV. R. P. Anno 1478. precibus fatigato Friderici III. Imper. poſtquàm protracta fuiſſet promotio, vt in ea Georgium Sixtus præteriret; Presbyter aſſumitur Cardinalis *S. Luciæ in Silice*. Ante cuius electionem, ad Cæſarem Sixtus ſequentia ſcripſerat, teſte Papienſi: *Accepimus & legimus ternas litteras manu tuæ Celſitudinis ſcriptas, quibus promotionem Venerabilis Fratris Epiſcopi Brixienſis, & dilecti filij Georgij Heſler, Notarij noſtri ad dignitatem Cardinalatus commendas. Audiuimus quoque ea de re accuratiſſimè intercedentem filium Noſtrum Franciſcum S. Mariæ Nouæ Diaconum Cardinalem Mantuanum tibi, ac Nationi valdè affectum. Id quoque circumſpectioni ſuæ verbo reſpondimus, tuæ Imperiali Celſitudini his breuibus reſpondemus. Nos litteras tuas benignè ſemper uidemus: poſtulata ſtudiosè cognoſcimus, & ad ſatisfaciendum deſiderijs prompto animo inclinamus. Perſonæ ipſę, pro quibus ſcribis, notæ ſunt Nobis, & tuo, ac Noſtro beneficio dignæ: nec ad eas honorandas magis tua interceſſio, quàm Noſtra voluntas inclinat; ſed creandis Cardinalibus tempora nunc opportuna non ſunt. Multæ ac graues neceſſitudines coegerunt hactenus, & in præſentiarum cogunt rem totam differri: ſcimus pro tua pietate nil cupis, aut vis quod oneri ſit, & diuino Apoſtolicæ Sedi: natura tua & clemens conſuetudo ſemper id tulit. Proinde eandem Celſitudinem hortamur in Domino, vt dilationem neceſſariam moleſtam non habeat, quia non contemnuntur preces tuæ, ſed tantum detrimenta Eccleſiæ declinantur. Cum opportunitatem obtulerit Deus, hæ ipſę petitiones honorificè proponentur, illis fauebitur, ac quantum in Nobis erit, accedentibus fratrum Noſtrorum conſilijs, digna votorum tuorum ratio habebitur. Interim Brixienſis apud Nos ſine honore non erit, & Georgium tuæ ſublimitati, Germaniſque Principibus gratum, Nos quoque in corde Noſtro geremus.*

Certior ſuæ electionis, Romam venit menſis Octobris die 14. acceptoque galero in Germaniã redijt Kal. Martij 14. ad cathedram Patauinam aſſumptus, quò abiit comitantibus equitibus 170. Inde in Auſtriam reuerſus, An. 1482. menſe Septemb. Dum lintre Danubium trayceret, aquis obrutus miſerè periit, nè forſan ipſe obrueret nauiculam Petri. Garimbet. Viennæ humum ſubiit ad B. Virginem de Ripa.

Ciacon. Panuin. Vghel. Auber. Vvading. *in Annal.*

30. *Egredere de cognatione tua, & faciem te in gentem Magnam.* Geneſ.



FR. Gabriel Rangonus, Mutinēſis filius Comitis Guidi Rangonii ex ruſtica iuuencula in agro Veronenſi, illicito natus concubitu, in domum abductus paternam, & à nouerca malè habitus, poſt obitum genitoris, ad Pannones ſeceſſit, vbi habitu ſumpto S. Franciſci, ſub diſciplina Io: Capiſtrani non minùs doctrina, quam pietate illuſtris, magiſtrum æquauit concionibus ſuis, quibus Regi cum innotuiſſet Matthiæ Coruino, vocatus in aulam, & Legationibus admotus ad Principes vicinos, in bello contra Boemos ac Polonos Regem proſecutus, apud Vratiſlauiam, magna ex parte auctor extitit rei benè geſtę, & felicis armorum exitus. Pacis interpres inter Fridericum Imperatorem, & Matthiam Vngarię Regem, Anno 1477. concluſit, ex ſuggeſtu publicauit. In Auſtria Vicarius præfuit, & pernicioſa Huſſitarum hęreſi latiſſimè per Boemiam pergauante, Inquiſitor à Pio II. R. P. inſtitutus, Anno III. Pontific. vt ex litteris Pii II. ad eum datis, Anno 1460. vberi Religionis fructu laborauit in vinea Domini. Accipe litteras.

*Dilecto filio Gabrieli de Verona fratrum Minorum profeſſori, hæreticæ prauitatis Inquiſitori. Apoſtolica Sedis prouidentia, &c. Cum ſicut ex fide dignorum relatione plurimorum nobis diſplicenter innotuit, in pleriſque Regni Bohemiæ, & circumuicinis partibus nefanda Vviclefiſtarum, ſeu Huſſitarum hæreſis iamdudum per ſacrum Concilium Conſtantienſe damnata, in quo etiam auctores illius perfidiſſimæ ſectę viri impii Ioannes Hus, & Hieronymus iuſtitia exigente, igne conſumpti ſunt, ac deinceps per plures ſummos Pontifices Romanos prædeceſſores noſtros, & Romanam Eccleſiam damnata, operante ſatore zizaniæ, proh dolor, in dies erumpat, peſtiferumq. virus ſuum euomens, multorum ſimplicium animas ſuis tendiculis, & palliatis coloribus ſub prætextu ſimulatæ veritatis illaqueando decipiat, illas æterno ſatagens igni tranſmittere conſumendas. Nos huic veneno, hæreſique nefariæ, & labi peſtiferę, quam ſupremis extingui affectibus anhelamus; omni ſalubri remedio, quo poſſumus, occurrere cupientes, & ne huiuſmodi morbus inficiendo excreſcat vlterius, ſed cooperante Domino paſſim radicitus euellatur, ſalubriter prouidere volentes, ac ſperantes, quòd tu, quem tam magiſtra rerum experientia, quàm etiam teſtimoniis fide dignis accepimus, iam per plures Annos ad extirpationem* D *eiuſdem perfidiæ etiam Apoſtolica deſuper auctoritate ſuffultum conſtanter laboraſſe pro fidei zelo, religionis deuotione, vitæ munditia, & aliis multiplicium virtutum meritis, quibus te inſigniuit Altiſſimus, per tua ſollicitudinis ſtudium labem huiuſmodi extirpare, & ortodoxę fidei fructuoſos palmites tranſplantare pro tua virilitate conaberis. Tibi contra quoſcumque Hæreticos, eorumq. adhærentes, complices, & fautores, atq. receptores eorundem, cuiuſcumq. ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis conditionis, vel præeminentia, etiamſi Communitates, Vniuerſitates, & municipia fuerint, vbiq. locorum eos eſſe compereris, inquirendi, ac vnà cum Ordinariis, prout iuris fuerit, procedendi, eos capiendi, & carceribus mancipandi, ac iuxta Canonicas ſanctiones, & Sanctorum Patrum inſtituta, prout cuiuſq. qualitas delicti exegerit, puniendi, ac brachium ſæculare, ſi opus fuerit, contra eoſdem inuocandi nec non ad veritatis lumen redire, aut huiuſmodi hæreſim abiurare volentes, ſi aliàs relapſi non fuerint, receptis ab ipſis priùs abiuratione hæreſis, & errorum huiuſmodi legitimè, & publicè faciendo, præſtandoq. per eos iuramento, quod talia deinceps non committent, nec* A *talia, vel alia committentibus iis ſimilia, ſeù adhærentibus conſilium, auxilium, ac fauorem per ſe, vel alios præſtabunt, ac aliàs in forma Eccleſiæ conſueta abſoluendi, ac ad noſtram, & eiuſdem Eccleſiæ gremium, nec non gratiam, & benedictionem prædictæ Sedis reſtituendi & reponendi, omniaq. alia, & ſingula, quæ ad huiuſmodi peſtem reprimendam, & radicitus extirpandam opportuna eſſe quomodolibet dignoſcantur; ac ad officium Inquiſitoris tam de iure, quam conſuetudine pertinet, faciendi, gerendi, ordinandi, exercendi, & exequendi, & ad præmiſſa omnia, & ſingula, ſi & quando expedire videris, viros aptos, & idoneos cum ſimili, vel limitata facultate aſſumendi, ſubdelegandi, ac deputandi, ipſoſque* B *quoties tibi opportunum videbitur reuocandi, & loco ipſorum alios ſimiliter idoneos deputandi, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Igitur fili dilecte hoc onus per Nos tibi iniunctum ad honorem Dei, & animarum ſalutem cum omni promptitudine ſuſcipiens ſtudeas ſic efficaciter, ſicq. diligenter illud exequi, ut per ſollicitudinis tuæ ſolertiam radix hæreticę prauitatis penitùs euellatur, & Vinea Domini Sabbaoth fructus afferat Catholicę puritatis; taq. exinde apud Nos, & dictam Sedem valeas non immeritò commendari. Per huiuſmodi autem commiſſionem per Nos tibi factam locorum Ordinariis, quominus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout volant dictę Canonicę ſanctiones, exercere va*C*leant, & quibuſlibet priuilegiis tibi, tuoq. Ordini, vel quibuſuis Inquiſitoribus hęreticę prauitatis, ſi qui ſint à dicta Sede forſan conceſſis nullum volumus prꝗiudicium generari. Datum Romę apud S. Marcum anno 1460. Anno tertio.*

Eodem Anno alias de hac re litteras eidem dedit Romanus Pontifex, & ſunt. *Ad ea, quę propagationem in incrementum Catholicę fidei reſpiciunt, impartimur, &c. Itaque ſicut fideli relatione percepimus, tu exemplo vitę, & prędicatione verbi Dei, hominum terrore depoſito, ſalutares fructus continuè in Dei Eccleſia parare ſtudes; & ad extirpationem hæreſum, & pręcipuè nefandæ Huſſitarum ſectæ; quæ proh dolor, diebus iſtis* D *velut cancer ſerpens per Bohemię regnum, & partes illi adiacentes, operante ſauſore malorum, ſua venena diffuderit in multarum perniciem animarum, non ſine tuę vitę, ac ſociorum periculo feruenter incumbis. Nos qui Catholicam fidem noſtris potiſſimè temporibus augeri, & hęreſes quaſcumq. exterminari, necnon eos, qui in agro Euangelica prędicationis laborant, tutos, & ſecuros eſſe à malorum hominum incurſibus deſideramus, tibi, ut omnibus, & ſingulis, te per loca non tuta, ac pericuſoſa aſſociantibus, ac ſaluum conductum, & fidelem aſſiſtentiam pręſtan-*

Digitized by Google

*ſtantibus, quando ita expedire rebus gerendis cognoueris, ſuper quo tuam cõſcientiam oneramus, quod idoneos eligere poſſint confeſſores, qui confeſſionibus ipſorum diligenter auditis, eos ab omnibus, & ſingulis criminibus, exceſſibus, & peccatis, prӕterquã Sedi Apoſtolicӕ reſeruatis toties quoties durãte quinquennio, & ubi perſonarum qualitas fortè exigeret, aut periculum immineret etiam in ipſis reſeruatis, prӕterquam per Nos exceptis caſibus; & ſimiliter cum plenaria remiſſione ſemel duntaxat in foro conſcientiӕ, & in forma Eccleſiӕ conſueta, abſoluere valeant, concedendi plenam, & liberam tenore prӕſentium concedimus facultatem, prӕſentibus poſt quinquennium minimè valituris. Datum Romӕ, apud S. Marcum, Anno 1460, 12. Kal. Aprilis.*

Ad comitia ſui Ordinis, in Italiam vocatus Ao. 1467. cum iter arripuiſſet, iuſſus à Paulo II. R. P. in patriam redire ad ſui muneris exercitium; ſequentibus Pontifex excuſauit.

*Dilectis filijs Vicario, & toti Capitulo Generali Ordinis Minorum de obſeruantia nuncupato &c. Dilecti filij ſalutem &c. Quoniam docente experientia didicimus dilecti filij Gabrielis de Verona, Ordinis veſtri Profeſſoris prӕſentiam circa negotia fidei, Nobis, & Sanctӕ Eccleſiӕ in partibus regni Bohemiӕ, & illis vicinis regionibus, & aduersùs perfidum hominem Georgium Podebratium, prӕdicti regni occupatorem, nuper à Nobis damnatum, hӕreticum, periurum, & ſacrilegum; nec non contra illius complices, & adhӕrentes, proque Catholicorum fidelium exhortatione, & firmitate hactenus perutilem fuiſſe, & vt non dubitamus, deinceps futurum. Hinc eſt quod eundem Gabrielem non obſtante veſtro eminente Capitulo, in quo, vt referebat, intereſſe ex officio tenebatur, ad prӕdictas partes ſine mora redire iuſſimus. Volumus itaq. vt prӕfatum Gabrielem abeſſe in Capitulo eodem veſtro hac vice in fauorem Catholicӕ fidei, ӕquo animo feratis, eique in commiſſis per Nos ſibi negotijs poſſibilia adiutoria exhibeatis habituri propterea Nos, & Apoſtolicam Sedem ad gratiam, & fauores erga vos, & familiam veſtram promiores. Datum Romӕ, apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 15. Aprilis 1467. Pontificatus noſtri Anno tertio.*

Ex Albienſi Epiſcopatu ad Agrienſem tranſlatus in Tranſiluania, Anno 1475. rogante Matthia Vngarorum Rege, litteras accepit à Iacobo Card. Papienſi, tenoris ſequentis. *Si te hactenùs voluntate dilexi, neceſſitate quidem nunc cogor diligere; ea enim ſunt opera tua in publica Chriſtianorum, & priuata Sedis Apoſtolicӕ cauſa, vt Agrienſis non me meminiſſe ingratum ſit: illum non amare nefarium. Amo te Pater; amoris toties acceſſio fit, quoties recitatis in Senatu litteris tuis, etiam actionum documenta ſimul tenentur; ne dubites: tuus eſt Papienſis non tam ſcribendi, quàm prӕſtandi cupidus; nec tam ad iram, quàm ad opera promptus; id ipſum planiùs noſces, cum de premijs diſcriminum, & laborum tuorum ad nos refertur. Quod optaui priuato, & in tunica adhuc Franciſci agenti, id crede publicè miniſtranti, & ad Prӕſulatum aſſumpto, non modò opto, ſed modis omnibus quӕro: obſtant adhuc tempora, aliena ambitione magis, quàm noſtra voluntate tibi aduerſa, ſed non obſtabunt diu; breui, ut puto, erit quod cupimus, & quod in primis ad commune opus eſt utile: pietate ſua id Dominus tribuat. Rex Matthias in Cœlo apud nos eſt, gloria inuicti Principis maior eſſe Romӕ non poteſt: prӕdicantur omnium linguis facta ingentia, priuatimq. & publicè pro eius ſalute vota ſuſcipiuntur. Sed utinam quӕ noſtra eſt, aliorum quoque mens eſſet, duriſſimam hiemem pro fide nunc patienti, & caput unum obijcienti pro omnibus, non deeſſent ſubſidia, quӕ vel dilata diutiùs, vel parciùs miniſtrata quàm oporteret, vereor ne magnarum calamitatum ſint cauſa; multi quӕ ſua ſunt intuentur, non quӕ Ieſu Chriſti, affectum adhibentes, non rationem ad capiendum conſilium. Hic tamen Pontifex noſter ſupra vires contendens, omnia molitur, & tentat: Oratores Italos non dimittit à ſe, ut maiora decimali contributione prӕſtent, ſedulò adnititur, de decimis Clericorum, & vigeſimis Iudӕorum eſt impetratum; ſed quantula ſunt hӕc ad tantum bellum ſuſtinendum, prӕſidia? quid enim centena millia inopi Regi contra Aſiӕ, & bonӕ partis Europӕ potentiſſimum dominum? Contributionem autem ſecularem nondum impetrauit, & impetranda totum ſe exhibet: nos Patris fideliter laborantis ſequimur, quoad poſſumus, ſtudia. Emolliat Deus corda dura, menteſq. cӕcas illuminet, ne ambulemus in tenebris, & in umbra mortis, ac defenſore tanto deſerto, ſerò lugeamus, non cognitam priùs fuiſſe viam noſtrӕ ſalutis. In periculis his, & rebus tam aſperis, ſerua teipſum Pater, quodq. tuӕ uirtutis, & religionis ſemper fuit Sacerdotem te recordare. Vale. Romӕ 7. Martij, 1477.*

Ea cum eſſet animi moderatione, & morum grauitate, vt per Annos 30. ſe nulli recordaretur ſuccenſuiſſe mortalium, eam inuenit gratiam in oculis Sixti IV. vt inter Presb. Cardinales aſſumeretur tit. *SS. Georgij, & Bacchi*, Ao. 1478. ab eoque Legatus in Regnum Neapolitanum, vt gentem illam concitaret in Turcas, verba retulit, non arma. Bello ſeuiente inter Matthiam Vngariӕ Regem, & Caſimirum Poloniӕ, & Vladiſlaum Bohemiӕ Reges; pacis ſequeſter acceſſit Gabriel à Pontifice miſſus vnà cum Balthaſſare de Piſcia Minorita, qui Vratiſlauiӕ degebat, titulo collaro Nuntij Apoſtolici; in quos ſuccenſi Scriptores Poloni, bellum potiùs excitatum accuſant à Cardinali, quàm Pacem. Sic Balthaſſarem Matthiӕ magis propenſum, Polono, & Bohemo ſacra interdixiſſe, ob ſolam hӕreſis ſuſpicionem. Nec minus rigidi Hiſtorici Vngari, (inter quos *Bonfinius*) ambitionis redarguentes Cardinalem, ſcripſerunt; *Gabriel Brixienſis, Agrienſis Epiſcopus, quem è Fraterculorum D. Franciſci Collegio mortalis ambitio ad potentatum euexerat. Hic cum Io: Capiſtrano ex Italia in Pannonias primum venerat. mortuoq. illo viro optimo, cum dexteritate ingenij: conſilio, & grauitate polleret, correptus ambitu, humanos honores affectauit: & cum Regi placuiſſet ad Cardinalatus uſque faſtigium, eius auctoritate euectus eſt.*

Eius faſtum impotens ſuſtinere Ioannes Alemannus Archiep. Strigonienſis Regno ſeceſſit in aulam Friderici III. Imperatoris, cui propterea Rex Matthias Ioannem Arragoniӕ ſubrogauit. Interrogatuſque Alemannus, cur temerè ſeceſſiſſet? *Caudati* (reſpondit) *Monachi pulueres, longum ante Syrmata trahentis, ultra ſe tolerare non potuiſſe; Gabrielem Cardinalem*

*lem cauillatus, quem ſibi apud Regem praeferri aequo animo pati non poterat. Bonſinius.*

Hic genus ſuum per Annos ſupra ſeptuaginta reticuit; donec Bononia pertranſiens, & à Io: Bentiuolio viro primario, hoſpitio receptus eodem tempore, quo in eadem Domo hoſpitaretur Comes Nicolaus Rangonius Bentiuolij gener, Comitis Guidonis Rangonij apud Mutinenſes illuſtris filius: quem nil tale cogitantem adorſus Gabriel, & amplexus fratrem ſalutauit, eodemq. parente genitum indicauit vtrumque; quum ab adoleſcenti rusticula Guido excitatus ad Venerem, concubitu Sabrielem procreauit illicito, quem poſtea duritie A ies nouercæ miſit in exilium, in quo opes, dignitates, inuenit, Romæ obijt, die 27. Septemb. 1386. ſepultus in Ara-Cœli, ſacello à ſe condito in honorem D. Bonauenturæ.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Platina *in Paulo II.* Papyrius Maſſon. *in Innoc. VIII.* Gaſpar Iongel. *in elog. Card. Min.* Gaſpar Siling. *de Epiſ. Mutinen.* Garimbertus *p.* 35. Vvading, *Annal. Minor.* Vghellus, Victorellus, Iacob Maffei Volaterranus Secretarius Apoſtolicus *in Diario de rebus Sixti IV. Octauo* (inquit) *Idus Decemb. qui fuit dies Lunæ, Gabriel Veronenſis, Cardinalis Agrienſis nuncupatus Vrbem ingreſſus eſt, ac quatriduo poſt dicenda ſententia in Senatu ſibi facta* B *poteſtas fuit, quod aperire os dicunt. Intranti Vrbem obuiam iuere Patres omnes vſq. ad Portam Populeam, unde ſuo ordine ſe mouentes, ad Pontificiam Vaticani deduxere medium inter duas primos inferioris ordinis Cardinales. Expectabat Pontifex in publico Senatu, quem ad hoc ſolùm vocauerat, ſedens in throno ſuo aſcendentem Cardinalem throni gradus ad oſculum pedis, manus, & oris excepit. Inde à ſingulis Patribus ad oris oſculum eſt receptus, quos omnes per ſubſellia diſpoſitos per ordinem eſt amplexus, & cum veneratione deoſculatus; poſtremò inter cæteros Patres ſibi locus eſt datus, qui ex vocationis ſuæ ordine ſibi obueniebat. His peractis dimiſſus eſt Senatus, & Cardinalis domum reductus, quam in Pelliciano triuio* C *mercede ſibi conduxerat; is modus ſeruari ſemper ſolitus eſt, cum primùm Cardinales recipiuntur. Veniebat autem tunc ex Hungaria, vbi multis annis fuit in conſilio Matthiæ Regis, cuius auſpicijs, virtute tamen duce, & fortuna comite eam dignitatem adeptus eſt: ſed non erit abs re de hac parte nonnulla recenſere. Fuit hic vnus ex diſcipulis ſanctiſſimi, & religioſiſſimi viri Io: Capiſtrani ex ordine Minorum S. Franciſci; nunciatoris diuini verbi ſua tempeſtate celeberrimi, quo inter arma Chriſtiana apud Belgradum defuncto, vt eſt nota hiſtoria, cum Hungaris manſit, magiſtri ſui diſciplinam, & vitam continuans; qui perſpecta vitæ huius integritate, in veneratione, & pretio eum habere cœperunt. Veniens igitur pau-* D *latim in Regis notitiam, miſſus eſt aliquoties ad vicinos Principes, cum graue aliquod negotium tractandum acciſſet. Sedente Paulo II. viri huius odor ad nos vſque peruenit: vocauit illum ad ſe Pontifex, vſuſque eſt multum opera ſua ad placandos Reges Poloniæ, & Hungariæ, tunc inter ſe propter regnum Bohemiæ diffidentes; quod uterq. propter hæreſim damnato Podebratio ad ſe pertinere contendebat. Remiſſus, & reuocatus eſt pluries, ſemper ita ſe gerens, ut Romani Pontificis de illo iudicium augeretur in dies, & Hungaro gratior efficeretur. Vacanti Alben. Eccleſiæ a Rege poſtulante præficitur; ad Agrienſem maioris dignitatis, & cenſus inde transfertur, quotidie magis Regi acceptus, adeò ut unus ille Regis conſilium ubique ab omnibus diceretur, & haberetur. Cum autem Apoſtolica Sedes dare illi nationi Cardinalem unum decreuiſſet, & multi Præſules regni auctoritate, & ope clariſſimi ad eam dignitatem aſpirarent, in hunc ſolum uertit ſe Rex, & officia ac ſtudia ſua omnia ad huius amplitudinem contulit; vel hunc, uel nullum ſe recepturum aſſerens. Tandem ſuperiori Anno maximo fauore Pontificia, ac Regia Curia Cardinalis creatur, & titulus SS. Sergij, & Bacchi ei* A *confertur.*

31. *Nolite theſaurizare uobis theſauros in terra: ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur.*
Matth. 6.



PEtrus Foſcarus patritius Venetus nepos Franciſci Foſcari, qui per Annos quatuor, & triginta, ſumma cum gloria Venetæ Princeps præfuit B Reipublicæ. Ab eodem patruo Primicerius electus Ducalis S. Marci Venetiarum, vir eloquẽs, & more Foſcaræ Gentis (cui Natura eloquentiam cognatam detulit) Religionem Catholicam ore promouit, & exemplo pietatis. Anno circiter vigeſimo poſt obitum patrui Principis Franciſci Foſcari, virtutis merito, à R. P. Sixto IV. ad purpuram aſſumptus Presb. tit. *S. Nicolai inter Imagines*, die 4. Idus Decemb. 1477. eodemq. Anno (teſte Vghello) Diaconus Cardinalis S. R. E. atq. Epiſcopus Patauinus aſſumitur. In quo geminus error elucet Vghelli: quòd in Diaco- C num Cardinalem Foſcarus aſſumptus fuerit; Presbyter namq. promotus fuit, & non Diaconus. Secundo, quòd eodem Anno purpuram ſit aſſequutus, & Sedem Patauinam: cum tamen Cardinalis dictus fuerit Anno 1471. (lege *in Paulo II. p.* 20.) Sedes verò Patauina vacauerit ſolummodò Anno 1481. non ſolùm ex eodem Vghello, ſed etiam ex publicis Venetorum monumentis: in quibus legitur, quòd cum Reſpublica perſonam idoneam nominare decreuiſſet pro regimine Eccleſiæ Patauinæ; reformato poſtea decreto, quo pro Italiæ libertate fædus, & amicitia cum Romano Pontifice colenda imponebatur aduersùs externas nationes; ſuffragiorum ex- D perimento expoſita fuit electio Petri Card. Foſcari ſacta à Romano Pontifice Sixto IV. & nutanti primo votorum experimento; repetitis ſuffragijs Senatus non diſſenſit ea tamen expreſſione, *Sedem meritis, & conditionibus dari perſonalibus Petri Card. Foſcari; non dignitati: ne in poſterum Eccleſia illa futura eſſet Cardinalium Commenda.* Suæ in Epiſcopum Patauinum aſſumptioni diu non ſuperuixit Foſcarus. Romæ namque deceſſit die..... 1485. caſſa plumbea incluſus cum inſcriptione.

*Pe-*

*Petrus Foſcarus S. R. E. Cardinalis.*

Petrus Iuſtinianus *lib. 9. H. Veneta*, vno verbo, tanti viri virtutem expreſſit dicens: *Creauitq. Sixtus IV. Pontifex complures Cardinales, in quorum numero fuit Petrus Foſcarus inſignis Patritius*. Eius effigiem ſuſpicere eſt, non ſolum in aula Primiceriorum S. Marci Venetiarum; ſed in *Magna domo Foſcarorum*, apud quos imago picta crumenam verſans auro plenam: forſan ad annuendam in pauperes charitatem, qua vir excellebat liberalis, crumena ſemper aperta egenis nunquam clauſa. Emit Petrus à Bagarotis Regium illud Palatium, quod Patauij iuxta Patres Eremitanos S. Auguſtini, *Arenam* vocant, abſoluitque ſtructura nobili, Eccleſia adiecta, annuo mille Coronatorum reddit u dotata; cuius Patronatus familiæ eſt Foſcarorum. Vir eloquens, & grauis litteraturæ, copioſam cum collegiſſet Bibliothecam, eam moriens Eccleſiæ legauit Patauinæ.

32. *Ecce duo gladij hic*. Lucæ, 32.



PAulus Fregoſius, vel Fulgoſius ex Protonotario Apoſtolico, Iacobo imperiali ſublectus Archiep. Ianuenſis, die 7. Idus Feb. 1453. pater [teſte *Spondano An.* 1488. *n.* 9.] Fregoſini Fulgoſij (qui vxorem duxit Claram Ducis Mediolani filiam) vir egregius ad qu[illegible]que natus. Eodem Anno 1453. ſi V[illegible] vel 1462. cum Leandro Alberti *de*-*ſ*[illegible]ria expulſis Gallis; Carolus Rex F[illegible]ta claſſe cum ſeptem armatorum m[illegible] ſub iugo conſtringeret; Ianuenſes[illegible]nium ſuffragijs, Ianuenſi Reipublicæ [illegible] Fulgoſium Archiepiſcopum dedere Ducem, qui [illegible] collecto millite in Gallos irruit, propugnataq. libertate, hoſtem ignominioſè fugauit; occiſis propria manu quindecim audacibus viris qui cedere nolebant. Poſt Annum Ducatu expoliatus à Ludouico Fulgoſio nepote; aduerſùs quem recollectis viribus imperium redemit, Anno 1463. quo tempore Adorni, & Fulgoſii pace iurata, expulſis omnimodè Gallis, Inſubrum manu, claues tradiderunt Duci Mediolanenſi, qui Ianuenſibus legem dixit vſque ad Annum 1478. quo tempore, reiectis Mediolanenſium præſidiis, Ianuenſes Ducem ſibi crearunt Baptiſtam Fulgoſium, qui Annis quinque Reipublicę præfuit iuſtè, & humaniter. Anno 1480. D cum Turcæ Hydruntum occupaſſent; Sixtus IV. vt irruenti tyrannidi obicem poneret, Paulum Fulgoſium magni nominis virum Cardinalem creauit, tit. *S. Sixti* vel *S. Anaſtaſiæ*, claſſiq. præfecit, quam inſtruxerat aduersùs Barbaros, vt vrbem redimeret ab eis in Apulia occupatam, tota trepidante Italia; Nil tamen actum; contenti Turcæ, vrbem valido firmaſſe præſidio, eum claſſe rediere Byzantium; vbi Mahometis II. mors anſam dedit Hydruntinis paciſcendi cum Chriſtianis, acceptoque commeatu in Greciam redeundi. Quo metu ſoluti Itali ad bella rediere ciuilia. Romana autem in Curia, hac occaſione, officia facta venalia; affinium poſtea, & conſanguineorum Pontificis ditandorum luculenta fuere materies. Ex tanto apparatu adulatio collecta; eumq. Fulgoſius nec hoſtem vidiſſet, carmina retulit ſequentia, auctore Sigiſmundo Donato.

*Æquoream Paulus claſſem ducturus in altum*
*Hoſtibus atq. ſuis damna daturus erat.*
*Illi autem tutis ſe continuere latebris,*
A *Atq. ſibi tacita conſuluere fuga.*
*Atq. ita dum pugnam detrectauere, fatentur*
*Victos ſe unius eſſe timore uiri.*
*Quid faceret Dux iſte manu fera bella capeſcens?*
*Hoſtem ſi ſolo nomine terrefacit?*

In premium huius expeditionis accepit etiam Eccleſiam Adiacenſem In Corſica regendam Anno 1481. qua poſtea adminiſtratione cum cæteris dignitatibus, quas fuerat cōſecutus, à Sixto IV. & purpura expoliatus in publico Conſiſtorio, Vghello teſte *to.* 3. *Italia*, *in Ep. Adiacen. p.* 597. Anno verò 1483. diſſidio inito cum Duce Baptiſta Fulgoſio, B nepote ſuo, Ducatum Genuenſem arripuit tertiò, ſpoliato nepote, qui patrui tyrannidem ſequentibus ſuggillauit, *lib. 9. p.* 335. *Poſtrema in parte eorum, quos proditio fecit inſignes dignus erat qui commemoraretur Paulus Fulgoſius Cardinalis Genuenſis, patruus meus: ſicuti etiam ſcelere, atque perfidia, grauiora quàm alij admiſit: nam cum opera mea Cardinalatum accepiſſet, à quo imperitia, atque vita turpitudine prohibebatur, quemadmodum patris quoque mei ope, ad Genuenſem Archiepiſcopatum conſcenderat, haud incongruum erat, vt poſteritas intelligeret eum illum eſſe, qui patris mei meiſque ſtipendijs enutritus, dignitate honeſtatus, ac parentis loco à me cultus, mihi nepoti, atq. eius honorum, bono-* C *rumque authori, item quod ad ſæculare imperium pertinet, domino, proditione ac ſcelere in patria principatum ademit; quem tamen cum ipſe malè adminiſtrando, ac nimia illegitimi filij in ciues ſuperbia retinere non poſſet, emendationi tanti ſceleris proximum erat vt quod impiè ademerat, mihi, agnito tandem errore, reſtitueret; ſed ſceleri aſſueto in mentem nihil venire poterat, quod vel virtutem ſaperet, vel vitæ emendationem aliquam pollicere-tur. Itaq. ita actum eſt, vt penes eum, ex principatu, prater eius mihi per ſcelus adempti infamiam, nihil remaneret. Inurenda igitur hæc eius memoriæ nota erat, ſed maiorem modeſtię meę dicendi de eo, quàm ipſe in me agendo, ſui ipſius habuerit rationem, habiturus ſum.*

Baptiſtæ ſpolium Anno contigit 1483. quo tempore Paulus Ducatū Genuæ arripuit tertiò, & circà hunc cardinē verſata eſt Reſpublica penè vſque ad interitum. Hoc tempore crederem expoliarum à Sixto R. P. cum eius ratio gerendæ Reipublicæ ciuibus non ſatisfaceret propter ſuperbiam, obq. impotentem dominatum, vehemens in ſe odium concitaſſet, ad acriora remedia ſalutis ſuæ comparanda animum adiiciens, quæ ſimul ad inimicos ſuos principatu patriæ arcendos, ſi forte ab ipſis deiiceretur, va-

valerent; perſuaſit ciuibus, iugo iterum ſe ſe ſubdere Mediolanenſi, vbi tunc Ludouicus Sfortia cognomento Morus præualebat, Legatos miſit, qui nuptias impetrarunt Claræ Galeatij Ducis ſororis nothę cum Fulgoſino, vel Fregoſino Pauli Cardinalis filio. Hac re commoti aduerſarum factionum Genuenſium duces, quòd ea affinitate, ſubſtrati viderentur pedibus Cardinalis, in eum coniurarunt, & in arce obſederunt. Vrgente obſidione, ex irruptionibus, & eruptionibus tot cædes, incendia patrata, vt nulla maiora ab inimani barbarie expectanda fuiſſent. Hinc Ciues conſilij inopes, per Legatos Carolum Francorum Regem ſollicitarũt, A cum ſubſidio accurrere: Pontificem etiam Innocentium VIII. oratum miſerunt, vt ſoli miſertus patrij, ſubleuaret oppreſſos. Nil tamen impetratum: in Sfortiæ poteſtatem vrbe redacta; Paulus abdicato Ducatu, Romam ſe recepit, vbi multis adhuc vixit Annis vir viuidi, ac peracris ingenij, ſed mali prauiq. (inquit *Foliet. l. 11. Hiſtor. Genu.*) ſacrę profeſſionis ac Sacerdotalis muneris nunquàm memor, ſed per omnem viam inquinatus facinoribus, ſuorumque ſanguine ciuium. Ita Spondanus *An.* 1448. *n.* 9. Paulo aduerſus, quòd Gallos Genua expuliſſet. Duabus itaque nauibus Romam nauigans, naufragio penè ſuccubuit, nauium vna ſubmerſa, altera B quaſſata & ſemilacera Centumcellas ſeminaufragus venit. Mortuo Innocentio VIII. comitiis adfuit Alexandri VI. à quo in Campaniam legatus, ibi conſenuit. Romæ obiit, die Iouis 22. Aprilis 1498. ſepultus in Eccleſia SS. XII. Apoſtol. abſq. epitaphio, ſola ſui nominis gloria contentus inter bonam, & malam famam.

Ciaconius, Vghellus, Garimbertus, Pius II. in Commentar. Victorel. Auber. Contelor. Petrus Bizarus *hiſtor. Genuenſi.*

33. *Qui acervat ex animo ſuo iniuſtè, alijs congregat: & in bonis illius alius luxuriabitur.*

Eccl. 14.



COſmas de Melioratis ex matre Romana Vrſina, ipſe natu Neapolitanus, Innocentii VII. P. M. gentilis ex parte matris Vrſinæ, propterea Vrſinus dictus, monachus Ordinis S. Benedicti, ex Abbate Farſenſi, & Archiepiſcopo Tranenſi, Presbyter Card. aſſumptus tit. *SS. Nerei & Achille*, An. 1480. Idib. Maii, à Sixto IV. Breui purpuram tenuit, nam die Mercurii, 11. Kal. Decemb. D 1481. apud Brachianum Virginii Vrſini oppidum, vita migrauit. Cadauer Farſam relatum, ſub marmoreo iacet ſepulchro, ſi vera proferunt Ciaconius, & Panuinius: Auberii namq. non ſolum Cardinalem negat, ſed etiam Abbatem Farſenſem, & Tranenſem Archiep. quòd huic Eccleſiæ Latinus Vrſinus prę̨eſſet. Sed fallitur; cum iſte prę̨mortuus eſſet, Anno Sal. 1477. Plures Coſmas congregauit diuitias: in quibus affines luxuriauere; cum inteſtatus deceſſerit.

Scipio Mazzellus *hiſtor. Neapol.* Franc. Sanſouin. *de famil. Vrſina, par. 2. p. 5.*

34. *Qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam; & obuiabit illi quaſi mater honorificata.*

Eccl. 15.



CArolus I. filius Borbonii Ducis IV. & Agnetis à Burgundia filiæ Ioannis Burgundionum Dynaſtæ, Briotum Dominus, Canonicus, & prę̨centor Eccleſiæ Lugdunenſis, cui quinque fuere fratres; inter quos Ludouicus Borbonius Princeps Leodienſis & Epiſcopus, & Carolus II. Borboniorum, & Aruernorum Dux, Comes Franciæ ſtabuli, & magnus Cubiculariorum Regiorum Prę̨fectus. Eidem fuere quinque ſorores quinque Ducibus nuptæ, quarum poſtrema Margareta Borbonia Philippo nupta Comiti Breſſię; poſtea Duci Sabaudo, mater Philiberti Emanuelis Ducis Sabaudi, & Ludouicę Sabaudiæ Duciſſę En- B goliſmenſium, genitricis Franciſci I. Francorum Regis.

Prę̨ſul Claromontanus Anno 1476. die X. Martij poſſeſſionem ſubiit per procuratorem, & præfuit Annos XIII. ſuffraganeo vſus Bertrãdo Ep. Bethleemitico. Archipræſul Lugdunenſis, Epiſcopus conſecratur An. 1470. à Ioanne Cordis Archiep. Bituricenſi. Adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ Burdegalenſis, ſuſcepit è ſacro fonte Carolum VIII. Regem Gallię, apud quem in deliciis fuit. Presb. Card. tit. *S. Martini in Montibus* dicitur à Sixto IV. Cardinalium promotione tertia; die 15. Kal. Ian. An. 1476. Legatus Auenionenſis, & Comitatus Venay- C ſini; Gubernator à Ludouico XI. conſtitutus Lutetiæ Pariſiorum. Pariſijs defunctum, & apud Cæleſtinos ſepultum Ciaconius refert, 13. Septemb. 1488. Lugduni verò in æde D. Ioanni ſacra, ſepulchro marmoreo, in capella ab eodem ædificata vnà cum Palatio Archiepiſcopali, Frizonius: quo teſte, Carolus emblema erexit, manum cum enſe flammeo ſub lemmate, *Ny peur, ny deſeſpoir*: ideſt, *Nec metus, nec deſperatio*. Fuit idem emblema etiam Carolo Cardinali à Lotharingia, ſub lemmate tamen diuerſo, *Auctor ego audendi*: Plura de iuſtitia huius Principis, Galli referunt Hiſtorici.



Digitized by Google

*35. Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te: & quæ paraſti, cuius erunt?*
Lucę 12. n. 20.



FErricus, vel Fridericus de Clunii, apud Æduos natus patre Guillelmo Domino de Montelon & de Raignii, matre Franciſca de Meſſeii, adoleſcens artibus incubuit liberalibus, Iuriſprudentiam calluit, Doctoris A inſignia Bononiæ ſuſcepit, Patauinæ & Ferrarienſi Accedemijs, famæ celebritate cognitus in Galliam rediit, dum eius frater Guillelmus Antiſtes eſſet Pictauienſis, & ſuffraganeus Henrici à Lotharingia Morinorũ Præſulis. *De Comine lib. 5. c. 17.* Fuit Ferricus Eccleſiæ Eduenſis officialis ſub Epiſcopo Ioanne Raulim: nomine Comitis de Charrolois, Capitulum conuenit Cabilonenſe, vna, & altera oratione, Anno 1461. vt Ioannem Pauper Canonici Cabilonenſes in Epiſcopum eligerent, ſuada felici. Protonotarius Pij II. R. P. poſtea Cancellarius Velleris Aurei ſub Philippo Bono Burgundionum Duce. Carolo & Maxi- B milianο Burgundiæ Ducibus conſilio adſuit. Pręſul electus Tornacenſis 22. Maii, 1474. auctor fuit Collegii Tornacenſis in vrbe Patauina. Plures legationes expleuit, præcipuè ad Paulum II. R. P. Cæſarem, Reges Angliæ, & Galliæ. Sacro Baptiſmate tinxit Margaretam Auſtriacam Maximiliani Cæſaris ex Maria Burgundica genitam, An. 1480. Bruxellis. Cardinalis ſecundò creatur à Sixto IV. An. 1480. Idibus Maii, in ſexta Cardinalium promotione, cum antea à Paulo II. Anno 1471. vnà cum Petro Foſcaro Veneto, Io: Bap. Sauello Romano, & Io: Strigonienſi electus fuiſſet Cardinalis, ſed non publicatus. morte interueniente Pontificis: pro- C pterea iuxta Eugenii Extrauagantẽ inter Cardinales non recenſitus. Sixtus verò IV. conſideratis moribus egregiis, eruditione, prudentia, religione, ſapientia ſingulari, nouem poſt Annos ſecundò creauit Cardinalem Presb. tit. *S. Vitalis*. Diem clauſit extremum morte repentina, die 7. Octob. 1483. poſtquàm cum Cardinalibus rei Diuinæ interfuiſſet, & læto animo, hilariq. vultu ad ædes ſoſpes remeaſſet, ac in prandio cum familia egregiè inſtituta Diuinarum rerum diſputatione animum exhilaraſſet, paulo enim poſt meridiem occubuit; vt ex oratione funebri Ioannis Antonii Ep. Alexandrini, cauſarum ſacri Palatii Auditore, Romæ habita Anno D 1483. coram frequentiſſimo Purpuratorum Senatu. Orationis hæc clauſula: *Hic raro, aut nunquàm dignioris viri funus celebrauimus.*

Lege Ciaconium, Victorellum, Frizonium; Garimbertum *l.* 4. Auberii, Claud. Robertum. Romę ſepultus iacet in Eccleſia S. Mariæ de Populo, vt ex epitaphio. Eius in funere perorauit Io: Antonius Ep. Alexandrinus, Auditor cauſarum Sacri Palatii.



Epitaphium.

*Hic iacet Dominus Ferricus de Cluniaco natione Burgundus, I. V. Doctor, tit. S. Vitalis Presb. Card. Epiſcopus Tornacenſis, qui obijt die Martis ſeptimo Octobris, An. S. 1483. Orate Deum pro ſalute animæ eius.*

*36. Tunc hi tres quaſi ex vno ore laudabant, & benedicebant Deum in fornace*, Dan. 3.



HElias de Bourdeille in Petragoricenſi prouincia à Vicecomitibus de Bourdeille genitus, Aroaldi filius Pro Regis in Petragoriis, teſte Frizonio. Deo aſſlante, ab incunabulis etiam inter pueros ſed ſerio Religionem meditatus, ſeptennis adhuc poſt frequentia colloquia cum P. Bertrando de Cambort Franciſcano, in caſtro d'Agonac, D. Franciſci regulam profiteri voluit, fruſtra reclamante matre Ioanna de Chambarlac. Annos decem natos fit Minorita, & in Tholoſano conuentu, ſtudiis Theologicis, & Philoſophicis deditus; annos natus vndę viginti, ſpatio octo dierum theſes ſuſtinuit propoſitas in Capitulo generali illic celebrato. In cænobio Mirapicenſi primas habuit prædicationes. Theologus factus egregius, per B obitum Goſredi Berengarii d'Arpairu, ad Epiſcopatum vocatur Petragoricenſem, ſed Annos ſolum viginti quatuor natus ętatis ſuæ obyciens Elias, à Pontifice diſpenſatur, & a Cardinale S. Crucis inauguratur. Tres Elias habuit Cardinales Societas Minorum S. Franciſci, quos ne confundas, diſtingue tempora, nempè ſub Innocentio VI. Heliam de S. Heredio P. C. tit. *S. Stephani Ep. Oſtienſem.* ſub Clemente VI. Heliam de Nabunal P. C. *S. Vitalis*, ſub Sixto IV. Heliam de Bourdeille P. C. *S. Lucia in Silice*.

Captus Elias ab Anglis, duce Gramontio Anglo (teſte *Du Puy in Ep. Petragoricen.*) patienter ſemper C inter hymnos, & cantica tulit ęrumnas, donec à Petro Bertrando Archipręſule Burdegalenſi, libertati reſtitutus, poſt aliquot Annos Petragorium rediit, vt alter Athanaſius Alexandriam, ſpiritu feruens & zelo Elię prophetæ. Ibi Eccleſiam S. Aſterii reſtituit, maiorem ędium S. Georgii partem exędificauit in ſuburbiis, Altare maius templi principis erexit. Archipręſul Turronenſis, oſtro inſignitus Presbyoetali tit. *S. Lucia in Silice*, in ſeptima Cardinalium promotione, die XVII. Cal. Septemb. 1483. nullum edidit lętitiæ ſignum (teſte *Rodulpho Toſſiniacen. lib. 2. hiſtor. Seraph.*) purpuram tamen reueritus reſpuere non auſit, neque deferre, nec Romam pe- D tere; ſed octauo ab honore delato, menſe, in Cælum (vt piè creditur) migrauit dię 5. Iulii, 1484. ſepultus in Eccleſia Turonenſi. Anno 1526. Ætatis ſuę LXXVIII. & Franciſcanę Profeſſionis, LXVIII. Auctoritate Ioannis de Planis, Petragoricen. Præſulis inquiſitio facta de eius vita, & miraculis, vt Diuorum numero adſcriberetur. Eliæ vitam reliquit poſteris ſcriptam Petrus de Boiſmerin, qui ei fuerat à ſecretis, & Confeſſionibus. Scripſit.

*De auctoritate Papæ*
*De concordato circa Beneficia Galliæ*
*Decreta contra Detentantes*
*De abrogatione Pragmaticæ Sanctionis*

Poſtremum hoc Pragmaticæ abrogandæ ſcripſit, occaſione Ioannis Balue Cardinalis Andegauenſis, & Guillelmi Harauecurrii Epiſcopi Verdunenſis, quos Ludouicus XI. Rex Gallorum carceri dederat. Ambaſiam ad Regem profectus, Ipſam conquerens immunitatem Eccleſię; iudices potiùs Roma euocandos cum ſuaderet, qui Curiæ ſæculari poteſta- A tem facerent inquirendi in Epiſcopum & Cardinalem, nec audiretur; publicis affixis edictis monuit ſub pœna anathematis,nè præſumerent Eccleſiæ violare libertatem. Senatus ex aduerſo grauiter concitatus, Archiepiſcopo mandauit, vel Cenſuras reuocaret: vel fructibus Archiepiſcopatus Fiſco adiudicatis, reus læſæ Maieſtatis Archiepiſcopus ſiſteret in iudicio, Ab hac die [teſte Claudio Seyſſel *hiſtoria Regis Ludouici XI.*] Rex ab Elia abſtinuit tanquàm Regni inimico: cum antea eum haberet à Confeſſionibus.

Sepultus iacet in Eccleſia Turonenſi in exemplar Prælatorum, ne dignitates præſens eccleſiaſti- B cas.

Lege Garimbertum, Ciaconium, Victorellum, Frizonium, Panuinium, Aubetii, in Annal. *& De ſcriptor*, Gaſpar. Iongel. *catal. Card. Min.* Spondanum, Contelorium. Vvadingus in *Annal. Minor.* vocat *Cardinalem ſanguine nobili, Archiepiſcopum virtutibus quoque & miraculis illuſtrem*. In Franciſcano Martyrologio, ab Arturio à Monaſterio, 3. Non. Iulii. *Beati* titulo cohoneſtatur.

Gemina huius Cardinalis recurrunt inſignia; alia ex Frizonio; ex Ciaconio altera.

37. *Contemplatus ſum omnes labores hominum, & C induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua.* Eccl. 4.



IOannes de Comitibus Domicellus Romanus ex Archiepiſcopo; cum annum ageret ſeptuageſimum ætatis ſuę, inter Card. Presbyteros aſſumitur tit. *SS. Nerei, & Achillei*: poſtea *S. Vitalis tit. Veſtinæ*, die 15. Nouem. 1483. ſeptima Cardinalium promotione. Quàm ardua virtuti ſemita di- D gnitatum, in Curia præcipuè Romana! ſuſpice Cardinalem de Comitibus, qui per tot promotiones à Pontificibus factas, non niſi ſenex & longæuus purpura ornatur, vt ea cineres cooperiret. Commendatam habuit Eccleſiam S. Hadriani, & ſenex comitijs interfuit Innocentii VIII. & Alexandri VI. quamuis Auberii, à Cardinalibus reijciat: eo quòd Philippus Bergomenſis illius ęui ſcriptor inter Cardinales Sixti IV. Ioannem de Comitibus non recenſeat. Romæ migrauit octogenarius, die 20 Octob. 1493. & in Ara Cæli, humo datus.

*Contelorius. Ciaconius. Panuinius. Auberij. Victorellus,*

38. *Circumuenıamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis; & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.*
Sap. 2.



IOannes Moles à Margaritis, Hiſpanus, ciuis, & Epiſcopus Gerundenſis, in Catalaunia, non ſolùm humanioribus exultus diſciplinis, ſed Theologicis, iuuenis cum eſſet, fortunam Romæ experiri voluit, non indignante Nicolao V. à quo inter Clericos Cameræ Apoſtolicæ aſſumptus; inter eos ſcilicet, qui participes erant redditum Eccleſiæ Romanę. Papa itaque iubente ad ineundam Clericatus profeſſionem profectus ad Camerarium Ludouicum Cardinalem Aquileienſē (vt mos erat) non ſine indignatione Camerarij repulſus, & inſignibus expoliatus ad Papam rediit, vt de facto ſpoliatus, de facto reſtitueretur. Annuit Papa, cuius Decretum ni mitigaſſent amici Cardinalis Aquileienſis, & pro eo humiliter interceſſiſſēt, degradatus iſte abiiſſet. Miſſus inde Ioannes ad Alphonſum Neapolis Regem, pacem reintegrauiteum Romano Pontifice intercitam miniſtrorum incuria. Poſt obitum Nicolai V. ad Ioannem rediit Nauarrę Regem, filiis eius etiam non ingratus, cum quibus fuerat enutritus, Propterea eius nomine ad Principes miſſus Papam, Regem Neapolis, Ioannem Andegauenſem, Florentinos, ſub Pio II. Orator adſuit Mantuano Concilio pro Alphonſo Rege. Tandem à Ferdinando miſſus ad Sixtum IV. vt Legatum impetraret in Turcas, qui Hydruntum occupauerant, cum eodem tempore Sedes vacaſſet Gerundenſis in Iberia, Arragonum intercedente Rege, Ioannes fuit honeſtatus, & paulò poſt purpura etiam Presbyterali rit. *S. Vitalis* mox *S. Balbinæ*, Anno Sal. 1483. promotione Cardinalium ſeptima, plaudente Purpuratorum Senatu, vt locus eſſet virtuti, & prēmium laboribus. Legationem eum obiiſſet Sedis Apoſtolicæ in prouinciis Campaniæ, & Maritimæ; mortem Romæ ſubiit ex calculo, Non. Nouem. 1485. ętatis ſuæ LXXX. Pontificatum ineunte Innocentio VIII. ſepultus in æde S. Marię de Populo, Poſteri eius in templo S. Spiritus, Neapoli memoriam poſuere ſequentem,

*Ioanni Moles S. R. E. Cardinali*
*Gerundæ in Iberia illuſtri genere orto*
*Eloquentia, doctrina, ac pietate inſigni*
*Diſcordijs inter S. Pontif. Nicolaum V. & Alphonſum Regem 1. ſua ſolertia ſedatis; Regum Arragoniæ & Caſtellæ ad Pontif. M. Pium II. ac Sixtum IV. alioſque Principes, & Reſpublicas ad earum bella pacanda Oratori, atq. Italiæ pacis compoſitori,*

Ia-

*Iulius Moles.*

*Ne tanti viri ſuagentis poſt Annos CXXV. memoria periret P. MDCVII. Roma lucem amiſit. Nonis Nouemb. An. MCDLXXXIV.*

Huius Cardinalis inſignia tres *molæ* ſunt *frumentaria* in dexteris, in area cærulea: materna verò tres *Rota* a ſiniſtris, ſeu *margarita* & hoc contra Oldoinum qui ordine ſubuerſo legitimo, dexteram inſignibus dedit maternis; ſiniſtram verò paternis. Cætera adduntur huic ſtemmati, ex priuilegio Ioannis A Regis Arragoniæ in gratiam Bernardi Margarit fratris eiuſdem Cardinalis: cuius priuilegium non tranſcripſimus, quòd geſta perquiramus Cardinalis, non familiæ: de cuius origine ſplendore, ædibus Neapoli extructis, Titulis, Feudis lege Nicolaum Garziam de Londogno in Synopſi Geneſis *par.* 1, 1 glorioſo monimento *Franciſci Moles* Patere ducis nepotis ex integro fratre noſtri Cardinalis, ad Venetam Rempublicam Oratoris pro Carolo II. Hiſpaniarum Rege, nunc autem a ſecretis, Regi ſuo.

Scripſit Moles *Hiſtoriam Hiſpaniæ*, quam inſcripſit *Paralipomenon*.

*De Optimo Principe*

Quædam *in humanioribus*,

Ciaconius, Panuinius, Porreg. *elog. Card. Hiſpan.* Vghellus, Garimbertus, Victorellus,

39. *Cum adhuc iuuenis eſſem, priuſquam oberrarem ſapientiam palam quæſiui in oratione mea.*

Eccl. 51.



IO: Iacobus Sclaſenatus, Inſuber, Mediolani in Italia natus Anno 1450. humili genere (*ex Garimberto p.* 244.) non litteris, neq. diuitijs clarus, in agendis tamen apprimè aptus, moribus honeſtus, dicendo grauis, eloquio ſuauis, Palatinis gratus, & Sixto IV. R. P. charus, ex eius cubiculario, & Canonico Vaticanæ Baſilicæ Epiſcopus electus Parmenſis, Anno 1482. mox Anno Sal. 1483. cum Annum ageret ætatis ſuę ſolumodò trigeſimum tertium [ita ludit fortuna] Presbyter Card. tit. *S. Cęciliæ*, demum *S. Stephani in monte Cælio* dictus à Sixto IV. Cardinalium promotione ſeptima; cum Cardinalis Balueſè cauea ferrea, qua eum incluſerat Ludouicus XI. Rex Gallorum, Romam effugiſſet, & in curia aliquando arrogantiùs loqueretur: Sclaſenatus in dicendo natura feſtiuus, redarguit lepidè: *longo cauę ferreę domicilio tanquàm pſittacus incluſus vt modum edocereris loquendi, nondum didiciſti?* Ad ſuperos euolauit die 8. B Decemb. 1497. ſepultus in Eccleſia S. Auguſtini ſepulchro marmoreo, cum epitaphio.

*Chr. ✠ Saluat.*

*Io: Iacobo Sclaſenato Mediolan. D. Stephani in Cæli S. R. E. Presb. Card. Parmen. ob ingenium, fidem, ſolertiam, cæteraſq. animi, & corporis dotes à Sixto IV. P. M. inter Patres relato, ac fortunis undecumq. ornato, queis perpetua modeſtia, incomparabilique integritate, gnariter Annos XIV. functo Philippus Ep. Ord. Hieroſolym. fratri concordiſſ. nato 4. Id. Sept. MCCCCLI. mortuo 6. Idus Decemb. MIIID. mærens B. M. poſ.*

Gemini erroris Ciaconius arguitur ab Oldoino, in hoc Cardinali: quòd Epiſcopum dixerit Portuenſem, & Anno mortuum 1496. neutrum legitur in Ciaconio.

Ciaconius, Panuinius, Vghellus, Contelor, Victorel. Auberij, Garimber, *p.* 244. *p.* 279.

## Diaconi Cardinales.

40. *Saluum me fac Domine: quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum* Pſal. 11.



IO: Baptiſta Vrſinus Domicellus Romanus, ex Clerico Cameræ Apoſtolicæ, Apoſtolico Protonotario, Canonico Vaticanæ Baſilicæ, à Sixto R. P. D Anno Sal. 1483. Cardinalium promotione ſeptima Diaconus Card. *S. Mariæ Nouæ* dictus, poſtea *S. Marię in Dominica*: Presbyter Card. *SS. Io: & Pauli tit. Pammachij*, poſt obitum Baptiſtæ Sabelli, Archipresb. Card. Baſilicam rexit S. Mariæ ad Præſepe. Archiepiſcopus etiam Carthaginenſem, & Tarentinam adminiſtrauit Eccleſiam. Legationis munere functus eſt in Marchia Anconitana, Bononiæ, Exarchatu Rauennæ, & Romandiola. Tantum iuuat *Pontice, longo ſanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus.* Comitijs cum inter fuiſſet Innocentij VIII. Alexandri VI. huius aſſumptionis motor fuit, & petra angularis; à quo in pręmium donatus prædiuitę Borgiæ palatio cum oppido Soriani, & Bononienſi Legatione; poſtea meditante Alexandro Papa, Valentinum Borgiam nothum corona redimire Italiæ, Regulos omnes propterea neci tradere, Vrſinos pręcipuè, qui tunc temporis armis pręualebant; initio facto à Duce Vrbinate, quem Valentinus ſpecie amicitię decepit, principatu ſpoliauit: huius ruina excitati Vrſini, collectis ſignis iuxta Vrbinum irruerunt in hoſtem, cruentaq. pugna fugarunt, quamuis victoria abuſi

iouis Borgiæ decepti promiſſis, arma poſuerint, aſſumpta teſſera Pontificia. Ad Senogalliam occurrerunt Valentino Borgiæ, iuramento recepto amicitiæ, eodemque tempore periurio vincti abierunt in carcerem die vltima Decemb. 1503. Eadem die, cum duobus ſequenribus Romę, Alexander ad ſe accitum Cardinalem Vrſinum vſq. ad medium noctis ſęcum detinuit ludo, conuiuio, nuncium expectans cędis, & captiuitatis Vrſinorum. Die tertio cum nox declinaret in diem, nec adhuc aduenisset tabellarius, remiſſo Cardinali, Papa ad ſomnum receptus, iterum aduentu expergefactus rabellarij, Cardinalem ad ſe reuocauit iam ab amicis pręmonitū in tutū ſe recipere; is tamē vel iuramēto deceptus, velà ſuperis inſtigatus venit, & in aula Conclauis cuſtodiæ datus, poſt biduum in arcem miſſus S. Angeli, poſt duodecim dies, veneno contabuit, ad S. Saluatorem de Lauro, regia pompa ſepultus, ipſo iubente Pontifice, qui biſce laruis credebat mundum decipere. A

Inſignia Vrſino appobta, Borgiæ ſamiliæ ſunt, ab eodem Vrſino aſſumptá, quum palatio donatus ſuit ab Alexandro VI.

Ciaconius Pāuinius, Sanſoulnus, Victorellus Cōtelorius, G. Pennotus *hiſtor. Canon. Regul.* Paulus de Angelis *de Baſil. S. Mariæ maior.* Ioan. Iuuenal. *de ant. & var. fortun.*

41. *Quis ita deuorabit, & delitijs affluet vt ego?* Eccl. 2.



ASCANUS Maria Sfortia Frāciſci Sfortiæ I. Mediolanenſium Ducis filius, Ludouici frater Mediolanenſinm Ducis, qui malis artibus Ducatum yſurpauerat Mediolanenſem, Cardinalium omnium, qui fuerunt in Eccleſia Dei, celeberrimus, ſi luxum ſpectes, diuitias C gnatones, equos, mulos accipitres, feras, quas domi paſcebat. Cardinalis pretio creatur nupriarum, quas celebrauit Hieronymus Riarius nepos R. P. Sixti IV. cum Catharina Galeatij Ducis Mediolanenſis notba: cuius rei cauſa (teſte *Spondano*) Aſcanium Ducis fratrem ex Epiſcopo Papienſi Papa Cardinalem creauit Diaconum *S. Viti, & Modeſti*, promotione octaua, Sal. An. 1484. die 6. Martij. Inſignia porrò cum ab eodem Sixto IV. minimè recepiſſet; obitu intercedente Pontificis, dubitatum; An in proximis comitijs, ſuffragium ferre poſſet creando Pontifici? decretumq. à Patribus poſſe; D vnde voce Innocentium nominauit: à quo Sedem Nouarienſem An. Sal. 1484. perpetuo adminiſtrandam ſuſcepit; Cremenſem pariter, Papienſem, & Piſaurenſem Anno Sal. 1486. quamuis primas Eccleſias nondum inuiſiſſet venationi totus intentus. Tantis Eccleſijs Paſtoralibus Legationes adiecit in prouincia Patrimonii, Bononiæ, in Romandiola, Exarchatu Rauennæ, ad Regem Galliæ in Italia commorantem. Nec ſatur Abbatias quæſiuit S. Bernardi, ſecundo à Mediolano lapide, quam Abbatiam poſtea dimiſit, vt in ea per monachos Ciſtercienſes Septimiani monaſterii diſciplina reſtitueretur Monaſtica; eiq. Abbatiam S. Ambroſii ſibi commendatam vniuit. Tantis redditibus impinguatus, eum in vrbe vitæ tenorem inſtituit, vt in eo nil agnoſceres de Sacerdote. Liberalitate, profuſione omnibus charus venales habuit purpuratos, qui poſt obitum Innocentii VIII. ad nutum Sfortię, Pontificatum vendiderunt Roderico Borgiæ Lenzuolo Cardinali Ep. Portuenſi; in cuius tyrannidem carmina inſcripta ſequentia,

*Vendit Alexander Claues, Altaria, Chriſtum;*
*Emerat ille prius, vendere iure poteſt.*

Circumductis namq. ſuffragiis *quorum princeps Aſcanius Sfortia* [teſte Panuinio, Garimberto] *emptus proculdubio profuſiſſima largitione*, *vt* Borgia *omnium eius ordinis deterrimus*, *pro optimo Pontifex renuntiaretur*, *qui Cancellariæ munus ex ea ſuffragatione conſequutus, aliquot Annis poſt*, *exitiabilis amentiæ dignas pęnas luit*. In primo Conſiſtorio volens Alexander conſanguineos exaltare, ſed in Cardinales culpam reſundere, interrogauit quaſi per inquiſi- B tionem de qualitate perſonarum eligendarum ad ſuſtinendum onus Pontificatus; cui Iulianus Cardinalis S. Petri ad vincula repoſuit illicò Ioannem Borgiam ex ſorore nepotem Alexandri Pontificis, tanquàm idoneum, & omni exceptione maiorem, non quia talem crederet, ſed vt obicem poneret Aſcanio Sfortię, qui auctor promitionis Alexandri VI. prædominabatur in aula. Aſcanius fraudem ſubodoratus, conuenit protinus, tantiſque laudibus extulit iuuenem, vt Alexander magis de ea promotione Aſcanio, quàm Iuliano fateretur adſtrictum. Ita clauo clauum refixit, & fraude fraudem penſauit. Æmuli enim, & inimici erant Iulianus, & Aſcanius (*Garimbertus p. 418.*) Memorabile illud in Alexandri VI. Comitiis narrat idem Garimbertus p. 463. inter Iulianum, & Aſcanium; intenti ambo ad promotionem alicuius Cardinalis in Papam, qui eorum ambitionem foueret, & luxum, ad augendas factiones, violenter ex Collegio reluctante introduxerunt in Conclaue Federicum Seuerinatem Cardinalem quidem deſignatum ab Innocentio VIII. & Maphęum Gberardum Cardinalem Venetum ſenem decrepitum, & mentis minimè compotem, cui duo pedagogi dati fuerant Georgius Niger, & Franciſcus Pacius, à quorum nutu pendere tenebatur. Hunc miſerat Reſpublica, vt Iuliani rem promoueret: licet ab Aſcanio corruptus in Alexandri omnium peſſimi aſſumptione conuenerit. Tantis de cauſis ſub Pontificatu Alexandri VI. aduersùs Iulianum Aſcanius præualuit: donec Papa cognito Ludouici Sforriæ Ducis mediolanenſis fędere cum Carolo VIII. Francorum Rege, Alexander VI. Aſcanium cuſtodiæ tradidit, ex qua protinùs non ſolùm dimiſit, ne indignationem incurreret Caroli Gallorum Regis ad Vrbem appropinquantis; ſed etiam morbo decumbentem domi inuiſit.

Papa

Papa ipſe, vt conſolaretur eum. Mortuo Carolo Rege; Papa vt filium Cęſarem Borgiam ad coronam exaltaret Italiæ, cum Galliæ Rege Ludouico XII. in perniciem Sfortianę, & Arragoniæ domus conſpirauit ea tyrannide, vt cunctos Itali ſanguinis Regulos ſceleſta manu necandos ſuſciperet. Aſcanius itaq. cum Ludouico fratre tantis impar inſidijs, in Germaniam profugit: vnde mox Heluetiorum fretus phalangibus Mediolanum rediens, Ludouico fratre ad Nauariam ab Heluetiis prodito; ipſe in fugam coniectus; pari perfidia à Conrado Lando Placentino ad Ripaltam, ſupra Trebiam Venetis traditus, Venetias traducitur, & pręalto carcere cuſtoditur, dum eius frater Ludouicus pari carcere torqueretur in Gallia. Paulo poſt Aſcanium Rege à Venetis repetente; ſeptum cuſtodibus in Galliam tranſmiſerunt: quem Rex in turrim Biturigum relegauit; vbi Rex ipſe Ludouicus adoleſceus ad ſanũ Albini captus biennium, & paulò amplius concluſus exegerat: adeò varia, miſeraq. hominum conditio eſt, & fati ſui neſcia. Non his contentus Alexander, vt Aſcanium magis in terram affligeret, Cardinalatu priuauit, quem tamen, re melius conſiderata (vel intercedentibus Gallis, qui in vſum Regni, Aſcaniũ reſeruabant) purpurę reſtituit. Trienniò verò poſt ſuum in Galliam aduentum, mortuo Papa Alex. VI. Georgius Amboſius Cardinalis, qui ſe Pontificem meditabatur futurum, cum Aſcanium optimum interpretem cogitaret ad ſibi cōciliãda Patrum ſuffragia, Rege permittente, Romam ſecum duxit: at Cælum Pio III. decreuerat Pontificatum, cui breui ſublato Iulium II. ſubrogarent; qui Aſcanium fruſtra Amboſio Cardinale contradicente, in Galliam reduci vetuit, indignum ducens, Sacerdotem paterno expoliatum imperio, & inſontem carcere cuſtodiri. Ita Iulii beneficio liber factus, & priſtinæ reſtitutus dignitati, cum ad repetendum Mediolanenſe Imperium cum magno Conſaluo, & Liuiano calida in Gallos miſceret conſilia, Romæ veneno, aut peſtilentia triduo tollitur, die 27. Maii, An. 1505. Eum Papa Iulius II. cum quo adhuc Cardinali Aſcanius domeſticis altercationibus ſæpè pugnauerat, marmoreo honorauit ſepulchro, quod ad portam Flumentanam, in templo Deiparæ cum epitaphio conſpicitur.

D. O. M.

*Aſcanio Maria Sfortię Vicecomiti Franciſci Sfortia Inſub. Ducis F. Diac. C. S. R. E. Vicecancellar. in ſecundis rebus moderato, in aduerſis ſummo viro. Vix. An. L. menſ. II. D. XXV.*

*Iulius II. P. M. virtutum memor honeſtiſſimar. Contentionum oblitus Sacello à fundamentis erecto poſuit. MDV.*

Huius Cardinalis imagini Paulus Amanius Cremenſis carmina inſcripſit ſequentia.

*Hæc eſt quam mira depictam conſpicis arte*
*Auguſta* Aſcanii *effigies, magni illius inquam*
Sfortiadæ, *cui non vultu fortuna minaci*
*Vnquam animi effregit vires: eſt Gallia teſtis*
*Hadriacique Maris domini, qua mente ſuperbum*
*Quàm forti tulit imperium, captiuus, & hoſtem,*
*Quam ſe prudenti ſua à ditione redemit.*
*Conſilio, ac tandem Italiam, vacuaſq. reuiſit*
*Summi Pontificis Sedes, & Tibridis oram,*
*Ipſe vbi erat ſacri decus, & pars magna Senatus,*
*Quod ſi non atris peperiſſent pocula ſuccis*
*Dirum illi exitium, extremos tetigiſſent honores;*
*Aſt illum huc virtus, illuc ſua fata trahebant.*

Litteræ extant Angeli Politiani ad Aſcanium V. A C. Cardinalem. Extat etiam nummiſma, cuius in fronte legitur, *Aſcanius Maria Card. Sfortia, Vicecomes S. R. E. Vicecancellarius*. Ex aduerſo, effigies Cardinalis genuflexo ante Crucifixum Redemptorem, ſub lemmate: *Sacer eſt locus: ite profani*, cuſum occaſionæ molis Cathedralis, quam erigere meditabatur die 29. Iunii, 1487. in qua ipſe primum poſuerat lapidem. Eiuſdem Eccleſię ſacrarium pretioſo locupletauit veſtium cultu: eiuſque curam medio Gabriele Benienſe Epiſcopo adminiſtrauit.

Ciaconius Panuinius, Petrus Bembus *hiſtor. Ven.* Belcatius *de reb. Gallia*, Spond. Vghel. Auber. Victorel. Paulus Iouius *elog.* Garimbertus, Zurita. B Paul. Corteſius *de Cardin.* Leander Alberti in *Italia*.

41. *Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum: fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis: & vocaberis ędificator ſepium: auertens ſemitas in quietem.*
Iſai. 58.



PEtrum Gundiſaluum de mẽdoza genuit Innicus Lopez de Mendoza Marchio de Santigliana ex Catharina de Figuera coniuge, apud Hiſpanos, in vrbe Guadalaria, die 3. Maii, 1428. educauitq. optimis moribus, & eruditione ſcientiarum, nec non iuris vtriuſque Toleti, ac Salmanticę. Anno ętatis XXIV. in aulam traductus Ioannis II. Caſtellæ Regis, Epiſcopatus obtinuit Seguntinum, & Oxomenſem. Cruce porrò armatus & haſta, pro Lege & Rege copias duxit in rebelles primo deinde in Luſitanos, & primus in acie pedeſtri ſtetit aduerſùs hoſtem. Magnus Cancellarius eiuſdem Regis, eodem tempore Diaconus Card. promotus à Sixto IV. *S. Maria in Dominica*, Non. Maii, 1473. poſtea *S. Marię in Porticu*, deinde D Presb. Card. tit. *S. Crucis in Hieruſalem*. Archiep. Hiſpalenſis, mox Toleranus, Hiſpaniarum Primas, Sediſque Apoſtolicæ per Hiſpaniam Legatus, concordiam Sacerdotii procurauit, & Imperii, iuſtitia primùm aduerſùs ſeipſum. Deuotione eximia proſecutus Virginem Matrem, Templum Conceptioni puriſſimè votum à Ferdinando V. & Iſabella coniuge ob profligatos Mauros, erexit, dicauit. In vrbe Calahorræ, Eccleſiam fundauit Deiparæ, dotauit. Guadalariæ, ingentem contulit pecunię ſummam pro

pro conſtructione Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ de la Fluente; cum aliam extra eandem, Eccleſiam Deiparæ Virgini dicatam ſuis conſtruxiſſet impenſis B. Virginis de Sopretan prope Nitæ villam, largas eleemoſinas donauit viuens; moriens tantam eidem reliquit pecuniam, vt ea templum abſolui potuerit Monaſterij. In Eccleſia S. Mariæ de Guadalupe, quatuor Capellanos erexit, qui dietim in eius ſuffragium, ſacra litarent. Xenodochium Toletanum S. Crucis, item Collegium S. Crucis Valliſoletanum à fundamentis erexit. Eccleſiam S. Crucis in Hieruſalem Romæ reſtaurauit, vt ex inſcriptione ſequenti, marmori inciſa in Sacello S. Helenæ. A

*Sacra vlterior Capella dicta Hieruſalem, quam B. Helena M. Conſtant. mater Hieroſolyma rediens An. D. 320. Dominici trophæi inſignijs repertis in proprio eam cubiculo erexerit, terraq. ſancta montis Caluariæ naui inde aduecta, ſupra quam Chriſti ſanguis effuſus fuit Redemptionis humanæ pretium: cuiuſque vigore in cæleſtem Hieruſalem mortalibus aditus patuit: ad primum vſq. inferiorem fornicem repleuerit: ex quo Sacellum ipſum, & tota Baſilica, ac vniuerſa Vrbs ſecunda Hieruſalem meruit appellari: apud quam & Dominus ad illius robur fidei in Petro iterum crucifigi voluit: vbique vnius Dei veneratio, ac fides indeficiens: & Domini precibus, & Petri fauore: ad* B *vltimum vſque Domini iudicantis aduentum, in vrbe ſublimi, & valente, ac inde veriore Hieruſalem creditur permanſura.*

*Hunc ergo locum Regina ipſa multis Chriſti, & Sanctorum Reliquijs ornauit, & à B. Sılueſtro 13. Kal. Aprilis cum multiplici peccatorum venia aſſiſtantibus indulta conſecrari obtinuit. Inde centum fermè labentibus Annis Valentinianus II. Imperator filius Conſtantij Cæſaris Arcadij & Honorij Imperatorum nepos ex Sorore Galla Placidia, filia Magni Theodoſij Hiſpani in ſolutionem voti ſui, ac matris Placidiæ, & Honorii ſororis opere vermiculato eam exornauit. Inde quaſi M.C. Annis euolutis Titulus veræ Crucis ab Helena Romam delatus, qui ſupra* C *arcum maiorem iſtius Baſilicæ in parua feneſtra, plumbea theca, muro lateritio clauſus tandiu latuerat: muſiuis tamen litteris ab extra id referentibus quòd illic Titulus ſtaret, quem iam litteræ præ vetuſtate vix legi poterant. Sedente Innoc. VIII. pientiſſ. Pontifice, Anno Dom. MCCCXCII. Pontificatus ſui Anno 8. Cum bon. me. R. D. Petrus Gundiſaluus de Mendoza nobiliſſ. Cardinalis S. Crucis in Hieruſal. Toletan. primuſ. Tectum Baſilicæ iſtius, & muſiuas illas litteras feneſtræ reparari faceret, Fabris bitumen, quo litteræ figebantur indiſcretè detrahentibus, aperto feneſtræ foramine contra eorum, & Cardinalis beneplacitum glorioſus Titulus veræ Crucis poſt tot Annos ab Helena Romæ viſibilis apparuit. Eaque die Magna Gra-* D *nata olim dicta.*

E vita migrauit in vrbe Cataca Hiſpaniæ, tertio Id. Januar. 1585. ætatis ſuæ 67. graui Regum Hiſpaniæ dolore, qui ægrotantem in vrbe Guadalfaiare perſonaliter inuiſerunt, vt Sydus Hiſpaniæ luicidiſſimum, & Regum conſilijs, ac vtilitati ſemper intentum. Corpus Toletum relatum iacet in Cathedrali cum epitaphio.

*Petro Mendociæ Cardinali Patriarchæ Archipræſuli, de Eccleſia benemerito. Obijt. An. 1495. tertio Id. Ianuarij.*
*Cardineo quondam Petrus luſtratus honore,*
*Dormit in hoc ſaxo, nomine qui vigilat.*

Ægrotante Petro, Crux ſuper eius domum apparuit ſplendidiſſima, quæ tandiu ſplenduit; donec Cardinalis animam Deo reddidit. Crux à Petro exaltata in Xenodochio Toleti, & Collegio Valliſoleti, ac Romæ in Baſilica S. Crucis, benefactori ſuo parentare voluit, eiuſque animam in vlnis ſusceptam Crucifixo offerre Redemptori ſuo, Illud etiam referunt admirabile: in Hiſpania, intra ædes conſtructas ſumptibus huius Cardinalis, herbam ſpõte enaſci, quæ SS. Crucis formã referat perfectiſſimè. Ea deuotione Lignum proſequebatur Salutis, vt vbicumque illud adſpiceret, ſemper eum in genibus adoraret.

Scripſit Petrus *Hiſtoriam Salluſtij* materno idiomate, quæ apud Hiſpanos, inter pretioſiſſima familiæ de Mendoza aſſeruatur. Hiſtoriarum perſcrutator diligentiſſimus, plures Hiſpana lingua compilaſſe pro certo traditur.

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Portegruum *in elog. Card. Hiſpan.* Io: Mariana, Petrum de Salazar, Hippolytum Marracinum *in Purpura mar.* Gonzalez de Auila *in theatro Eccleſ. Caſtellæ.* Aluar. Gomes. *de geſtis Fran Ximenij.* Contelorium.

43. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5.



PEtrus de Foix, vel de Fuxo cognomento *Iunior*, Pali natus ex regio Cantabrorum ſanguine, Gaſtonis IV. filius Comitis Fluſſatenſis primogeniti ex Ioanne Comite Foxenſium, & Leonoræ Arragoniæ, quæ mortuo Ioanne Arragonio, Nauarræ regnum eſt conſequuta.

Ticini Iuriſprudẽtiæ incubuit ſub diſciplina Felini Sandei, poſtea votum dedit S. Franciſco inter Fratres Minores, teſte *Ciaconio*, ex Petro Rudolpho *lib. 2. Hiſtor. Seraph.* quod conſtantiſſimè negat Frizonius *in Gallia Purpurata*; poſtea Epiſcopus non Ouetenſis, ſed Venetenſis, placidis moribus, virtute eminens, Petri de Fuxo patrui clari nominis æmulator, ſed non aſſequutor, merita illius æquare non valuit. Plurimum tamen contulit æducationi nepotis Franciſci Phoebi Foxij Regis Nauarrei XXXIV. cumque in Regem inungi curauit in Eccleſia Pampelonenſi, die 3. Nouemb. 1482. Cecidit iſte veneno ſublatus fiſtula à prandio ludens infecta toxico, natus Annos ſexdecim. Moriens hæc verba

pro-

protulit. *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet, quia vado ad Patrem.* Miſſus Cardinalis in Nauarram à Magdalena Franciſca Phœbi matre, & ſoror Ludouici XI. Francorum Regis, ad compeſcendos tumultus excitatos à Grandimontijs, & Bellomontijs, auxilia repudiauit, & milites oblatos à Ferdinando Caſtellæ Rege. Ibidem plura pietatis, & religionis Chriſtianæ relinquens exempla, Clericos Nauarræos, & Pampelonæ Sacerdotes hoſpitio exemit Curialium, dum Rex illic ageret. Ludouicum Lerinenſem Belli montis Comitem, & Philippum Peraltam Nauarræ Polemarchum, cuius frater fuerat à Ludouico interfectus, odijs depoſitis, eadem ſacra hoſtia bipartita cõmunicauit. Cardinalis dicitur Diaconus *SS. Coſmæ, & Damiani* à Sixto IV. tertia Cardinalium promotione, Anno 1476. quinto Cal. Ianuar. Terram deſerit Romæ in Palatio Vrſino, die X. Aug. 1490. in Eccleſia ſepultus S. Auguſtini. Argumentum Ordinis non fuiſſe S. Franciſci: non enim tam facile ſepulturam delegiſſet apud Auguſtinianos, templis contemptis Ordinis ſui: ita Vvading.

Lege Ciaconium, Victorel. Iongel. *elog. Card. Minor.* Claudium Rober. *Gallia Chriſtiana.* Auber. Pãuin. Spondan. Inſignia hic appoſita, ex Ciaconio, deduximus, quæ cum Frizonio minimmè concordant.

44. *Tu uenis ad me cum gladio & haſta, & clypeo: ego autem uenio ad te in nomine Domini exercituum.*

1. Reg. 17. n. 45.



GOdetus antiſtes Carcaſſonenſis poſt Guichardum d'Aubuſſon electum à Sixto IV. Anno 1476. antea Cadurcenſem; teſte Guillelmo du Catel in *Hiſtoria Narbonenſi*, & Mayerno Turqueto *in hiſtor. Nauar. lib.* 11. Gallico idiomate, Lugduni edita; Anno 1488. *Cardinalis Carcaſſonenſis vrbes montaltum*, & Santoninũ cæpit pro Io: Albretio Catharinę Reginę Nauarræ marito contra Io: Fluſſarem, qui dominium ſupremum Bearni, & Comitatuum Foxij, & Bigorri prętendebat iure hæreditario defuncti nepotis Phębi Regis. Hæc ex Frizonio; nã apud Ciaconiũ nullũ verbum. Vexilla ducens in hoſtem, claſſicum exordiebatur ab inuocatione Dei, Domini exercituum.

45. *Puer autem Samuel miniſtrabat Domino coram Heli.* 1. Reg. 3.



IOanne Arragonius Neapolitanus, Ferdinandi Regis Siciliæ, & Iſabellę Claramontę filius, ad altaria, & pro Religione natus. Romam nondum purpuratus cum veniſſet, & pro patre, oratione ſupra ætatem graui in publico habita Senatu, ita audientium animos conciliauit, vt magna de ſe ſpe excitata, dignus purpura crederetur. Imò [teſte *Garimbert p.* 405.] Sixto IV. diſpenſante R. P. impubes adhuc Tarentinam obtinuit infulam; & Cardinalis deſignatus futurus, permiſſus in purpura incedere antequàm eſſet, galero excepto. Huic etiam idem Sixtus præter morem, Neapolim rubrum miſit galerum per Franciſcum Scannaſoricium, teſte Papienſi: *Creatus iam dum es Cardinalis, ac tribus poſt menſibus ſolemni more apud nos publicatus; pileus etiam contra veterum Patrum conſuetudinem miſſus*: quem in Eccleſia principe Neapolitana, die Epiphaniæ, An. 1478. recepit; factuſq. Diaconus Card. *S. Hadriani*, poſtea Presbyter *S. Sabinæ*, demum *S. Laurentij in Lucina.* Gratias agenti Ioanni per litteras, Sixti nomine reſpondit Papienſis.

*In diem magis de indole tua ſpem bonam concipimus.*
A *Audiuimus de te hactenus multa. Regium quoque inſtitutionem cognouimus ad mores tuos, & religionem te iuniore intentam: ſed litteræ nunc tuæ ad Nos datæ cumulum grandem huic ſpei fecerunt. Videmus circumſpectionem tuam non modò gratias pro accepto Cardinalatu meritas agere; ſed pleno affectu oſtendere, quantum noſtris laboribus debeas, & quantum ſis paratus perſoluere. Eſt prudentis animi indicium oblati honoris cognitio, & virtus ingens in alienis beneficijs gratitudo. Ad te aſſumendum paterna merita plurimum valuerunt; ſed nec in te tua bonitas vndique teſtificata minimum iuuit. Libenter te in hunc gradum extulimus, multò ante te extuliſſemus, niſi tempori fuiſſet magis quàm noſtro iudicio obſequendum.*
B *Dilatum eſt non repulſum deſiderium tuum. Tunc tandem impletum; cum nulli res obeſſe, prodeſſe omnibus eſt iudicatum. Gratulamur igitur tibi, qui dicatus iam Deo es. Gratulamur & Nobis, qui talem nacti filium ſumus. Eſſe te eo in Eccleſiam animo non dubitamus, quem nobis ſignificas, & facturum te omnia credimus, quæ tuæ litteræ continent, vt ita præſtes etiam atque etiam in Domino exhortamur. Præclara opera propria ſunt Regij generis, ac ſanguinis, nec à te Deus in Eccleſia ſua idem, quod à mediocribus, exigit. Illis ſunt ſatis æra tria in Gazophilacium poſita. Tuæ ſorti maiora conueniunt. Ideo ſic mentem, ſic actiones compara ſiti, vt quantò genere præſtas, tantò & operibus antecellas; ac quantò es maior per patrem, &*
C *domum, tantò per te ipſum benignior, & humilior videaris. Sic commendabitur in te aſſumptu miniſterium Noſtrum; ſic tu aſſumptus in publica omnium benedictione eris: aduentum hic tuum credimus deſiderari à te. Eum ipſum deſideramus & Nos. Quando ergo per Regiam voluntatem, & commodum tuæ circumſpectionis licebit, adueniendum te comparabis. Veniens verò tanta Noſtra, & fratrum noſtrorum accipieris lætitia, quanta tuis meritis, & ſpes de te concepta debetur.*

Adepta purpura, gemina legatione fungitur ad Reges Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ, vt eos cum Germanis reconciliaret. Budam cum veniſſet tertia hora noctis ad cognatum Matthiam Regem, eiuſque
D coniugem Beatricem ſororem Cardinalis, tanto apparatu, & honore exceptus fuit, vt Summo Pontifici, Auguſtoue Imperatori nil ſupra fieri potuiſſet. Tanto enim plauſu, pompaque procerum, & ſacerdotum, tot denique fanalibus; & cereis in vrbem admiſſus, vt noctem in diem verſam eſſe diceres. Fauſtis vbique honoribus ſemper exceptus, vel ſupra quàm optari poſſet: ſexto tamen menſe, ex quo venerat, ampliſſimè donatus à Rege, dimittitur. Non longè poſt Strigonium intrauit, & Archiepiſ-

piſcopatum accepit à Matthia datum. Sed cum Ioannes Alemannus, cuius ipſe ſucceſſor erat, adhuc in Cęſaris aula viueret, ſeq. in Romano foro, iure priuari non poſſe contenderet: Cardinalis prouentus omnes apud Strigonienſe Collegium deponi iuſſit; donec verus diiudicata lite poſſeſſor extaret Rogatus Ioannes, cur Archiepiſcopatu, Regnoq. temerè ceſſerit? caudati Monachi pulueres, longum ante Syrma trahentis, vltra ſe tolerare non potuiſſe, reſpondit: Gabrielem Cardinalem cauillatus quem ſibi apud Regem præferri; æquo animo pati non poterat. Quarto poſt Anno Archiepiſcopatus Arragonio ſententia iudicum addictus eſt. *Bonfinius*. A Eccleſiam etiam adminiſtrauit Salisburgenſem: in regno etiam Neapolitano Tarentinum rexit Archiepiſcopatum: Cænobium montis Caſini; S. Marię Montis Virginis prope Neapolim, commendatum habuit, cuius eccleſiam pretioſis locupletauit muneribus. Abbas, & Epiſcopus rexit Monaſterium Cauæ, ordinis S. Benedicti, cui ſubiecta erant Monaſteria in Sicilia S. Mariæ de Scalis; & S. Andreæ de Paternione. Abbas cænobij SS. Trinitatis Mileti cum annexis in Sicilia; ibidem eccleſiam, volente Ferdinando, iubente Sixto, adminiſtrauit Pactenſem. Canonicis ſęcularibus S. Georgii in Alga Venetiarum, locum Neapoli B pro extruendo cęnobio aſſignauit. Federico III. Imperatori à conſiliis, in iuuenili ętate ſenilem monſtrauit prudentiam. Nomine Ferdinandi patris Pro Rex in Barienſi prouincia ſubditos habuit obſequẽtes quaſi filios. Tantarum dignitatum onere minimè preſſus, ritus & cæremonias eccleſiaſticas ea pietate, atq. obſeruantia tractauit, vt in eis natus iiſque enutritus videretur. Romæ obiit Anno 1. Innocentij VIII; cuius adfuit comitiis, die 17. Octob. 1484. ætatis 22. patre adhuc ſuperſtite, veneno ſublatus. Humum ſubiit (teſte *Garimberto*) in eccleſia S. Cæciliæ Tranſtyberim; vel ſecundum alios in abſide S. Laurentii in Lucina, cui præerat tempore C mortis.

Ciaconius. Panuinius. Auber. Garimber. *p.* 405. Vghel. Victorel. Nicolaus Roccius *in vita Sixti IV.* Contelor. Anton. Summontius *hiſtor. Neapol.* Rocchus Pyrrhus *notitia eccleſ. Sicula*.

*46. Erat nauis in medio mari, iactabatur fluctibus.* Matth. 14.



RAphael Galeotus Sanſonus de Riariis dictus, quẽ alii Dominicum Raphaelem nominant natu Italum, patria Sauonenſem, Antonii Sanſonis, & D Violantis de Riariis filius, nepos Petri Riarij Cardinalis ex ſorore, die naſcitur tertia Maij 1460. cum Piſis eſſet ſtudiorum cauſa miſſus à Sixto IV. R. P. ab eodem ex Protonotario Apoſtolico, Anno ætatis ſuæ XVII. inter nepotes aſſumitur, agnomine communicato Riariæ familiæ, cum inſignibus gentilitijs, & Patribus adnumeratur Romanis. Præfuit primo Diaconus Card. eccleſiæ *S. Georgij in Velabro*, poſtea Presb. *S. Sabinæ*; tum *SS. Laurentij, & Damaſi*, Eccleſiæ Camerarius Romanæ, Legatus ad Vngaros; in Marchia Anconitana; Perusii in Vmbria. Epiſcopus Eccleſiam adminiſtrauit Piſanam; Lucenſem; Aretinam in Hetrutia: Coſentinam; Salernitanam Tarentinam, in Regno Neapolitano; Viterbienſem in patrimonio D. Petri: Imolenſem in Æmilia; Conchenſem & Oxomenſem in Hiſpania. Abbas rexit Monaſteria Montis Caſini, Cauę, & Saxouiui, Pro Rex prouinciam Barenſem, & Capitanatam. Pattonus ordinem Eremitarum S. Auguſtini; alijſque opulentis ſacerdotiis abbundauit vſque ad nauſeam; teſte *Vghello in Archiep. Piſanis*. Vir magnanimus, & liberalis fructus tantarum dignitatum diſtribuit more Regio, Romanorum ciuium amorem ſibi conciliando, numeroſam, & nobilem alendo familiam, in qua toto vitę curſu, ſexdecim Epiſcopali dignitati fulgentes adſcriptos voluit. Romam cum perueniſſet felix ille nuntius, Granatam Chriſto reſtitutam, quam per Annos 800. Mahumetes oppreſſerat: Raphael ad ſingularem animi lętitiam, & obſeruantiam erga Reges Hiſpaniarum, currum ſpetioſiſſimum, quo Ferdinandus, & Iſabella de Baucleli Granatæ Reges triũpharunt ea pompa, ſumptu duxit & apparatu; vt Senatus, Populuſque Romanus veteres maiorum ſuorum triumphos ſæculis noſtris incognitos renouatos crederet. Ingentibus namq. propoſitis præmiis iis, qui in Circo equites grauis armaturæ concurrerent, ſumma populi voluptate per plures dies edidit: quare Carolus Verardus, qui Granatæ expugnationem ſcripſit, Raphaeli Cardinali hiſtoriam illam dedicauit. Hæc iuxta regulam Euangelii? ipſe viderit. Architectura delectatus Baſilicam SS. Laurentii & Damaſi extruxit à fundamentis: proximaſq. ædes, *qua Laurentinum Templum laxitate ſua includentes, magnitudine, opere, materia, catera Europa adificia facile exuperare exiſtimentur*, teſte Folietta. Has cum Camerarius inhabitaſſet S. R. E. ſucceſſoribus inhabitandas reliquit in pænam initæ coniurationis aduersùs Leonem X. vt ſe è carcere expediret, vt dicam infra. In hoc templum miraculoſam Deiparæ Iconem Conceptę dictam ex eccleſia S. Saluatoris ad fornicem, propè plateam Campi Floræ, religioſè tranſtulit, ſacello erecto ſub titulo *Conceptionis*: abſidem quoque S. Mariæ de Conſolatione extruxit.

Inſcriptio.

*Raphael Riarius Sauonenſis S. Georgij Card. S. R. E. Camerarius à Sixto IV. P. M. honoribus ac fortunis honeſtatus, Templum D. Laurentio M. dicatum, & ædes à fundamentis ſua impenſa fecit. MCCCCLXXXV. Aleſſandro VI. P. M.*

In fronte eiuſdem Palatii.

*R. Riarius Sixti IV. pronepos Cam. ædes fecit. An. Sal. MDLXXXIX.*

Ex

Ex Presbyteratu ad eccleſiam translatus Albanam, poſtea Sabinam, Portuenſem, Oſtienſem, Portuenſis & Oſtienſis fabricas ſuis inſtaurauit impenſis. Tot inter felicitates vtramq. expertus fortunam, cædi ignobili & miſerrimæ innocens ſuccubuiſſet, Anno 1478. quando Iulianus, & Laurentius Medicei fratres in eccleſia S. Reparatę, primus cæſus, alter graui vulnere ſaucius, Pactiorum, & Saluiatorum inſidijs, conſcio, & annuente Pontifice R. Sixto IV. qui vt alios coniuratos timidiores, & dubios præſentia & auctoritate Cardinalis, cum fiducia maiore ad facinus ſollicitarēt, Raphaelem nuper factum Cardinalem ex ſchola Piſanâ ſecum duxerant coniurati conſcium vel igoarum? ignoramus. Coniuratione detecta, *Legatus è templo, à ciuibus in curiam ductus, ac cuſtodiæ traditus, pro viri dignitate tractatus eſt. Nuntio accepto Pontifex ſacris interdicit; quod Dei Sacerdotes, Legatumque attigiſſent, Laurentius verò vt eius placaret animum Legatum remiſit, Pontifex nihilominùs bellum Florentinis apertè decreuit.* Legatus porò quamuis libertati reſtitutus, pallorem quem ex nimio timore in vultu contraxerat, vſque ad obitum retinuit. Raphael. Volater. Paulus Iouius *in vita Leonis X.* Mortuo Sixto IV. comitijs adfuit Innocentij VIII. & Alexandri VI. ſub quo, cum Valentinus Borgia imperium vſurpare deſignaſſet Italiæ; in Feudatarios conuerſus Eccleſiæ, Cenſus non ſoluti prætextu, omnium primos adortus Riarios; poſt expugnatam Imolam, in Forum Liuij vexilla conuertit. Tentauit Catherina Sfortianę gentis, Comitis olim Hieronymi Riarij vxor, magni animi virago per litteras veneno illitas, Foroliuienſium nomine exaratas, Alexandrum tollere (teſte *Petro Delphino lib. 6. ep.* 22.) ſed fraude detecta, non ſolum de latoribus ſumptum ſupplicium; ſed fœmina ipſa captiua cecidit. Raphael ipſe Cardinalis Riarijs illis ſanguine iunctus, ſi tempeſtiuè Roma ſecedens, ſe Sarzanam, & inde Sauonam non ſubduxiſſet, vltimum forſan ſubijſſet periculum. Mortuo Alexandro, Raphael Romam redijt, *die Sabbathi 9. Septemb.* 1503. (vt in Monumentis Vaticanis) *circa horam 21. intrauit vrbem Reuerendiſſimus Dominus Cardinalis S. Georgij Camerarius, per portam Viridarij, cui iuerant obuiam omnes Clerici Cameræ, cum gente armata Collegij, omnes Conſeruatores; octo Mareſchalchi Romanorum cum ſuis gentibus, quæ gentes omnes excedebant duo millia peditum: extra portam, vltra Ponticulum venit ſibi obuiam familia Neapolitani Oliuerij Cardinalis Caraffæ; & poſt eam, S. Petri ad Vincula; intrauit vrbem cum magna lætitia omnium, & triumpho: extra Caſtrum fuerunt tracti multi ſclopetti, & clamatum Eccleſia, Eccleſia: & per viam ex domibus, maximè in via iuxta domum ſuam tracti multi ſclopetti; & à multis clamatum: Viuat Cardinalis S. Georgij.* In comitiis promouit Raphael Pium III. & poſt Pium, Iulium II. Leonem X. perſeuerans in vrbe, ea magnificentia, qua habitant Reges in tabernaculis peccatorum. Interim Alphonſus Petruccius Cardinalis Senenſis Leoni X. R. P. ſuccenſus, quòd ab eo Alphonſi frater patria, patrimonio, principatu expoliatus iaceret; veneno Pontificem tollere cogitabat tanquam ingratum, & beneficiorum immemorem. Inconſiderati iuuenis querimonias pronis auribus auſcultabant Cardinales nonnulli, inter quos Raphael Riarius, qui diuitijs, dignitatibus, menſę magnificentia prępotens ad Pontificatum aſpirabat. Conciliato itaque *Petruccius* chirurgo Pontificis, vt iſte ſpecie curandi fiſtulam veneno inficeret, pacta pecunia, in agrum ſeceſſit Latinum, relicto miniſtro, qui ſcelus perficeret; ſed detectis inſidijs; vinctus Alphonſus, & in equuleo poſitus ſocios pandit. Que-

A ſtionem audi, vt Vaticana referunt Monumenta. *Die Lunæ 22. Iunij, 1517. fuit conſiſtorium. S. D. N. propoſuit Dominis Cardinalibus velle ſe expedire negotium, & cauſam proceſſus facti contra tres Reuerendiſſimos Cardinales, videlicet Raphaelem de Riario Epiſcopum Oſtienſem, & Bendinellum tit. S. Mariæ in Tranſtyberim, Presbyterum, & Alphonſum S. Theodori Diaconum Cardinalem, propter quatuor crimina per eos contra Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam perpetrata, quorum quodlibet erant crimen læſæ Maieſtatis, ac priuatione dignum.; nam Bendinellus, & Alphonſus Cardinales, cum prædicta ſua Sanctitas ad Apoſtolatus apicem aſſumpta fuiſſet fide, & iureiurando*

B *ſe abſtinuerant de eligendo communi conſenſu futurum Pontificem, & deinde eadem Sanctitate ſua in ſancta Sede ſedente tractarunt, & conuenerunt, ac promiſerunt eligere eundem Raphaelem dę Riario Epiſcopum Oſtienſem, & Cardinalem in futurum Pontificem, idque eidem de Riario communicarunt, cui promiſerunt voces ſuas, ipſumq. R. Cardinalem in ſuam ſententiam traxerunt, & vt peſſimum conſilium ad optatum finem perducere celerius poſſent, idem Bendinellus, & Alphonſus Cardinales, cum quodam magiſtro Baptiſta de Vercellis Medico Chirurgico tractarunt eum ponere ad ſeruitia ſua Sanctitatis ſub prætextu medendi vlceri Sanctitatis ſuæ, & inducendi eum medelis veneficis ad interimendum Sancti-*

C *tatem ſuam, & quantum in eius fuit cum fauore etiam Camerariorum nonnullorum prædictæ ſuæ Sanctitatis ei ſæpè, & ſæpius procurarunt, & etiam omnia Raphaeli Cardinali ex ordine communicarunt, ipſeq. id etiam ratum habuit, & diuerſis temporibus ſuper hoc conſilium inierunt, & ſi potuiſſent id ad effectum perduxiſſent; at ijdem Bendinellus, & Alphonſus contra Bullam monitoriı pœnalis, per Sanctitatem ſuam contra iniquitatis filium Franciſcum Mariam de Ruuere, & illi adhærentes emanatam, ſub qua etiam Reges, & Cardinales includebantur, eidem Franciſco Mariæ adhæſerunt, pœnas in ea contentas damnabiliter incurrendo, & crimen læſæ maieſtatis committendo, ſuper cuius negotijs, & cauſa*

D *expeditione, idem S. D. N. exquiſiuit vota Reuerendiſſimorum Card. in prædicto Conſiſtorio exiſtentium, qui omnes, excepto Reuerendiſs. D. Dominico de Grimanis Epiſcopo Portuen. dicente ſe non eſſe benè reſolutum, & propterea non poſſe tunc bona conſcientia votum dare, votum ſuum dederunt, omneſque concluſerunt ſupradicta crimina per proceſſum, qui totus coram Sanctiſſimo, & Reuerendiſſimis Cardinalibus lectus fuit, in quo continebatur, ipſorum Cardinalium detentorum confeſſiones plenè, & clarè probatas fuiſſe, & propterea eos crimen læſæ maie-*

*ſtatis commiſiſſe, quod etiam in Papam, ſicut, & in Imperatorem committitur, & per Sanctiſſimum puniri poſſe uſq. ad necem, priuari pileo, & Cardinea dignitate, ac omnibus officijs, beneficijs, ac bonis quibuſcumque, & demum Sacerdotio abrogari, & Curiæ tradi ſeculari, quia pœna erat arbitraria, quoad Sanctitatem ſuam, poterat, & omnes pœnas imponere, & omni clementia, & venia uti, prout Sanctitati ſuæ placebat; cui Reuerendiſs. Cardinales præſentes eoſdem nocentes, & criminoſos humiliter ſuæ Sanctitati commendarunt; quibus notis ab eiſdem Cardinalibus exquiſitis, & ut præfertur datis, Aduocatus Fiſcalis petijt ab eodem Sanctiſſ. D. N. contra Cardinales defenſos iuſtitiam miniſtrari, eoſque iuxta eorum demerita per definitiuam ſententiam condemnari. Procurator verò Fiſcalis petijt concludi in cauſa, & ſententiam proferri. Eapropter Sanctiſſ. D. N. concluſit in cauſa, & deinde Secretario ſuo domeſtico mandauit, ut ſententiam ipſam legeret, cuius vigore condemnati fuerunt, videlicet D. Raphael de Riario Ep. Oſtien. D. Bendinellus de Saulis Presb. & D. Alphonſus Petruccius Diaconus Cardinales ac galero, & dignitate Cardinea, necnon omnibus Eccleſijs, beneficijs, officijs, & bonis, quæ Fiſco Apoſtolico applicata fuerunt, priuari, degradari, Curiæque ſeculari tradi demandabatur, prout in ea latius continetur; ipſeq. Procurator Fiſcalis petijt, & requiſiuit omnes Notarios ibidem præſentes de huiuſmodi ſententia rogatos eſſe.*

Hieronymus Garimbertus ſcribit Raphaelem, licet ſceleris conſcium, ac participem, non tamen tamquam reum vmquam capite damnatum. Paris vero de Graſſis ſacrarum ceremoniarum Præfectus teſtis oculatus contra Garimbertum hæc habet in actis Conſiſtorialibus. *Die Veneris 29. Maij cum Cardinales omnes qui in Vrbe ſunt, videlicet quindecim numero ad Conſiſtorium mane veniſſent, & in loco Conſiſtoriali ſediſſent, Papa illo mane vltra ſolitum per horam, & vltra moratus eſſet, vocari ad ſe iuſſit Cardinalem Anconitanum, natione Tuſcum, & cum eo etiam quaſi per horam commoratus eſt, miraremurque omnes, quid id tarditatis eſſet, ego intro ſpiciens per rimulam hoſtij vidi Capitaneum Palatij, & duos vel tres alios Palatij Cuſtodes armigeros ibi aſſiſtere, & dubitans ne quid mali ſequeretur, tunc viſus ut rei finem; etenim cum vidiſſem vocari Reuerendiſſimum Cardinalem S. Georgij, & etiam Cardinalem de Farneſio, qui ſatis læto, & intrepido vultu acceſſerunt, credidi, cauſa conſultationis eſſe vocatos, nam eo mane multum de Cardinalibus nouis creandis ſermo percrebuerat; vixque Cardinalis ipſe ſancti Georgij ingreſſus eſt, cum ecce Pontifex, qui aliàs lente, & gradatim exire ſolitus erat; medius ſemper inter duos Cubicularios ductores, nunc ſolus præceps, & vehemens exiit de ſua camera, & ipſemet oſtium à foris clauſit, ſic Cardinalem prædictum S. Georgii introcludens cum Capitaneo, & alijs Cuſtodibus; de quo Papæ exitu, & præcipitio ego miratus, & cum dicerem quid id foret, & an in Conſiſtorium iret ſine ſtola; nam ſemper ſtolatus ibidem eſſe ſolitus, reſpondit ſtolam velle, & ſic illam cum Sacriſta Palatino impoſuimus, & vidimus eum pallidum, & totum commotum, & dubitaui de prædicti Cardinalis captura, præſertim quia mihi mandauit imperioſius ſolito, ut omnes exire iuberem de loco Conſiſtoriali, prout feci, nec ſatis id fuit, etiam mihi rurſus vulgari ſermone acerbius iuſſit, ut Conſiſtorium clauderem, prout feci; ex quibus id quod fuerat, ego diu naui; acceſſi tamen ad fratrem meum Cardinalem de Graſſis, cui quod ego ſuſpicaueram intimaui; & ipſe cum alijs hoc ſubmurmurantes tandem clarius à Pontifice intellexerunt cauſam capturæ illius, quæ fuit: ex eo quia Cardinales duo carcerati confeſſi ſunt, qualiter Cardinalis iſte S. Georgii conſcius fuit conſpirationis in Papam, ſuper veneno miſcendo, & qualiter ipſi duo carcerati communicauerunt cum eo quòd Papa moreretur ex eo veneno, ipſi ſimul cum alijs facerent eum Papam, & ſimilia, quæ an ſint vera, nec ne dies indicabit.*

A *Cardinalis in Palatio detentus eſt, & ſic rogantibus Cardinalibus omnibus in una camera incluſus eſt, non autem in Caſtellum ductus tunc, ſed inde ad paucos dies, & arcta cuſtodia clauſus eſt, infelix ſanè.*

Cauſa cognita damnatus eſt Raphael, vt diximus, ac bonis omnibus, dignitatibuſque Eccleſiaſticis, atque ipſa cardinalitia purpura denudatus; at interceſſione Cardinalium, ſolutioneque ſcutorum aureorum centum millium calamitatem illam effugijt: Palatium à ſe apud Diui Laurentij in Damaſo conſtructum, hac lege redditum, vt dum viueret ipſe habitaret, poſt verò illius mortem in eiuſdem Baſilicæ titularis, ſanctæque Eccleſiæ Camerarii B vſum in perpetuum eſſet; cæterum ad munera omnia penſumq; reuocatus. Rem narrat laudatus Præfectus ſacrarum ceremoniarum his verbis.

*Die Veneris 24. Iulij 1517. Papa mihi adeſſe iuſſit, priuſquam Conſiſtorium iniret vocatum, dixit, ſe velle Cardinalem S. Georgij ex carcere liberare, & reſtituere ad omnia quæ ille prius habebat in beneficijs, officiis, & dignitatibus, præter quam in voce actiua, & paſſiua, quia pro nunc non volebat, ſed ſi ipſe cum tempore benè ſe aduerſus Papam, & ſuos haberet, abſque dubio, & in hoc eidem ſatisfaceret.*

*Itaque mihi impoſuit, ut ceremonias adaptarem, quibus actus poſſet fieri hinc inde ſatisfactorius: ego primum* C *laudaui animum ſuæ Sanctitatis pro miſericordia, quia procul dubio Deus Sanctitati ſuæ, & generi ſuo tribuet: deinde dixi, pro maieſtate Sedis Apoſtolicæ, & honore Sanctitatis ſuæ, ac ſacri Senatus, ac etiam pro debito meo actus iſte expediendus ſit, prius opportet me intelligere nonnulla, quæ eſſent iſta, videlicet.*

*1. An vellet Papa Cardinalem reſtituere, vel iam reſtituiſſet.*

*An caſu, quo reſtituendus ſit, debeat venire tanquàm Prælatus ideſt in habitu ſimplici, ſicut venere Cardinalis S. Crucius, & Sanſeuerinus.*

*3. Ad quem locum in Conſiſtorio vocandus ſit, an in aliquam cameram Palatii.*

D *4. A quibus ducendus ſit in Conſiſtorium.*

*5. An in Conſiſtorio genuflectat in terra, vel incuruet, & quoties.*

*6. An genuflexus oſculetur pedem, manum, & os Papæ, priuſquam aliquid dicat.*

*7. An aliquid dicere debeat, & quod placet Papæ quod ille dicet.*

*8. An Papa vellet ei reſpondere, & caſu iſto Papa præſtudeat reſponſum.*

*9. An ipſe aliquid legere debeat, & habeat in promptu cedulam legendam.*

10. *An*

10. *An ipſe ſubſcribere manu propria capitula debeat, an caſu iſto habeatur calamare, & forma ſubſcriptionibus per eum facienda.*

11. *An præſente Notario uno, vel duobus Cameræ Apoſtolicæ, vel Magiſtro cæremoniarum.*

12. *An Procurator Fiſcalis vocandus ſit, vt interſit.*

13. *An placeat quod legat formam iuramenti, quod noui Cardinales habentes præſtant, & vbi, & coram quo.*

14. *Caſu quo ipſe non poſſet, aut non vellet legere, an ego, vel alius pro eo legat.*

15. *An reſtitutus ponendus ſit in primo loco, in quo prius fuerat, vel in vltimò loco tanquàm vltimus Cardinalis.*

16. *An in lectione iuramenti dicat ſe Cardinalem Ep. Oſtienſem, & Camerarium, vel quomodo.*

17. *An oſculari debeat omnes tam antiquos, quàm de nouo creatos Cardinales, qui interfuerunt reſtitutioni ſuæ.*

18. *An etiam à Cardinalibus veniam petere debeat, aut ſimpliciter gratias agere.*

19. *An poſt Conſiſtorium redire poſſit libere ad domum ſuam.*

20. *An à Collegio, vel aliquibus de eo ducendus ſit ad domum ſuam, tanquam nouus Epiſcopus, & nouus Cardinalis à Collegio.*

*Cum iſta propoſuiſſem Papæ in ſcriptis, & dediſſem in manibus ſuis, ſicut à me expreſſe petyt, & ſe conſultum reſpondit: nam ipſe iterum, atq. iterum vocato Cardinali de Medicis apud ſe, cum quo omnia conſulere ſolet, copiam accepit, & in Conſiſtorio ſe proponere talia velle dixit, actum ſe iam ipſum. Cardinalem reſtituiſſe ad omnia, quæ prius habuerat, præter vocem actiuam, & paſſiuam.*

*Cæterum Papa non me in Conſiſtorium vocauit, ut dixerat, ſed habens copiam cedulæ meæ propoſuit contenta in conſiſtorio, & ſic unumquodq. propoſitum meum reſoluit.*

*Nam Notarios duos Cameræ, ac etiam Procuratorem Fiſcalem in Conſiſtorio uocauit, & eis mandauit; quod placuit, ac etiam me ſimul cum alio teſte intercesſimus promiſſioni, & obligationi, quam unuſquiſque Cardinalis fecit, quod Cardinalis S. Georgij non recederet à Palatio ſine licentia Papæ, aliàs ipſi Cardinales eum non haberent pro Cardinali, & ſimiliter extra Conſiſtorium fuerunt omnes Prælati, & affines S. Georgii; & in his tractandis ego notaui animum Papæ, ac multorum de ſuis Cardinalibus, qui egrè liberabant ipſum Cardinalem S. Georgii.*

*Verumtamen tota Curia læta valdè de huiuſmodi liberatione, & accurrit tantus populus, vt intelligeret an liberaretur, quantus erat in vrbe, & quia Papa priùs dixerat aliquibus Cardinalibus, quòd volebat me mittere pro ipſo, vt ducerem eum de caſtello ad Palatium, omnes me intuebantur expectantes meum acceſſum; videntes autem quòd ego non irem, & hora decima octaua iam erat diei, vt æſtus immenſos timebant, ne res reſolueretur cum expectatione ad aliud longius tempus.*

*Tandem ego in Conſiſtorium vocatus intellexi quòd ire deberem cum Reuerendiſſ. Cardinale de Medicis ad caſtrum, & facerem ibi, quòd mihi diceret reſolutum Conſiſtorialiter de omnibus quæ ego in cedula mea propoſuiſſem: itaq. Cardinalis de Medicis dedit mihi annulum ſuum pro ſigno, vt illum Caſtellano oſtenderem, qui mihi conſignaret Cardinalem ducendum ad Conſiſtorium, & ego eques præirem.*

*Ipſe autem Cardinalis de Medicis pedetentim veniret per viam ſecretam muralem, & obuiaret Cardinali S. Georgij, ac ipſum nomine Papæ, ac totius Sacri Senatus exciperet, & faceret quæ ſibi impoſita fuiſſent à Papa, & à Senatu.*

A *Dixit autem mihi, vt meum librum iuramentorum portarem quia Cardinalis in Caſtro iurare debet in manibus meis; ego ad hæc reſpondi, non benè eſſe, quia iuramentum in Caſtello, ſiue in carceribus præſtitum non tenet, ſed melius foret ſi reuerſus in Palatium illud præſtet coram Cardinali de Medicis in aliqua camera, vbi ipſe indueret Rochettum, & Cappam, & placuit, & ſic factum eſt, vt mox dicam.*

*Itaq. cum irem ad Caſtrum, & unà mecum Philippus Aldimaris Cubicularius ſecretus Papæ, tanta populi lætitia fuit præ gaudio liberationis iſtius, vt ſæpè mirati fuerimus; & ſtabant multi ex Cuſtodibus Caſtri in altis propugnaculis nos expectantes, & cum me vidiſſent, & agnouiſſent,* B *quia eis ſignum dedi aperiendi oſtij, accurrerunt feſtinantes, & cum gaudio nuntiarunt Cardinali S. Georgij meum aduentum, qui me auidiſſimè expectabat.*

*Itaque exoſculatus ſum manus eius, & faciem: dixi, eum Dei gratia, & beneplacito Papæ, & totius Sacri Senatus ipſum eſſe liberum, reſtitutum, ac ſe ad Papam venturum, & pro eo etiam Cardinalem de Medicis venturum, qui per murum ſecretum venerat, & uix his paucis dictis, ipſe uale dicto ad Caſtellanum, receſſit mecum, & inuenimus Cardinalem de Medicis, qui Caſtrum per Turrionem, & propugnaculu intrabat, & datis, acceptiſq. oſculis illicò progreſſi ſumus omnes per uiam ſecretam, & quia calor, & æſtus erat, feci, quòd Cardinalis de Me-* C *dicis depoſuit mantum, & Rochettum, ſicut etiam Cardinalis S. Georgij erat ſine illo, & ego ſimiliter, ac nonnulli Prælati, qui cum eodem uenerant, ſimiliter depoſuerant, & in hortis Palatij digreſſi ſumus in cubiculum Cardinalis de Triuultijs, ubi ipſe Cardinalis S. Georgij priuſquam Rochettum caperet, legit ſtans iuramentum, & in fine iurauit, me rogante, & Epiſcopo Barrenſi, ac Dom. Iulio de Narnia Notario Cameræ teſtibus, ac multis aliis.*

*Quo facto, ego aſcendi ad Papam, & nunciaui omnia facta, & Papa iuſſit, ut eum Rochetto, & Cappa, tanquàm Cardinalis in girum ducerem, ſed locum nullum adhuc ei aſſignarem, niſi quando finitis oſculationibus, ego ſonarem Campanellam, & ipſe aſſurgeret, & eum ſecum* D *duceret in cameram ſuam; abſq. eo quod locum aſſignarem.*

*Itaq. ipſi duo Cardinales aſcenderunt, ſed cum difficultate, præ multitudine gentium, & turbarum, quæ erant inter uias, & ſcalas obſeruantes, & acclamantes ei uitam, & felicitatem, quod multis Cardinalibus diſplicuit in tantum, ut aliqui eos arguerent indignabundi, quòd Cardinalis uiueret, quaſi inuidi fortunæ ſuæ; & ingreſſus, me dicente, incuruauit ſe ter, & non uolebat oſculari manum, ac faciem, niſi prius dixiſſet; ſed Papa porrexit manum, ea exoſculata, vocauit, eum ad oſculum uultus; & rur-*

*rurſus ille genuflexus dixit in hanc ſententiam ; videlicet.*

*Beatiſſime, & clementiſſime Pater, Magiſter caeremoniarum eſt in culpa, qui me non præmonuit de hoc ſermone in conſpectu Sanctitatis veſtræ, & totius ſacri Senatus habendo, qualiter ipſam Sanctitatem veſtram primo meo acceſſu venerari, & adorare debuerim, ac etiam quid dicere debeam; tamen Sanctitas veſtra, quæ me in maioris cauſa excuſatum habuit, habebit, ſi minus fortè ſimpliciter dixero.*

*Itaque Pater Sancte, duo in cauſa fuerunt, quæ me accuſarunt, damnarunt, & in profundum malorum dimiſerunt: primum fuit error meus, qui tantus fuit, vt pro maximo, & ingentiſſimo ſcelere habendus ſit, qui quidem error fuit; quem ego in iudicio confeſſus ſum, & de nouo confiteor, & approbo, & nunquam defendam, quem defendere non volo, nec poſſum, nam nimis peccaui in Sanctitatem veſtram, ita vt non ſolùm degradationem, & depoſitionem meruerim, ſed etiam vitę priuationem; ſed tua clementia maior eſt omni meo peccato; itaq. gratias ago ſanctitati veſtræ, & quamdiu vixero id facere non ceſſabo, qui mihi vitam pro morte donauit, & gratiam pro damnatione elargita eſt.*

*Secundus fuit, Pater Sancte, ſumma ſpes clementiæ, & benignitatis veſtrę, quia ſi crimina mea fuerint maiora, ita vt expellam damnationem. & omnium fortunarum mearum amiſſionem meruiſſem, non timebam tantam acerbitatem animo tuo clementiſſimo initiare potuiſſe, & vt tantam vindictam de me experiri voluiſſet, aut ſciuiſſet, aut ſi voluiſſet, & ſciuiſſet, id potuiſſet, nam à multis annis cum eadem plus ego conuerſatus, quàm alius amicus, aut affinis, aut familiaris ſemper vidi ſemper agnoui, ſemper prædicaui, te vas eſſe clementiæ, opificium manſuetudinis, & delitium miſericordiæ, nec poſſe cuicumque niſi bonum pro malo reddere: itaque ego confiſus clementia veſtræ non timebam peccatorum meorum ultionem à te poſſe prouenire: peccaui peccans, & inquam plùs peccaui, quàm in iudiciali confeſſione mea expreſſum ſit.*

*Quidquid ſit Beatiſſime Pater, ago gratias tuæ ſanctitati de tot beneficijs acceptis & nunquam ſatiegiatus eſſe potero, ut dignas gratias pro tantis benemeritis poſſim referre,* ad quæ Pontifex ſic reſpondit.

*Reuerendiſſ. Domine, ego quæcumque feci in cognoſcendo cauſam iſtam, feci pro honore Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, in quam fuerat per vos crimen illatum, cum enim locum Dei teneamus in terris, & tueri illum debemus; ſi quid fecimus contra vos, credimus ex debito, atq. ex iuſto feciſſe. Si nunc indulgemus vobis, etiam ex inſtituto Domini N. Ieſu Christi id fecimus, & vobis libenter ignoſcimus, & priſtinæ vitæ veſtræ in omnibus reſtituemus, rogantes vos, ut ſicut Nos de cætero præteritorum obliti nam & Nos promittimus vobis, quòd in futurum erga vos ita erimus, ſi vos nunquam aliquid iſtorum, de quibus inquiſiti fuiſtis, commiſeritis, & ita rogamus Dominationem veſtram, ut aduerſùs Nos, & Noſtros eodem modo ſe gerat.*

*Quibus dictis iterum Papa leuauit eum ad oſculum, & remiſit ad Cardinales, qui omnes ſurrexerunt, & ipſe vnumquemque oſculatus à primo ad ultimum, & in fine priuſquàm ad Papam rediret, ego ad latus Papæ ſtabam, ſonaui campanam, & vocaui Cubicularios intus, qui duxerunt Papam ad Cameram, & ſic locus nullus aſſignatus fuit Cardinali pro nunc.*

Ex hoc carcere emiſſus eſt, teſte Vberto Folieta *in elogijs clarorum Ligurum*; & Garimberto *p.* 371. *pecunia à familiaribus collata redemptus: fuerunt autem ducenta millia aureorum nummum; vt ex tam immani ſumma, illis præſertim temporibus, cum tanta auri, & argenti ſuis ex nouis Occidentalis Indiæ prouincijs in noſtrum Orbem ab Hiſpanis continenter inuecta nondum regna Europæ ſupra modum ditaſſet, appareat; quod familiarium genus vir ampliſſimus apud ſe haberet, quantaq.* A *charitate eum illis eſſet.* Raphael verè in Leonem conſpirauerit ambitu ductus futuri Pontificatus? Acta affirmant ſupraſcripta Conſiſtorialia. Veruntamen citatus Folieta ſequentibus reſpondet. *Iam verò in conſilijs in Leonis vitam Alphonſo Petrutio auctore initis, carcere incluſus eſt, non quidem quòd ſocietatis parricidij inſimularetur, ſed quòd coniurationis conſcius, illam Pontifici non enuntiaſſe argueretur: quam rem horum ſæculorum Principes ad parricidii crimen ex frequentiore Iuriſconſultorum ſententia reuocare ſolent.* Sic Garimbertus: *depreſſio huius Cardinalis fortunę potiùs, quàm ſceleri adſcribitur: quemadmodum eius exaltatio fælicitati magis datur, quàm virtuti; attamen do-* B *lore, & mærore oppreſſa ratione; etiam manumiſſus vitam traxit in poſterum quaſi mente captus toto illo quadriennio quo ſuperuixit.* Carcere dimiſſus Eccleſias aliquas ſibi creditas vltro dimiſit: Viterbienſem Octauiano Vicecomiti de Riarijs; Sauonenſem Thomæ Riario: Piſanam Cæſari Riario, annuente Romano Pontifice, renuntiauit. Neapoli obiit, die 7. Iulij, 1521. Ætatis 61. Cadauer Romam tranſlatum ſepulchrum obtinuit in Titulo ſuo SS. Laurentii, & Damaſi; vel vt volunt alii, in ęde SS. Apoſtolorum, cum epitaphio.

*Raphaeli Riario Card. Ep. Oſtienſi. S. R. E. Camerario.*

C Brixię in Eccleſia S. Nazario ſacra ſequens legitur memoria ſtudio poſita Altobelli Aueroldi Ep. Polenſis.

Raphaeli Riario Sauonenſi.

*S. Georgij Cardinali Ep. Oſtienſi, S. R. E. Camerario*
*Magnificentia, Fide, Religione, Sapientia viro*
*ſumme præclaro*
*Qui XVII. ætatis Anno, à Sixto IV. P. M. in Cardinalium ordinem cooptatus*
*Vno ac ſexageſimo inter homines eſſe deſiit.*
*Altobellus Aueroldus Polenſis Ep. benef. memor*
*De ſua pecunia B. M. P. M. D. XXII.*

D

Inſignia vide ſupra in Petro Riario. Ciaconius. Panuinius. Auber. Vghel. Victorel. Scipio Ammirat. *hiſtor. Placent.* Petrus Coretin. *de Ep. Viterb.* Octau. Paneirol. *teſori naſcoſti*. Hippolyt. Narracin. *par. Marian.* Leand. Alb. *Italia* Contelor.

47. *Glo-*

47. *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2.



IO: Bapriſta Sabellus Domicellus Romanus animo atq. fortuna nobilis, ex Protonotario Apoſtolico Cardinalis Diaconus *S. Viti, & Modeſti in macello Martirum*, aſſumptus à Sixto IV. Anno 1480. Cardinalium promotione ſexta; poſtea *S. Nicolai in carcere Tulliano*, pru- A dentia, religione. fortitudine clarus plures obiit legationes pro Sede Apoſtolica, præcipuè Peruſinam, Bononienſem, Rauennatem, Picenam (in quibus non niſi ad lucrum Legati exercentur Romani) Genuenſem ad componenda diſſidia inter Adornos, & Fregoſios, & ad triremes aduersùs Turcam Italiæ incubantem, imperrandas. Aduerſum habuit io promotione ſua Latinum Vrſinum (teſte Garimberto *p. 309. 373.*) qui omnibus Pontificibus ſuſpectum repræſentabat, quòd eius aſſumptione nimis ſolidaretur factio Columnenſium, quorum director Sabellus erat: propterea iam ſenex Cardinalis dictus à Paulo II. ſed non publica- B tus, apoplexia ſublato Pontifice, Romam venit vt creandi Pontificis comitiis adeſſet; at ingredi prohibitus. conſulentibus amicis, abſtinuit, proximam promotionem expectans, malens pacificè viuere ſine purpura, quàm Cardinalis Orbem miſcere diſſidiis. Aſſumpto Sixto; deluſus iterum in ſex promotionibus per Annos, furore inimicorum agitatus omnem mouit lapidem vt Concilium congregaretur vniuerſale aduersùs Sixtum, quamuis incaſſum; ipſe tandem ornatus purpura à Sixto IV. Idibus Maii, 1480. promotione ſexta, Diaconali *S. Viti, & Modeſti in macello Martirum*; poſtea *S. Nicolai in carcere Tulliano*, quo Sabellus torquendus C erat. Ob ſuſpitionem namq. infidelitatis, quòd cum Ferdinando Rege Neapolis, & Duce Ferrarienſi conſpiraret in Sixtum, in caſtro S. Angeli detentus die 26. Martij, 1483. vſque ad 15. Nouemb. poſt menſes ferè octo, ab eodem Sixto libertati reſtitutus enituit. Comitiis adfuit Innocentii VIII. & Alexandri VI. ſub quo, iterum cuſtodiæ traditus, & dignitate ſpoliatus Cardinalitia quaſi hoſtis Valentini Borgiæ, rotantis Fortunæ caſum expertus, & ab ea deiectus, conſtantia tamen fortior ſurrexit, & quaſi aurum emicuit in igne, aduersùs inimicos, aduersùs Pontifices, ſeipſo ſuperior. Die namq. prima Februarii, 1495. ab eodem Ale- D xandro, honoribus reſtitutus triumphator exiit humanæ viciſſitudinis, graui inimicorum dedecore. Exceſſit octuagenarius in caſtro Gandulphi, die 18. Septemb. 1498. ſepultus in Ara Cœli; quòd mortali ſarcophago includi nequiret vir homine maior.

*Deo Opt. Max.*

*Io: Battiſta Sabellus S. R. E. Diac. Card. Tempor. varietate, atq. malignit. bis ad Cardinalatum electus, & in mole Hadriani detentus, ſemper tamen honorificè liberatus: ſub* Paulo, Sixto, Innocentio, Alexandro, *Ducatus, Bononiæ, Marchiæ, Genuæ Legat. plenè, & clarè functus fragilit. humani gener. meditat, Monumentum viuens ſibi poſuit. Vixit An. LXXX.*

Ciacon. Panuin. Victorel. Garimber. Nomenclat. Lauren. Schrod. *De Mon. Italiæ*. Auberii. Franc. Angel.

48. *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua iucunda.* Pſal. 118.



IOan: Columna Domicellus Romanus, Antonii Principis Salerni filius nepos Proſperi Columnæ Card. S. R. E. Abbas Cryptæ Ferratæ ex Epiſcopatus Reatini perpetuo Adminiſtratore, & Apoſtolico Protonotario, Cardinalis creatus Diaconus *S. Mariæ in Aquiro*, Anno 1480. vnà cum

B Io: Bap. Sabello, qui vnà ſimul quia partes ſequerentur Ferdinandi Regis Neapolis, in arce detenti S. Angeli, poſtea ab eodem Papa libertati reſtituti fuere. Sublacenſis Abbatiæ Commendator, atq. Archipresb. Baſilicæ Lateranenſis, Peruſiæ Legatus præfuit; ſubditis valdè charus ob innatam affabilitatem. Pro eius libertate cum ciues Interamnenſes miſſis oratoribus, ſupplicibuſq. libellis ad Sixtum, diu inſtetiſſent; libertate obtenta Cardinalis Decurionibus Interamnenſibus gratias retulit ſequenti epiſtolio. *Mag. & ſpectab. viri, amici noſtri præclariſſimi ſalutem. Cum diu nouerimus obſeruantiam, ac mentem veſtram optimam in nos, & domum*

C *noſtram, quod nobis gratum, nobis gratiſſimum eſſe putamus; ideo de liberatione noſtra vos reddimus certiores, vt vna iucunditate affecti agamus gratias Deo optimo, qui de Cœlo iuſtitiam proſpexit: & munera ſuper innocentem non accepit. Sumus enim libertati ob Dei miſericordiam nec non & innocentiam noſtram, ac clementia Pontificis noſtri Sixti, qui os detrahentium non audiuit, nec opus manuum ſuarum omnino deſpexit, reſtituti. Deinceps igitur duo nobis erunt Deo laudem dare, & amicorum rem omnem curare diligenter: quare viuite læti, & ſi quid vobis expedit faciundum velitis ad nos dare litteras, comparati ſumus rem omnem agere, quod nobis, & reipublicæ veſtræ honori, & commoditati accedat.*

D Comitiis adfuit Innoc. VIII. & Alex. VI. à quo diſcors ob tyrannidem Valentini Borgiæ, redditibus expoliatus Eccleſiaſticis, in Siciliam ſponte ſeceſſit, vbi à Rege Catholico clam ſibi ac familiæ ſuppeditata alimenta, vitam duxit Eccleſiaſticam vrgente neceſſitate, nec inde receſſit, quàm extincto Alexandro; Morte cognita, vt comitiis intereſſet Pontificiis, triremi ſubmiſſa à M. Militum Magiſtro, Romam venit, totius vrbis plauſu. Eius intuitu, Columnenſis familia inter Venetos Patri-

trios

gios recenſita fuit à Veneta Republica, *Vghello* teſte. Romæ obiit, die 28. Septemb. 1508. ſepultus in Baſilica SS. XII. Apoſtol. cum ſequenti epitaphio.

*D. O. M.*

*Io: Columna D. Card. Primarius Romani nominis, ſalutis, libertatiſq; publica columen hic ſitus eſt. Vixit Annos LI. menſ. III.*

*Obijt MDVIII. Septemb. XXVI.*

Ciacon. Victorel. Franc. Angel. *hiſtor. Interamnen.* Vghel. Panuin. Auber. Contelor. Schrod. *de Monum. Italia.* Nomenclator.

49. *Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſiui:* Pſal. 118.



THeobaldus de Luxemburgo Regia otiundus Gallorum ſtirpe, Petri filius de Luxemburgo, Domini de Viennes & Mariæ Magdalenę, ſeu Margaretę Balſię ſeu de Baux, miles ſtrenuus caſtra duxit Gallorum, magna cum laude, propterea Regi chariſſimus, ex vxore Philippa Molodunea Philippum procreauit Cardinalem S. R. E. futurum. Ea ad portum ſalutis confugiens in Igniacenſi cænobio, Rhemis regulam profeſſus Ciſtercienſem, eo profecit pietatis exemplo, vt etiam apud exteros inclareſceret. Abbas ſui electus cænobii, inde ad Vrſicampenſem tranſlatus Abbatiam, poſtea Epiſcopus aſſumptus Cenomanenſis, Legatus venit Romam nomine Ludouici Gallorum Regis. An. Sal. 1472. in Purpuratorum Senatu auditus à Papa, & Patribus, die 8. Iunii, 1472. teſte Iacobo Papienſi, qui aderat in Conſiſtorio. Hunc Cardinalem creatum S. R. E. à Sixto IV. An. 1474. non tamen publicatum, eodemque Anno Romam proficiſcentem in Domino obdormiſſe referunt Claudius Robertus *in Ep. Cenomanenſibus*; & Vghellus ex *Annal. Ciſtercien.* Apud reliquos ſcriptores profundum ſilentium.

50. *Et in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Pſal. 1.

HIeronymus Azzolinus S.R.E. Cardinalis..... vt ex litteris Sixti V. ad Decium Azzolinum Cardinalem, in quibus; *Tu ex ea familia natus es, ex qua complures viri prodierant belli, & pacis actibus clari, ac domi, foriſque honorati; inter quos inſignis fuit Annorum noſtrorum memoria, alter Card. Azzolinus* De eodem in Sixti V. Diarijs: *Azzolina Domus, quæ cum præſtantiſſimis in bello paceq. viris Epiſcopis, & Præſulibus, tum altero Cardinali Hieronymo Azzolino, Iuriſperitorum Conſultiſſ: Illuſtris admodum, atq. clariſſima eſt.* Ioannes Bertachinus Firmianus clariſſimus I. Conſultus in prima ſui Repertorij parte; quam Sixto IV. inſcripſit, hęc habet. *Et ita conſultus reſpondit. Domino Cardinali Azzolino de Firmo Doctori clariſſimo, qui acquieuit, & lætatus eſt de illo texto.*

Eius inſignia (teſte *Petra Sancta*) ſunt ſex ſtellæ aureę promicantes in parma cærulea; quas dabimus in Decio Azolino.

## Vice-Cancellarij ſub Sixto IV.

ROdericus Borgia D. C. S. Nicolai in Carcere, &c.

INNO-

# INNOCENTIVS VIII. R. P. CCXV.

INnocentius VIII. Electus die IV. Cal. Septemb. An. Sal. 1484. Obijt 29. Iulij, An. Sal. 1492. Eius adſuere comitijs.

## Epiſcopi Cardinales.

Rodericus Borgia Ep. C. Portuenſis, Decanus: ex Callixto III. & Paulo II.

ex Paulo II. & Sixto IV.

Oliuerius Carafa Ep. C. Sabinus

A

Marcus Barbus Ep. C. Præneſtinus.
Iulianus de Ruuere Ep. C. Oſtienſis, & Sixto IV.

ex Paulo II. & Sixto IV.
Baptiſta Zeno Ep. C. Tuſculanus.
Io: Balues Ep. C. Albanus.

## Presbyteri Cardinales.

Ex Callixto III.

* Ludouicus Milanus P. C. tit. SS. IV. Coronat. *Abſens*.
Stephanus Nardinus tit. S. Mariæ Tranſtyberim.
Petrus Gundiſaluus tit. S. Crucis in Hieruſal. *Abſens*.
Io: Bapt. Cibo tit. S. Ceciliæ.
Io: Arcimboldus tit. S. Praxedis.
Philibertus Vgonecti S. Io: & Pauli tit. Pammachij.
Io: Michaelius tit. S. Marcelli: ex Paulo II. & Sixto IV.

B

Ex Sixto IV.

Georgius Coſta tit. S. Marcellini & Petri.
Carolus Borbonius S. Silueſtri, & Martini in Mon. tit. Equitij.
Hieronymus Baſſus de Ruuere tit. S. Chryſogoni.
Fr. Gabriel Rangonius tit. S. Sergij & Bacchi.
Petrus Foſcarus tit. S. Sixti.
Dominicus de Ruuere tit. S. Clem.
* Paulus Fregoſius tit. S. Anaſtaſiæ *abſens*.
Io: de Arragonia tit. S. Sabinæ.
Io: de Comitibus tit. S. Vitalis.
Io: de Margaritis tit. S. Balbinæ.
Iacobus Sclafenatus tit. S. Stephani in Cœlio monte.

## Diaconi Cardinales.

Franciſcus Picolomineus S. Euſtachij, S. R. E. C. Archid. ex Pio II.

Ex Sixto IV.

* F. Petrus de Fuxo ord. Minorum, D. C. S. Coſmę, & Damiani: *abſens*.

Raphael Riarius S. Georgij in Velabro.
Io: Bap. Sabellus S. Nicolai in carcere Tulliano.
Io: de Columna S. Mariæ in Aquiro.
Io: Bap. Vrſinus S. Mariæ Nouæ.
Aſcanius Maria Sfortia S.S. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.

## Epiſcopi Cardinales ab eo creati, vel mutati.

1. IO: Michaelius ex P. C. tit. S. Marcelli, Ep. C. *Præneſtinus*. Lege in Paulo II. n. 16.

2. GEorgius Coſta ex P. C. tit. S. Marcellini & Petri, Ep. C. *Albanus*: lege in Sixto IV. Presby-

5. PAulus Fregoſius ex P.C.tit.S.Anaſtaſię.P.C. tit. S. *Sixti*: lege in Sixto IV. *n.* 32.

4. *Quæſierunt ſcripturas genealogię ſuæ, nec inuenerunt.* 1. Eſdræ, 2.





LAurentius Cibo patritius Genuenſis, ex Mauritio fratre nepos Innocentij VIII. adulterinus, ſi Garimberto fides *p.* 246. *& p.* 412. ex femina Sicula natus, quam Mauritius ſibi deſponſauit viuente prima vxore, quam Genuæ ſolemniter duxerat. Hunc Franciſcus Maria Vialardi *in vita Innocentij VIII. p.* 70. filium dicit non Mauritij, & Innocentii Papæ nepotem ex fratre Mauritio; ſed filium fratris conſobrini ipſius Innocentii R.P. eodemq. tempore alium nepotem ex fratre Mauritio Cardinalem creaſſe. Vt autem veritas natalium eluceſceret, inquiſitionem mandauit Papa Marco Barbo Veneto Cardinali *S. Marci*, *Ep. Præn.* qui præhabito examine reſpondit *matrem Laurentij in articulo mortis, more Romano deſponſatam fuiſſe patri Laurentij, nè filio præiudicarent natalia.* Litterarum omnimodè ignarus, atq. Romanæ curiæ, placidis tamen moribus, religione, pietate optimè audiit inter Cardinales, à patruo Archiepiſcopus dictus Beneuentanus & Canonicus Vaticanę Baſilicæ, Anno Sal. 1486. & molis Hadrianæ Præfectus, deinde Presb. Card. *S. Suſanę*, *mox S. Cęciliæ*, ac *S. Marci*, Præſul Venetenſis, Ep. Card. Albanus, Sabinus, Tuſculanenſis, domum 29. Nouemb. 1503. Præneſtinus. Beneuentanus cum eſſet Archiepiſcopus plura reliquit ſuæ monumenta pietatis: ſiquidem Organum in Cathedrali confecit, Oſtenſorium argenteum ponderis ingentis affabrè elaborati, locum Capitulo ædificauit, Canonicis rubrum birethum reſtituit, vel potiùs donari curauit; ordinariſque Eccleſiæ ſuæ rebus, Romam reuocatus ita vixit, vt ab omnibus commendaretur: Poſt mortem patrui, ſepulchrum ex ære erexit in Vaticana Baſilica, ſacello ibidem erecto, & dotato, cui ferrum Lanceę, quo Redemptoris latus transfoſſum, à Baiazethe Turcarum Rege Romam dono miſſum ſuper impoſuit, Nunc autem ob nouam Vaticani Templi ſtructuram dirutum eſt ſacellum à Laurentio extructum: & Innocentii monumentum ad nouam Pauli V. iuſſu erectam Baſilicam tranſlatum. Sacelli memoriam tenent adhuc Vaticana monumenta. *Anno 1493. poſt obitum Innocentii VIII. Laurentius Cibo Cardinalis eius nepos ſacellum extruit, & dotat, quatuor Sacerdotes, qui ſexaginta Miſſę ſacrum, quolibet Anni menſe inibi peragerent; optimis prædijs, ac domibus attributis extra portam Oſtienſem, & in Vrbe, in quibus emendis ducatos* 4945. *liberaliter inſumpſit, perpetuò inſtituit, Iuriſdictioni Archipresbyteri eius Baſilicæ ſubiectos eſſe voluit, habitu Beneficiariorum, & loco poſt ipſos immediatè in choro exornauit, obſequio Diuinorum, Dominicis, & Feſtis adegit, perſonalem reſidentiam inſtar diſtributionum quotidianarum impoſuit ipſis Dominicis, & Feſtis.* Aliud quoque Sacellum in S.Marię de populo Eccleſia, D.Laurentio ſacrum extruxit, picturis & amplà dote exornauit: cum ſequenti memoria.

*D. Laurentio M. SS. Laurentius Ep. Alban. Card. Beneuen. ne mors deuotionis affectum præueniret; ſacellum hoc dicauit, ditauitque.*

A Abbas præfuit cænobio S.Marię à Silua in finibus Reuelli erecto, vnde Padus reſurgit. Romæ, Carolum VIII. Galliæ Regem in propria domo, regio excepit apparatu. Mortuo Innocentio, comitiis adfuit Alexandri VI. cui ſuffragium contulit: etſi beneficii immemor Alexander, Laurentium ſemper inſectatus, vſque ad purpuræ priuationem: licet nefarium decretum executioni minimè dederit: hinc Laurentius iuſto dolore correptus in morbum incidit grauiſſimum, è quo ſurgere minimè valuit etiam metu ſolutus, morte inopina interueniente Alexandri. Comitiis Pii III. & Iulii II. interfuit ęgrotus, cuius Pontificatus Anno 1. Chriſti, 1503, B nono Cal. Decemb. vel ex Vaticanis Regiſtris, die 22. Decemb. Romæ, artus mortales deſeruit, in ſua Capella, quam extruxerat in S. Mariæ de Populo, marmoreo ſepulchro repoſitus cum inſignibus, & epitaphio,

*Laurentius Cibo, Genuenſis, Ep. Præneſtinus, S. Marci Card. Beneuen. Innocentij VIII. P. M. nepos, Religionis cultor ita ſe inter uiuos conſtantiſſimè geſſit, ut ampliſſimę dignitatis memoria Iuſtitia, Fide, & Pietate nunquam deſeruerit; qui tertium & quinquageſimum agens annum ſanctiſſimè ut uixit, moritur.*

*Reuerendiſſimi Executores G. Portuen. A. Preneſtin. Epiſcopi, & N. de Fliſco Presb. Card. pientiſſ. Poſ. An.* C *Sal. M. DIII.*

Pandulphus Ghirlanda de eo cecinit,

*Inſignis pietatè uiret Laurentius æuo*
*Omni, quem Patrem purpura condecorat;*
*Illius nomen non una aboleuerit ætas,*
*Quod ſacris creſcit cum ædibus innumeris.*

Eccleſiæ Beneuentanæ legauit Bibliothecam ſuam, quæ hucuſq. extat, ſed valde diminuta, Multiplex de eo recurrit memoria; præcipuè in Tabulario Vaticano, etiam propria manu exarata. *No Laurentius Cybo Archiep. Beneuent. recepimus pro diſtri-* D *butione menſis Septemb. ducatos 5. Baioth.* 7. Item: *Laurentius Cybo Innocentij VIII. nepos maximu vitæ probitate, & innocentia tenuit Canonicatũ, Annos plus minus quinq.*

Familia de Mari vindicat vti gentilem ſuum, Cardinalem hunc [ licet in honorem Innocentii Cyborum nomen aſſumpſerit, & inſignia ] adducens in ſuæ aſſertionis teſtimonium, regiſtrum Vaticanę Baſilicæ, in quo nomina adnotantur Canonicorum, *R. P. D. Laurentius Mari Cybo Genuenſis, Inno-*

*nocentij VII. nepos* . *à Sixto IV. Canonicus Anno* 1481. *in locum Io: Bap. de Panis* , *& ab Innocentio Cardinalis creatus*. Viſuntur ibidem delineara inſignia familię de Mari , cum noris ſeqnentibus : *De Mari Genuenſis familia inſignia*. In Diarijs Alexandri VI. næc leguntur. *Anno* 1593. *feria ſecunda* 22. *Martij* , *circa horam* 21. *portatum fuit ad Eccleſiam B. Mariæ Aracęli ſepeliendum ibidem corpus quondam Dominici de Mari Ianuenſis* , *Patris Reuerendiſſ. Domini Cardinalis Beneuentani* , *qui obijt nocte præterita Romæ in domo habitationis ſuæ* , *inter Eccleſiam Mineruæ* , *& domum Magdalenorum per ſeruitores* , *& domeſticos ſuos* ; *Fratres Araceli noluerunt illud portare* , *aſſerentes* , *ſe non eſſe fachinos* , *& Cardinales duntaxat portare* : *præceſſerunt* 40. *entorcia* , *quę portauerunt* 20. *ex familiaribus ſtabuli* , *& alij Reuerendiſſimi Domini Cardinalis Beneuentani* , *& corpus ſecuti ſunt decem & ſeptem conſanguinei* , *& affines defuncti* , *ſinguli ab vno Prælato à ſiniſtris ſuis aſſociati* ; *videlicet RR. in Chriſto PP. Arelatenſis* ; *Thebarum* , *& Cuſentinus Archiepiſcopus* ; *Dominus Dominicus Doria* ; *D. Oliuerias de Mari* ; *D. Paris de Mari* ; *D. Franciſcus Raccardus* ; *D. Carolus Cigala* ; *D. Gerardus Vſumaris* ; *D. Hilarius Gentilis* ; *D. Zaccharias de Mari* ; *D. Andreas Scalta* ; *Philippus Maruffus* ; *Marcus de Fornarijs* ; *Antonius Galmedes* ; *D. Marius Millinus* ; *quos ſequuti ſunt plures Mercatores Ianuenſes* ; *primi tres Archiepiſcopi inceſſerunt in ſuo habitu quotidiano nigro more ſolito ſequentes* ; *interfuerunt familię ſex RR. DD. Cardinalium* . *videlicet S. Petri ad Vincula* ; *Recanatenſis, Ianuen. Beneuent. S. Anaſtaſiæ* ; *& S. Georgij* ; *ac Fratres ex ſequentibus conuentibus* , *videlicet S. Cæciliæ* , *tit. D. Beneuentani* , *Mineruæ* , *Araceli* , *S. Auguſtini*, *S. Mariæ de Populo* , *S. Mariæ Tranſpontinæ* , *& S. Marcelli* , *cum duobus Parochianis* , *ſub quorum domus habitationis defuncti exiſtunt* ; *quibus per Curſores S. D. N. Papæ hoc manę fuit intimatum* , *data per me eis cedula tenoris ſequentis* ,

*Intimetur RR. DD. Cardinalibus S. Petri ad Vincula*, *Recanatenſi*, *Ianuenſi*, *S. Anaſtaſiæ* , *& S. Georgij* , *quod hodie circa horas* 20. *&* 21. *portabitur corpus b. m. D. Dominici de Mari* , *patris Reuerendiſſ. Domini Card. Beneuentani ad Eccleſiam B. Mariæ Araceli* , *ibidem ſepelliendum de domo habitationis ſuæ* , *quæ eſt circa Mineruam* ; *quapropter rogantur RR. DD. Cardinales prædicti*, *ex parte prædicti D. Cardinalis Beneuentani* , *dignentur mittere famulos ſuos pro hora prædicta ad honorandum funus huiuſmodi*.

Gemina hic appoſira inſignia Cyborum , & de Mari : vt vtrique familiæ fiat ſatis : Genuæ enim in fronte Eccleſię S. Syri, ſuperioribus Annis, ſtemma de Mari gentilitium cum inſignibus Cardinalitijs apparebant,

Ciaconius, Panuinius, Garimbertus, Folletta, Vghellus, Guazzus *in hiſtor.* Hippolyr. *in purp.* *Mar.* Victorellus, Spondanus , Ioſeph. Mar. Suareſ. *De Ep. Pręn.* Marius Vipera *de Archiep. Beneu.* Franc. Aug. ab Eccleſ. *de Card. Pedem*. Vialardi *vita Innoc.* 8. *p.* 70.

5. *In Deo ſperaui* : *non timebo quid faciat mihi homo*. Pſal. 55.



Ardicinus de la Porta , cognomento *Iunior* , naru Italus, patria Nouatienſis, patre de la Porta , matre de Vice Comitibus , litteris egregiè cultus, etiam in adoleſcentia adeo in pretio fuit , vt eum conciues ſui Epiſcopum poſtulauerint, quamuis non impetrarint, licet Garimbertus errore deceptus impetraſſe ſcripſerit . Cum Archiepiſcopi Florentini vicarius eſſet, magnam infracti, inuictique animi famam collegit , quòd Pauli II. minaciſſimum monitorium contra Florentinam Rempublicam in publico affigere , euulgareque auſus fuiſſet; cæteris omnibus ob principis ciuitatis potentiam ne hiſcere quidem audentibus ; ipſe autem ſpreto capitis periculo , ſolus promulgauit impauidus : hinc Paulo II. ſummoperè gratus , Sixti IV. beneficio, ſupplicibus libellis referendis præfuit: Anno verò 1475. Alerienſis creatus Epiſcopus plures adminiſtrauit legationes
B in patrimonio eccleſiæ, diuerſiſque temporibus Nurſinos, Interamnates, Peruſinos, Tifernates, Tudertes tumultuantes, & diffidentes pacauit, interclusiſque ſeditionum vorricibus , auctoritate compreſſit, & in obſequio continuit. Iuſto deinde legationis munere functus inter Matthiam Pannonum Regem, & Fridericum III. Imper. inuicem arma intentantes, auctor eis fuit ponendi arma, iungendiq. fœderis, opus à pluribus tentatum ab Ardicino abſolutum. In Curiam reuerſus, ſupplices ſignare libellos iuſſus à Sixto IV. nec deſiſtere imperatus ab Innocentio VIII. cum priùs Legatorum omnia audiendi negotia, & abſoluendi munus obijſ-
C ſet : Olomucenſem rexiſſet Epiſcopatum ; Vmbriæ & Marchiæ Anconitanæ Prolegatus præfuiſſet ; ab Innocentio VIII. R.P. omnium votis ſemel ſatisfacturo vocatur ad purpuram Presb. *S. Io: & Pauli* , *tit. Pammachij*. Dignitas hæc , tantum abfuit vt Ardicinum extolleret , vt potius humanę viciſſitudinis, & mortis ſalubriter admonuerit imminentis: ab ea enim die cœpit ſerio cogitare Camaldulenſem Eremum . Adit ergo Pontificem , ab ea dignitate, quæ ei nuper delata fuerat , miſſionem impetraturus , quem difficilem ad poſtulata offendens, repetitis tandem ſuæ petitionis vicibus cum expugnaſſet, dimiſſa purpura, vrbe exceſſit
D in Eremum , habitu ſumpto Monacali . *Mirabar* [ inquit Petrus Delphinus Camaldulenſium Gubernator perpetuus ] *haud parum* , *verum fore* , *vt Cardinalis noſtra tempeſtate Eremita factus diceretur* : *redijt Romam Alerienſis reuocatus à Pontifice è medio itinere* , *neq. eſt permiſſus* , *vt quò animum intenderat bonus* , *& pius pater* , *eò perueniret* : *elegerat pacatiſſimum vitæ genus* , *vt Eremum Camaldulenſem incaleret* ; *Hieronymum*, *vt arbitror* , *imitatus &c.* Cognito namq. seceſſu Patres, ægrè ferentes quaſi id clam feciſſet , non ſine

Cardinalium auctoritatis contemptu, Romam Ardicinum reuocari inſtabant; qui audito mandato Pontificis, apud Innocentium epiſtola ſe excuſauit ſequenti.

*Beatiſſime Pater; attulit mihi Magiſter Gratianus de Villa Noua Breue Sanctitatis Veſtræ, cuius lectione commota ſunt omnia Viſcera mea, intellecta perturbatione mentis Sanctitatis Veſtræ, & Sacri Senatus Reuerendiſſimorum Dominorum meorum Sanctæ R. E. Cardinalium tùm etiam quòd animaduerti interpretari in ſiniſtram partem, quæ non temere, non leuiter non repente, ſed conſultò deliberaui, circa vitæ meæ ſtatus mutationem. Non eſt immemor Sanctitas Veſtra, quoties, primo anno ſuæ feliciſſimæ ad Apoſtolatum aſſumptionis, pulſaui aures ſuas, vt aſſentiri dignaretur ardenti deſiderio meo, quo tenebar, me ad regularem vitam, in aliqua religione transferendi. Quod quum denegaſſet Sanctitas Veſtra, ſequentibus Annis id ſæpius repetij, etiam cum lacrymarum effuſione; fateor, quòd Sanctitas Veſtra ante Cardinalatum repulit petitionem meam. Quum verò etiam poſt Cardinalatum ignis ille ſancti huius propoſiti arderet in pectore meo, menſe Aprilis proximè elapſo, nouas preces Sanctitati Veſtræ, pro ea re, obtuli. Sanctitas Veſtra poſt multas rationes contra petitiones meas, allegatas, tandem acquieuit: & viuæ vocis oraculo, ingrediendi religionem mihi licentiam impartita eſt, quam poſtea per duas ſupplicationes, manu eiuſdem Sanctitatis Veſtræ ſignatas, denuò conceſſit. Dehinc quum appropinquaret dies receſſus, petij denuò à Sanctitate Veſtra licentiam pro receſſu meo, quam Sanctitas Veſtra cum reſignatione pilei gratioſè conceſſit, & benedixit mihi, ad oſculum ſacratiſſimorum pedum admiſſo. Hæc non ſcribo Beatiſſime Pater, vt exiſtimem opus eſſe, ea commemorare Sanctitati Veſtræ, quæ cordatiſſima eſt; verùm vt intelligeret, quòd aliquid de me ſiniſtrè ſuſpicantur, me non repentè, non præcipitanter, non leuiter motum fuiſſe. Nec debet mirari quiſquam, nec nouum, aut temerarium id exiſtimare, quum etiam inter Romanos Pontifices ab Eccleſia Canonizatos reperiatur, qui idem fecerit; Cæleſtinus V. qui Sanctus Petrus de Murone nuncupatur: legitur etiam ad priuatam, & religioſam vitam tranſijſſe & Sanctus Hieronimus S. R. E. Presbyter, quem ferunt Cardinalem fuiſſe, De Petro Damiani, qui licèt non ſit inter Sanctos relatus, tamen pro Sancto honoratur, habetur ex libris per eum editis, quos ipſe legi, ipſum ex Cardinale, & ni fallor, etiam Epiſcopo Oſtienſi, factum Monachum fuiſſe, de Summi Pontificis licentia. An verò huiuſmodi licentiam à Sacro Collegio habuerit, non memini. Ego ab eodem Collegio hanc licentiam non petij, & non ſum ratus adeò imbecillem, & infirmam Vicarij Chriſti poteſtatem, ut non poſſit præbere, ac porrigere manum uolenti ſaluti animæ ſuæ, honeſtiſſimo modo conſulere. Ego enim, quod in arduis Collegium teneatur Pontifex conſulere, non inficior, tamen petenti ſibi, niſi quod ad ſalutem animi ſpectat, credo ſolius Pontificis auctoritatem ſufficere. Quod eſt enim Beatiſſime Pater ingredi, & profiteri religionem, niſi humiliare, & exinanire ſemetipſum, & formam ſerui accipiendo, ſe uſque ad mortem obedientem facere, exemplo Saluatoris noſtri, qui dùm id fecit, exemplum nobis præbuit. Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, ut ſcientia, & contemplationi uacaret, Epiſcopatum dimiſit. Quare qui me properantem ad religionem accuſant, etiam hos accuſent; ſi hi peccarunt, fateor me deliquiſſe, licet forſan tantorum Patrum teſtimonia, & adductæ rationes me excuſabilem reddere poſſunt. Quod autem dimiſſo Cardinalatus habitu, diſſimulato habitu me itineri commiſerim, non opinor propterea me notam ullam apud graues, & prudentes uiros contrahere potuiſſe. Nam quum uellem, quod hactenus erat ſecretiſſimum eſſe, idque proprio fratri mihi fidiſſimo occultaſſem, exiſtimaui ſatius, etiam in diſſimulato habitu inter ignotos, quàm cum uerò habitu incedere: & propterea à pœna, & à culpa, & ab omni alia* A *nota, me immunem eſſe exiſtimo. Si tamen erratum eſt, quum id humanum ſit, ſupplico Sanctitati Veſtræ, ut quæ mihi grauiora peccata dimiſit, etiam hoc dimittat; pœnitentiam, quam mihi pro hoc peccato iniunxerit, non minùs deuotè, quàm humiliter ſuſcipiam. Beatiſſime Pater, Sanctitas Veſtra, quæ ſemper tam tenerè perſonam meam dilexit, & tantoperè, ac multifariam honorauit, dignetur opus ſuum, & facturam ſuam in ſancto propoſito conſouere, memor, Chriſti Vicario nihil peculiarius eſſe, quàm eum de animarum ſalute ſollicitum eſſe. Hic de anima meæ ſalute agitur; quæ ſola ante oculos verſatur, licèt enim exploratum habeam, Cardinalium, Epiſcoporumq. ſtatum, quauis alia religione perfectiorem* B *eſſe: exiſtimaui tamen ad inferiorem religionem tranſitum, fragilitatis meæ tutiorem eſſe. Non eſt inſcia Sanctitas Veſtra, ſe animæ meæ rationem, in diſtricto iudicio, reddituram, quam longè meliorem reddet, ſi humilitati meæ hoc indulſerit, quàm ſi ab meo ueteri, & ſancto propoſito me reuocauerit. In hoc annuat Sanctitas Veſtra humillimis, & lacrymoſis precibus meis, nec uelit in amaritudine animæ meæ, me morte acerbiorem uitam agere. Adeò enim turbata eſt, ut quod ſcribo, uix ſatis ipſe perpendam. Miſerere animæ meæ, Pater pientiſſimè, qui mihi ſemper in omnibus affabilis, benignus; & miſericors fuiſti, & cum ineffabili clementia, meas ineptias tot annis toleraſti, & patere obſecro, ut importunus petitor ſim ante oculos pietatis tuæ.* C *Conuertere Domine aliquantulum, & uide afflictionem meam, & conſidera etiam, quomodo conſulatur honori meo. Si iam, ut ita dixerim, ad aratrum manu poſita, retro aſpiciam, nonnè oculi omnium in me conuertentur, exiſtimantes me leuiter diſceſſiſſe, & leuiùs rediſſe? Quibus omnibus per Sanctitatem Veſtram ſapientiſſimè conſideratis, dignetur me ſuo amantiſſimo, & mihi deſideratiſſimo reſponſo conſolari, & reuocatas gratias, prius tamen benignè conceſſas, in priſtinum ſtatum reſtituere, ſcitura, me nullo pretioſiore dono, hoc tempore donare poſſe. Quamuis enim ipſe peccator ſim, & indignus, cuius preces à Deo exaudiantur, id tamen ſi impetrauero à Sancti-* D *tate Veſtra, pro tanto munere, conabor aſſiduis apud Deum orationibus multiplicato tenore recompenſare. Quocumq. in loco me voluerit eſſe, Sanctitati Veſtræ acquieſcam, & quidquid mandauerit, exequar, Chriſtiq. Vicario tanquam Chriſto, obtemperabo, & ab illius obedientia diſcedere, nefas eſſe exiſtimabo: felix valeat Sanctitas Veſtra, cuius ſacratiſſimis pedibus me humiliter commendo, ex Ronciliome die 12. Iunij, Anni 1492.*

De hoc Ardicini in Eremum ſeceſſu, varia legimus apud Scriptores. Gatimbertus *p.* 121.253.482. quòd

quòd alij virtutem appellant, ipſe incontinentiæ adſcribit, dicens: *Rarò mortalium opera, eadem, & conſtanter totius vitæ curſu perſeuerant. Paſſionibus natura ſubiecta faciliimè de malo in bonum, & de bono mutatur in malum: vt Ardicino contigit de la Porta, qui in iuuentute ſua, & in priuata, animo fortis, & prudens; poſtea vir factus, & in dignitate altiſſima conſtitutus paſſioni ſuccubuit exlegi, & incontinentis, Anno namq. Cardinalatus IV. ſuam perpendens incontinentiam dignitati aduerſam, quam tenebat, dolore victus, & meditatione vitæ mortalis decreuit ſe ab humano ſegregare conſortio; quod cum ab Innocentio VIII. magna obtinuiſſet difficultate, in montem Oliueti ſeceſſit in diœceſi* A *Senenſi, vbi poſita purpura Cardinalitia cucullam induit Monaſticam, graui Collegij indignatione, ob ſpretam ab eo auctoritatem Cardinalatus. Propterea à Pontifice reuocatus* Romam venit humiliter cenſuræ ſe ſubmittens, vbi per eoſdem et dies in morbum incidens lethalem, & ex eo in febrim relapſus quartanam, quinto poſt menſe mortem ſubijt Romæ, die Lunę, pridie Non. Nouemb. 1493. in baſilica ſepultus Principis Apoſtolorum, in auito ſepulchro in ſacello S. Thomæ ſacro.

Epitaphium.

*Ardicino de la Porta, Ardicini Card. nepoti, Ep. Alerienſi, I. V. peritiſſimo conciliatori Matthię Hungariæ Regis cum Federico III. Auguſto, Gratiarum, iuſtitięque Referendario, & Signatori, ſedente Sixto IV. & Innocentio VIII. & ab hoc ſponte, ob merita Presbytero Card. electo, qui vixit Annos LIX. Deceſſit ſub Alexandro VI. à Salute noſtra MCDXCIII. prid. Non. Nouem. Domeſtici, Clientes, Hæredes ſacello ornato monimentum Hero rarò exempli poſuerunt.*

In cryptis Vaticanis oſſa hodie iacent, illuc tranſlato ſepulchro, additoq. lemmate.

*Sepulchrum Card. Ardicini de la Porta Nouarien. tit. SS. Io. & Pauli.*

Perorauit in funere Franciſcus Cardulus Narnienſis, frequenti Patrum coſeſſu. Hunc Cardinalem ſui Ordinis profeſſorem ſcribit Auctor *Apologiæ pro defenſione Obſeruantum*; quemadmodum & in libro, *Firmamentum trium Ordinum*: quibus tamen Vuadingus *in Annalibus Minorum*, veritatem quærens hiſtoricam, non ſui Ordinis laudem, aduerſus ſcripſit: *Si Minorum Ordinem ingredi Ardicinus decreuit, vel propoſitum mutauit; vel apud illos parum ſubſtitit, idq. tantùm ad arctioris vitæ, Camaldulenſis nimirum, & Eremiticæ rationem ineundam ſe comparaturus.* Plura de eius vita domeſtica idem Cardulus. Lectioni ſemper intentus, menſam diſputationibus conditam voluit, modeſtè diſputans, non ad pompam; ſed ad eruditionem. Iraſci neſciens, querelas æquo ferebat animo, egentibus opem ferebat. Sacris operibus diem iungebat cum noctibus, verbera iterabat quotidie. Singulis ſeptimanis triduana obibat ieiunia. Morti occurrit venienti, vt ſolent Heroes Chriſti, forti animo, & pænitenti. Eo intercedente, Nouariæ, Hoſpitali Charitatis iunctæ ſunt aliæ domus Hoſpitales S. Iuliani, S. Dionyſij, S. Mariæ Nouæ, S. Gothardi, S. Bartholomęi, S. Columbani, & S. Antonij, in quibus pauperes peregrini leproſi, alijque reciperentur ęgroti: ita diſpenſante R. P. Sixto IV. pridie Id. Nouemb. 1482.



Ciaconius, Panuin. Franc. Maria Torrigius *in Crypt. Vatic.* Contelor. Victorel. Auber. Vghel. Carolus Carthar. *in Syllab. Aduoc. Conſiſtor.* Carolus Nouarien. *in Ep. Nouarien.*

*6. Vox venefici incantantis ſapienter;* Pſal. 47.



ANtoniottus Pallauicinus natus Italus, patria Genuenſis, patre Babilano patritio, matre Peregrina Saluaga matrona honeſtiſſima, Genuæ natus, Anno 1442. (filium matris Græcę Antoniottum nonnulli faciunt, eumq. in Gręcię vrbe maritima nothum volunt) patris opera honeſtè educatus, & litteris imbutus humanioribus, Hic, vt & reliqui fratres Hieronymus, ac Cyprianus *Gentilium* cognomine aliquando vſi ſunt poſtea *Pallauicini* dicti. Muta- B tionis hæc aſſeritur cauſa: quòd Pallauicini; Caluij, & Folamoniaci cũ olim perpauci eſſent, nec iuxta morem Genuenſium, obuiam progredi Principibus poſſent, aut Oratoribus Principũ, nec alias familias nobiles numero ampliores ęquare, Gentilibus, qui tunc virtute, numero præſtabant, iure viciniæ, ac parœcię S. Prancatii ſe ſe adiunxerunt. Antoniottus verò vbi per ætatem licuit, re cognita, nè veram defraudaret familiam, maiorum ſuorum cognomento recepto, Pallauicinus iterum appellari voluit. Fratres ſuos Hieronymum, & Cyprianum mercatores in Hiſpaniam ſequutus adoleſcens, ibidem moram traxit vſque in Annum 1470. poſtea Ro- C mam veniens, & in familiam aſcitus Io: Bap. Cybo Card. S. Laur. in Lucina, litteras aliquando ſcripſit Pontificias ſub Sixto IV. à quo Abintimilienſis Epiſcopus dictus, ſua ſorte contentus, vt ſuam adiret Eccleſiam, in procinctu erat, cum morte interueniente Pontificis, iuſſus à Cardinali Cybo, ędes S. Laurentio in Lucina contiguas cuſtodire, dum Patres nouo creando Pontifici operam darent. Innocentius creatur; à quo ſupplicibus libellis gratis ſubſcribendis præfectus non ſine aulę admiratione; cum plures Innocentio eſſent conſanguinei, quos hoc titulo decorare potuiſſet. In eo Datarij munere, non modò Pontificis, ſed totius Curiæ expectationi D plenè ſatisfaciens mirabili ingenij lenitate, morum ſuauitate, loquendi modeſtia, conſilij grauitate, amorem ſibi conciliauit etiam iuſtè conquerẽtium. Cum enim Innocentius VIII. *Stratiotarum* officia ſuppreſſiſſet inuenta à Sixto IV. pecunia emptoribus minimè reſtituta, vnde aulam replerent querelis, ad Cardinales modò accurrendo, modò ad Pontificem prouocando, ad Antoniottum remiſſi, ita eos deliniuit, & carmine placauit, vt incantator appellaretur à Palatinis: diſerto namq ſermone, & ſa-

cta quadam incantatione coacti quieuere. In præmium ab eodem Innoc. VIII. Pampilonenſis primò, mox Aurienſis, Lectenſis, Tornacenſis, Cumanus, Lamacenſis Epiſcopus, Genuenſis Archiepiſcopus, tandem Chriſti Anno 1489. Cardinalium promotione prima, pridie Idus Martij Presbyter Card. tit. *S. Anaſtaſia*, poſtea *S. Praxedis*, inde *S. Stephani in Cælio monte*; Pontifice indulgente Romano, priuſquam titulum aliquem obtineret, Presbyterum ſe inſcripſit S. Anaſtaſiæ. Cum ex mercimonio ad caſtra tranſijſſet Eccleſiæ, ſacras litteras à principio non cognouit; in hoc laudant, quòd ex fratre nepotes, Hieronymum, & Philippum Epiſcopos futuros Iuri Pontificio operam dare impensè curauerit: quorum occaſione, ac litteratorum, quos non paucos apud ſe alebat, certis horis, quotidiano inſtituto colloquio, breui eam cognitionem aquiſiuit, quæ ſatis ad diſciplinam, & nè Latinè loquentes, crederet Syriacè loqui. Mortuo Innocentio VIII. comitiis adſuit Alexandri VI. cui & ipſe promiſſis corruptus ſuffragatus in Pontificem promouit, ab eoq. iiſdem ſupplicibus libellis Præfectus, Datarii munus exercuit, Eodē ſedente Alexādro; An. 1501. E. C. *Albanus* Anno 1503. Tuſculanus, Sabinus, Alexandro adſuit fidelis quidem, ſed in dicendis liber, & intrepidus: cum enim eidem Papa aliquando in Conſiſtorio negorium quoddam expoſuiſſet verbo. *Decreuimus facere*; Cardinalis S. Praxedis vbi copiam dicendi habuit; reſpondit: *Pater Sancte; non poſſum ego meam proferre ſententiam; poſtquàm Sanctitas Veſtra non vocat nos ad Conſilium, ſed ad Decretum: Si S. V. ita decreuit; omnis mea ſententia irrita eſt*. Poſt obitum Alexandri, comitijs adſuit Pij III. in quibus parum abſuit, vt Pontiſex crearetur. Adſuit etiam comitijs Iulij II. ad cuius promotionem ſuffragio quidem conſenſit non animo: vnde cum inito Pontificatu, Iulius ingenium nimis acre, & vehementiores ad bella ſuſcipienda ſpiritus præſeferret; quibuſdā Cardinalibus Antoniottus dicere nō dubitauit; *Gladium Patres in manus Furioſi poſuiſtis* quod vbi reſciuit Papa, & ſi Antoniotto nonnihil ſubiraſci viſus eſſet; Epiſcopum tamen elegit *Praneſtinum*, & grauiſſima legatione honeſtauit ad Ferdinandum, & Ludouicum XII. Hiſpaniæ, & Galliæ Reges, qui Sauonæ conuenerant, aduersùs Venetos; quod & fęliciter abſoluit per honorificè acceptus, inter Reges medius ſedens in menſa, fædus illud percuſſit Venetis tam oneroſum, & Italicæ libertati, quæ omnimodè concidiſſet; nì in tantis periculis Venetæ Reipublicæ Deus adſuiſſet aduersùs Reges, aduersùs Vicarium ſuum. Initi fæderis, vt Ligur Cardinalis, Liguri Pontifici plenus faſtu, & lætitia nūtiaret ſollicitus, in Vrbem, reuertens, æſtuoſo fatigatus itinere, paucos poſt dies Romę, die Veneris, decima Septembris 1507. è vita migrauit, in Baſilica ſepultus Apoſtolorum Principis, ſacello quod ipſe ſub Alexandro VI. erexerat, & dotauerat, cum epitaphio.

*Antoniottus Card. S. Praxedis*

*Mortem prę oculis ſemper habens, viuens ſibi poſ. An. M. D. I.*

Equata poſtea abſide Vaticanæ Baſilicæ; in eccleſiam S. Mariæ de Populo, An. Sal. 1596. oſſa tranſtulere nepotes, iuxta ſepulchrum reponentes Io: Bap: Pallauicini Cardinalis nepotis ſui, cum eulogio ſequenti.

*D. O. M.*

*Antoniotto Pallauicino Genuenſi*

*Ep. Praneſ. S. R. E. Card. S. Praxedis ſub Innoc. VIII. Alex. VI. Iulio II. ampliſſ. legationibus, maximiſq. Reip.* A *muneribus ſumma cum laude probitatis, atq. prudentia perfuncto. Io: Bap: Al. S. Ant. Gen. V. S. Referend. & Rabilanus Pallauicinus fratres ob diſturbatam veteris ſepulchri ſedem in Vaticana abſidis demolitione, vt eodem tumuli loco, cum Io: Bap. fratris filio Card. conderetur, tranſlatis oſſibus, Propatruo poſ: MDXCVI. Vixit An. LXVI. Obijt An. Sal. MDVII. die X. Septemb.*

Vere hic Cardinalis minimè quieuit viuus, nec mortuus. Nam iterum tranſlato ſepulchro cum ara maxima, & Deiparę imagine S. Mariæ de Populo ad locum choro proximum; inde amorum cadauer locum habuit in Chiſiorum ſacello, vbi nec diu perennauit; nam Chiſia repugnante familia, in eiuſ- B dem Eccleſię maiori naui primò mox in noua reſtauratione ab Alex. VII. facta, in minorum vna, inter columnas repoſitum. De hoc Cardinali diuerſa ſentientes ſcriptores, horum fuere qui aſperis inſultauere carminibus.

*Cui Ligur eſt genitor, genitrix cui Græcia, Ponto*
*Qui medio eſt natus, vir bonus eſſe poteſt.*
*Ni vani Ligures, ſi non ſit Græcia mendax*
*Ponto ſi quę fides; vir bonus eſſe poteſt.*

Alter verò repoſuit Poeta

C *Cui Ligur, eſt genitor, genitrix cui Græcia, Ponto*
*Qui medio eſt natus, cur malus eſſe poteſt?*
*Nonnè malo aſſuetus Ligur eſt? Sapientia nonnè*
*à Grajis? nonnè eſt & Venus orta mari?*

Seu

*Quid malus eſſe poteſt, patrem cui Genua, matrem*
*Græcia, cui partum Pontus, & vnda dedit.*
*Sat malo, & aſſueti Ligures, & Græcia docta eſt*
*Æneadum, & genitrix eſt Venus, orta Mari.*

Eius memoria apud Angelum Politianum *in ep.* Ciaconium, Panuinium, Auberij, Vghellum, Garimbertum, Guicciard. *in Hiſtor.* Victorellum, Io- D ſeph Mar. Soareſium *in Ep. Praneſt.* Folietta *hiſtor. Genua*; Vialardi *in vita Innocentij VIII. p. 71.* Garimbertus *p. 138.* gratitudinis, & beneficentiæ erga ſuos domeſticos laudat, quos cum dignitatibus promouere prohiberetur Eccleſiaſticis, ęre proprio iuuabat. Lege Ludouicum Donium d'Attichi, *to. 2.*

7. *Quo-*

7. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.* Pſal. 70.



ANdreas Ludouicus *Spinai, d'Eſpinay* in Armoricis natus ſanguine claro filius Richardi d'Eſpinaij, & Beatricis de Montauban. Fratres habuit Ioannem Præſulem Mirapicenſem, & Robertum Nannetenſem, Epiſcopatum conferente Innocentio VIII. reclamante verò Anna Duciſſa, & Guillelmum nominante Gucgnen Archidiaconum Nannetenſem, Robertus fructibus expoliatur. Patruum habuit Iacobum d'Eſpinaij ex Maclouienſi Epiſcopum Rhedonenſem pluribus exercitatum cruciatibus, in carcere defunctum technis Petri Landais Theſaurarij Ducis Franciſci II. Fuit Andreas Prior D. Martini à Campis, Lutetiæ Pariſiorum, & mortuo auunculo matris fratre Arto de Montauban Burdegalenſi Archipræſule, eligitur Andreas Archipræſul Burdegalenſis. Malè dicitur Archiep. Arelatenſis; quia Euſtachio Nicolaus Cibo ſucceſſit, vt ex Innocentij diplomate, 8. Kal. Maii, 1489.

Vir quidem perpaucarum litterarum Andreas, munificus tamen, liberalis, iuſtus, gratiam Caroli VIII. Francorum Regis promeritus, Zizimum Baiazetis Turcarum Regis fratrem Romam duxit, mercede conſtituta, vt Papa Innoc. VIII. Andream, & Petrum Daubuſſon Rhodiorum Magiſtrum Cardinales crearet. In Curiam ergo concedens, Presb. Card. tit. *SS. Silueſtri, & Martini in Montibus*, prima Cardinalium promotione creatus ab Innocentio, die 14. Mar. 1489. vrbem aliquantiſper incoluit. Sub Alexandro VI. in Galliam rediens, eundem Carolum Francorum Regem, Regnum petentem Neapolitanum, inter milites ſequutus armatos in eo laudari meruit, quòd reuertente mox Carolo in Galliam cum exercitu, & in agro Parmenſi apud Forum Nouum, cum Venetorum, & Ludouici Sfortiæ copiis, manum conſerente, quum cæteri Sacerdotes qui erant in caſtris, præcipuè Guillelmus Buſſonctus nouus Cardinalis *Maclouienſis* vocatus, thoracibus armati ferrum tractarent, ſolus ipſe conſilium deteſtatus, arma ſumens digna ſacerdote, tiarâ ſcilicet capiti impoſita, clamyde indutus Sacerdotali, Crucem Dominicam dextera aſſumpſit, huicq. ſoli innixus, à Regis latere numquàm diſcedens, acies omnes incolumis euaſit armatas, & in patriam rediit ſecurus. Ibi vrbanam, lautamq. vitam ducens, in ſummo otio vitam conſumpſit, donec Lutetiæ Pariſiorum viuere deſiit, in æde ſepultus Cæleſtinorum, ſedente Alexandro VI. R.P. cum hoc Gallico epitaphio.

*Cy giſt Reuerende Pere en Dieu Meſſire André d'Eſpinaij Cardinal, Archeueſque de Lyon & de Bourdeaux, Primat. de France & d'Aquitaine, Zelateur, & bien-facteur de l'Ordre des Celeſtins, qui treſpaſſa a Paris aux Tournelles le X. iour de Nouembre, l'An de grace mil cinq. centes ..... Priez dieu pour luy.*

Ex hoc epitaphio apparet Archiep. fuiſſe Lugdunenſis. Plures legationes fœliciter abſoluit pro Regibus Francorum, præcipuè ad Franciſcum II. Britonum Ducem.

Lege de eo Garimbertum *lib.* 3. Brulium *Theat. Antiquit. Pariſien.* Argentr. *lib.* 15. Ciacon. Panuin. Victorel. Arnoldum Vvion, Franciſcum Belforeſtium, Claudium, Vghel. Vialardi *vita Innoc. VIII. p.* 71.

A 8. *Homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum.* Sap. 9.



FR. Mapheus, ſeù Mattheus Gerardus Venetus, de quo cum diſcors recurrat Hiſtoricorum ſententia, verba primum tranſcribam Ciaconij, & Garimberri. *Fuit ille Ordinis Camaldulenſis, Patriarcha Venetiarum, Presb. Card. SS. Nerei & Achillei, tit. Faſciolæ, homo pluſ-*
B *quàm credibile eſt, pingui Minerua, ne dicam ineptus, ac ſtupidus. Quum enim Innoc. VIII. de augendo Senatu mentionem feciſſet, & Veneti Patritij nonnulli viri etiam clari, id muneris maximè expectare viderentur [ inter quos in primis erant Dominicus Grimanus, qui poſtmodum ſub Alex. VI. voti compos euaſit, & Nicolaus Lipomanus, qui ſub Leone X. Bergomatum Præſul obijt ] Senatus verò Venetus ( more ſuo, & quidem ſummoperè laudando) non hunc vel illum, ſed tantum Patritium aliquem Venetum bene merentem, Patrum numero adſcribi ab Innocentio expoſtularet, factum eſt opera Cardinalium Venetorum, qui Romæ tunc erant, Marci videlicet Barbi, Ioannis Michaelis, & Baptiſtæ Zeni, ægrè ferentium,*
C *Virum Venetum nominis alicuius, eo tempore Patribus adiungi, vt cæteris omnibus poſthabitis, ſolus hic Mapheus ad tantum honoris culmen ab Innocentio aſſumeretur: quippè quem omninò crederent, ætate præſertim ingraueſcente, in Romanam Curiam nunquàm conceſſurum: vel ſi in eam is aliquando concederet, numerum tantùm ( vt aiunt ) & vmbram facturum. Cardinalis itaque is factus, tantum Magiſtratum quanti fecerit, ex hoc maximè conijci poteſt, quòd intra paucos dies diploma muneris nuntium, quod ab Innocentio acceperat, amiſit. Verùm eodem Innocentio vita functo, quum Aſcanius Sfortia Cardinalis, vt ſuffragiorum maiorem ſecum haberet numerum, Fridericum Sanſeuerinatem, qui ab*
D *Innocentio Cardinalis tantùm deſignatus fuerat, ad comitia introducere, conniuente etiam Senatu, ſtatuiſſet, illius æmulus Iulianus Rauereus, qui poſtmodum Pontifex Maximus fuit, Iulius videlicet ſecundus, vt & ipſe in eadem re non minus ingenioſus videretur, admonito alio Innocentij diplomate, quod apud Laurentium Cibo illius fratris filium fortè erat, hunc hominem miſſis ad Senatum litteris, ad ſe accerſiri, quàm primum curauit. Senatus Venetus cum huius mores ſatis exploratos haberet, & Iuliano, nihilo tamen ſecius, morem gerendum putaret;*

ret ; Maphеum Romam ad comitia confeſtim miſit, Verum illi, vt puero pedagogos ex Senatus ſcribarum numero, Georgium Nigrum, & Franciſcum Pacium præfecit: quibus Maphęum in re omni obtemperare iuſſit, eredens eo pacto Iuliano ſatisfactum iri. Sed longè profectò, aliter, ac cogitatum fuerat, res ſucceſſit. Etenim dum Innocentio, funeris ſolita munia à Patribus perſoluuntur, Andreas Capellus, qui pro Venetis Romæ Legatum tunc agebat, vir certè magnanimus, & rerum experientia clarus, quid pro Iuliano Ruuereo adamuſſim acturi eſſent, Georgium, & Franciſcum, quos retulimus, ritè quidem imbuit; illi verò, ſimul ac Patres occluſi ſunt, in Roderici Borgiæ, qui paulò poſt Alexander VI. Pontifex Maximus appellatus eſt, cuiq. Aſcanius Sfortia fauebat, partes ſtatim inclinarunt, vnde cum Andreas Capellus, vt quidam crediderunt, Veneti Senatus nomine mortem homini interminatus eſſet, ille, non longo poſt tempore, ex animi dolore, vita conceſſit. Anno enim ab ortu Chriſti, quadringenteſimo nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum, Pontificatus eiuſdem Alexandri VI. primo, die 14. Septembris, Narniæ extremum obijt diem, non ſine veneni profectò ſuſpicione, ab eiſdem, de quibus paulò ante meminimus pedagogis, Georgio Nigro, & Franciſco Pacio, vt rumor fuit, propinati, ne hominis fortaſſe, etſi inſulſiſſimi verbis, Senatus magis irritaretur Venetus. Conſanguinei poſtmodum, defuncti corpus Venetias transferri, & in ciuitatis Baſilica locari curarunt. Cui nec ſepulchrum adhuc vllum poſuerunt, egrè ferentes, vt credibile ſit, talis viri memoriam vllam apud mortales extare, de quo ita ſcribit Iacobus Volaterranus in Diarijs.

Cardinalis Venetus, per hos dies, Venetias apud ſuos ſe ſe recepturus ab Vrbe recedit, & apud Interamnam Vmbriæ ciuitatem, ſenio confectus, & profectione, ac tædio itineris exagitatus vita excedit 14. Septembris. In reddendis ſuper Pontificis electione ſuffragijs, non tàm ſuo, quàm ſecretarij ſui iudicio vſus dicitur.

Veruntamen aduerſus Ciaconium & Garimbertum, & Franc. Mariam Vialardi p. 71. vita Innoc. VIII. Andreas Victorellus Maphei nomen ita propugnat. Ex ijs, quæ de hoc Veneto patritio narrat Ciaconius, plura olim à Garimberto Italicè ſcripta ſtomachum ijs mouent, qui ingenuos præſtantis Cardinalis mores, & ſanctimoniam ex veris monumentis agnouerunt: Petrus Delphinus, vir doctus, pius, & verax vniuerſi Camaldulenſium Ordinis moderator, qui cum Mapheo multis annis in cœnobio vixit, Abbatem, Patriarcham, & Cardinalem eum vidit, cum illo Romæ fuit, & Venetias redeuntem comitatus morientem conſpexit, Antonio Contareno patritio egregio, & optimo Venetiarum Patriarcha poſtulante, vt de Maphæo, quæ ſciret, ſcriptis mandaret, uberi epiſtola multa ſcripſit, An. 1514. die 20. Nouemb. ex qua ego pauca hic refero. Languebat in Maphæo adoleſcentiæ flos, cum prudenti conſilio, Camaldulenſe inſtitutum, Murani, in D. Michaelis cœnobio ſuſcepit. Vigebat tunc ibi Monaſticus feruor, Pauli Venerij viri integerrimi ſtudio & cura; qui ſeptem, & quinquaginta Annos, pietate, religioneq. ſingularis, Abbas cœnobium illud inſtruxit, rexit; cum hic, Maphæi magiſter, & dux in pace quieuiſſet, Maphæus in eius locum ſuffectus Monaſticæ diſciplinæ uigorem aluit, & auxit. Petrus Delphinus 16. Annos huic magiſtro paruit, eiuſq. in monaſticis legibus & ritibus ſeruandis conſtantiam demiratus eſt, in uigilijs, ieiunijs, ſilentio, ſolitudine neminem illo diligentiorem dixit, delitiarum contemptorem ei parem non uidit. Tunc æſtate, & hyeme Monachi media nocte matutinas preces recitabant, Maphæo, aut primus, aut inter primos ſemper templum adibat, & nunquam, quod mireris, defuit: in ſacrarum litterarum lectione, in precibus, & in rerum cœleſtium contemplatione aſſiduus erat: ſilentij diligens cultor cellulæ anguſtijs, dum fas erat, ſe continebat, exemplo magis, quàm uerbis filijs ſpiritalibus iter ad ueram gloriam oſtendebat. Liberalitate

A iuuabat egentes, & cum robuſtus eſſet; & à morbis alienus, in ægrotos tamen, & imbecilles eò erat clementior, quò ualentior. Patriarcha autem ita uixit; ut ſcripſerit Delphinus; [Adiui illum ſæpius, neque deprehendi aliquando apud ipſum, quòd non ſanctiſſimi Præſulis religionem, modeſtiam, humilitatem, benignitatem præſeferret; neminem de eo referentem audiui, niſi quæcumq. uera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta.... niſi inquam, quæcumque de optimo Antiſtite ſancto, innocente, impolluto, & ſegregato à peccatoribus relatu digna viderentur.] Cardinalis ab Innocentio VIII. ſecretò creatus, eo extincto, Cardinalis publicè declaratus, à Cardinalium Collegio Romam accerſitus eſt, ab ijſque cum ad

B Vrbem perueniſſet, honorificè exceptus. Delecto in Pontificem Alexandro VI. ad gregem paſcendum Venetias petiturus, 8. Idus Septemb. 1492. cum Delphino diſceſſit: in itinere dyſinteria correptus Interamnæ conſiſtere coactus eſt: ubi periculoſe decumbens omni terrenarum rerum cogitatione reiecta, animum, vt ſolebat, in cœlum erexit, ſacerdoti noxas diligentiſſimè, non ſine animi dolore, detexit, cœleſte beneficium, eo miniſtro conſecutus, ſacro in illius cubiculo mane peracto, Dominici Corporis Sacramentum, Delphino miniſtrante, pia mente percepit, & mox Sacramentum illud cupide petitum, quo in ſuprema lucta armantur ægroti. Veneti Oratoris ſecretarius Interamnam venit, paulò ante mortem eum alloquutus,

C miratus eſt, hominem morientem, rectè ad ea, quæ propoſuerat, reſpondiſſe: mox ſenſu uſque ad ultimum ſpiritum uigente, die 14. Septemb. hora 22. An. 1492. ætatis 87. mortalis eſſe deſijt; & benè moriendi, ait Delphinus, normam præſcripſit. Corpus autem peractis exequijs, Interamna Venetias delatum in S. Petri æde humatum, aſſeruit.

Die Septembris 12. de ægrotante Cardinali, Bernardino Priori Clauſtrali hæc Delphinus ſcripſerat. (Remotus eſt ab omni terrenarum rerum cogitatione, animo tantùm Cœlo intentus: ex ore eius ne uerbum quidem otioſum prodijt, mundi oblectamenta prorsùs abhorret.) Auguſtino autem Barbadico Venetorum Duci, die 13. (Heri

D confeſſus eſt diligentiſſimè; hodie ſingulari deuotione Eucharistiam percepit; & ſicut hactenùs ſanctè, & innocenter vixit, ita ægrotans nihil aliud curaſſe uidetur, niſi ut, ſumpto Sacratiſſimo Viatico, atque Eccleſiaſticis Sacramentis munitus, ex hac lachrymarum ualle demigraret) die, qua obijt, Bernardino Priori. (Diſceſſit autem non ſecus ac uixit, tanta ſanè animi intentione in Deum, ut nihil magis deſideraſſe illum crederes. Moriatur utinam, quandocumq. Deo placuerit, anima mea morte huius iuſti, fiantq. nouiſſima mea eius ſimilia) in calce epiſtolæ, uni-

eum

*cum vitæ regularis exemplum eum nominat* .

*Ex Delphini ueracis ſcriptoris epiſtolis apertè colliges, Ciaconium non vna in re, cum Garimberto deceptum: conſidera, quæ ſubijcio.*

Diploma amiſit: *ait Ciaconius. Quomodo diploma amiſit, ſiclam ab Innoc. Cardinalis creatus, poſt eius obitum publicè declaratus eſt, eum Patriarcha priùs nuncuparetur? Petis teſtimonium Delphini? en affero. [Ante annos aliquot ad Cardineam promotus ſecretò dignitatem, poſt mortem Pontificis, Cardinalis publicè declaratus eſt] paulò ante Patriarcham appellauerat; vt mox videbis.*

Iulianus miſſis ad Senatum litteris: *Non Iulianus Cardinalis S. Petri ad Vincula, ſed Cardinalium Collegium Maphæum Romam acciuit, aperta ſunt Delphini verba [Defuncto Innoc. VIII. Pont. Max. accerſitus eſt Romam Reuerendiſſ. Patriarcha à Sacro Cardinalium Collegio.*

Adeum miſit: *Senatus Maphæum ad Iulianum non miſit, vocatus a Sacro Collegio ſtatim ipſe iter arripuit; Senatus ſuaſit, non præcepit, non miſit: eredes Delphino aienti [Accerſitus à Sacro Cardinalium Collegio] interfuturus electioni noui Pontificis, ſuadente Illuſtriſſimo Dominio, cum feſtinatione, iter arripuit.*

Pędagogos.... G. Nigrum, & F. Pacium: *De his nullum verbum Delphinus, de ſeipſo ad iter excitato dixit, [inſecutus ſum ipſum continuè, admonitus per litteras Venetijs allatas; vt ita facerem, ..... & quod Dominium hortaretur, vt ipſum in Vrbem deducerem.] Delphinus Maphæo cognitus, amicus aſſuetus itineribus, & à nonnullis Cardinalibus, à Senenſe præcipuè Ordinis Protoectoro dilectus, in itinere, Romaque vſui eſſe poterat.*

Narniæ.. obijt diem. *Interamnæ, vt vidimus, non Narniæ, in cælum abijt; vt etiam Volaterran. ab ipſo Ciacon. mox allatus docet.*

Mortem interminatus: *Quis credat prudentem & optimum ſapientiſſimæ Reip. Oratorem nulla iniuria læſum, ſenem capularem, innocentia, & ſanctimoniæ laude inſignem, Patriarcham, & Cardinalem neci propoſita minis territaſſe? quis dixit?*

Veneno propinato: *Nulla veneni ſuſpicio ex Delphino colligitur: dyſenteria Cardinalem optimum occubuiſſe, teſtatur; quam in ſene nonagenario, non itineribus, ſed cubiculo aſſueto, & quieti, itineris moleſtia, ſellęque, qua incommodè geſtabatur, agitatio excitare facilè potuit.*

Ægrè ferentes talis viri memoriam extare: *Hoc*
A *non dixit Garimbertus; ſed tantum corpus humatum, ſine ſepulchri memoria, & epitaphio; at ne hoc quidem verum. Epitaphium recenſetur in Venetæ Vrbis deſcriptione Sanſouini; en illud.*

Maphæus. Gerardus. Patriar. Venetiar. Dalmatiæq. Primas. S.R.E. Cardinalis. MCDXCII.

Locus. carnis. proprius. terra. eſt.

*Viget cæleſtis ſapientis viri memoria Venetijs etiam in picto illius ſimulachro apud S. Petrum in ædibus Patriarchæ: epiſtolæ autem, in quibus egregiè celebratur, à Petro Delphino Veneto Patritio ſcriptę; Venetijs editæ ſunt.*

*Andreas Victorellus.*

Inter digladiantes hiſtoricos, quid ſentire liceat?
B cum proferre nõ audeam, alios inquiſiui, & apud Fr. Coſmum Congregationis Somaſchę, nunc Archiep. Spalatenſem, *lib. 1. c. 2. p. 13.* ſequentia legi: *Ioanni Barocio, in Patriarchatu Veneto, ſufficitur Maphæus Gerardus Monachus S. Michaelis de Murano, quamuis ad omnia ineptus; Cardinalis creatus ab Innocentio VIII. Menſe Iunio, 1492. in præmium, quòd Breue Excommunicationis intimaſſet Aduocatoribus, & 40. Virali Collegio.*

C

## Diaconi Cardinales.

*9. Circumdedit Mare terminis ſuis: poſuit vectem, & oſtia, & dixit: Huc vſq. procedes, & non tranſibis ampliùs: hic confringes tumentes fluctus tuos;*
Iob. 38.



PEtrus d'Aubuſſon Ludouici filius & Catharinæ de Rocho-chouardè ramo, & Bourdet in Marchia Lemouicana Aruernis & Petracorijs contiguo natus, Ordini Hieroſolymitano, ab ineunte ætate nomen dedit, ad Germanoſque profectus, in caſtris Cæſaris Sigiſmundi, militiæ rudimenta poſuit. Cumq. idem Cæſar Muſarum eſſet alumnus: factum, vt iſte quoque litteris aliqualiter imbutus, & frequenti hiſtoriæ lectione delectatus, fortium virorum exempla ſibi proponens, ad eorum præclara imitanda facinora comparatus; omnium, præcipuè Principum beneuolentiam ſibi facilè compararet.
D In his adhibitus à Carolo VII. Francorum Rege, arduis quibuſdam negotijs, eam retulit diligentiæ laudem; vt Rex ſæpe numero Albuſſonij fidem, & obſequium comendaret. Equitibus Rhodiorum adſcriptus Commendatarias pinguiſſimas partim ſortito ſibi aduenientes; partim in præmium benè nauatæ operę collatas accepit: & Orator ad varios Principes ab eodem Ordine miſſus pro colligendis pecunijs ad tutelam inſulæ Rhodienſis, à Turcarum in-

niultu; à Galliarum Rege Ludouico XI. Sexaginta habuit aureorum millia, & ad plures Menſes commeatum. A Sixto IV. R. P. Decimas vicinarum eccleſiarum, cum vectigalibus, quæ iuris eſſent ambigui inter Ferdinandum Regem, & Pontificem Romanum: quæ omnia ad comparandum claſſicum commeatum inſumpſit. Hoc munere impigrè functus, factus Lurelij Baliuus, Rhodienſis gubernator ciuitatis, mox Aruerniæ Prior, tandem totius Ordinis Magiſter electus die 12. Iunij, 1476. in locum defuncti F. Baptiſtæ Vrſini, mœrens & inuitus ſuos redarguit electores, quòd hominem elegiſſent Chriſtianæ inutilem Reipublicæ. Fama autem per illos dies incrcbreſcente, Mahometem II. Turcarum Regem (qui Europæ, & Aſiæ terror dictus eſt) inſulam adoriri; ad eam muniendam, animum adiecit, fratre ſuo Antonio d'Auboſſon V. Comite de Montelis, magni apud milites nominis, opportunè euocato: Anno namq. 1479. Ottomanus adfuit cum claſſe centum, & 160. nauium, ac triremium compoſita; primoq. impetu expoſitis 40. Turcarum millibus Vrbem obſedit, oppugnauit. Vrbis mœnia vegrandibus machinis labefactata corruerant, eamq. ſubierant Turcæ, repulſi tamen Equitum armis; quæ nil profuiſſent; niſi Deus adiunxiſſet auxilia. Is enim oſtentis Turcas terruit, quibus & octo millium ſuorum cæde; & quindecim millium vulneribus labefactati Inſulam reliquerunt; illuſtre Chriſtianæ virtutis monimentum. Anno ſequenti Mahometes ipſe dum nouam pararet expeditionem, morte preuentus regnum filijs reliquit & diſcordiam. Apud Pruſſiam namq. Bithiniæ vrbem Zizimus frater natu minor à Baiazete victus Rhodum confugit a Petro lauiè exceptus, inde in Galliam, Romam tandem ad Innocentium VIII. qui præ gaudio Petrum Aubuſſonium die 9. Martij, 1489. Diaconum Cardinalem creauit *S. Hadriani*, eiq. Rhodum, rubrum miſit galerum, quem Petrus die SS. Apo. Petri & Pauli, ſolemni pompa ſuſcepit cum totius Aſiæ legatione. Ante acceptam purpuram, ſedente Sixto IV. à Baiazete Turcarum Rege, S. Io: Baptiſtæ dexteram, magna veneratione ſuſceptam pretioſiſſimè incluſit: vt non minus religioſè in inſula Rhodo, quàm Conſtantinopoli, quàm tutius coleretur. Sacra ornatus toga ſagum minimè poſuit militare, ſed Vaticano Senatore, & bellico Imperatore digna abſoluit facinora. fortitudinem cum prudentia, iuſtitia, religione, pietate connectens, in Oriente Chriſtianum nomen ſeruauit, teſte Alex. R. P. quem in publico Conſiſtorio laudatorem habuit. Ab eodem Generalis declaratus Chriſtianæ claſſis, quam fœderato Orbe Catholico Pontifex inſtruens Romanus in Turcas, ſpem grandem excitauerat pro Fidei Chriſtianæ incremento. Lege eius geſta apud Boſium *in Hiſtoria Hieroſolym.* & Ludouicum Donium d'Attichij, *in floribus Cardinal.* Plura etiam ordinauit Decreta, ad regimen Ordinis Hieroſolymitani, quæ habes in Boſio *lib.* 14.

Turcarum dum vexaretur armis, Dauidem æmulatus orantem, vt Diuinum ſortiretur auxilium, in honorem Virginis Deiparæ, nobile ſacellum erexit, cuius ope efferos hoſtes ſuperauit. Romam haud venit, ne Inſulam exponeret Turcarum irruptioni. Rhodiorum Religioni præfuit Annos ſeptem ſupra viginti, obijtq. Rhodij, die Lunæ, Iulij XXX. An. 1503. octogenario major, pugnans aduerſùs Mahometem Turcarum Regem. Spolia ditiſſima Ordini reliquit Hieruſolymitano, laudatus in funere à viro docto Auguſtiniani Inſtituti. Cadauer balſamo delibutum vrna excepit in templo D. Io: Baptiſtæ.

Lege Garimber. *lib.* 3. Boſium: Ciacon. Victorel. Spondan. Frizon. Contelor. Auber. Panuin. Hippol. Marrac. *in Purp. Marian.* Tanto Heroi plurimi, ac celebres ſcriptores concinere hodes; ſed vnum accipe Fulgoſium *lib.* 3. *c.* 2. *Quia ſingularia certamina de quibus eſt ſcriptum, victoribus haud magno ſanguine conſtiterunt, minore etiam periculo quod vno tantum deditionis verbo obtinere ſalutem poterant. Fortaſſe quod animi fortitudinem minus ea virtutis habuiſſe homines cenſere poterunt. Quamobrem opere pretium putauimus vnum ſubiungere certamen, in quo tantum periculi exhauſtum eſt, tantarumque virium opus fuit: vt non ſolum ſingula eius partes ſingularem virtutem id habuiſſe teſtentur; ſed etiam quia res ipſa temporibus noſtris geſta eſt, certiſſimam habeat fidem. Cum Mahumetes Turcarum Rex Rhodum ætate noſtra validiſſimo exercitu petiiſſet, atque inſula potitus arcta obſidione vrbem premeret, tormentorum vi ita quaſſatis muris, vt nullo labore in eos per ruinas hoſtes conſcenderent; iam in ſummos muros Turcarum ingens numerus peruenerat. In tam graui periculo Rhodios illa res iuuabat, quod intrinſecus Vrbis ſitus admodum depreſſus erat, Turcæque, qui per ruinas in eam irruere nitebantur, niſi in præceps ſe, ac manifeſtum periculum mittere vellent, vnis tantum lapideis ſcalis quibus in muros Rhodij conſcendebant, deſcendere cogebantur. Cum eo in loco periculi ſumma verſaretur, Petrus Daubuſſon natione Gallus, Rhodia religionis princeps, tuendum ſibi eum deſumpſit, ſecum duobus nepotibus ac quatuor alijs militibus adhibitis. Is illic tantis viribus tantoq. animi robore pugnauit: vt quamquàm ex comitibus perplures alijs ſuffectis occidiſſent, & ipſe quinque acceptis vulneribus perfoſſa, fractaque haberet arma, Turcarum tamen nullum eam in vrbem penetrare permiſerit, ſed ingenti repulſos cæde ſoluere obſidionem coegerit: ea in ſcalis tuendis edita animi, & corporis viribus, quam Cocles Horatius Romanus aduerſùs Hetruſcos, dum Sublicius pons reſcinderetur, præſtitit: tanto maiore virtutis laude, quanto maiorem ſuſtinuit hoſtium vim: neq. enim Turcis immanitate Hetruſci fuerunt conferendi.*

Scu-

Scutum Petri gentilitium pinxit Ciaconius Crucibus quatuor non anchoratis: cum tamen in libro ſtatutorum Ordinis Rhodij, quæ Petrus ipſe edidit quadripartitum occurrat, in prima, & quarta area coccinea, argentea cruce anchorata; in ſecunda,& tertia argentea miniata cruce non anchorata, expreſſa.

10. *Filia Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delitijs: qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.* 2. Reg. 1. *n.* 24.

IOannes Medices Florentinus D. C. *S. Mariæ in Dominica* promotus ab Innoc. VIII. pridie Idus Martij, 1389. Papa futurus *Leo X.* dictus Mundi deliciæ. Lege eius vitam. A

11. *Quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur.* Prouer. 7.



FEdericus, vel Fridericus Sanſeuerinas Mediolanēſis vel Neapolitanus, Ioannæ de Corregio, & Roberti Sanſeuerinatis Comitis Caiazzi (qui ſub Innocentio VIII. aduersùs Ferdi- B nandum Regem Neapolis, caſtris prçfuit Eccleſiaſticis) ab eodem Papa, in gratiam parentis, Diaconus Card. *S. Euſtachij* dictus Anno Sal. 1492. ex electo Epiſcopo Maleacenſi, non tamen publicatus in pœnam paternæ perfidiæ, qua laborabat apud Innocentium. Auro namq. vt ferrebatur, corruptus, bellum protrahebat, victorias declinabat, quas ſæpè magno Eccleſiæ incremento conſequi valuiſſet. Mortuo Innocentio, Federicus Romam venit armatus vnà cum fratre cognomento *Fracaſſo*; inſtante pro eo, Aſcanio Sfortia qui nouum Pontificem ex voto creare ambitiosè nimium C concupiſcebat; & ita cum Patribus egit timore correptis (ne Fracaſſus ſeditionem excitaret) vt confirmata Friderici promotione, in Collegium admitteretur, vt in comitiis numerum augeret Sfortianę factionis, quæ tandem præualuit in electione Alexandri VI. à quo cum plura retuliſſet beneficia, tanquàm fidus pacis interpres miſſus ad Carolum Galliæ Regem, tandem ipſi Alexandro ſuſpectus, cum in aula Palatina, vnà cum Aſcanio Sfortia Cardinali, ob eaſdem cauſas à Pontifice detineretur captiuus, idemq. Pōtifici Aſcannium commendans intrepidè diceret, *Pontificem meminiſſe debere, illum eſſe fratrem Ducis Mediolanenſis*; illicò reſpondit Pa- D pa, *Aſcanium non debere eſſe immemorem; ſe Alexandrum VI. P. M. eſſe Ieſu Chriſti in terris Vicarium; & in illum, atque in cæteros eius ordinis ſummam poteſtatem habentem.* Cumq. altera die Sanſeuerinati Cardinali data eſſet abeundi poteſtas; collegam Aſcanium ſolum dimittere recuſauit: Huic duo: illi tres miniſtri ad curam conceſſi; vt nihil præter libertatem deeſſet; in libero carcere perdurauit vſq. ad obitum Alexandri VI. poſt quem, promouit Pium III. & Iulium II. cuius aſperam, & bellicoſam indolem abhorrens Sanſeuerinas, vt pote deliciis deditus, in gratiam Maximiliani Imperatoris, & Ludouici XII. Galliæ Regis, Concilio ad adfuit Piſano & Mediolanenſi, contra Pontificem congregato. Eiuſdem Concilij nomine, caſtra ducens, quibus ad Rauennam dimicatum cæde cruenta, totius exercitus Pontificij, Ioannem Mediceum Cardinalem Diac. S. Mariæ Virginis, Legatum Apoſtolicum captiuum recepit, Mediolanum traxit, vbi Conciliabulum proſequabantur Piſanum. Audi Polonium in deſcriptione pugnæ Rauennatis canentem,

*Hic ſtabilis rerum per tot diſcrimina Cardo.*
*Fortunæq. potius domitor, Medicuſq. ſalutis,*
*Italiæ, Gallis capitur, comitemq. ſerena.*
*Fronte* Seuerinas *medios ſuſcepit in enſes.*

Pompæ auidus ſæcularis magis quàm Sacerdotij, caſſide, thoraceq. clypeatus inter tormenta fulgens Mauortia,

*Cardineo hic pariter Federicus honore ſuperbus.*
*Sed claro Mauorte nitens metuendus in hoſtem.*
*Ire capit. Dic Iule viro quis dignior unquam,*
*Iure togæ? aut bello, aut claris prçſtantior armis.*
*Nec ſegnis Federicus, equo per tela ſeuerus.*
*Arma ſimul, pediteſq. alto clamore ciebat.*

A Iulio propterea Romano Pontifice, honoribus exutus Sanſeuerinas anathemate notatus, poſt obitum Iulij II. comitiis adeſſe non fuit permiſſus creādi noui Pontificis, donec creato Leone X. & per Fridericum abiurato Sciſmate, vnà cum Carauaialio ad omnes reſtitutus honores, Romam rediit Diaconus Card. *S. Angeli* cum antea *S. Theodori* diceretur (Diaconiam namq. *S. Theodori* obtinuerat Alphonſus Petruccius) venationibus, theatro totus intentus, quaſi non hominum, ſed equorum, & canum paſtor, cum tamen Vienenſi, Morinenſi in Gallia, Nouarienſi in Italia, & Rothomagenſi prçeſſet Eccleſiis. Legationis munere legitimè functus in Prouincia Patrimonii B. Petri, in Tuſcia, alias ſubiit Sciſmaticus nomine Piſani Conciliabuli. Romæ deceſſit Diaconorum Cardinalium primus die Iouis, ſeptima Auguſti An. 1516. vel ex Ciaconio 1517. Eo defuncto, partem ſpolii accepit Iulius Mediceus Card. cui commendata fuit Abbatia Morimundenſis. Corpus humum ſubiit in ędes Capitolina ſine epitaphio.

Ciacon. Panuin. Io: Chenu de *Ep. Gallia*. Vghel. Garimber. Spondan. Carol. Ep. Nouarien. *in Nauaria*. Auber. Claud. Rober. *in Gallia Chriſtiana*. Contelor. Pallauicinus *l. 1. c. 2. de Trid. Concil.* Vide quę dedimus *in Vita Iulij II. & Leonis X.* Belcarius *rerum Gallic. lib. 5. n.* 38.

12. *Apprehende arma, & ſcutum; & exurge in adiutorium mihi.* Pſal. 34.

FRidericus Iagellonius, Caſimiri Regis Poloniæ filius ex Archiepiſcopo Cracouienſi, Cardinalis aſſumptus S. R. E. ab Innoc. VIII. vt patet ex Inſtructione data Regiro Cardinali Legato

ad Reges Vngariæ & Poloniæ, An. Sal. 1491. in qua Legato comittitur, *Conſilio vti Cardinalis fratris eiuſdem Regis, cui ſe purpuram contuliſſe* proteſtatur *Cardinalitiam*: vt apud Franc. Mariam Vialardum *in vita Innocentij VIII. p.* 71. Concordat Cromerus *hiſtor. Poloniæ*, ſcribens, vacantem Epiſcopatum Gneſnenſem collatum fuiſſe ab Alexandro VI. Anno Sal. 1493. Friderico Iagellonio Regis fratri, & Cardinali S. R. E. eiuſq. non bis reperit memoriam tanquàm Cardinalis. Huius promotionis cauſa, votum fuit Innocentij VIII. quo bellum meditabatur in Turcas, vt Vngaros & Sarmatas ſub ſignis alliceret aduersùs infideles.

13. *Canite tuba in Syon, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes*. 2. Ioel. 15. A

....... Archiep. Strigonienſis eodem voto promotus (teſte *Vialardo pag.* 71.) cum oblatione Legationis Vngaricæ, ſi Romam deſcenderet ad accipiendum pileum.

14. *Ego autem ſum puer paruulus & ignorans egreſſum, & introitum meum*. 3. Reg. 3.

PAntaleo Cybo nepos Innocentij VIII. ex Chriſtophoro ſuo conſobrino, inter Cardinales S. R. E. aſſumptus ab Innocentio VIII. Diploma etiam accepit, ſed quia in pupillari ætate quamuis optimis imbutus moribus Titulum, & poſſeſſionem impetrare non valuit: teſte *Vialardo p.* 46. Inſignia habes in ſtemmate eiuſdem Innoc. 8. B

15. *Et inuocabant nomen Baal de mane vſq. ad meridiem dicentes: Baal exaudi nos*; 3. Reg. 18.

NIcolaus Cybo Archiepiſcopus Arelatenſis, qui Nicolaum Vrſinum Generalem S. R. E. domum redeuntem in die ſuæ promotionis, aduersùs Ferdinandum Regem Neapolis, comitatus legitur apud Vialardum *p.* 42. *in vita Innoc. VIII.* Cardinalis dictus S. R. E. ſed non publicatus; poſt obitum Innocentij; magnus Turcarum Rex per litteras Alexandrum VI. rogauit, vt Nicolaum publicaret [ob vana hominum ſitis & ambitus] & perfectum faceret Cardinalem, ſi veræ ſunt litteræ Turcarum Imperatoris, quas Brucardus Ceremon. Magiſter in Diario reſcripſit, Etiam hoſtes Eccleſiæ, & Chriſti blaſphematores inuocantur vt ad apicem conſurgamus Eccleſiæ?

Inſignia habes in ſtemmate eiuſdem Innocentij VIII.

16. HErmolaus Barbarus Venetus, Venetæ Reipublicæ orator apud Innocentium VIII. Patriarcha dictus Aquileienſis contra patrias leges; & minimè Cardinalis S. R. E. De eo lege in Geſtis Ducalibus Venetorum per me conſcriptis.

## Vice-Cancellarij S. R. E. ſub Innoc. VIII.

ROderieus Borgia Ep. C. Portuen.

# ALEXANDER VI. R. P. CCXVI.

ALexander VI. Eligitur 3. Idus Auguſti An. Sal. 1492. Obiit 15. Kal. Septemb. An. Sal. 1503. Eius adfuere comitijs. C

## Epiſcopi Cardinales.

Rodericus Borgia Valentinus Ep. C. Portuen. Decanus Collegii &c. ex Calliſto III. & Sixto IV.

Oliuerius Carafa Archiep. Neapol. Ep. C. Sabinus: ex Paulo II. & Sixto IV.

Iulianus de Ruuere Ep. C. Oſtien Maior Pœniten. ex Sixto II. D

Baptiſta Zeno Venetus Ep. C. Tuſculanus: ex Paulo II. & Sixto IV.

Io: Michaelius Venetus Ep. Veronenſis, Ep. C. Preneſtin. ex Paulo II. & Innoc. VIII.

Georgius Coſta Ep. C. Albanus ex Sixto IV. & Innoc. VIII.

## Presbyteri Cardinales.

Ludouicus Milanus Valentinus Hiſpanus P. C. tit. S. IV. Coronat. Prior Presb. ex Calliſto III. abſens fuit.

### Ex Sixto IV.

Petrus Gundiſaluus de Mendoza Hiſpanus Archiep. Toletan. P. C. S. Crucis: abſens erat;

Hieronymus Baſſus de Ruuere Saonenſis, Ep. Recanaten. P. C. S. Chryſog. dictus Ilerdenſis.

Dominicus de Ruuere Taurinenſis, Archiep. Tarentaſien. P. C. S. Clemen.

Paulus Fregoſius Archiep. Genuenſis P. C. S. Sixti.

Io:

Io: de Comitibus Archiep. Conſanus P. C. S. Vitalis tit. Veſtinæ.

Io: Iacobus Sclafenatus Ep. Parmenſis P. C. S. Stephani in monte Cœlio.

Ex Innoc. VIII.

Laurentius Cibo Genuen. Archiep. Beneuen. P. C. S. Cæciliæ.

Ardicinus de la Porta Nouarien. Ep. Albien. P. C. SS. Io: & Pauli tit. Pam.

Antoniottus Pallauicinus Genuen. Ep. Aurien. P. C. S. Anaſtaſię.

• Ludouicus Spinaii P. C. S. Martini in Montibus, tit. Equitii: abſens.

Fr. Maphęus Gerardus Patriar. Venet. P. C. S. Nerei & Achillei.

## Diaconi Cardinales.

Franc. Picolomineus Archiep. Senen. D. C. S. Euſtachii, Archid. S. R. E. ex Pio II. A

Ex Sixto IV.

Raphael Riarius Sauonen. D. C. S. Georgii in Velabro Cameratius S. R. E.

Io: Bap. Sabellus Rom. D. C. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Io: Columna Romanus D. C. S. Mariæ in Aquiro.

Io: Bap. Vrſinus Romanus D. C. S. Mariæ Nouę.

Aſcanius Maria Sfortia Mediolan. D. C. SS. Viti & Modeſti in macello Mar.

Ex Innoc. VIII.

Io: de Medicis Florent. D. C. S. Mariæ in Dominica.

Fr. Petrus Daubuſſon Gallus, Magnus Rhodi Mag. D. C. S. Hadriani.

Franciſcus Sanſeuerinas D. C. S. Theodori.

## Epiſcopi Card. promoti vel mutati ab Alex. VI.

1. IOannes Michaelius ex Ep. Præneſtino Ep. C. Portuenſis, & S. Ruffinæ. B

2. HIeronymus Baſſus de Ruuere ex P. C. tit. S. Cæciliæ Ep. Præneſtinus.

3. GEorgius Coſta ex Ep. Albano Ep. Tuſculan. poſtea Portuen.

4. LAurentius Cibo ex P. C. tit. S. Marci, Ep. C. Albanus, poſtea Tuſculanus.

## Presbyteri Cardinales.

5. IO: Bap. Vrſinus ex Diac. C. S. Mariæ Nouæ, P. C. S. Io: & Pauli, tit. Pammachii.

6. *Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.*
Matth. 12.



IOannes Borgia Valentinus, Hiſpanus ex ſorore nepos Alexandri VI. frater natu maior Petri Ludouici Cardinalis, ex Protonotario Apoſtolico, & Correctore Litterarum Apoſtolicarum, à Sixto IV. Anno 1483. Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia, mox ab Innocentio VIII. Gubernator Vrbis, demum creato Alexandro VI. Ioannis auunculo, in primo Conſiſtorio prid. Kal. Septemb. 1492. Presbyter Card. tit. *S. Suſannæ* renunciatur; in quo Alexander ſacramentum, quo ſe adſtrinxerat non augendi numerum Cardinalium, ea interpretatione temperauit, vel deluſit: ita mente concepiſſe, niſi ex conſenſu maioris partis Senatus collaturus eſſet. Lege quæ dedimus *in vita Alexandri VI. n.* 1. S. R. E. ViceCancellarius conſtitutus plures tamen per interpretem adminiſtrauit Eccleſias, Olomucenſem ſcilicet, Baiocenſem, Lombarienſem, Caurienſem in Hiſpania, Ferrarienſem in Italia, quam poſtea Hippolyto Cardinali reſignauit Eſtenſi. Rexit etiam Patriarchatum Conſtantinopolitanum, illiuſq. ſæculi corruptela Orbem ſibi ſubieciſſet Eccleſię, vt aurum congregaret. Neapolim Legatus vt ea in vrbe Alphonſum Ferdinandi filium, diademate redimeret, ac obedientiam exigeret feudalem Eccleſiæ Romanæ: ad Carolum quoque VIII. Galliæ Regem, conſentiente Purpuratorum Senatu, vt pacis leges firmaret inter Pontificem, & Regem, Brachianum vſq. obuiam proceſſit, ſed incaſſum; Rex namq. Romam ingreſſus cum Phalangibus, Cæſarem Borgiam ſecum traxit, & Zizimum fratrem Regis Turcarum. Romæ è vita migrauit, ſub auunculo Alexandro VI. die 1. Auguſti, 1503. non Anno 1500. vt ſcripſit Garimbertus *p. 400. lib. 4. geſtorum Cardinalium*. Qui enim veneno ſublatus periit, fuit alter Ioannes Borgia Cardinalis dictus Melphitenſis, de quo Iouius in vita M. Conſalui. *Borgiam quoque iuniorem* Cardinalem, quòd Candiano faueret, veneno ſuſtulerat. Qui extrema clauſit Anno 1503. fuit Io: Archiep. Montis Regalis, ſepultus in Vaticano apud S. Petrum, in ſacello Calliſti III.

C D

Ciacon. Panuin. Contelor. Auberij. Sumon *H. Neapol.* Io: Bap. Guarin. *Hiſtor. Ferrar.* Vghellus, Lud. Lelius *Hiſtor. Montis Regalis.*

*7. Etenim correxit Orbem terræ, qui non commouebitur; iudicabit populos in æquitate:*
Pſal. 95.



IOannes Mortonis Anglus ex Epiſcopo Æliensi Archiep. Cantuarienſis, & Primas Angliæ demum Cardinalis, & ſummus Angliæ Cancellarius. Epiſcopus cum eſſet Ælienſis, in Belgium ſe contulit Logum, & Sacrorum Canonum ſtudijs ſedulò incumbens, in quibus nonnullas etiam ſui ingenij lucubrationes poſteris tranſmiſit, cum exemplo grauitatis, prudentię, iuſtitiæ in erroribus corrigendis. Vita exceſſit Menſe Octobri, An. 1500. in ſacello ſepultus, quod viuens erexerat in Cathedrali Cantuarienſi. Eccleſiæ Ælienſi legauit auream Crucem cum Mitra. Cauit etiam teſtamento; vt viginti Annorum ſpatio, triginta pauperes iuuenes, ex redditibus à ſe relictis alerentur in Angliæ Accademiis.

Ciacon. Panuin. Auber. Pitſęus *de Scriptor. Angliæ*; Contelorius, Vghel. Nicol. Arsfeldius, Godeuin. *in Archiep. Cantuarien.*

*8. Beatus vir, qui in Sapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei,*
Eccl. 14.



IO: Atonius de S. Georgio, natu Italus, Mediolanenſis, ex nobili S. Giorgiorum familia, præfuit Mediolani, Eccleſiæ S. Ambroſij Maioris, I.V. Doctor, Anno ætatis XXIIX. Ticini profiteri cæpit, primoque Anno Clementinas, duobus ſequentibus Iura Appellationum, alijs duobus quartum librum Decretalium interpretatus, in eo munere tres horas ſingulis diebus inſumpſit. Anno ſexto Feuda explicauit plura mutuatus ab Aluaroto: primam etiam Decreti partem expoſuit, vnde ſuo æuo, Iuris Conſultorum Princeps haberetur, teſte Corteſio. Scripſit

*Lecturus ad Decretum,*
*Lecturus ſuper Decretales,*
*Commentaria in 4. Decretalium, & in tit. 2. Decretal.*
*De Appellationibus,*
*De Feudis.*
*Tractatus plures in varios I.V. titulos.*

Orationes etiam ſcripſit,
*In Dominica Paſſionis coram Summo Pontifice habitam.*

*Orationem in funere Federici de Cluniaco Cardinalis S. Vitalis,* quam Romæ habuit frequenti Senatu.

Ob doctrinæ, & vitæ Sanctitatem ab Innocentio VIII. Romam vocatus Auditor Sacri Palatii, ſed Rotæ Referendarius Apoſtolicus, munera exercuit abſq. labe innocens, & impollutus, teſte *Iaſone S. Gallus, n. 33. de lib. & poſthum*: deinde Epiſcopus creatus Alexandriæ; demum 3. Id. Septemb. 1493. ab Alexandro VI. Presb. Card. *SS. Nerei, & Achillei, tit. Faſciolæ*. Epiſcopus cum eſſet Alexandrinus, Oratoris munere functus eſt nomine Ducis Mediolanenſis ad Matthiam Coruinum Vngariæ Regem.
A Poſt adeptam purpuram, Parmenſem accepit Epiſcopatũ à fundamentis reſtituit, ac pretioſa ſuppellectili illam exornauit Cathedralem. Ædes etiam Epiſcopales Alexandriæ auxit, ac nobili ſuppellectili ſacrarium locupletauit; ſolumque, arcam parauit prope templum, vt in ea domicilium construeretur Canonicorum. Titulum etiam Patriarchæ ſubiit Hieroſolymitani; Eccleſijs pręfuit Albanæ ex Ciaconio; ex Suareſio verò, & Vghello, Tuſculanæ, die 22. Decemb. 1503. tum Præneſtinæ; demum Anno 1507. Sabinæ. Bis legatione functus in vrbe, primò ſub Alexandro VI. deinde ſub Iulio II. quando ab Vrbe diſceſſit ad recuperandam Bo-
B noniam, in quibus Legationibus, Cruce nunquàm vti voluit ob reuerentiam Sedis Apoſtolicæ. Comitijs cum interfuiſſet Pij III. & Iulij II. Romæ ex hac vita migrauit die Veneris 28. Martij: vel 14. Martij, 1506. hærede ſcripto in ſuo Teſtamento, ſocietate SS. Saluatoris, ad Sancta Sanctorum; cuius in funere perorauit Camillus Porcarius, Humum in æde S. Celſi cum epitaphio.

*D. O. M.*

*Hic ſepultum eſt corpus R.D.D. Io: Antonij de S. Georgio Mediolanen. Ep. Sabinen. S. R. E. Card. Alexandri-*
C *ni nuncupati, Societas Saluatoris ad Sancta Sanctorum heres ex Teſtamento B. M. poſuit. MDX. VII. Kal Septemb.*

Sunt qui eum à Ruffino Guaſco, qui Bononiæ Pretor fuit, deſcendere velint; cuius Accurſius *l. ciues. C. de Incol. lib. X.* & Baldus *l. obſeruare. ff. de offic. Proconſul*, meminerunt. A multis natu aſſeritur Placentinus; ſed confutantur ex epitaphio, in quo dicitur Mediolanenſis, ex familia S. Giorgiorum, quæ Placentiæ vigebat.

Ciacon. Panuin. Vghellus, Guido Panzirolus *de Claris legum Interpret.* Leander Alber. *in Italię deſcript. Hieronym. Ghilen. in Theat.* Nomenclator;
D Garimber.

9. Ci-

9. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.*
Eccl. 15.



IOannes de la Grolaije; vel de Villarijs Gallus, Monachus S. Dionyſij Pariſienſis, clauſtra inſtaurauit Dionyſiana, in quibus parthę eius adhuc viſuntur. Partem etiam Sandionyſiani Collegij emit cum ſtabulis vicinis, vbi pulcherrimę hodie offeruntur ędes, (A) vocanturq. *L'Hoſtel de Charstez*. Præſul Lombarienſis An. 1477. Epiſcopatum nepoti ſuo Dionyſio de Villarijs reſignauit Anno 1490. tres ante deceſſum dies. Vir [teſte *Claudio Roberto*] cui amori Religio, cui honori ſapientia, cui bono odori iuſtitia eſt. Vas electionis in honore, plenum gratię, & veritatis. Plures Legationes Regis nomine ſubijt, pręcipuè ad Ferdinandum V. Hiſpaniæ Regem, pro pace concilianda inter Reges. Scripſit è ciuitate S. Ioannis *de Lus* ad monachos S. Dionyſij, die X. Octob. An. 1477. *Heſterna luce fuit pax ſtabilita inter Monarchas Franciæ, & Hiſpaniæ, die ſacra D. Dionyſio patrono noſtro & Protectori, hodie fuit promulgata. Rogo vos iterum, atq. iterum, vt ſolemnem celebretis proceſſionem, & ignes excitetis lætitię, vt Lutetiæ excitabuntur, per plateas, quibus Rex mirum in modum delectabitur.* (B) Anno ſequenti electus fuit à Clero Pariſienſi, vt Regni intereſſet Comitijs habitis in vrbe Turonenſi, in quibus interpres incedens inter Canones, & Leges Sacerdotium vniuit cum Potentia. Romam Orator miſſus à Rege Carolo VIII. ad Alex. VI. Anno 1493. Presbyter Cardin. dicitur tit. *S. Sabinę*, dum munere fungeretur legationis. Ibidem agens, fabricari curauit ab Angelo Bonarota adhuc adoleſcente Iconem Deiparę marmoream, & (C) filij mortui in ſinu iacentis materno, poſitam in Capella Regia Franciæ, D. Petri, quæ ob nouam fabricam tranſlata fuit ad Deiparam *de Febre* dictam. Eius aſſumptione cognita, Monachi Sandionyſiani gratias egerunt Pontifici de collato Cardinalatu Abbati ſuo; epiſtolam Canonicorum referente *Frizonio*. Romę deceſſit 8. Idus Aug. 1499. in Vaticano ſepultus, in capella Regum Franciæ, ſita ad dexteram arę principis. Eius Anniuerſaria dies celebratur Sandionyſij, die ſeptima Septemb. Plura ſcripſit eruditiſſimus Abbas, & pręcipuè,

*Sermones ad populum*
*In Libros Sententiarum*
*Collationes habitas cum Clero*
*Orationem ad Summum Pontificem*.

De eo lege Garimber. *lib.* 1. *p.* 15. Ciacon. Panuin. Arnoldum Vvion, Franc. Belforeſtium, Frizon. Claud. Rober. *in Gallia Chriſtiana*, Vghel. Auberij. Contelor.

Epitaphium

*D. O. M.*

*Ioanni Langrolaſio Gallo S. Dionyſij Abbati, Epiſcopo Lumbarienſi Presb. Card. S. Sabinę. Card. Alex. & Senen. & Peſtr. Rotæ Auditor Execut. Teſtam. MD. ætat. ſuæ X....*

Temporibus noſtris, in Cryptis Vaticanis ſepulchrum extat ſub lemmate,

Sepulchrum
*Card. Io. Langrolaſij Galli, Ep. Lumbarien. tit. S. Sabinæ.*

Eius memoria in Diarijs M. S. ita recurrit. *Die 6. Aug. 1499. obijt Io: tit. S. Sabinæ Card. S. Dionyſij, & delatus & Sepultus in Baſilica S. Petri, in capella S. Petronillę. Die 7. comitatus à Clero S. Petri, fratribus Mineruæ, Ara Cæli, S. Auguſtini de Populo, Carmelitanis, & S. Marcelli, factis vigilijs ab XI. Cardinalibus, inter quos fuerunt Cæſarinus, Borgia, Grimanus, & Senenſis.*

Epiſcopus primò fuerit, vel Abbas? dubium: cum tamen Dubletus ſcr.bat fuiſſe primò Antiſtitem, postea Abbatem: cum tamen ante concordata Leonis X. cum Franciſco I. ex cænobiarchis crearentur Epiſcopi, non ex Epiſcopis Cenobiarchę.

10. *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem; euangelizantium bona.*
Rom. 10.



RAymundus Perauld, Surgerijs natus in Prouincia Sanctonum (vnde Cardinalis Sanctonenſis appellatur à *Garimberto*) Anno 1435. ibidemque S. Egidij Prior, Epiſcopus Nouarienſis, & Viterbienſis in Italia, ac Gurcenſis in Germania ſub Archipræſule Salisburgenſi. Sub Paulo II. Sixto IV. & Innoc. VIII. legatus per vniuerſam Germaniam, ad colligendas pecunias, quę exigebantur in bellum Turcicum, malè audijt apud Romanos, quòd eas omnes ad libitum diſtribuiſſet nationibus illis, vt Cæſari gratum faceret. Vtinam Gurcenſem hodierni æmularentur Legati. Propterea reuocatus à ſua legatione, Romam priuatim ingreditur nullo obuiam prodeunte Cardinale, vt moris eſt. Intercedente tamen eodem (D) Maximiliano Imperatore, Presb. Card. creatur *tit. SS. Io: & Pauli*, Anno 1493. menſe Septembri. In Conſiſtorio publico datus pileus Cardinalitius, & titulus aſſignatus S. *Mariæ in Coſmedin*, tum *S. Vitalis*, & die 29. April. 1499. aſſumptus ad titulum *S. Mariæ Nouę*, qui hac occaſione ex Diaconali erectus fuit in Presbyteralem, teſte *Bruchio in Diario*: obtinuit demum eccleſiam *S. Io: & Pauli, tit. Pamachij*. Eodem Anno die X. Octob. ab Alex. VI. Legatus conſtitutus in Peruſina, & Tudertina prouincijs.

cta quadam incantatione coacti quieuere. In præmium ab eodem Innoc. VIII. Pampilonenſis primò, mox Aurienſis, Lectenſis, Tornacenſis, Cumanus, Lamacenſis Epiſcopus, Genuenſis Archiepiſcopus, tandem Chriſti Anno 1489. Cardinalium promotione prima, pridie Idus Martij Presbyter Card. tit. *S. Anaſtaſiæ*, poſtea *S. Praxedis*, inde *S. Stephani in Cælio monte*; Pontifice indulgente Romano, priuſquam titulum aliquem obtineret, Presbyterum ſe inſcripſit S. Anaſtaſiæ. Cum ex mercimonio ad caſtra tranſiiſſet Eccleſiæ, ſacras litteras à principio non cognouit; in hoc laudant, quòd ex fratre nepotes, Hieronymum, & Philippum Epiſcopos futuros Iuri

A

Pontificio operam dare impensè curauerit: quorum occaſione, ac litteratorum, quos non paucos apud ſe alebat, certis horis, quotidiano inſtituto colloquio, breui eam cognitionem aquiſiuit, quæ ſatis ad diſciplinam, & nè Latinè loquentes, crederet Syriacè loqui. Mortuo Inoocentio VIII. comitiis adſuit Alexandri VI. cui & ipſe promiſſis corruptus ſuffragatus in Pontificem promouit, ab eoq. iiſdem ſupplicibus libellis Præfectus, Datarii munus exercuit. Eodē ſedente Alexādro; An. 1501. E. C. *Albanus* Anno 1503. Tuſculanus, Sabinus, Alexandro adfuit fidelis quidem, ſed in dicendis liber, & intrepidus: cum enim eidem Papa aliquando in Conſiſto-

B

rio negotium quoddam expoſuiſſet verbo. *Decreuimus facere*; Cardinalis S. Praxedis vbi copiam dicendi habuit; reſpondit: *Pater Sancte; non poſſum ego meam proferre ſententiam; poſtquàm Sanctitas Veſtra non vocat nos ad Conſilium, ſed ad Decretum: Si S. V. ita decreuit; omnis mea ſententia irrita eſt*. Poſt obitum Alexandri, comitijs adfuit Pij III. in quibus parum abfuit, vt Pontifex crearetur. Adfuit etiam comitijs Iulij II. ad cuius promotionem ſuffragio quidem conſenſit non animo: vnde cum inito Pontificatu, Iulius ingenium nimis acre, & vehementiores ad bella ſuſcipienda ſpiritus præſeferret; quibuſdā Cardinalibus Antoniottus dicere nō dubi-

C

tauit; *Gladium Patres in manus Furioſi poſuiſtis* quod vbi reſciuit Papa, & ſi Antoniotto nonnihil ſubiraſci viſus eſſet; Epiſcopum tamen elegit *Praneſtinum*, & grauiſſima legatione honeſtauit ad Ferdinandum, & Ludouicum XII. Hiſpaniæ, & Galliæ Reges, qui Sauonæ conuenerant, aduersùs Venetos; quod & fęliciter abſoluit per honorificè acceptus, inter Reges medius ſedens in menſa, fædus illud percuſſit Venetis tam oneroſum, & Italicæ libertati, quæ omnimodè concidiſſet; ni in tantis periculis Venetæ Reipublicæ Deus adſuiſſet aduersùs Reges, aduersùs Vicarium ſuum. Initi fæderis, vt Ligur Cardinalis, Liguri Pontifici

D

plenus faſtu, & lætitia nūtiaret ſollicitus, in Vrbem, reuertens, æſtuoſo fatigatus itinere, paucos poſt dies Romę, die Veneris, decima Septembris 1507. è vita migrauit, in Baſilica ſepultus Apoſtolorum Principis, ſacello quod ipſe ſub Alexandro VI. erexerat, & dotauerat, cum epitaphio.

*Antoniottus Card. S. Praxedis*

*Mortem prę oculis ſemper habens, viuens ſibi poſ. An. M. D. I.*

Equata poſtea abſide Vaticanæ Baſilicæ; in eccleſiam S. Mariæ de Populo, An. Sal. 1596. oſſa tranſtulere nepotes, iuxta ſepulchrum reponentes Io: Bap: Pallauicini Cardinalis neputis ſui, cum eulogio ſequenti.

*D. O. M.*

*Antoniotto Pallauicino Genuenſi*

*Ep. Praneſ. S. R. E. Card. S. Praxedis ſub Innoc. VIII. Alex. VI. Iulio II. ampliſs. legationibus, maximiſq. Reip. muneribus ſumma cum laude probitatis, atq. prudentia perfuncto. Io: Bap: Al. S. Ant. Gen. V. S. Referend. & Rabilanus Pallauicinus fratres ob diſturbatam veteris ſepulchri ſedem in Vaticana abſidis demolitione, vt eodem tumuli loco, cum Io: Bap. fratris filio Card. conderetur, tranſlatis oſſibus, Propatruo poſ: MDXCVI. Vixit An. LXVI. Obijt An. Sal. MDVII. die X. Septemb.*

Vere hic Cardinalis minimè quieuit viuus, nec mortuus. Nam iterum tranſlato ſepulchro cum ara maxima, & Deiparę imagine S. Mariæ de Populo ad locum choro proximum; inde amotum cadauer locum habuit in Chiſiorum ſacello, vbi nec diu perennauit; nam Chiſia repugnante familia, in eiuſdem Eccleſię maiori naui primò mox in noua reſtauratione ab Alex. VII. facta, in minorum vna, inter columnas repoſitum. De hoc Cardinali diuerſa ſentientes ſcriptores, horum fuere qui aſperis inſultauere carminibus.

*Cui Ligur eſt genitor, genitrix cui Gracia, Pontę*
*Qui medio eſt natus, vir bonus eſſe poteſt.*
*Ni vani Ligures, ſi non ſit Gracia mendax*
*Ponto ſi quę fides; vir bonus eſſe poteſt.*

Alter verò repoſuit Poeta

*Cui Ligur, eſt genitor, genitrix cui Gracia, Pontę*
*Qui medio eſt natus, cur malus eſſe poteſt?*
*Nonnè malo aſſuetus Ligur eſt? Sapientia nonnè*
*à Grajis? nonnè eſt & Venus orta mari?*

Seu

*Quid malus eſſe poteſt, patrem cui Genua, matrem*
*Graecia, cui partum Pontus, & vnda dedit,*
*Sat malo, & aſſuetis Liguros, & Graecia docta eſt*
*Æneadum, & genitrix eſt Venus, orta Mari.*

Eius memoria apud Angelum Politianum *in ep.* Ciaconium, Panuinium, Auberij, Vghellum, Garimbertum, Guicciard. *in Hiſtor.* Victorellum, Ioſeph Mar. Soareſium *in Ep. Praneſt.* Folietta *hiſtor. Genua*; Vialardi *in vita Innocenty VIII. p. 71.* Garimbertus *p. 138.* gratitudinis, & beneficentiæ erga ſuos domeſticos laudat, quos cum dignitatibus promouere prohiberetur Eccleſiaſticis, ęre proprio iuuabat. Lege Ludouicum Donium d'Attichi, *to. 2.*

7\. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.* Pſal. 70.



ANdreas Ludouicus *Spinai*, *d'Eſpinay* in Armoricis natus ſanguine claro filius Richardi d'Eſpinaij, & Beatricis de Montauban. Fratres habuit Ioannem Præſulem Mirapicenſem, & Robertum Nannetenſem, Epiſcopatum conferente Innocentio A VIII. reclamante verò Anna Duciſſa, & Guillelmum nominante Guegnen Archidiaconum Nannetenſem, Robertus fructibus expoliatur. Patruum habuit Iacobum d'Eſpinaij ex Maclouienſi Epiſcopum Rhedonenſem pluribus exercitatum cruciatibus, in carcere defunctum technis Petri Landais Theſaurarij Ducis Franciſci II. Fuit Andreas Prior D. Martini à Campis, Lutetiæ Pariſiorum, & mortuo auunculo matris fratre Arto de Montauban Burdegalenſi Archipræſule, eligitur Andreas Archipræſul Burdegalenſis. Malè dicitur Archiep. Arelatenſis; quia Euſtachio Nicolaus Cibo ſucceſſit, vt ex Innocentij diplomate, 8, B Kal. Maii, 1489.

Vir quidem perpaucarum litterarum Andreas, munificus tamen, liberalis, iuſtus, gratiam Caroli VIII. Francorum Regis promeritus, Zizimum Baiazetis Turcarum Regis fratrem Romam duxit, mercede conſtituta, vt Papa Innoc. VIII. Andream, & Petrum Daubuſſon Rhodiorum Magiſtrum Cardinales crearet. In Curiam ergo concedens, Presb. Card. tit. *SS. Silueſtri, & Martini in Montibus*, prima Cardinalium promotione creatus ab Innocentio, die 14. Mar. 1489. vrbem aliquantiſper incoluit. Sub Alexandro VI. in Galliam rediens, eundem Carolum Francorum Regem, Regnum petentem Nea- C politanum, inter milites ſequutus armatos in eo laudari meruit, quòd reuertente mox Carolo in Galliam cum exercitu, & in agro Parmenſi apud Forum Nouum, cum Venetorum, & Ludouici Sfortiæ copiis, manum conſerente, quum cęteri Sacerdotes qui erant in caſtris, præcipuè Guillelmus Buſſonetus nouus Cardinalis *Maclouienſis* vocatus, thoracibus armati ferrum tractarent, ſolus ipſe conſilium deteſtatus, arma ſumens digna ſacerdote, tiarà ſcilicet capiti impoſita, clamyde indutus Sacerdotali, Crucem Dominicam dextera aſſumpſit, huicq. ſoli innixus, à Regis latere numquàm diſcedens, acies omnes incolumis euaſit armatas, & in pa- D triam redijt ſecurus. Ibi vrbanam, lautamq. vitam ducens, in ſummo otio vitam conſumpſit, donec Lutetiæ Pariſiorum viuere deſiit, in æde ſepultus Celeſtinorum, ſedente Alexandro VI. R.P. cum hoc Gallico epitaphio.

*Cy giſt Reuerende Pere en Dieu Meſſire André d'Eſpinaij Cardinal, Archeueſque de Lyon & de Bourdeaux, Primat. de France & d'Aquitaine, Zelateur, & bien-facteur de l'Ordre des Celeſtins, qui treſpaſſa a Paris aux Tournelles le X. iour de Nouembre, l'An de grace mil cinq. cents ..... Priez dieu pour luy.*

Ex hoc epitaphio apparet Archiep. fuiſſe Lugdunenſis. Plures legationes fœliciter abſoluit pro Regibus Francorum, præcipuè ad Franciſcum II. Britonum Ducem.

Lege de eo Garimbertum *lib.* 3. Brulium *Theat. Antiquit. Pariſien.* Argentr. *lib.* 15. Ciacon. Panuin. Victorel. Arnoldum Vvion, Franciſcum Belforeſtium, Claudium, Vghel. Vialardi *vita Innoc. VIII. p.* 71.

8\. *Homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum.* Sap. 9.



FR. Mapheus, ſeù Mattheus Gerardus Venetus, de quo cum diſcors recurrat Hiſtoricorum ſententia, verba primum tranſcribam Ciaconij, & Garimberti. *Fuit ille Ordinis Camaldulenſis, Patriarcha Venetiarum, Presb. Card. SS. Nerei & Achillei, tit. Faſciolæ, homo pluſquàm credibile eſt, pingui Minerua, ne dicam ineptus, ac ſtupidus. Quum enim Innoc. VIII. de augendo Senatu mentionem fecisset, & Veneti Patritij nonnulli viri etiam clari, id muneris maximè expectare viderentur [ inter quos in primis erant Dominicus Grimanus, qui poſtmodum ſub Alex. VI. voti compos euaſit, & Nicolaus Lipomanus, qui ſub Leone X. Bergomatum Præſul obijt ] Senatus verò Venetus ( more ſuo, & quidem ſummoperè laudando) non hunc vel illum, ſed tantum Patritium aliquem Venetum benè merentem, Patrum numero adſcribi ab Innocentio expoſtularet, factum eſt opera Cardinalium Venetorum, qui Romę tunc erant, Marci videlicet Barbi, Ioannis Michaelis, & Baptiſtæ Zeni, ęgrè ferentium,* C *Virum Venetum nominis alicuius, eo tempore Patribus adiungi, vt cæteris omnibus poſthabitis, ſolus hic Mapheus ad tantum honoris culmen ab Innocentio aſſumeretur; quippè quem omninò crederent, ætate præſertim ingraueſcente, in Romanam Curiam nunquàm conceſſurum: vel ſi in eam is aliquando concederet, numerum tantùm ( vt aiunt ) & vmbram facturum. Cardinalis itaque is factus, tantum Magiſtratum quanti fecerit, ex hoc maximè conijci poteſt, quòd intra paucos dies diploma muneris nuntium, quod ab Innocentio acceperat, amiſit. Verùm eodem Innocentio vita functo, quum Aſcanius Sfortia Cardinalis, vt ſuffragiorum maiorem ſecum haberet numerum, Fridericum Sanſeuerinatem, qui ab* D *Innocentio Cardinalis tantùm deſignatus fuerat, ad comitia introducere, conniuente etiam Senatu, ſtatuiſſet, illius æmulus Iulianus Ruuereus, qui poſtmodum Pontifex Maximus fuit, Iulius videlicet ſecundus, vt & ipſe in eadem re non minus ingenioſus videretur, adinuento alio Innocentij diplomate, quod apud Laurentium Cibo illius fratris filium fortè erat, hunc hominem miſſis ad Senatum litteris, ad ſe accerſiri, quàm primum curauit. Senatus Venetus cum huius mores ſatis exploratos haberet, & Iuliano, nihilo tamen ſecius, morem gerendum putaret;*

Digitized by Google

*ret ; Maphæum Romam ad comitia confeſtim miſit , Verum illi, vt puero pedagogos ex Senatus ſcribarum numero, Georgium Nigrum, & Franciſcum Pacium præfecit : quibus Maphæum in re omni obtemperare iuſſit , credens eo pacto Iuliano ſatisfactum iri . Sed longè profectò , aliter, ac cogitatum fuerat , res ſucceſſit . Etenim dum Innocentio , funeris ſolita munia à Patribus perſoluuntur, Andreas Capellus , qui pro Venetis Romæ Legatum tunc agebat , vir certè magnanimus , & rerum experientia clarus , quid pro Iuliano Ruuereo adamuſſim acturi eſſent , Georgium , & Franciſcum, quos retulimus , ritè quidem imbuit ; illi verò , ſimul ac Patres occluſi ſunt , in Roderici Borgiæ, qui paulò poſt Alexander VI. Pontifex Maximus appellatus eſt , cuiq. Aſcanius Sfortia fauebat , partes ſtatim inclinarunt, vnde cum Andreas Capellus, vt quidam crediderant , Veneti Senatus nomine mortem homini interminatus eſſet , ille , non longo poſt tempore , ex animi dolore, vita conceſſit . Anno enim ab ortu Chriſti , quadringenteſimo nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum , Pontificatus eiuſdem Alexandri VI. primo , die 14. Septembris , Narniæ extremum obijt diem , non ſine veneni profectò ſuſpicione , ab eiſdem , de quibus paulò ante meminimus pedagogis , Georgio Nigro , & Franciſco Pacio , vt rumor fuit, propinati , ne hominis fortaſſe, etſi inſulſiſſimi verbis, Senatus magis irritaretur Venetus . Conſanguinei poſtmodum , defuncti corpus Venetias transferri , & in ciuitatis Baſilica locari curarunt : Cui nec ſepulchrum adhuc vllum poſuerunt, ægrè ferentes , vt credibile ſit , talis viri memoriam vllam apud mortales extare , de quo ita ſcribit Iacobus Volaterranus in Diarijs.*

*Cardinalis Venetus , per hos dies , Venetias apud ſuos ſe ſe recepturus ab Vrbe recedit , & apud Interamnam Vmbriæ ciuitatem , ſenio confectus , & profectione , ac tædio itineris exagitatus vita excedit 14. Septembris . In reddendis ſuper Pontificis electione ſuffragijs , non tàm ſuo , quàm ſecretarij ſui iudicio vſus dicitur .*

Veruntamen aduersùs Ciaconium & Garimbertum , & Franc. Mariam Vialardi *p. 71. vita Innoc. VIII.* Andreas Victorellus Maphei nomen ita propugnat . *Ex ijs , quæ de hoc Veneto patritio narrat Ciaconius , plura olim à Garimberto Italicè ſcripta ſtomachum ijs mouent , qui ingenuos præſtantis Cardinalis mores , & ſanctimoniam ex veris monumentis agnouerunt : Petrus Delphinus , vir doctus , pius , & verax vniuerſi Camaldulenſium Ordinis moderator , qui cum Maphæo multis annis in cænobio vixit , Abbatem , Patriarcham , & Cardinalem eum vidit , cum illo Romæ fuit , & Venetias redeuntem comitatus morientem conſpexit , Antonio Contareno patritio egregio , & optimo Venetiarum Patriarcha poſtulante , vt de Maphæo , quæ ſciret , ſcriptis mandaret , vberi epiſtola multa ſcripſit , An. 1514. die 20. Nouemb. ex qua ego pauca hic refero . Languebat in Maphæo adoleſcentiæ flos , cum prudenti conſilio , Camaldulenſe inſtitutum , Murani , in D. Michaelis cænobio ſuſcepit . Vigebat tunc ibi Monaſticus feruor , Pauli Venerij viri integerrimi ſtudio & cura ; qui ſeptem , & quinquaginta Annos , pietate , religioneq. ſingulari , Abbas cænobium illud inſtruxit , rexit ; cum hic , Maphæi magiſter , & dux in pace quieuiſſet , Maphæus in eius locum ſuffectus Monaſticæ diſciplinæ rigorem aluit , & auxit . Petrus Delphinus 26. Annos huic magiſtro paruit , eiuſq. in monaſticis legibus & ritibus ſeruandis conſtantiam demiratus eſt , in vigilijs , ieiunijs , ſilentio , ſolit idne neminem illo diligentiorem dixit , delitiarum contemptorem ei parem non vidit . Tunc æſtate , & hyeme Monachi media nocte matutinas preces recitabant , Maphæo , aut primus , aut inter primos ſemper templum adibat , & nunquam , quod mireris , defuit : in ſacrarum litterarum lectione , in precibus , & in rerum cæleſtium contemplatione aſſiduus erat : ſilentij diligens cultor cellulæ anguſtijs , dum fas erat , ſe continebat , exemplo magis , quàm verbis filijs ſpiritalibus iter ad veram gloriam oſtendebat . Liberalitate* A *iuuabat egentes , & cum robuſtus eſſet ; & à morbis alienus , in ægrotos tamen , & imbecilles eò erat clementior , quò valentior . Patriarcha autem ita vixit ; ut ſcripſerit Delphinus ; [ Adiui illum ſæpius , neque deprehendi aliquando apud ipſum , quòd non ſanctiſſimi Præſulis religionem , modeſtiam , humilitatem , benignitatem præſeferret ; neminem de eo referentem audiui , niſi quæcumq. vera , quæcumque pudica , quæcumque iuſta.... niſi inquam , quæcumque de optimo Antiſtite ſancto , innocente , impolluto , & ſegregato à peccatoribus relatu digna viderentur . ] Cardinalis ab Innocentio VIII. ſecretò creatus , eo extincto , Cardinalis publicè declaratus , à Cardinalium Collegio Romam accerſitus eſt , ab uſque cum ad* B *Vrbem perueniſſet , honorificè exceptus . Delecto in Pontificem Alexandro VI. ad gregem paſcendum Venetias petiturus , 8. Idus Septemb. 1492. cum Delphino diſceſſit : in itinere dyſinteria correptus Interamnæ conſiſtere coactus eſt : vbi periculose decumbens omni terrenarum rerum cogitatione reiecta , animum , vt ſolebat , in cælum erexit , ſacerdoti noxas diligentiſſimè , non ſine animi dolore , detexit , cæleſte beneficium , eo miniſtro conſecutus , ſacro in illius cubiculo manè peracto , Dominici Corporis Sacramentum , Delphino miniſtrante , pia mente percepit , & mox Sacramentum illud cupidè petitum , quo in ſuprema lucta armantur ægroti . Veneti Oratoris ſecretarius Interamnam venit , paulò ante mortem eum alloquutus ,* C *miratus eſt , hominem morientem , rectè ad ea , quæ propoſuerat , reſpondiſſe : mox ſenſu uſque ad vltimum ſpiritum uigente , die 14. Septemb. hora 22. An. 1492. ætatis 87. mortalis eſſe deſijt ; &* benè moriendi , *ait Delphinus ,* normam præſcripſit . *Corpus autem peractis exequijs , Interamna Venetias delatum in S. Petri æde humatum , aſſeruit .*

*Die Septembris 12. de ægrotante Cardinali , Bernardino Priori Clauſtrali hæc Delphinus ſcripſerat . ( Remotus eſt ab omni terrenarum rerum cogitatione , animo tantùm Cælo intentus : ex ore eius ne verbum quidem otioſum prodijt , mundi oblectamenta prorsùs abhorret . ) Auguſtino autem Barbadico Venetorum Duci , die 13. ( Heri* D *confeſſus eſt diligentiſſimè ; hodie ſingulari deuotione Euchariſtiam percepit ; & ſicut hactenùs ſanctè , & innocenter vixit , ita ægrotans nihil aliud curaſſe videtur , niſi ut , ſumpto Sacratiſſimo Viatico , atque Eccleſiaſticis Sacramentis munitus , ex hac lachrymarum valle demigraret ) die , qua obijt , Bernardino Priori . ( Diſceſſit autem non ſecus ac vixit , tanta ſanè animi intentione in Deum , ut nihil magis deſideraſſe illum crederes . Moriatur utinam , quandocumq. Deo placuerit , anima mea morte huius iuſti , fiatq. nouiſſima mea eius ſimilia ) in calce epiſtolæ , vnicum*

*cum vitæ regularis exemplum eum nominat.*

*Ex Delphini veracis ſcriptoris epiſtolis apertè colliges, Ciaconium non vna in re, cum Garimberto deceptum: conſidera, quæ ſubijcio.*

Diploma amiſit: *ait Ciaconius. Quomodo diploma amiſit, ſi clam ab Innoc. Cardinalis creatus, poſt eius obitum publicè declaratus eſt, cum Patriarcha priùs nuncuparetur? Petis teſtimonium Delphini? en affero. [ Ante annos aliquot ad Cardineam promotus ſecretò dignitatem, poſt mortem Pontificis, Cardinalis publicè declaratus eſt ] paulò ante Patriarcham appellauerat; vt mox videbis.*

Iulianus miſſis ad Senatum litteris: *Non Iulianus Cardinalis S. Petri ad Vincula, ſed Cardinalium Collegium Maphæum Romam acciuit, aperta ſunt Delphini verba [ Defuncto Innoc. VIII. Pont. Max. accerſitus eſt Romam Reuerendiſſ. Patriarcha à Sacra Cardinalium Collegio.*

Adeum miſit: *Senatus Maphæum ad Iulianum non miſit, vocatus a Sacro Collegio ſtatim ipſe iter arripuit; Senatus ſuaſit, non præcepit, non miſit: credes Delphino aienti [ Accerſitus à Sacro Cardinalium Collegio ] interfuturus electioni noui Pontificis, ſuadente Illuſtriſſimo Dominio, cum feſtinatione, iter arripuit.*

Pędagogos.... G. Nigrum, & F. Pacium: *De his nullum verbum Delphinus, de ſeipſo ad iter excitato dixit, [ Inſecutus ſum ipſum continuò, admonitus per litteras Venetijs allatas; vt ita facerem, ..... & quod Dominium hortaretur, vt ipſum in Vrbem deducerem. ] Delphinus Maphæo cognitus, amicus aſſuetus itineribus, & à nonnullis Cardinalibus, à Senenſe præcipuè Ordinis Protectore dilectus, in itinere, Romaque vſui eſſe poterat.*

Natniæ.. obijt diem. *Interamnæ, vt vidimus, non Narniæ, in cælum abijt; vt etiam Volaterran. ab ipſo Ciacon. mox allatus docet.*

Mortem interminatus: *Quis credat prudentem & optimum ſapientiſſimæ Reip. Oratorem nulla iniuria læſum, ſenem capularem, innocentiæ, & ſanctimoniæ laude inſignem, Patriarcham, & Cardinalem nece propoſita minis territaſſe? quis dixit?*

Veneno propinato: *Nulla veneni ſuſpicio ex Delphino colligitur: dyſenteria Cardinalem optimum occubuiſſe, teſtatur; quam in ſene nonagenario, non itineribus, ſed cubiculo aſſueto, & quieti, itineris moleſtia, ſellæque, qua incommodè geſtabatur, agitatio excitare facilè potuit.*

Ægrè ferentes talis viri memoriam extare: *Hoc*
A *non dixit Garimbertus; ſed tantum corpus humatum, ſine ſepulchri memoria, & epitaphio; at ne hoc quidem verum. Epitaphium recenſetur in Venetæ Vrbis deſcriptione Sanſouini; en illud.*

Maphæus. Gerardus. Patriar. Venetiar. Dalmatiæq. Primas. S. R. E. Cardinalis. MCDXCII.
Locus. carnis. proprius. terra. eſt.

*Viget cæleſtis ſapientis viri memoria Venetijs etiam in picto illius ſimulachro apud S. Petrum in ædibus Patriarchæ: epiſtolæ autem, in quibus egregiè celebratur, à Petro Delphino Veneto Patritio ſcriptę; Venetijs editæ ſunt.*

*Andreas Victorellus.*

Inter digladiantes hiſtoricos, quid ſentire liceat?
B cum proferre nō audeam, alios inquiſiui, & apud Fr. Coſmum Congregationis Somaſchę, nunc Archiep. Spalatenſem, *lib. 5. c. 2. p. 13.* ſequentia legi: *Ioannis Barocció, in Patriarchatu Veneto, ſufficitur Maphæus Gerardus Monachus S. Michaelis de Murano, quamuis ad omnia ineptus; Cardinalis creatus ab Innocentio VIII. Menſe Iunio, 1492. in præmium, quòd Breue Excommunicationis intimaſſet Aduocatoribus, & 40. Virali Collegio,*

C

# Diaconi Cardinales.

9. *Circumdedit Mare terminis ſuis: poſuit vectem, & oſtia, & dixit: Huc vſq. procedes, & non tranſibis ampliùs: hic confringes tumentes fluctus tuos;*
Iob. 38.



PEtrus d'Aubuſſon Ludouici filius & Catharinæ de Rocho-chouardè ramo, & Bourdet in Marchia Lemouiciana Aruernis & Petracorijs contiguo natus, Ordini Hieroſolymitano, ab ineunte ætate nomen dedit, ad Germanoſque profectus, in caſtris Cæſaris Sigiſmundi, militiæ rudimenta poſuit. Cumq; idem Cæſar Muſarum eſſet alumnus: factum, vt iſte quoque litteris aliqualiter imbutus, & frequenti hiſtoriæ lectione delectatus, fortium virorum exempla ſibi proponens, ad eorum præclara imitanda facinora comparatus; omnium, præcipuè Principum beneuolentiam ſibi facilè compararet.
D In his adhibitus à Carolo VII. Francorum Rege, arduis quibuſdam negotijs, eam retulit diligentiæ laudem; vt Rex ſæpe numero Albuſſonij fidem, & obſequium comendaret. Equitibus Rhodiorum adſcriptus Commendatarias pinguiſſimas partim ſortito ſibi aduenientes; partim in præmium benè nauatæ operę collatas accepit: & Orator ad varios Principes ab eodem Ordine miſſus pro colligendis pecunijs ad tutelam inſulæ Rhodienſis, à Turcarum in-

nſulen; à Galliarum Rege Ludouico XI. Sexaginta habuit aureorum millia, & ad plures Menſes commeatum. A Sixto IV. R. P. Decimas vicinarum eccleſiarum, cum vectigalibus, quæ iuris eſſent ambigui inter Ferdinandum Regem, & Pontificem Romanum: quæ omnia ad comparandum claſſicum commeatum inſumpſit. Hoc munere impigrè functus, factus Lutelij Balinus, Rhodienſis gubernator ciuitatis, mox Aruerniç Prior, tandem totius Ordinis Magiſter electus die 12. Iunij, 1476. in locum defuncti F. Baptiſtæ Vrſini, mærens & inuitus ſuos redarguit electores, quòd hominem elegiſſent Chriſtianæ inutilem Reipublicæ. Fama autem per illos dies increbreſcente, Mahometem II. Turcarum Regem (qui Europæ, & Aſiç terror dictus eſt) inſulam adoriri; ad eam muniendam, animum adiecit, fratre ſuo Antonio d'Auboſſon V. Comite de Montelis, magni apud milites nominis, opportunè euocato: Anno namq. 1479. Ottomanus adfuit cum claſſe centum, & 160. nauium, ac triremium compoſita: primoq. impetu expoſitis 40. Turcarum millibus Vrbem obſedit, oppugnauit. Vrbis mænia vegrandibus machinis labefactata corruerant, eamq. ſubierant Turcæ, repulſi tamen Equitum armis; quæ nil profuiſſent; niſi Deus adiunxiſſet auxilia. Is enim oſtentis Turcas terruit, quibus & octo millium ſuorum cæde; & quindecim millium vulneribus labefactati Inſulam reliquerunt; illuſtre Chriſtianæ virtutis monimentum. Anno ſequenti Mahometes ipſe dum nouam pararet expeditionem, morte preuentus regnum filijs reliquit & diſcordiam. Apud Pruſſiam namq. Bithiniæ vrbem Zizimus frater natu minor à Baiazete victus Rhodum confugit à Petro lautè exceptus, inde in Galliam, Romam tandem ad Innocentium VIII. qui præ gaudio Petrum Aubuſſonium die 9. Martij, 1489. Diaconum Cardinalem creauit *S. Hadriani*, eiq. Rhodum, rubrum miſit galerum, quem Petrus die SS. Apo. Petri & Pauli, ſolemni pompa ſuſcepit cum totius Aſiæ legatione. Ante acceptam purpuram, ſedente Sixto IV. à Baiazete Turcarum Rege, S. Io: Baptiſtæ dexteram, magna veneratione ſuſceptam pretioſiſſimè incluſit: vt non minus religioſè in inſula Rhodo, quàm Conſtantinopoli, quàm tutius coleretur. Sacra ornatus toga ſagum minimè poſuit militare, ſed Vaticano Senatore, & bellico Imperatore digna abſoluit facinora. fortitudinem cum prudentia, iuſtitia, religione, pietate connectens, in Oriente Chriſtianum nomen ſeruauit, teſte Alex. R. P. quem in publico Conſiſtorio laudatorem habuit. Ab eodem Generalis declaratus Chriſtianæ claſſis, quam fœderato Orbe Catholico Pontifex inſtruens Romanus in Turcas, ſpem grandem excitauerat pro Fidei Chriſtianę incremento. Lege eius geſta apud Boſium *in Hiſtoria Hieroſolym.* & Ludouicum Donium d'Attichij, *in floribus Cardinal.* Plura etiam ordinauit Decreta, ad regimen Ordinis Hieroſolymitani, quę habes in Boſio *lib.* 14.

Turcarum dum vexaretur armis, Dauidem æmulatus orantem, vt Diuinum ſortiretur auxilium, in honorem Virginis Deiparæ, nobile ſacellum erexit, cuius ope efferos hoſtes ſuperauit. Romam haud venit, ne Inſulam exponeret Turcarum irruptioni. Rhodiorum Religioni præfuit Annos ſeptem ſupra viginti, obijtq. Rhodij, die Lunç, Iulij XXX. An. 1503. octogenario maior, pugnans aduerſùs Mahometem Turcarum Regem. Spolia ditiſſima Ordini reliquit Hieruſolymitano, laudatus in funere à viro docto Auguſtiniani Inſtituti. Cadauer balſamo delibutum vrna excepit in templo D. Io: Baptiſtæ.

Lege Garimber. *lib.* 3. Boſium: Ciacon. Victorel. Spondan. Frizon. Contelor. Auber. Panuin. Hippol. Marrac. *in Purp. Marian.* Tanto Heroi plurimi, ac celebres ſcriptores concinere laudes; ſed vnum accipe Fulgoſium *lib.* 3. *c.* 2. *Quia ſingularia certamina de quibus eſt ſcriptum, victoribus haud magno ſanguine constiterunt, minore etiam periculo quod vno tantum deditionis verbo obtinere ſalutem poterant, Fortaſſe quod animi fortitudinem minus ea virtutis habuiſſe homines cenſere poterunt. Quamobrem opere pretium putauimus vnum ſubiungere certamen, in quo tantum periculi exhauſtum eſt, tantarumque virium opus fuit: vt non ſolum ſingulæ eius partes ſingularem virtutem id habuiſſe teſtentur; ſed etiam quia res ipſa temporibus noſtris geſta eſt, certiſſimam habeat fidem. Cum Mahumetes Turcarum Rex Rhodum ætate noſtra validiſſimo exercitu petiiſſet, atque inſula potitus arcta obſidione vrbem premeret, tormentorum vi ita quaſſatis muris, vt nullo labore in eos per ruinas hoſtes conſcenderent; iam in ſummos muros Turcarum ingens numerus peruenerat. In tam graui periculo Rhodios illa res iuuabat, quod intrinſecus Vrbis ſitus admodum depreſſus erat, Turcæque, qui per ruinas in eam irruere nitebantur, niſi in præceps ſe, ac manifeſtum periculum mittere vellent, vnis tantum lapideis ſcalis quibus in muros Rhodij conſcendebant, deſcendere cogebantur. Cum eo in loco periculi ſumma verſaretur, Petrus Daubuſſon natione Gallus, Rhodiæ religionis princeps, tuendum ſibi eum deſumpſit, ſecum duobus nepotibus ac quatuor alijs militibus adhibitis. Is illic tantis viribus tantoq. animi robore pugnauit: vt quamquàm ex comitibus perplures alijs ſuffectis occidiſſent, & ipſe quinque acceptis vulneribus perfoſſa, fractaque haberet arma, Turcarum tamen nullum eam in vrbem penetrare permiſerit, ſed ingenti repulſos cæde ſoluere obſidionem coegerit: ea in ſcalis tuendis edita animi, & corporis viribus, quam Cocles Horatius Romanus aduerſùs Hetruſcos, dum Sublicius pons reſcinderetur, præſtitit: tanto maiore virtutis laude, quanto maiorem ſuſtinuit hoſtium vim: neq. enim Turcis immanitate Hetruſci fuerunt conferendi.*

Scu-

Scutum Petri gentilitium pinxit Ciaconius Crucibus quatuor non anchoratis: cum tamen in libro ſtatutorum Ordinis Rhodij, quæ Petrus ipſe edidit quadripartitum occurrat, in prima, & quarta area coccinea, argentea cruce anchorata; in ſecunda, & tertia argentea miniata cruce non anchorata, expreſſa.

10. *Filia Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delitijs: qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.* 2. Reg. 1. *n.* 24.

IOannes Medices Florentinus D. C. *S. Mariæ in Dominica* promotus ab Innoc. VIII. pridie Idus Martij, 1389. Papa futurus *Leo X.* dictus Mundi deliciæ. Lege eius vitam.

11. *Quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quòd ad vincula ſtultus trahatur.* Prouer. 7.



FEdericus, vel Fridericus Sanſeuerinas Mediolanẽſis vel Neapolitanus, Ioannæ de Corregio, & Roberti Sanſeuerinatis Comitis Caiazzi (qui ſub Innocentio VIII. aduersùs Ferdinandum Regem Neapolis, caſtris pręſuit Eccleſiaſticis) ab eodem Papa, in gratiam parentis, Diaconus Card. *S. Euſtachij* dictus Anno Sal. 1492. ex electo Epiſcopo Maleacenſi, non tamen publicatus in pœnam paternæ perfidiæ, qua laborabat apud Innocentium. Auro namq. vt ferrebatur, corruptus, bellum protrahebat, victorias declinabat, quas ſæpè magno Eccleſiæ incremento conſequi valuiſſet. Mortuo Innocentio, Federicus Romam venit armatus vnà cum fratre cognomento *Fracaſſo*; inſtante proco, Aſcanio Sfortia qui nouum Pontificem ex voto creare ambitiosè nimium concupiſcebat; & ita cum Patribus egit timore correptis (ne Fracaſſus ſeditionem excitaret) vt confirmata Friderici promotione, in Collegium admitteretur, vt in comitiis numerum augeret Sfortianę factionis, quæ tandem præualuit in electione Alexandri VI. à quo cum plura retuliſſet beneficia, tanquàm fidus pacis interpres miſſus ad Carolum Galliæ Regem, tandem ipſi Alexandro ſuſpectus, cum in aula Palatina, vnà cum Aſcanio Sfortia Cardinali, ob eaſdem cauſas à Pontifice detineretur captiuus, idemq. Pōtifici Aſcannium commendans intrepidè diceret, *Pontificem meminiſſe debere, illum eſſe fratrem Ducis Mediolanenſis*; illicò reſpondit Papa, *Aſcanium non debere eſſe immemorem; ſe Alexandrum VI. P. M. eſſe Ieſu Christi in terris Vicarium; & in illum, atque in cæteros eius ordinis ſummam poteſtatem habentem.* Cumq. altera die Sanſeuerinati Cardinali data eſſet abeundi poteſtas; collegam Aſcanium ſolum dimittere recuſauit: Huic duo: illi tres miniſtri ad curam conceſſi; vt nihil præter libertatem deeſſet; in libero carcere perdurauit vſq. ad obitum Alexandri VI. poſt quem, promouit Pium III. & Iulium II. cuius aſperam, & bellicoſam indolem abhorrens Sanſeuerinas, vt pote deliciis deditus, in gratiam Maximiliani Imperatoris, & Ludouici XII. Galliæ Regis, Concilio ad adſuit Piſano & Mediolanenſi, contra Pontificem congregato. Eiuſdem Concilij nomine, caſtra ducens, quibus ad Rauennam dimicatum cæde cruenta, totius exercitus Pontificij, Ioannem Mediceum Cardinalem Diac. S. Mariæ Virginis, Legatum Apoſtolicum captiuum recepit, Mediolanum traxit, vbi Conciliabulum proſequabantur Piſanum. Audi Polonium in deſcriptione pugnæ Rauennatis ca-

A nentem,

*Hic ſtabilis rerum per tot diſcrimina Cardo.*
*Fortunæq. potens domitor, Medicuſq. ſalutis,*
*Italiæ, Gallis capitur, comitemq. ſerena.*
*Fronte* Seuerinas *medios ſuſcepit in enſes.*

Pompæ auidus ſæcularis magis quàm Sacerdotij, caſſide, thoraceq. clypeatus inter tormenta fulgens Mauortia,

*Cardineo hic pariter Federicus honore ſuperbus.*
*Sed claro Mauorte nitens metuendus in hoſtem.*
*Ire cupit. Dic Iule viro quis dignior unquam,*
*Iure toga? aut bello, aut claris pręſtantior armis.*
*Nec ſegnis Federicus, equo per tela ſeuerus.*
B *Arma ſimul, pediteſq. alto clamore ciebat.*

A Iulio propterea Romano Pontifice, honoribus exutus Sanſeuerinas anathemate notatus, poſt obitum Iulij II. comitiis adeſſe non fuit permiſſus creãdi noui Pontificis, donec creato Leone X. & per Fridericum abiurato Sciſmate, vnà cum Carauaialio ad omnes reſtitutus honores, Romam rediit Diaconus Card. *S. Angeli* cum antea *S. Theodori* diceretur (Diaconiam namq. *S. Theodori* obtinuerat Alphonſus Petruccius) venationibus, theatro totus intentus, quaſi non hominum, ſed equorum, & canum paſtor, cum tamen Vienuenſi, Morinenſi in Gallia, Nouarienſi in Italia, & Rothòmagenſi
C pręeſſet Eccleſiis. Legationis munere legitimè functus in Prouincia Patrimonii B. Petri, in Tuſcia, alias ſubiit Sciſmaticus nomine Piſani Conciliabuli. Romæ deceſſit Diaconorum Cardinalium primus die Iouis, ſeptima Auguſti An. 1516. vel ex Ciaconio 1517. Eo defuncto, partem ſpolii accepit Iulius Mediceus Card. cui commendata fuit Abbatia Morimundenſis. Corpus humum ſubiit in ędes Capitolina ſine epitaphio.

Ciacon. Panuin. Io: Cheuu de *Ep. Galliæ*. Vghel. Garimber. Spondan. Carol. Ep. Nouarien. *in Nouaria*. Auber. Claud. Rober. *in Gallia Chriſtiana*. Contelor. Pallauicinus *l.* 1. *c.* 2. *de Trid. Concil.* Vide quę
D dedimus *in Vita Iulij II. & Leonis* X. Belcarius *rerum Gallic. lib.* 5. *n.* 38.

12. *Apprehende arma, & ſcutum; & exurge in adiutorium mihi.* Pſal. 34.

FRidericus Iagellonius, Caſimiri Regis Poloniæ filius ex Archiepiſcopo Cracouienſi, Cardinalis aſſumptus S. R. E. ab Innoc. VIII. vt patet ex Instructione data Regiro Cardinali Legato ad

ad Reges Vngarię & Polonię, An. Sal. 1491. in qua Legato committitur, *Conſilio vti Cardinalis fratris eiuſdem Regis, cui ſe purpuram contuliſſe* proteſtatur *Cardinalitiam*: vt apud Franc. Mariam Vialardum *in vita Innocentij VIII. p.* 71. Concordat Cromerus *hiſtor. Poloniæ*, ſcribens, vacantem Epiſcopatum Gneſnenſem collatum fuiſſe ab Alexandro VI. Anno Sal. 1493. Friderico Iagellonio Regis fratri, & Cardinali S. R. E. eiuſq. non bis reperit memoriam tanquàm Cardinalis. Huius promotionis cauſa, votum fuit Innocentij VIII. quo bellum meditabatur in Turcas, vt Vngaros & Sarmatas ſub ſignis alliceret aduersùs infideles.

13. *Canite tuba in Syon, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes.* 2. Ioel. 15. A

...... Archiep. Strigonienſis eodem voto promotus (teſte *Vialardo pag.* 71.) cum oblatione Legationis Vngaricæ, ſi Romam deſcenderet ad accipiendum pileum.

14. *Ego autem ſum puer paruulus & ignorans egreſſum, & introitum meum.* 3. Reg. 3.

PAntaleo Cybo nepos Innocentij VIII. ex Chriſtophoro ſuo conſobrino, inter Cardinales S. R. E. aſſumptus ab Innocentio VIII. Diploma etiam accepit, ſed quia in pupillari ætate quamuis optimis imbutus moribus Titulum, & poſſeſſionem impetrare non valuit: teſte *Vialardo p.* 46. Inſignia habes in ſtemmate eiuſdem Innoc. 8.

15. *Et inuocabant nomen Baal de mane vſq. ad meridiem dicentes: Baal exaudi nos;* 3. Reg. 18.

NIcolaus Cybo Archiepiſcopus Arelatenſis, qui Nicolaum Vrſinum Generalem S. R. E. domum redeuntem in die ſuæ promotionis, aduersùs Ferdinandum Regem Neapolis, comitatus legitur apud Vialardum *p. 42. in vita Innoc. VIII.* Cardinalis dictus S. R. E. ſed non publicatus; poſt obitum Innocentij; magnus Turcarum Rex per litteras Alexandrum VI. rogauit, vt Nicolaum publicaret [ob vana hominum ſitis & ambitus] & perfectum faceret Cardinalem, ſi verę ſunt litteræ Turcarum Imperatoris, quas Brucardus Ceremon. Magiſter in Diario reſcripſit, Etiam hoſtes Eccleſiæ, & Chriſti blaſphematores inuocantur vt ad apicem conſurgamus Eccleſiæ?

Inſignia habes in ſtemmate eiuſdem Innocentij VIII.

16. HErmolaus Barbarus Venetus, Venetæ Reipublicæ orator apud Innocentium VIII. Patriarcha dictus Aquileienſis contra patrias leges; & minimè Cardinalis S. R. E. De eo lege in Geſtis Ducalibus Venetorum per me conſcriptis. B

Vice-Cancellarij S. R. E. ſub Innoc. VIII.

ROdericus Borgia Ep. C. Portuen.

# ALEXANDER VI. R. P. CCXVI.

ALexander VI. Eligitur 3. Idus Auguſti An. Sal. 1492. Obiit 15. Kal. Septemb. An. Sal. 1503. Eius adfuere comitijs. C

## Epiſcopi Cardinales.

Rodericus Borgia Valentinus Ep. C. Portuen. Decanus Collegii &c. ex Callixto III. & Sixto IV.

Oliuerius Carafa Archiep. Neapol. Ep. C. Sabinus: ex Paulo II. & Sixto IV.

Iulianus de Ruuere Ep. C. Oſtien Maior Pœniten. ex Sixto II. D

Baptiſta Zeno Venetus Ep. C. Tuſculanus: ex Paulo II. & Sixto IV.

Io: Michaelius Venetus Ep. Veronenſis, Ep. C. Preneſtin. ex Paulo II. & Innoc. VIII.

Georgius Coſta Ep. C. Albanus ex Sixto IV. & Innoc. VIII.

## Presbyteri Cardinales.

Ludouicus Milanus Valentinus Hiſpanus P. C. tit. S. IV. Coronat. Prior Presb. ex Callixto III. abſens fuit.

Ex Sixto IV.

Petrus Gundiſaluus de Mendoza Hiſpanus Archiep. Toletan. P. C. S. Crucis: abſens erat;

Hieronymus Baſſus de Ruuere Sauonenſis, Ep. Recanaten. P. C. S. Chryſog. dictus Ilerdenſis.

Dominicus de Ruuere Taurinenſis, Archiep. Tarentaſien. P. C. S. Clemen.

Paulus Fregoſius Archiep. Genuenſis P. C. S. Sixti.

Io:

Io: de Comitibus Archiep. Conſanus P. C. S. Vitalis tit. Veſtinæ.

Io: Iacobus Sclaſenatus Ep. Parmenſis P. C. S. Stephani in monte Cœlio.

Ex Innoc. VIII.

Laurentius Cibo Genuen. Archiep. Beneuen. P. C. S. Cæciliæ.

Ardicinus de la Porta Nouarien. Ep. Alorien. P. C. SS. Io: & Pauli tit. Pam.

Antoniotrus Pallauicinus Genuen. Ep. Aurien. P. C. S. Anaſtaſię.

* Ludouicus Spinaii P. C. S. Martini in Montibus, tit. Equirii: abſens.

Fr. Maphęus Gerardus Patriar. Venet. P. C. S. Nerei & Achillei.

## Diaconi Cardinales.

Franc. Picolomineus Archiep. Senen. D. C. S. Euſtachii, Archid. S. R. E. ex Pio II. A

Ex Sixto IV:

Raphael Riarius Sauonen. D. C. S. Georgii in Velabro Camerarius S. R. E.

Io: Bap. Sabellus Rom. D. C. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Io: Columna Romanus D. C. S. Mariæ in Aquiro.

Io: Bap. Vrſinus Romanus D. C. S. Mariæ Nouę.

Aſcanius Maria Sfortia Mediolan. D. C. SS. Viti & Modeſti in macello Mar.

Ex Innoc. VIII.

Io: de Medicis Florent. D. C. S. Mariæ in Dominica.

Fr. Petrus Daubuſſon Gallus, Magnus Rhodi Mag. D. C. S. Hadriani.

Franciſcus Sanſeuerinas D. C. S. Theodori.

## Epiſcopi Card. promoti vel mutati ab Alex. VI.

1. IOannes Michaelius ex Ep. Præneſtino Ep. C. Portuenſis, & S. Ruffinæ. B

3. GEorgius Coſta ex Ep. Albano Ep. Tuſculan. poſtea Portuen.

2. HIeronymus Baſſus de Ruuere ex P. C. tit. S. Cæciliæ Ep. Præneſtinus.

4. LAurentius Cibo ex P. C. tit. S. Marci, Ep. C. Albanus, poſtea Tuſculanus.

## Presbyteri Cardinales.

5. IO: Bap. Vrſinus ex Diac. C. S. Mariæ Nouæ, P. C. S. Io: & Pauli, tit. Pammachii,

6. *Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.*
Matth. 12.



IOannes Borgia Valentinus, Hiſpanus ex ſorore nepos Alexandri VI. frater natu maior Petri Ludouici Cardinalis, ex Protonotario Apoſtolico, & Correctore Litterarum Apoſtolicarum, à Sixto IV. Anno 1483. Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia, mox ab Innocentio VIII. Gubernator Vrbis, demum creato Alexandro VI. Ioannis auunculo, in primo Conſiſtorio prid. Kal. Septemb. 1492. Presbyter Card. D tit. *S. Suſannæ* renunciatur; in quo Alexander ſacramentum, quo ſe adſtrinxerat non augendi numerum Cardinalium, ea interpretatione temperauit, vel deluſit: ita mente concepiſſe, niſi ex conſenſu maioris partis Senatus collaturus eſſet. Lege quæ dedimus *in vita Alexandri VI. n.* 1. S. R. E. ViceCancellarius conſtitutus plures tamen per interpretem adminiſtrauit Eccleſias, Olomucenſem ſcilicet, Baiocenſem, Lombarienſem, Caurienſem in Hiſpania, Ferrarienſem in Italia, quam poſtea Hippolyto Cardinali reſignauit Eſtenſi. Rexit etiam Patriarchatum Conſtantinopolitanum, il- C liuſq. ſæculi corruptela Orbem ſibi ſubieciſſet Eccleſię, vt aurum congregaret. Neapolim Legatus vt ea in vrbe Alphonſum Ferdinandi filium, diademate redimeret, ac obedientiam exigeret feudalem Eccleſiæ Romanæ; ad Carolum quoque VIII. Galliæ Regem, conſentiente Purpuratorum Senatu, vt pacis leges firmaret inter Pontificem, & Regem, Brachianum vſq. obuiam proceſſit, ſed incaſſum; Rex namq. Romam ingreſſus cum Phalangibus, Cæſarem Borgiam ſecum traxit, & Zizimum fratrem Regis Turcarum. Romæ è vita migrauit, ſub auunculo Alexandro VI. die 1. Auguſti, 1503. non Anno 1500. vt ſcripſit Garimbertus *p. 400. lib. 4. geſtorum Cardinalium*. Qui enim veneno ſublatus periit, fuit alter Ioannes Borgia Cardinalis dictus Melphitenſis, de quo Iouius in vita M. Conſalui. *Borgiam quoque Iuniorem* Cardinalem, quòd Candiano faueret, veneno ſuſtulerat. Qui extrema clauſit Anno 1503. fuit Io: Archiep. Montis Regalis, ſepultus in Vaticano apud S. Petrum, in ſacello Calliſti III.

9. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientia ſalutaris potabit illum.*
Eccl. 15.



IOannes de la Grolaije; vel de Villarijs Gallus, Monachus S. Dionyſij Pariſienſis, clauſtra inſtaurauit Dionyſiana, in quibus parmę eius adhuc viſuntur. Partem etiam Sandionyſiani Collegij emit cum ſtabulis vicinis, vbi pulcherri- A
mę hodie offeruntur ędes, vocanturq. *L'Hoſtel de Charitez*. Præſul Lombarienſis An. 1477. Epiſcopatum nepoti ſuo Dionyſio de Villarijs reſignauit Anno 1490. tres ante deceſſum dies. Vir [teſte *Claudio Roberto*] cui amori Religio, cui honori ſapientia, cui bono odori iuſtitia eſt. Vas electionis in honore, plenum gratię, & veritatis. Plures Legationes Regis nomine ſubijt, pręcipuè ad Ferdinandum V. Hiſpaniæ Regem, pro pace concilianda inter Reges. Scripſit è ciuitate S. Ioannis *de Lus* ad monachos S. Dionyſij, die X. Octob. An. 1477. *Heſterna luce fuit pax ſtabilita inter Monarchas Franciæ, & Hiſpaniæ, die ſacra D. Diony-* B
*ſio patrono noſtro & Protectori, hodie fuit promulgata. Rogo vos iterum, atq. iterum, vt ſolemnem celebretis proceſſionem, & ignes excitetis lætitię, vt Lutetiæ excitabuntur, per plateas, quibus Rex mirum in modum delectabitur.* Anno ſequenti electus fuit à Clero Pariſienſi, vt Regni intereſſet Comitijs habitis in vrbe Turonenſi, in quibus interpres incedens inter Canones, & Leges Sacerdotium vniuit cum Potentia. Romam Orator miſſus à Rege Carolo VIII. ad Alex. VI. Anno 1493. Presbyter Cardin. dicitur tit. *S. Sabinę*, dum munere fungeretur legationis. Ibidem agens, fabricari curauit ab Angelo Bonarota adhuc adoleſcente Iconem Deiparę marmoream, & C
filij mortui in ſinu iacentis materno, poſitam in Capella Regia Franciæ, D. Petri, quæ ob nouam fabricam tranſlata fuit ad Deiparam *de Febre* dictam. Eius aſſumptione cognita, Monachi Sandionyſiani gratias egerunt Pontifici de collato Cardinalatu Abbati ſuo; epiſtolam Canonicorum referente *Fizonio*, Romę deceſſit 8. Idus Aug. 1499. in Vaticano ſepultus, in capella Regum Franciæ, ſita ad dexteram arę principis. Eius Anniuerſaria dies celebratur Sandionyſij, die ſeptima Septemb. Plura ſcripſit eruditiſſimus Abbas, & pręcipuè,

*Sermones ad populum*
*In Libros Sententiarum*
*Collationes habitas cum Clero*
*Orationem ad Summum Pontificem.*

De eo lege Garimber. *lib.* 1. *p.* 15. Ciacon. Panuin. Arnoldum Vvion, Franc. Belforeſtium, Frizon. Claud. Rober. *in Gallia Chriſtiana*, Vghel. Auberij. Contelor.

Epitaphium

*D. O. M.*

*Ioanni Langrolaſio Gallo S. Dionyſij Abbati, Epiſcopo Lumbarienſi Presb. Card. S. Sabinę. Card. Alex. & Senen. & Peſtr. Rota Auditor Execut. Teſtam. MD. ætat. ſuæ X....*

Temporibus noſtris, in Cryptis Vaticanis ſepulchrum extat ſub lemmate,

Sepulchrum
*Card. Io. Langrolaſij Galli, Ep. Lumbarien. tit. S. Sabinæ.*

Eius memoria in Diarijs M. S. ita recurrit. *Die 6. Aug. 1499. obijt Io: tit. S. Sabinæ Card. S. Dionyſij, & delatus & Sepultus in Baſilica S. Petri, in capella S. Petronillę. Die 7. comitatus à Clero S. Petri, fratribus Mineruæ, Ara Cæli, S. Auguſtini de Populo, Carmelitanis, & S. Marcelli, factis vigilijs ab XI. Cardinalibus, inter quos fuerunt Cæſarinus, Borgia, Grimanus, & Senenſis.*

Epiſcopus primò fuerit, vel Abbas? dubium: cum tamen Dubletus ſer.bat fuiſſe primò Antiſtitem, poſtea Abbatem: cum tamen ante concordata Leonis X. cum Franciſco I. ex cænobiarchis crearentur Epiſcopi, non ex Epiſcopis Cœnobiarchę.

10. *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem; euangelizantium bona.*
Rom. 10.



RAymundus Perauld, Surgerijs natus in Prouincia Sanctonum (vnde Cardinalis Sanctonenſis appellatur à *Garimberto*) Anno 1435. ibidemque S. Egidij Prior, Epiſcopus Nouarienſis, & Viterbienſis in Italia, ac Gurcenſis in Germania ſub Archipræſule Salisburgenſi. Sub Paulo II. Sixto IV. & Innoc. VIII. legatus per vniuerſam Germaniam, ad colligendas pecunias, quę exigebantur in bellum Turcicum, malè audijt apud Romanos, quòd eas omnes ad libitum diſtribuiſſet nationibus illis, vt Cæſari gratum faceret. Vtinam Gurcenſem hodierni æmularentur Legati. Propterea reuocatus à ſua legatione, Romam priuatim ingreditur nullo obuiam prodeunte Cardinale, vt moris eſt. Intercedente tamen eodem
D Maximiliano Imperatore, Presb. Card. creatur *tit. SS. Io: & Pauli*, Anno 1493. menſe Septembri. In Conſiſtorio publico datus pileus Cardinalitius, & titulus aſſignatus S. *Mariæ in Coſmedin*, tum *S. Vitalis*, & die 29. April. 1499. aſſumptus ad titulum *S. Mariæ Nouę*, qui hac occaſione ex Diaconali erectus fuit in Presbyteralem, teſte *Burchio in Diario*: obtinuit demum eccleſiam *S. Io: & Pauli, tit. Pamachij*. Eodem Anno die X. Octob. ab Alex. VI. Legatus conſtitutus in Peruſina, & Tuderrina prouincijs.

uincijs. Coadiutoris titulum in Epiſcopatu Metenſi obtinuit etiam ab Antonio Comite Vaudemontano, reclamanre tamen Rege Siculo, & Duce Lotharingiæ, qui Ioanni filio ſuo quatuor Annorum puero Coadiutoriam illam quærebat cum Conſenſu Capituli, & Cardinali Gurcenſi Abbatiam offerebat S. Manſueti, ne Ioanni litem faceret, Bulla ſua Pontificia plaudente Alex. VI. Anno 1501. cauſa reparandi Metenſe Epiſcopium, ob bella præcedentia maximè diminutum. Promouit Raymundus Iulium II. cuius capiti, cum primo Quadrageſimę, ei prouincia recurreret, imponendi cineres, & verba vellet proferre ſolemnia *Memento homo*; à Ma- A giſtro Cæremoniarum admonitus, ex præſcripto ſacrorum Canonum ea omittere cum Pontifice, qui omnium Doctor, Admonitor, atque Corrector à nemine docetur, admonetur, nec iudicatur. Poſtea cæteris Cardinalibus in vulgari colloquio, per iocum aſſeuerauit; aberrante memoria, vt pro conſuetis verbis, Pontifici ſequentia reponeret: *Memento Papa, quia non habeo pecunias*. Verè hoc dixerit, vel vt hac arte Pontificem excitaret ad benefaciendum illi, qui in obſequio Eccleſię, & legationum ſumptibus omnia bona ſua conſumpſerit? ignoratur. Diuitiarum ſanè contemptor, omnia elargiendo nihil ſibi reſeruabat. Malè audijt apud B Romanos, quia ex pecunia collecta in Turcas nil Romam tuliſſet. Verum cum bellum in Turcas, cuius voto pecuniam quęſierat; in finibus gereretur Germaniæ, non Romæ; & Germani, non Romani ſanguinem funderent, pro aris & focis, tutiùs credidit neceſſitati ſuccurrere, quàm luxum alere. Legatione donatus Viterbienſi ab eodem Iulio II. ibidem obijt Anno Sal. 1505. in Eccleſia Auguſtinianorum ſepultus, cum hoc epitaphio.

*Raymundus Perauldi patria ſaa Sanctunenſis Ep. ac S. R. E. P. C. Gurcenſis, proq. ea Legatus adeò opulentia contemptor, vt elargiendo nihil ſibi relinqueret, ab Iulio tamen II. P. M. ditatus, dum Patrimonij legatione* C *fungitur. Viterbij obijt Non. Septemb. Anno S. 1505. vtq. ab Iulio tradita ſolum retinere cœperat, ſic monumentum hoc haud quæſitum reuerentia eiuſdem approbare credendum eſt. Vixit Annos LXX.*

Vir doctus, & pius ſcripſit,

*De Dignitate Sacerdotali ſuper omnes Reges terræ,*

*De actis ſuis Labes, & in Dacia libellos varios in Germania excuſos.*

*Epiſtolas ad Capnionem, ad Heluetios, & Germaniæ Principes, vt in Turcam excitaret.*

Ciacon. Panuin. Spond. Frizon. Vghel. Lud. Iacobil. *hiſtor. Fulgin.* Carol. Ep. Nouarien. *in Noua-* D *ria*. Ludouic. Donius d'Attichii *floribus Card.*

11. *Dabitur liber neſcienti litteras: reſpondebit, neſcio litteras.* Iſai. 29.



GVillelmus Briſſonetus Gallus, ex mercatore, Regiorum Quæſtorū Princeps, nec illuſtriore genere clarus iunctus Stephano Verſio, qui in Narbonenſi Gallia, humili loco natus, primùm inter cubicularios inferioris ordinis miniſtros, puero Carolo operam dederat, deinde gratia apud eundem adoleſcentem potens, ac Belcarii oppidi præfectura donatus, mutuis officiis Regem adoleſcentem, & incautum adoriebantur: teſte *Belcario lib. 5. hiſtor.* Ærarii Gallici primus œconomus à Rege Carolo VIII. inſtitutus vxorem duxit Rolletam Berneam, ex qua quinque ſuſcepit liberos Io: Briſſonetum rationũ Regiarum ſubducendarum ſecundum Præſidem, Guillelmum Ep. Lodeuenſem, Maclouienſem, Cameriaci Abbatem, maioris Eccleſiæ Rhemenſis, & Auenionenſis Archidiaconum; habuit etiam duas filias.

Extincta coniuge, Præſul inauguratur Nemanſenſis, poſtea An. 1492. Maclouienſis, cuius Sedis appellationem retinuit vſq. ad vltimum vitæ ſpiritum, Nemauſenſem Michaeli nepoti reſignauit. Promiſſis illectus Ludouici Sforriæ cognomento Mauri, auctor fuit Carolo Regi, Neapolitanę expeditionis contra Ferdinandum Aragonenſem, exoratus ab Alex. VI. R. P. Regem Carolum à voto diſtrahere pretio pilei Cardinalitii, quem per ſagaciſſimum aulicum Romanum presbyterum miſerat Papa cum diplomate: Negauit Maclouienſis accipere: quamuis poſtea inſtante toto Cardinalium Collegio, & Rege Carolo VIII. expoſcente in publico Conſiſtorio, dum Rex Romæ ageret, eidem Guillelmo, & ſoli Alexander VI. manu propria purpuram contulerit in tertia Cardinalium promotione, Anno 1495. die Veneris 17. Cal. Feb. ſub tit. *S. Pudentianæ*. Ticini cum eſſet cum Rege Carolo (ad quem acceſſerat Ludouicus Sforria, cuius lento, ac tabifico veneno corruptus Io: Galearius Mediolanenſis Regulus decumbebat) inſtetit detineri Ludouicum alieni Principatus vſurpatorem; & principatum ipſum vel Aureliano propinquo, vel Ioann. Galeatio conſobrino adiudicare: ſic Venetos vicinitate ipſa in ſocietate retinuiſſet, & viam ad regnum Neapolitanum expeditiſſimam ſibi paraſſet. Pecunia poſtea Florentina corruptus Briſſonetus, vt libertatem, quam Rex Piſanis donauerat, iterum ſub Florentina crudelitate reponeret, cum Verſio, & Lignio grauiſſimas geſſit ſimultates. Regno occupato Neapolitano abſq. vlla ſanguinis effuſione, in tanta fælicitate conſilium defuit, quo victoria vterentur Galli. *Rex ipſe iuuenis nulla rerum experientia præditus, Stephano Verſio iam Nolano Regulo, Briſſonetoq. Cardinali ſe totum dabat, hominibus humilis ſortis, bellicarum rerum inſolentibus; & qui nouorum hominum*

*nis*

*mos eſt, omnia ad priuatum quæſtum, ambitionemq. referentibus*: ita Belcarius *n. 12. lib. 6. Rex ipſe voluptati potius, quàm labori, tractandiſq. negotijs aſſuetus quærimoniarum moleſtiam ferre nolebat, ad familiares, qui plurimum apud illum poterant, reijciebat. Hi ferè erant Verſius, Cardinalis Briſſonetus, qui partim ignorantia, partim auaritia omnia corrumpebant: viris nobilibus difficiles ad Regem patebat aditus, pauci ex his ea, quà decuit, humanitate excipiebantur, pauci dignis præmijs donabantur*. Rex itaq. regnum Neapolitanum deſerere coactus, & in Galliam redire, iter iuxta Tarum Sfortianis, Venetis, reliquiſq. fœderatis intercludentibus; mutata Briſſonetus tiara, epomide, pedo, ſacroq. Codice in galeam, thoracem, gladium, vmbone in Regi adfuit armatus, & cum eo in ſummum vitæ adductus diſcrimen, per acies irrepſit hoſtiles vltra Tarum, & inde in Galliam; Vercellas cum veniſſet, ibi pridie Kal. Septemb. 1495. Galliarum magnus Cancellarius declaratus vnuſcuiq. penè omnia apud Carolũ poſſet, res Neapolitanas auaritia peruertit, *nunc pecuniam haud preſto eſſe cauſando, nunc alias moras nectendo* (ita Belcarius n. 20. lib. 7.) *bonas occaſiones perire conſulto ſinebat: quamquàm contumelioſa hominum oratione identidem Carolus accipiebat, & non ſine indignatione, iracundiaq. ſæpius obiurgabat: Regis enim naturam ille agnoſcens, omnia facilitate ſuis fere contemnendam vanis promiſſis iratum mulcebat: neq. quicquam interim maturabat, Tãtum abiectus hominis eius aduerſus Regem locum ſibi deſumpſerat*. Sic Salſularum arcem in extremis ſitam Pirenei montibus, magno ardore occupatam à Carolo Albonio, ex qua grauiſſima incommoda Galli inſerre poterant Hiſpano, cum communiendam viri ſuaderent militares, *Briſſonetus Cardinalis impenſæ magnitudine deterritus, & rem Gallicam ſua auaritia peſſumdans diſſuaſit*. *Belcar. lib. 7. n. 28.* Verum cum Carolus Rex in omnibus, ſiuè ſeria, ſiuè ludicra tractarentur, Briſſoneto acquieſceret; fratre Roberto Nomophylace Molinis mortuo, Rhemenſem curauit creari Archiepiſcopum An. 1497. Annoq. ſequenti, die 27. Maii, mortuo Carolo VIII. Ludouicum conſecrauit XII. Rhemenſi ſe abdicauit Epiſcopatu, Anno X. Sal. 1507. ad Narbonenſem tranſlatus Eccleſiam, in qua ſeptennium commoratus Præſul, & Pro-Rex. Abbas Grandis-montis in Diæceſi Lemouicenſi Anno electus 1499. ac S. Nicolai Andegauenſis; poſtea S. Germani à Pratis Lutetiæ, An. 1504. Abbatiam hanc Guillelmo filio ſuo ſecundo genito reſignauit. Sacris aliquando ſolemniter operanti duo ipſius legitimi filii ex Rolleta Bernea adfuere Dionyſius Macloüiẽſis Epiſcopus officio Subdiaconi; & Guillelmus Meldenſis, antea Lodeuenſis officio Diaconi. Is ille Guillelmus Ep. Meldenſis, qui (teſte *Belcario lib. 24. n. 30.*) non admodum eruditus, vt ſemidocti homines nimium ſibi tribuentes falli facilè conſueuerunt, ad nouam Religionis perſuaſionem facile inclinarat, doctoreſq. eidem propagandæ idoneos Meldenſibus præfecerat: quo nomine à Sorbonicis Theologis delatus ab inſtituto diſciuit.

Orto diſſidio inter Iulium II. R.P. & Ludouicum XII. Gallorum Regem; Concilium Briſſonetus promouit Piſanum cum Cardinale à S. Cruce, cuius Synodi decretum Mediolani habitum in ędibus Guillelmi hęc in fine habet: *Acta ſunt hæc in domibus modernæ reſidentiæ R. R. D. Guillelmi Briſſoneti Ep. Præneſtini ſitis in porta Ticinenſi Parochiæ S. Georgij de Palatio. Anno Dom. MDXI. die Maij. XVI.* Ab eodem namq. Iulio II. vocatus fuerat ad Epiſcopatum Albanum, poſtea Anno 1509. ad Tuſculanum, tandem ad Prę neſtinum; quamuis vt ingratus & Conciliabuli promotor Piſani, ad cauſam dicendam Romam citatus, adeſſe neglexiſſet, tanquàm rebellis A & contumax pileo purpureo, cæteriſq. dignitatibus exutus fuerit: donec Iulio II. morte ſublato, Leo X. ad aucupandam clementiæ laudem, dignitates omnes iterum eidem aſſeruerit Briſſoneto.

Nonnulla pietatis ſigna edidiſſe Briſſonetum auctor eſt Frizonius præcipuè Lutetiæ, cuius majori Noſocomio magnam pecuniæ ſummam teſtamento reliquit; qua ædificata Comitiorum domus iuxta ędem S. Petri & Chriſtophori ad cornu plateę, vbi ſequens adhuc supereſt inſcriptio. *C'eſt des biens de feu Monſeigneur le Cardinal, & Archeueſque de Narbone.*

Pluribus vſus eſt ſymbolis, quorũ vnũ *Exaltauit me* B *humilitas*: Alterum: *Ditat ſeruata fides*: Enchiridion compoſuit Chriſtianarum precum latinè Carolo oblatum Regi. Synodum Macloüii habuit, Anno 1501. & in ea Decretum cõtra Presbyteros ebrios, vel comam nutrientes. Narbonę vitam poſuit 14. Decemb. 1514. ſepultus in Eccleſia primaria. Eius effigiem habes ibidem in templo S. Crucis. Refert Ciaconius ſuffocatum periiſſe morbo Neapolitano. Romæ obiiſſe An. 1506. voluit Guillelmus Coluenerus *in catalogo Archiep. Rhem. ad calcem Flodoardi*.

Lege Frizonium, Ciaconium, Vghellum, Belcarium, Guicciardinum, Iouium.

C

12. *Sapientia ædificauit ſibi domum: excidit ſibi columnas ſeptem*. Prouerb. 9.



PHilippus Luxemburgius Theobaldi de Fiennes, & Philippę Melodunæ ſecundogenitus, regia oriundus ſtirpe: cuius pater vxore defuncta, factus eſt Monachus, & Epiſcopus Cenomanenſis. Eiuſdem generis fuit B. Petrus de Luxemburgo Ep. Metenſis, de quo ſu- D pra in ſciſmate Clementis VII. Primò Attrebatenſis Antiſtes, deinde Morinorum Præſul, Regem comitatus Carolum VIII. in Neapolitana expeditione, eodem rogante, Romæ, Cardinalis ab Alex. VI. dię 12. Kal Feb. 1497. tit. SS. Petri & Marcellini: qui Titulus eidem datus die 27. Ian. 1498. ſine Conſiſtorio, & abſq. Cardinalium præſentia.

Legatus à latere in Galliis, & iudex delegatus ab Alex. VI. in cauſa inter Regem Ludouicum XII.

ſo-

ſolutionem poſcentem coniugij, & Ioannam Franciſcam, nullum declarauit matrimonium data facultate ineundi nouas nuptias, quas Rex celebrauit cum Anna vidua Caroli VIII. Ioanna verò repudiata, & adhuc poſt Annos vnum, & viginti virgo Biturigas profecta cœnobium inſtituit Monialium S. Franciſci, in quo vitam traducens ſanctitate admirandam, ad portum appulit fælicitatis æternæ, ætatis ſuæ Anno 40. Salutis 1405.

Duo condidit gymnaſia Philippus; Lutetiæ vnum, Cenomani alterum ex teſtamento, quod fuit executioni datum An. 1526. Tuſculanus deceſſit Epiſcopus, quem ex Albano promouerat Iulius II. In Gallijs deceſſit An. 1519. Annos natus 74. in Cenomanenſi Cathedrali ſepultus cum hoc epitaphio.

*Hic iacet corpus Illuſtriſs. Philippi de Luxemburgo S. R. E. Presb. Card. legati à latere in Gallia, Ep. Cenomanen. Obijt IV. non. Iunij, MDXIX.* Hæretici lupina rabie tumulum effoderunt.

Gemina huius Cardinalis recurrunt inſignia, duos Leones cum duabus Stellis pingit Ciaconius; Leonem verò coronatum deſignant alij.

Ciaconius, Panuinius, Vghellus, Nomenclator, Auberij, Frizonius, Claud. Rober. Contelorius.

13. *Percuſſit Saul mille; & Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saul, dixitq. dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt. Quid ei supereſt? niſi ſolum Regnum.* 1. Reg. 18.



GEorgius de Amboſia Gallus Petri Amboſiani Principis, cubicularij Regum Caroli VII. & Ludouici XI. & Annæ Buelliæ Sancerranæ minor natus Anno 1460. Ei octo fuere fratres, quorum quinque Ioannes Amboſianus Præſul Lingonenſis, Aymericus magnus Franciæ Prior, demum Rhodienſis Megalodidaſcalus, Ludouicus Antiſtes Albienſis cognomento *Bonus*. Petrus Pictauorum Epiſcopus, Iacobus Claromontanus Antiſtes, & Archimandrita Cluniacenſis.

Fuit Georgius celebris Canoniſta, ingenij acris, & incomparabilis prudentiæ, Montis Albani Hierarcha horas recitauit diurnas cum Carolo VIII. Rege adhuc adoleſcente, apud quem Ludouici Ducis Aurelianenſis cauſam ſemper propugnauit ſui conſanguinei: propterea arma tractante Aurelianenſi aduersùs Regem, indignato aduerſus aulicos, qui ei à Rege in aulico præferebantur miniſterio; in ergaſtulum Ambaſianus conijcitur (ob litteras interceptas comunicatorias cum Aurelianēſis) vnà cum Bucio fratre, ex quo liberatus Romano intercedente Pontifice, Carolum ſequitur coronam appetentem Neapolitanam. Præſul dictus Narbonenſis, poſtea Rothomagenſis, Anno 1494. Narbonenſem reſignauit Petro de Ladouſe Riuenſi Epiſcopo, *vnius Rothomagenſis eccleſiæ Sacerdotio abſq. vllis Abbatijs* (teſte Genebrardo lib. 4. Chronol.) *contentus vir antiqua virtute, & fide*, ſub Ludouico XII. Vniuerſitatem reformauit Pariſienſem, cuius multa priuilegia abrogarat Ludouicus XI. Idem Rothomagi Scacarium [ vt vocabant communc gentis Normannorum forum, ſiue Senatum, qui nonniſi certis temporibus, ingenti cauſarum detrimento celebrabatur] in Parlamētum continuum commutauit. *Gaguin. l.* 11. Templa ibidem ornauit, turrim pulcherrimam Eccleſię Metropoli-
A tanæ erigi curauit, in qua campana cum epigraphe.

*Ie ſuis George d'Amboiſe,*
*Qui plus que trente ſix mille poiſe,*
*Et ſi qui bien me poiſera,*
*Quarante mille y trouuera,*

Pulſis poſtea Mediolanenſi Ducatu Gallis ob inſolentiam Triuultij, reſtituto in Principatum *Ludouico Mauro* cum fratre Aſcanio Cardinali S.R.E. venit protinus Cardinalis Rothomagenſis & Trimollius cum maioribus copiis, qui cęteris in Italia ſtan-
B tibus iuncti, Nouariam, vbi erat Maurus, cinxerunt, vt inde exire prohiberetur Maurus, niſi aperto Marte confligeret. Heluetii autem à Cardinali corrupti Rothomagenſi, negantes ſibi integrum eſſe abſq. ſuorum Magiſtratuum facultate, aduersùs propinquos, & fratres regiis ſtantes in caſtris decertare, imò in patriam reuocati ſtatim velle diſcedere, nec vllis Mauri precibus, aut lacrymis flecti voluerint, vt ſaltem in locum tutum perducerent; rogauit vt Heluetii peditis veſte gregalis, inter eos quaſi vnus ex iis progrediendo elaberetur. Per medium itaq. Gallorum exercitum à dextraq. leuaq. conſtitutum incedentibus Heluetiis, eorum-
C dem turpi proditione agnitus, die 15. April, Anno 1500. comprehenditur ſpectaculo hoſtibus ipſis miſerando. Cardinalis Aſcanius eius frater dum in itinere in agrum aufugit Placentinum, Conradi Landi Placētini affinis ſui proditione, Venetis oblatus, & à Venetis Francorum Regi in carcerem traditur, pænas luiturus impietatis in filium fratris commiſſę. In honorem tamen purpuræ, intercedente Cardinali Rothomagenſi, cuius ad arbitrium Gallia regebatur, paulo poſt toto Regno libertatem obtinuit, ac demum in Italiam redire permiſſus. Mediolanenſes ſpe omni deiecti, per legatos veniam apud Cardinalem Rothomagenſem depre-
D cati, facilè etiam obtinuerunt mulcta ſoluta. Rebus compoſitis Rothomagenſis, in Italia ſubſtitit belli, paciſq. arbiter; cui Pontifex Anno ſequenti, totius Galliæ legationem, vna excepta Britannia, ſeſquiano exerceret, quam deinde diuerſis prorogationibus ampliatam, & à Iulio II. confirmatam vſq. ad obitum retinuit, vnà cum legatione Auenionenſi. Purpuratis patribus adlectus eſt *tit. S. Marci*, Anno 1498. die Mercurii pridie Idus Septemb. promotione VII, iſq. ſolus ad preces Ludo-

nici

uici XII. Cæſare Borgia Alexandri VI. notho galerũm vnà cum muneribus deſerente, cum ipſe Cæſar purpuram aſpernatus armorum amore raperetur cum Carlota Alebretę familię Regij ſtemmatis virgine matrimonium iniit Eques dictus S. Michaelis. Pileum Amboſiano impoſuit Iulianus Ruuereus Card. S. Petri ad vincula, qui in Francia erat, Iulius IJ. futurus. In eo laudatur, quòd eo rem Galliam moderante, Ludouicus XII. quamuis pluribus intentus bellis, minores Gabellas, atq. ſubſidia impoſuerit. Annos præfuit triginta conciliata ſibi populorum beneuolentia, quibus hoc in ore frequens: *Laiſſez faire à George*: rara certè auis in terris. A
Eximiæ prudentiæ, & charitatis nunqàm ſuaderi potuit ab aulico, vt municipium compararet cuiuſdam Nobilis paupertate laborantis Gallioni vicinum domui ſuæ villicæ, ſed viro illi nobili excepto ad lautum prandium pecunias erogauit pro dote filiæ in matrimonium elocandæ. Anno 1508. vnà cum Margareta Maximiliani filia fœdus iurauit Cameracenſe aduersùs Venetos. Cardinalem Aſcanium Sfortiam cum liberaſſet ergaſtulo, Romam duxit Pontificem electurus promouitque Pium III. Pij II. nepotem, quo mortuo, Valentino Borgia rem promouente, Amboſianus ipſe ſpe grandi ducebatur Pontificatus, niſi vota diuertiſſet Aſcanius, quem carcere ſoluerat Amboſianus. Sedentę Iulio II. R. P. turba furente Piſani Concilij, aculeos Amboſianus ſemper adiecit. Lugduni obijt die 25. Maii, 1510. ætatis ſuæ quinquageſimo; Morti vicinum ſua cohoneſtauit præſentia Rex Ludouicus, eiuſque exequijs interfuit. Eius obitu exultauit Iulius II. (teſte *Bembo*) dicens ſe tunc ſolummodò ſocium non habere dignitatis, vt annuitur in Symbolo Saulis ei adiecto. Cadauer Rothomagum detulere in templo metropolitano pone aram Principem tumulo magnificentiſſimo, cum epitaphio,

*Paſtor eram Cleri, popul Pater, aurea ſeſe*
*Lilia ſubdebant, Quercus & ipſa mihi.*
*Mortuus en iaceo, morte extinguuntur honores,*
*At virtus mortis neſcia morte viget.*

Quum tumidum & ventoſum turgeat hoc epitaphium, obierua *Quercum*, Iulium ſcilicet ſecundum Rom. Papam inſulsè ſubditum Amboſiano depictum.

Vidit Amboſianus duos nepotes Cardinales, Franciſcum de Caſtelnau ſororis filium, & Ludouicum Amboſianum; imò, & Cognatum Renatum de Pria.

De eo lege Guicciardinum; Frizonium: Ciaconium, Vghellum, Garimber. Ludouicum Donium d'Attichij in *floribus Cardinal.* Eius memoria in literis S. Franciſci de Paula. D

*14. Domine pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in conſilio eorum: nec ſinas me cadere cum illis.* Eccli. 23.



BArtholomæus Martinus natu Hiſpanus patria Valentinus Ep. Segobienſis, vel Segrobicenſis in Arragonia, & Magiſter Domus Sacri Palatij Anno 1496. die 19. Feb. Presb. Card. tit. S. *Agathæ in Saburra* renunciatus vnà cum tribus alijs Cardinalibus ea conditione, vt ſub pæna excommunicationis, & priuatione actiuæ, & paſſiuæ vocis in electione Pontificis, vt ſi ipſum mori contingeret, priuſquàm Cardinales nouiſſimè creati inſignia ſuſciperent, admitti deberent in Conclaui, & ipſi propria auctoritate inſignia ſummerent, eaque exercerent abſq. alia noui Pontificis conceſſione. Adminiſtrauit Martinus eccleſiam Balneoregienſem, & Coepiſcopus vixit Tullenſis. Synodum celebrauit in eccleſia Segobricenſi Anno Sal. 1485. Romæ deceſſit die 25. April. vel Ianuarij 1500. ſepultus in Baſilica Vaticana, ſepulchro marmoreo:
B de eccleſiaſtica meritus immunitate; quòd ſemper inter Regem, & Legem inclinauerit. Ciaconius, Panuinius Porreg. *elog. Card. Hiſpan.* Contelor. Auberij,

*15. Innocens manibus, & mundo corde.*
Pſal. 23.

C 

IOannes, alijs Iordanus de caſtro, natu Hiſpanus patria Valentinus, præfectus Arcis S. Angeli, Epiſcopus Agrigentinus in Sicilia à Sixto IV. Anno Sal. 1479. confirmatus diplomate ſcripto, die 29. Martij cum encomio. Informati *de meritis, probitate, ac etiam nobilitate dilecti filij Ioannis de Caſtro viri præcipuę virtutis, & honeſtatis, præficimus eum Eccleſiæ Agrigentinæ* Adminiſtrator etiam Epiſcopatus Sleuicenſis apud Germanos, Presb. Card. tit. *S. Priſcæ* dicitur ab Alex. VI. Anno Sal. 1496. & dictus Cardinalis Agrigentinus. Romę obijt, poſtquam comitijs interfuiſſet Pij III. & Iulij II. die 2. Octob. vel 29. Septemb. 1506. ſepultus in eccleſia S. Mariæ de Populo, cum epitaphio.

*D. O. M.*

*Io: de Caſtro illuſtri citerioris Hiſpaniæ familia, S. Priſcæ Presb. Card. Agrigentino ab Alex. VI. P. M. ob conſilium, humanitatem, innocentiamq. in Senatum aſcito, & in eo Annos X. integerrimè verſato: qui vixit Annos LXXV. men. 6. Dieb. 7. Ol. Carafa Hoſtien. & Io: Anton. Sabin. Card. ex teſtam. poſ. MDVI. Iulio II. P. M.*

Ciaconius Panuinius, Porregnus *elog. Card. Hiſpan.* Auberij, Contelorius, Vghellus.

*16. Stetit contra Reges horrendos.*
Sap. 10.



IO: Lopez Hiſpanus patria Valentinus frater Hieronymi Lopez Nuncij Apoſtolici in Gallia, & Alexandri VI. in minoribus Secretarius, Canonicus Vaticanæ Baſilicæ, poſtea Datarius, Epiſcopus Peruſinus Hieronymo ſuccedit Balbano, die 29. Decemb. 1492, paulo poſt A
Presb. Card. tit. *S. Mariæ Tranſtyberim* creatur vulgò appellatus Card. Peruſinus. Ad Capuanam deinceps tranſlatus Eccleſiam, Anno 1498. necnon Carcaſſonenſem, & Caurienſem, fontem vetuſtate informem in platea Baſilicæ S. Mariæ trans Tiberim, ante fores palatii ſui, reſtituit, ac ſequenti inſcriptione muniuit.

*Alex. VI. PP. M.*

Felici auſpicio Ioannes Lopez Valentiani, S. Mariæ Tranſtyber. Card. Peruſini, fontem vetuſtate informem, ad commoditatem Populi Romani, reſtituit. B

*Quo blando facilem perducit murmure ſomnum,*
*Qua cadit, & tremulos efficit unda lacus.*
*Quod ſumis puros hauſtus, nitideq. lauaris.*
*In, sauratori gratia habenda Lupo.*
*Res, animumq. ſuum ſpectans, dic Romule verum.*
*An minus hic pater eſt, quàm Lupa mater erat.*

Romæ obiit die 5. Auguſti, Anno 1501. ſepultus in Baſilica Vaticana, non ſine veneni ſuſpicione propinati à Ceſare Borgia, quòd eum ægrè ferret inter conſiliarios Alexandri. Quod ſat ei pro laude; non placuiſſe Tyranno. C

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Porregnus *elog. Card. Hiſpan.* Vghellus, Contelorius.

*17. Et Synagoga populorum circumdabit te.*
Pſal. 7.



AManeus filius Alani Albretii Comitis Drocēſis, & Franciſcæ de Broſſe Dominæ de Ponticute, frater Ioannis XXXV. Nauarræ Regis, qui Catharinam Nauarræam vxorē D duxit. Vitam profeſſus Monaſticam in monaſterio S. Ruffi diæceſis Valentinæ, Ordinis S. Auguſtini, & ibidem Archimandrita, poſtea Epiſcopus Apaniarum, & Pampelonæ Adminiſtrator à Capitulo propter obitum Epiſcopi Antonii Cardinalis, reclamante Iulio II. R. P. qui Epiſcopatum contulit Facio Cardinali tit. S. Sabinæ; & quia Cardinalis nefas duxit obedire Pontifici; Iulius Capitulum notauit anathemate: cuius timore correpti Canonici Facium in Epiſcopum admiſere, quo breui mortuo, Leo X. Epiſcopatum contulit Amaneo Albretio; licet Hiſpaniarum Cardinalis violenter fructus vſurparet, & Epiſcopatum. Cardinalis dicitur Diaconus *S. Nicolai in carcere Tulliano*, ab Alex. VI. die Lunæ 17. Cal. April. Anno 1500. Electioni adfuit Iulii II. Anno 3. poſt Cardinalatum. Piſani Conciliabuli non Auctor, ſed Coadiutor, ne Regem offenderet. Belnoſo deceſſit in oppido Diæceſis Vaſatenſis; IV. Idus Decemb. ibiq. tumulatur, An. 1520. de quo Cabrera in fine vitæ Leonis X.

*18. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa; non inflatur, non irritatur.*
1. Cor. 13.



IAcobus Serra, vel Caſanoua in Hiſpania natus, Catalanus Archiepiſcopus Arborenſis, Papæ Vicarius, in Vrbe, inter Presbyteros Cardinales, tit. *S. Stephani in monte Cælio* aſſumitur ab Alex. VI. promotione octaua, die 28. Septemb. 1500. Eccleſias adminiſtrauit Elnenſem, Licopienſem: Legatus in Piceno, Peruſii, in Vmbria, Ep. C. *Albanus, Tuſculanus* ſub Iulio II. *Præneſtinus* ſub Leone X. Epiſcopatum etiam rexit Calaguritanum. Gallorum æmulus auctor fuit Leoni X. ne poſt Rauennenſem cladem, pacem reciperet oblatam à Franciſco I. Gallorum Rege. Romæ vincula corporis ſoluit die 15. Mart. An. 1517. Corpus in D. Iacobi Hiſpanorum Eccleſia, ſacello per eum ibidem conſtructo, tumulatur, cum epitaphio.

D. O. M.
*Iacobo Serra Epiſcopo Præneſtino.*
*S. R. E. Card. Arborenſi,*
*Antonius de Monte Card. S. Praxedis.*
*Executor ex teſtamento P.*

Ciaconius, Cabrera, Victorel. Auber. Panuin. Vghel. Angel. *hiſtor. Parm.* Ludouic. Iacobil. *Hiſtor. Fulginaten.*

*19. Oculos ſuperborum humiliabit.*
Pſal. 17.



THomas Bacocius, vel Herdouts, Vngarus ex infimo genere natus in oppido Herdoui Vetminienſis diœceſis, apud Italos Bononiæ, litteris incubuit; mox Hipolythi Cardinalis Agrienſis à ſecretis, ea fama præualuit, vt non ſolum Vngarorum Regis Cācellarius, ſed trium nobilium Vrbium Antiſtes, ſcilicet Taurienſis, Agrienſis, Strigonienſis totius Regni arbiter, inter Cardinales Presb. aſſumitur ab Alex. VI. tit. *S. Silueſtri, & Martini in Montibus,* ſeu *Equitij*, die 28. Septemb. 1500.

1500. pro eo intercedentibus Rege Vladiſlao, ac Venetorum Republica. Comitijs minimè adfuit Pij III. & Iulij II. ab hoc tamen Romam vocatus vt aduersùs Piſanum Conciliabulum, auctoriratem propugnaret Romani Pontificis, Romam venit ſpe lactatus ſucceſſionis, poſt obitum Iulii II. ſed nimio faſtu, quo Comitia ſubiit, ſortem ſubuerrit, Spe namq. deceptus per aſſumptionem Leonis X. rediit in Vngariam. Cromerus verò Romam aduenisse Thomam refert, ob bellum in Turcas ſuſcipiendum. *Vidi ego pleroſq. ſupremi Ordinis Antiſtites Cardinales, qui altius ſpirabant, collacrymari, Thomam præcipuè Strigonienſem Cardinalem, qui ea potiſſimum cauſa ex Vngaria trecentorum Equitum comitatu Romam venerat, vt Romanum Pontificem, ſacrumq. Senatum ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum impelleret: quod Iulio Pontifici, cuius tempore Romam venerat, poſt Petrum Bar-Ionæ omnium Pontificum Maximo ac tot bellis exercitatiſſimo haud dubiè perſuaſerat, ſi inteſtina Principum Chriſtianorum odia, & immatura mors non obſtitiſſet*. Primus ergo Presbyterorum Cardinalium cum adfuiſſet creationi Leonis X. teſſera ab eo accepta Sacræ militiæ aduersùs Turcas rediit in Patriam, vbi ea fruge expeditionem publicauit, vt illico ex vario plebeiorum hominum genere exercitus coaluerit, exitu tamen improſpero, nam Ru- B ſtici agris relictis, Sacerdotes Monachi, ac facinoſorum colluuies, omiſſo bello Turcico, arma conuertentes in Dominos ſuos, vniuerſam Vngariam cædibus conſpurcarunt, ſacrilegiis, & latrociniis. In hac ſeditione multum inſudauit Thomas, & Deo adiuuante pacauit. Chriſtianorom etiam Principum paci quantum contulerit? poſt obitum Ladiſlai Regis, ad educationem filii Ludouici fidelis quanta patrauerit? ex litteris Leonis X. legere vales apud Bzouium. Fato conceſſit apud Vngaros: die 11. Iunii 1521. vel 1523.

Ciaconius, Panuinius, Bzouius, Garimbertus, Auberii, Contelorius, Victorellus.

20. *Et aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam.* Amos. 2.



PEtrus Iſualles, ſeù Iſualia, obſcuro genere, Meſſanæ natus, Archiepiſcopus Rhegìnus, ex Vrbis gubernatore, & Protonotario Apoſtolico, ab Alexandro VI. Sal. Anno 1500. die 20. Septemb. pro eo intercedente, non Ferdinando Siciliæ Rege, ſed virtute, Presb. Card. aſſumitur *tit. S. Cyriaci in Thermis*, deinde *S. Pudentianæ*, & S. Mariæ Maioris Archipresbyter Legatione fungitur ſub eodem, Bononiæ, Romandiolę, apud Pannones, Sarmatas, & Boemos aduersùs Hęreticos *Foſſarios* dictos, qui noctu in Foſſis, & ſpeluncis conuenientes, turpiter brutorum more commiſcebantur, teſte Trithemio. Sua induſtria Petrus apud Principes tantum præualuit, vt quamuis ignobilis, & illiteratus, moderator diceretur Vrbis, & Orbis. Hac fama, & fæliciſſimo vitæ curſu minimè contentus, Pontificatum ſibi blandiebatur, fauore Principum Chriſtianorum, quos omnes ſibi conciliauerat, eorum promouendo arcana apud Sedem Apoſtolicam, officio, diligentia, fide, quibus cæteris anteibat Cardinalibus. In hoc ſiſtemate, vitam cum morte commutauit, rapido itineris curſu ereptam, dum citatis equis Romam feſtinus accederet, morbo cognito Iulii II. Cæſenę, die 22. vel 24. Septemb. 1511. Corpus Romam tranſlatum in Baſilica Liberiana quieſcit, cuius fuerat Archipretbyter, vt ex tabulario eiuſdem Baſi- A licæ.

Ciaconius, Panuinius, Garimbertus, Auberii, Guicciardinus, Spondanus, Contelorius, Bzouius, Paulus Angel. *Deſcript. Baſil. Liberianæ*.

21. *Multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt.* Act. 26.



BErnardinus Carauagial, ſeù Carauaial, filius Franciſci Lopez de Carauagial, & Aldonçæ de Sande, Placentiæ in Hiſpania natus, doctrina præſtans, artium ac S. Theologię Magiſter, & conſanguineus Ioannis Carauaial olim Cardinalis S. Angeli, qui tantis virtutibus purpuram illuſtrauit. Ex eodem prognati ſtipite Ioannes, & Bernardinus, non tamen eiuſdem indolis; ille Idęam exhibuit virtutis, quæ plaſmate valeat verum Eccleſiæ Principem, abſq. macula inſtitor penè nauiculæ Petri, etiam inter Syrtes abſque naufragio enatauit cum ſarcinis Legationum, & Dignitatum, quæ prçmebant inuitum, & reluctantem. Is verò magis cum vitiis, quàm cum virtutibus tumidus, ſeditioſus noua ſemper quærebat, C quibus ambitioni ſatis ſaceret. Romam veniens adoleſcens, cubicularius Sixti IV. Anno Sal. 1484. in die Dominicæ Circumciſionis, coram Pontifice, & Purpuratorum Senatu, ſermonem habuit non eloquentiæ nitore ſplendidum, ſed ſucco doctrinæ affluentem: die feſto Omnium Sanctorum, id ab eo factum ſcripſit Garimbertus *p. 465.* ſed pluries fortaſſe perorauit, audiente Sixto IV. quo auram aucupatus magni Theologi, & Sacrarum Scripturarum peritiſſimi, iuncta aulę peritia, Orator deſignatus Ferdinandi Hiſpaniarum Regis, ad Rom. Pontificem. Carthaginenſis poſtea Epiſcopus aſſumptus ab Innocentio VIII. Nuntius in Hiſpaniam D rediit Apoſtolicus, tandem ab Alexandro VI. inter Cardinales aſſumptus Presbyter tit. *SS. Petri, & Marcellini*, poſtea *S. Crucis in Hieruſalem*, obuiam proceſſit tanquam Cardinalis Maximiliano Imperatori in Italiam venienti, cum ab eodem Pontifice Legationem prius Campaniæ obtinuiſſet. Ad hunc Cardinalem ad purpuram aſſumptum circa Æquinoctium Autumnale ſequens miſit epigramma Petrus Martyr Anglus.

*Neſcio quod gradibus ſapidiſſima Libra fugarat.*
*De medio Cęli tramite Solis equor:*
*Alma ſoror Phębi: fratri contraria ſemper.*
*Ceperat alternas iam ſuperare vices.*
*Ducentem choreas quod ſenſi adſtante marito.*
*Thetida iam veterem: Nereideſque pias.*
*Omnia quod vario reſonarent littora cantu.*
*Et placidas Triton ęre cieret aquas.*
*Vidi etiam montes: valles: & flumina: & herbas,*
*Et ſata cum plantis continuaſſe modos.*
*Ducebant Fauni, & Satyri, Driadeſq. decentes;*
*Quicquid & Hyſpano cingitur axe choros.*
*Gaudia quare hac tam magna, iocique?*
*Cauſa aures patula perculit vna mihi.*
*Quod in Carpineo tandem decorarat honore.*
Sextus Alexander: *noſter in Orbe Deus.*
*Quare age iam fidei noſtra firmiſſime poſtis;*
*Doctrinam, & Doctos non minus inde colas.*
*Si cupis aternam nomen, famamq. perennem.*
*Non ſit Pegaſidum nunc tibi cura minor.*

Mortuo Alexandro VI. comitiis adſuit Pii III. & Iulii II. ſub quo Legatus occurrit Ferdinando Regi in vrbem venienti; quamuis poſtea ob eodem Iulio ſtultè deficiens, ambitu inſtigante Pontificatus, B quem ſibi promittebat à quatuor adulatoribus Cardinalibus Friderico Sanſeuerinate, Franciſco Borgia Hiſpano, Guillelmo Briſſonetto, & Renato de Lria Gallis, qui Conciliabulo indicto Piſano, Mediolanum aufugerant, vt ad indictum Concilium Pontificem traherent, miſſo citationis libello, eo prætextu, quod periurus Papa capitula ab eo iuramento promiſſa ante Pontificatum, & poſt adeptum Pontificatum confirmata violaret, bellum Regibus indicendo, inſcio Patrum Senatu; & Decretum Conſtantienſis Concilii, de Synodo ęcumenica congreganda, cuiuſlibet Decennii flexu non ſeruaret. Fabulam hanc cum deriderent ſaniores: immò cum in Côuocationis mādato nomina etiam legerentur Cardinaliū, qui eum minimè ſubſcripſiſſent querebantur; Carauaialius impudenter reſpondit cum Coſentino & Narbonenſi; *Tres ex nobis ſufficienter facere illum actum potuimus*. Iulius verò ad compeſcendos furentes, Lateranenſi indicto Concilio, Romam vocauit, venia propoſita, ſi ad officium redirent. Hoc perculſi decreto Sciſmatici, reſponderunt confictis periculis, non poſſe Romæ tutos conſiſtere: ad ſe autem ius Synodi conuocandæ deuolutum. Die propterea 1. Septemb. 1511. Piſanum inchoarunt Conciliabulum, cui tres ipſi Cardinales adſuerunt non perſonaliter; ſed per Procuratorem. Iulius ex aduerſo, actione inſtituta iudiciaria, dignitate exuit Cardinalitia Carauaialium, Guillelmum Ep. Pręneſtinum, Franciſcum Cuſentinum, & Renatum Baiocenſem. Prorumpere vlteriùs parabant Sciſmatici, cum oborto inter Piſanos, & eorum familiares diſſidio, die 12. Nouemb. Mediolanum traduxere conuentum, donec cum Papa conuenirent de loco eligendo communi. Die 7. Decemb. Mediolanum conceſſere, quorum ingreſſu pollutam vrbem exiſtimans Clerus Mediolanenſis, illico templa clauſit, licet Gallo impellente milite viſus ex parte quieſcere, Gallorum tandem excitatus ſeueritate iugum excuſit. Sciſmatici verò eo dementiæ progreſſi, vt minas de abroganda Iulio Pontificia auctoritate intentarent. Horum geſta cum Thomas de Vio inania oſtenderet edito libello; indignati curarunt, vt Regis Ludouici imperio, flammis exureretur liber. Aperto Concilio Cardinalem Carauaialium Præſidem dedere Concilio, Odetum de Fuxo Cuſtodem Concilii, diſtributiſq. muneribus, ſigillum Concilii ordinauit
A Præſes in figura emiſſionis S. Spiritus in ſpetie Columbæ, cum inſcriptione *Sacroſancta Generalis Synodus Piſana*. Caruaialium tanquàm execrandi facinoris auctorem, non homines terrebant, neq. prodigia. Teſte Anglerio Mediolanenſi *ep. 464.* apud Cremam, pridie Non. Septemb. 1511. circiter Meridiem grande prodigium ſuperbiam accuſauit, damnauit Præſidis Sciſmatici. Immenſus in aere Pauo, qui in Pyramidem conuerſus, celeri ab Occidente in Orientem curſu, vt vna hora magnam hemiſpherii partem peruolaret, denſatis nubibus tenebras congregauit, quales etiam obſcuriſſima nocte nullus vidit mortalium. Per eam noctis
B faciem, cum formidoloſis fulguribus inaudita tonitrua regionem circumſtrepere: ex illoq. horrendo fragore ſaxa deciderunt immenſa, perempti in flumine piſces, in aere interfectæ volucres, trucidatę in terra pecudes. Decem reperta centilibraria, quæ ſuo impetu terram eleuarunt concuſſam ad quindecim hominum ſtaturas, Non propterea territus Carauaialius, quamuis à Maximiliano Imperatore deſertus, ſoli Ludouico innixus Gallorum Regi, qui in fortitudine brachii ſui ſpem omnem reponens, bellum proſequi mandauit Concilii nomine aduersùs Papam, percuſſo numiſmate aureo, altera parte inſcripto, *Lu-*
C *douicus XII. D. G. Rex Francorum, Dux Mediolan.* altera *Perdam Babylonem*. Pithę. de magnitud. Reg. Franc. Huius profana conſilia hactenus tolerata; repentè Deus in ipſius caput refudit, concedens quidem optatam victoriam, ſed Cadmeam, qua victor ipſe à victis cōfeſtim Italia pulſus. Priuſquam verò Italia ſecederent Sciſmatici, Mediolani quinque celebrauere ſeſſiones, in quibus accuſata Iulij contumacia, eum à Pontificali adminiſtratione ſuſpenſum declararunt ob enormia, quibus eum onerabant, flagitia; poſtea repetita accuſatione contumaciæ, dignitate ſpoliarunt Pontificia, Bernardinum Carauaialium Cardinalem S.
D Crucis, in templo Maximo Pontificem ſalutantes, qui *Martini* nomen aſſumpſit. Leonardus à Portu *ep. ad Antonium Sauorgnanum, lib. 1. ep. 3. in ep. Principum, p. 6.* Veruntamen cum epiſtola tertio Auguſti 1511. ſcripta Venetijs dicatur, ex rumore collecta creditur, quòd eo tempore nondum eſſet Conciliabulum inchoatum. Rem magis vrgent Annales Ripamontij, qui ſi veritate conſtent, Bernardinum referunt in templo Maximo, Pontificem ſalutatum *Martini* nomine, *lib. 14.* Durauit fabula vſq. ad Leo-

nem

nem X. qui reſtituta pace cum Principibus Chriſtianis, etiam Sciſmaticis pænitentibus indulſit, ac dignitates reſtituit. Hinc Bernardinus cum ſuum veniſſet in Titulum S. Crucis, vt anteactę vitæ pęnitentiam comprobaret, Baſilicam S. Crucis reſtituit, ornauit, altaria erexit, porticus condidit Monaſterij; vt ex inſcriptione, quàm grati Monaci incidi curarunt in eadem eccleſia.

*Hilsberia à filia Hiſpani Regis condita, & appellata; deinde ſub Chriſto ſincera mente Deum reuerens. Tum poſt cladem Hiſpania à Mahumetanis Aphricanis ſub Roderico Regi illatam multò tempore Mahumetis militia ſeruiens. Tandem Ferdinando, & Heliſabeth ſacris coniugibus Hiſpaniarum Rege, & Regina Catholicis valida illam tunc obſidione cingentibus: dedita illis Roma nuntiatur, Vt apparente ſigno Filij Dei in Vrbe qua vniuerſum Orbem refert; ſimul contra Mahumetem pracipuum Chriſti hoſtem victoriam inſignem nuntiari contingeret, ac inde in memoriam vtriuſq. tam praclari diuini miſterij vna die Roma relati;* Innocentius *ipſe, & hanc Baſilicam cum Senatu deuotiſſime viſitauit. & quotannis eam ipſa die viſitantibus; plenè indulſit. Primum Alleluia referens contra beſtiam Babyloneamque Mahumetem in Eccleſia Sanctorum iuxta Apocalypſim ea die fuiſſe decantatum. Inde verò vetuſtatem virorum, aut inhabitantium incuria: fornice Sacelli iſtius Hieruſalem ruinam minante, & muſiui figuris operis Valentiniani prater Canticum Ambroſianum quod in fronte deſcriptum fuit, omnino deletis. Reuerendiſs. D. Bernardinus Lupi Carauaial Epiſcopo Oſtien. S. R. E. Cardinalis S. ✠. in Hieruſalem Patriarcha Hieroſolymitan. & fornicem ipſum, ac figuras muſiuas denuo ad inſtar priorum refecit, Intro ipſam quoque maiorem Baſilicamque primus .......... lium eſt titulus: diuerſa Altaria nonnulis S. R. E. Cardinalibus in cat alogo Sanctorum annumeratis erexit, atq; dicauit. Clauſtrumq; paruum, & magnum intra domum ipſam Patrum Carthuſien. Chorumq; inſtitu ....... aſilica, & vtrumque deſcenſum, & ante Capellam ipſam ad perpetuam Chriſtian. Reipub.*

*Fœlicit atem fundauit.*

In eadem Eccleſia eſt alia huiuſce Cardinalis memoria; videlicet.

*Ad gloriam Dominica Crucis, & ſpem recuperationis ſacri glorioſi Sepulchri Hieroſolymæ ſub in Chriſto Patre, & D. N. Leone X. Hetruſca gente, familia Mediceo clariſſimo, ac Sereniſſimo D. Carolo V. Hiſpaniarum, & vtriuſq; Sicilia, ac Hieruſalem, vniuerſuque Inſulę Atlantica, ſeu Terra Sancta Crucis, Hiſpanienſis, ac aliarum Inſularum Africa, & India Rege Catholica; Archiduce Auſtria, & cat. in Rom. Imp. Electo, Reuerend. in Chriſto Pater D. Bernard. Card. Carauaiǝl. Epiſc. Sabinenſ. & Card. S. Crucis; Patriarcha Hieroſolymitanus ante Capellam hanc vlteriori ſacrę Capella S. Crucis in Hieruſalem adiungenda curauit. Anno ſalutis Chriſti MDXX.*

Commendatum habuit etiam Titulum S. Marcelli; quare in M. S. ſcheda, *S. Marcelli* Cardinalem appellatum ſe vidiſſe fatetur Andreas Victorellus. Epiſcopatum pariter Seguntinum, Fulginatem, quem in Rodericum Carauagial nepotem ſuum, poſt octauum adminiſtrationis menſem tranſmiſit. Aſturicenſis, quoq. in Hiſpania, Albanus in Italia, Tuſculanus, Præneſtinus, Sabinus, Oſtienſis, & Sacri Collegij Princeps, Romæ migrauit è vita 17. Kal. Ianuarij, 1522, ætatis ſuæ 67. ſepultus in æde S. Crucis in Hieruſalem, poſtquàm adfuiſſet comitijs Hadriani VI. & Clem. VI. & omnem mouiſſet lapidem, etiam Acheronta excitando, vt rhiaram conſequeretur: vnde ſpe deluſus & dolore agitatus, paſſioni ſuccubuit acerbæ. Eius in funere perorauit Vincentius Pimpinella.

A

Epitaphium.

*Bernardino Carauaial natione Hiſp. patria Placent. Ep. Oſtien. Card. S. Crucis, ob egregias virtutes, doctrinamq. in ſacris litteris ſingul. ab Alex. VI. P. M. in numerum Patrum aſcito plurib. Legation. pro Re. Chriſti. integrè; ſapienterq. functo proſpera fort. moderatè aduerſa conſtanter vſu per omnem vitam piè, ac religioſè vixit An. 67. menſ. 3. dies 8. Obijt 17. Cal. Ian. An. 1523.*

*Hic Ber. Carauaial S. R. E. Card. S. ✠. Ep. Oſtien. quieſcit donec ad ęternam reſurgat vitam.*

Huic Cardinali ſuum Sermonum Roſarium dedi-
B cauit Bernardinus Buſti Ordinis Minorum.

Nummiſma.

Cum effigie virtutis ſub lemmate, *Qui me dilucidant vitam ęternam habent.*

Ciaconius. Panuinius. Ripamontius. Garimbertus. Victorellus. Henr. Albi *in elogijs Card.* Thomas Coſtus *hiſtor. Neapol.* Franc. Guicciard. *hiſtor.* Auberij. Vghellus. Ludou. Iacobill. *de Ep. Fulginaten.* Spondanus.

C

22. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.*
Pſal. 16.



Didacus Hurtadus de Mendoza nobilis Hiſpanus, Innici filius primi Comitis de Tendilla, alterius Cardinalis de Mendoza gentilis, ex Hiſpalenſi Archiepiſcopo Patriarcha Alexandrinus, abſens Presb. eligitur Cardinalis tit. *S. Sabinæ*, & dictus Cardinalis Hiſpaniæ.
D Matriti deceſſit, ſeu apud Inſulam Maioricam, ætatis ſuæ Anno 58. die 24. Octobris, 1502. Cadauer Hiſpalim tranſlatum ab Innico de Mendoza fratre in marmoreum ſepulchrum, cum ſequenti epitaphio.

*RR. atq. Illuſtriſs. D. Didaco Hurtado de Mendoza, quem clariſſimum genus, inſignis litterarum ſcientia, inuiolata in ſuos Reges fides, Sanctiſſima aquitas in omnes, regalis munificentia in Amicos, & pauperes, ac ingens animi magnitudo, & temperantia celeberrimum reddiderunt;*

*runt; nec non Religio, & Pietas in Deum O. M. Hiſpalenſem Archiep. Patriar. Alexan. & Hiſpania Cardinalem extulerunt.*

*Ianicus Lopez de Mendoza Tendille Comes, germanus natu maior, Generalis Granatenſis Regni Capitaneus, & Illibertinarum arcium primus præfectus, hunc fratri marmoreum tumulum ſatis maiora merenti poſuit. Vixit Annos LVIII. XIV. Octob. MDII. Obijt.*

Ciaconius, Panuinius, Porreg. *elog. Card. Hiſpan.* Auberij, Garimbertus, Io: Mariana *Hiſtor. Hiſpan.* Contelor.

23. *Qui blaſphemauerit in Spiritum Sanctum, non* A
*habebit remiſſionem in æternum.*
Mar. 3.



FRanciſcus Borgia natu Hiſpanus, ex oppido Sauina Valentinæ Diœceſis, filius nothus Alphonſi Borgiæ Cardinalis, qui in Pontificatu dictus eſt Callixtus III. vnde Alexander VI. nepos Callixti, Anno ſui Pontificatus primo Protonotarium dixit Apoſtolicum, poſtea Theſaurarium Generalem S.R.E. Archiepiſcopum Coſentinum, mox Presbyterum Cardinalem tit. *S. Luciæ*, vel *S. Cæciliæ*, Anno Sal. 1550. die 20. Septemb. poſtea *SS. Nerei & Achillei*, & quaſi principem Domus regnantis, Epiſcopum Theanenſem, Campaniæ Legarum & ad aſſociandam Lucretiam filiam Pontificis, Ferrariam ad nuptias proficiſcentem. Hac odioſa, & damnabili infamia iacebat Eccleſia quaſi mulorum ſtabulum, culpa & libidine Alexandri, quem Deus tolerabat Vicarium ſuum indulgentia non minori, qua Iudam inter Apoſtolos. Comitijs interfuit Pii III. & Iulii II. ſub quo Nemeſis ſuperna mente priuauit, & purpura. Litteris namq. interceptis, quas ad Oratorem Ferrarienſem Viennę commorãtem apud Maximilianum Cęſarem, ſcripſerant, certiorem faciens imminentis expeditionis Iulij II. vt Ducem Ferraria ſpoliaret, odio ductus aduerſus Alexandri conſanguineos, quos omnes tyrannicè neci deſtinauerat; lectiſque alta voce in Conſiſtorio ab eodem Pontifice, carceri propterea damnatus Petrus, repentè corruens, ſeq. proſternens ad pedes Pontificis, Cardinalibus intercedentibus, veniam impetrauit nulla tamen pænitentia. Obſtinatus namq, atq. proteruus, Bononiam abeunte Iulio Papa, vt Ferrarienſem vrgeret expeditionem, ipſe Florentiæ ſubſtitit eum tribus Cardinalibus, vt Piſanum diligerent Conciliabulum aduerſus Papam. Quare à Iulio, qui Romam reuerſus Concilium indixerat Lateranenſe, vocatus accedere renuens, tanquàm Sciſmaticus cum Sociis purpura expoliatus, cęteriſq. dignitaribus Eccleſiaſticis. Septuagenarius in loco, cui nomen *Regium Lepidi*, Piſas ad Concilium iturus, ſubita morte, priuſquàm ſe Iulij Decreto, purpura ſpoliatum agnoſceret, è viuis abiit die 4. Nouemb. 1151.

Ciaconius, Panuinius, Garimbertus, Auberii, Victorel. Guicciardinus, Scipio Amiratus *Hiſtor. Florent.* Contelor.

24. *Et in via peccatorum non ſtetit, in cathedra peſtilentiæ non ſedit,*
Pſal. 1.



TEmperantiæ & modeſtiæ ſymbolum profero, Ioannem Vera natu Hiſpanum, ex Arcilla oppido agri Valentini. Is à pueritia inter Pennates ſciẽtiam quærens, vtriuſq. iuris Doctor euaſit. Inter hominum, ac temporum viria innocens, & impollutus etiam apud peſſimos, ne dicam impios homines famam, fidem, dignitates ſortitus, Archiepiſcopus dictus Salernitanus ab Alexandro VI. R. P. Sal. Anno 1500. die 4. Iulii deinde inter Presbyteros Cardinales aſſumptus tit. *S. Balbinæ*, eam ſeruauit integritatem, vt nihil vellet cum omnia poſſet. Hinc Papa Cæſarem Borgiam filium ſuum adulterinum huic ſoli erudiendum credidit, Legatione ornauit Marchię, Romandiolæ, ad Anglos, ad Gallos, vt Reges concita- B
ret in Turcam. Tanti viri abuſus integritate Alexander Coadiutorem ſibi deſignauerat in Pontificatu, vt ſucceſſorem pararet beneuolum filio ſuo notho Cæſari Borgiæ: morte tamen præuentus arcanum cum omnia implere non potuiſſet; adhuc virtus & ſuffragia Valenrini Borgiæ trahebant ad ſolium, niſi reclamante Deo, diſcordia fatigati Cardinales Hiſpani, in Pio III. conueniſſent; vt predonis, graſſatoris, tyranni Valentini ſcelera iacerent ſine parrono, Comitiis Ioannes adſuit Pij III. & Iulii II. ſub quo vita exceſſit Romæ, Annum agens 54. ętatis ſuæ, die 4. Maij, 1507. vel 26. Iulii 1506.
C in Eccleſia ſepultus S. Auguſtini ad Sacellum S. Monicæ, tumba marmorea, cum ſequenti epitaphio,

*D. O. M.*

*Ioanni Verę Algeritano agri Valentini*
*Cęſaris, Pontificijq. Iurium conſultiſſimo.*
*Presb. S. Balbinæ Card. Salernitano.*

*Qui ab Alex. VI. P. M. vltro ex Hiſpania accitus, & inter Patres relatus, Piceno, Æmilięque magna Prouincialium commendatione præfuit: difficilimiſque Eccleſiæ*
D *temporibus, duobus præſertim inter Pontificijs, cum magnas turbas compoſuiſſet; pacem, quietem, otiumq. Vrbi Romæ redidiſſet. Tanti Pontificis iudicium ſumma prudentia, integritate, animique magnitudine comprobauit. Vixit Annos LIII. Menſ. V. Dies IX.*

*Oliuerius Neapolitanus & Franc. Coſentinus S. R. E. Cardin. ex teſtamento poſuerunt.*

Ciaconius, Garimbertus, Panuinius, Auberii, Contelorius, Raphael. Volater. Cabrera.

25. *Spe-*

25. *Specioſus forma pre filijs hominum.*
Pſal. 44.



LVdouicus Podochatarus, natu Græcus, nobilis Cyprius, patria Nicofienſis, iuuenis in Italiam deſcendit, & Patauinam rexit Accademiam, in qua ſtudiis operam dedit, & legibus ornauit. Corporis ſpecie dignus imperio, animi dotibus Idæa præſulis Eccleſiaſtici, A doctrina, magnificentia, religione, prudentia non minùs Reges ſibi conciliauit, quàm Sacerdotes, Epiſcopus dictus Caput Aquenſis, & Pontifici à ſecretis, Presbyter Cardinalis aſſumitur ab Alex. VI. die 28. Septemb. 1500. *tit. S. Agatha in Suburra*; & Breuium ſignaturæ Præfectus, Cardinalis dictus Nicoſienſis. Mortuo Laurentio Cybo, Archiepiſcopatum rexit Beneuentanum poſt obitum Laurentij Cybo, Sal. Anno 1503. diuitiis amiſſis paternis, (Cypri regno per Venetos occupato, quorum timore plures nobiles exilium ſubiere voluntarium cum hoſtibus conſpirantes Venetorum) munificentiam non amiſit, & liberalitatem. Viris namq. doctrina præſtantibus, ſuiſq. indigenis hoſpitium ſempet voluit apertum. Religioni ſingulariter intentus, & ad propagandum Sactorum cultum, plures reparau.t Eccleſias, præcipuè S. Mariæ in Monte Sancto, quam à fundamentis reſtituit; Eccleſiam pariter Aſculanam; Eccleſiam S. Gemini in Sabinis, quas vetuſtate collapſas inſtaurauit, dotauit, conſecrauit. Romæ eccleſiam *S. Agatha in Suburra* Titulum ſuum, vbi humari volebat, licet ſepulchro datus in S. Mariæ de Populo, vbi maior populi frequentia, vt facilius tanti viri ſeruaretur memoria, teſte *Garimberto p.* 14. Romæ vita migrauit, vel Mediolani, teſte Auberij; cum iter ageret ad C Regem Hiſpaniarum, die 25. Auguſti, circa horam 12. Anno Sal. 1504. vel 1506. ætatis ſuæ Anno 75. nullo vnquàm morbo tentatus.

Epitaphium.

*Lud. Podacatharo Cyprio*

*Presb. tit. S. Agatha Card. Caputaquen. nuncupato Philoſophor. illius tempeſtatis doctiſs. & eloquentiſs. in re eccleſiaſtica gubernanda multos Annos difficilimis temporibus, ſumma prudentia, iudicij, integritatis laude verſato, eiuſq. ergo ampliſſima dignitatis pramia optimis Patrum quibuſq. expoſtulantibus adepto dignoq. omnium ſententia, maioru accipere, qui maxima eſſet conſecutus.*

*Vix. An. LXXV.*

Ciaconius, Panuinius, Garimbertus, Victorellus, Vghellus, Auberii, Contelor. Nomenclator, Schrader. *de monum. Italia*. Landucc. *de origine S. Maria de Populo*, Cabrera.

26. *Ira non habet miſericordiam.*
Prou. 27.



IOannes Antonius, vel Antonius Triuultius inter Italos, Mediolani natus, è nobili Triuultiorum familia, Petri Domini Pontis Nuti filius, magni illius Ducis Iacobi Triuultij patruelis. Ab Heduis Gallis dicunt familiam hanc ſumpſiſſe primordia, ſumpto nomine ab oppido Triuultio, quod adhuc extare referunt.

*A Gallis Heduis* Triuultia *manat origo*
*Quos Caſar fidos Iulius eſſe probat*
*Deuictis Gallis Heduus tunc Caſaris obſes*
*Sit Mediolani liber in vrbe fida.*

Andreas Aſſaraco ad Galliæ Regem Franciſcum.

Ex hac familia Antonius excelſam indolem (quæ ſtatura procera, & oris maieſtate ad altiora vocabat) arte coluit vitæ integer, prudentia, iuſtitia. Litterarum non ignarus, prudenti oratione eloB quentiam excoluit. Maximas tamen virtutes, animi, corporiſq. dotes vitiis præcipuè iracundia, quæ in furorem declinabat. Cum enim is iram exardebat, quæ ei propemodum innata erat; nihil illo inſolentius, nihil eius conſuetudine agreſtius. Si in quempiam iratus oculus detoniſſet caperata fronte ſeueriùs offenſus ſalutantium importunitate eos probris inſectabatur, clamoribus domum permiſcebat; famulos quandoq. citra Pontificiam manſuetudinem pertundebat, ceterum pius, munificus, religioſus omni veneratione ſacra tractabat, & pro Myſteriorum ratione ſuauiſſimè canebat. Epiſcopus electus Comenſis à Paulo II. Duci Mediolanenſi à Conſiliis, eiuſq. nomine apud Venetos Orator, Maximiliano Imperatori in Italiam aduenienti occurrit ad Alpes: cumq. Io: Galeatius Dux Mediolani Iſabellam Alphonſi Arragonis filiam, & Ferdinandi Regis Neapolitani neptem in coniugem ducturus eſſet, Antonius Comenſis Epiſcopus Neapolim profectus habita ibidem luculenta oratione, ſponſam inde deduxit. Capta à Gallis Alexandria, Ludouico *Moro* fugam parente, vnus è ſeptemdecim viris fuit Mediolanenſis agri tutelæ præfectus: redeunte autem è Gallia Ludouico, immemor fidei ſuæ Triuultius & Italicæ libertatis, partes ſequutus Gallorum; Gallis fugientibus D ob aduentum Ludouici, in arcem portæ Iouis ſe recepit, quę in Gallorum poteſtate permanſerat: Hinc capto apud Nouariam Ludouico, cum Mediolanenſem ditionem Galli iterum recepiſſent, Antonius fauore Ludouici Gallorum Regis, in præmium ſuæ deuotionis, & fidei, ex Rotæ Auditore, & Apoſtolico Protonotario, Presbyteris adſcribitur Cardinalibus *tit. S. Anaſtaſia*, die 28. Septemb. 1500. poſtea *S. Stephani in monte Celio*. Comitiis adfuit Pij III. Iulij II. cum quo arctam
colebat

coicoat amicitiam, quòd Mediolani agentem Julium ante Pontificatum Triuultius hoſpitio ſuſcepiſſet. Dictus ille Papa Triuultii delectatus colloquio, cum ſæpenumero adhibebat in menſam; Bononia recepta, expulſo Bentiuolo, cum in ſuburbio cenaret, litteras ad Antonium Romæ ſtantem dedit plenas humanitatis, quibus ſignificabat, à ſe & aliis conuiuis non ſemel ei propinatum fuiſſem.

Iurer opera pietatis ab eo extructa, eccleſia fuit D. Antonio ſacra Mediolani, quam Clericis tradidit Theatinis, in qua, teſte Placido Pucinello *in Zodiaco Eccleſiæ Mediolanen.* & Octauio Boldonio A *lib. de ratione pangendi elogia*, inſcriptio legitur.

*Antonio Triuultio Cardinali integerrimo ſacratiſs, huius ædis conditori munificentiſs. augendorumq. ex Sacerdotio prouentuum auctori, & vindici ſolertiſſimo. Petrus Triuultius ex fratre nepos, cui ille viuens hæc omnia reſignauerat, ad æternam gratiam monumentum, M. D. X.*

Sacras veſtes auro, Sericoq. intextas opere plumario, Templo donauit Comenſi. Moriens Theodorum fratrem teſtamento deſignauit hæredem, permittente Iulio II. R. P. Alius cum ei fuiſſet germanus frater Aloyſius nomine inclytæ exiſtima- B tionis, qui in ætatis flore deceſſit, obitum tam ægrè tulit Cardinalis, vt ex animi dolore deceſſerit. Mortem Romæ ſubiit die Veneris 16. vel 18. Martii, hora 4. noctis, Anno 1508. vel in Vrbe Comenſi, teſte Franciſco Bellarino, Sepultus iacet in eccleſia S. Mariæ de Populo, cum ſequenti epitaphio.

*Antonio Triuultio Mediolanenſi*

*Summa nabilitatis, integritatiſq. viro, ac S. R. E. Presb. Card. Comenſi, qui vixit Annos 51. Menſ. II. Obijt XV. Cal. April. MDVIII. Iulio II.* C *P. M.*

In Eccleſia etiam S. Mariæ de Populo Vrbis, ſequens legitur memoria.

*Magnis Patruis*
*Io. Ant. ab Alex: VI.*
*Auguſt. à Leone X.*
*Card. Ampliſſ.*
*Theodorus Card. Triuultius. M. DC. LIV.*

27. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.*
Act. 8.



IO: Baptiſta Ferrarius, natione Italus, patria Mutinenſis honeſta, ſed paupere natus familia, in tenui fortuna adoleſcẽs Iuriſprudentiæ operam dedit. Romam veniens fortuna duce, pluribus honeſtatus ſacerdotiis, præcipuè Mutinenſi Canonicatu, tantum pecuniæ ex Sacerdotiorũ redditibus auarè cumulauit, vt poſtea venalia quędam Vrbanæ Cancellariæ officia emerit, & in clientelam receptus à Roderico Borgia Cardinali V. Cancellario, inter ſcriptores, ac ſollicitatores litterarum Apoſtolicarum, tandem inter XII. viros dictandis litteris Apoſtolicis præfectos locum habuit. Patrono porrò ſuo Roderico in Pontificem aſſumpto, Referendarius primo, mox Datarius, deinde Cancellariæ Regens, ac Moderator laborioſam negotiorum molem forti animo ſuſtinuit non ſine nota auaritiæ, coaceruandis di- B uitiis totus intentus. Hinc odioſus, minimè tamen obſeruator inuidiæ, qua cingebatur, gratia innixus ſolius Pontificis, cuius negotia vtiliter, & diligentiſſime procurabat, Epiſcopatu primum Mutinenſi, & Capuano donatus Sacerdotio, tandem Presb. Card. *tit. S. Chryſogoni*, cum in congregandis opibus perſeuerar et, non ſolum Palatinos offendit, ſed ipſum Alexandrum, à quo veneno ſublatus propinato per Sebaſtianum Pinzonum Cremonenſem, cubiculi præfectum, qui poſtea ſub Leone X. carceri traditus ab Epiſcopo Lechienſi ob alia crimina; delictum, quod antea negauerat, in tormentis ſponte confeſſus pænas dedit ſupplicio capi- C tali. Eius auaritiam, præcipuè in officio Datarii præcognouerat Papa, eum tamen veluti ſpongiam prætéribat, donec impinguatam exprimeret more Turcico. In Fiſcum enim Cardinalis hæreditate delata, ſupra octuaginta Aureorum millia, fruſtra reclamante Franciſco fratre (qui ad Vrbem triduò ante accurrerat) Pontifex vſurpauit. Vixit Annos LI. praxi Romanæ Cancellariæ famoſus, & auaritia infamis, cum honeſto munere vitam ſeruare valuiſſet & opes, & noluiſſet, ac neſciſſet. Romæ periit in Vaticano palatio, die 20. Iulii; vel 6. Cal. Aug. 1502. ſepultus in Baſilica S. Petri. Oſſa Mutinam fratre; vt indicant carmina, quæ ibidem le- D gebantur, priuſquam dealbaretur paries.

*Hic ſitus eſt Capuæ Antiſtes Venerabilis, atq.*
*Maxima Ferrariæ gloria, ſpeſq. domus*
*Qui pariter Præſul Mutinæ rutilante galero*
*Chryſogoni Titulus, ſacraq. ſigna tulit,*
*Io: Baptiſta fuit, cui nomen & idem*
*In quo priſca fides religionis erat.*
*Cuius Alexander Romanus Paſtor agebat*
*Sextus conſilio grandia quæque ſuo*

Hic

*Hic illi frater Patria ſucceſſor in iſto*
*Franciſcus Pario marmore clauſus adeſt.*

Dom. Hercules de Ferrarijs fieri F. MCCCCCX.

Humato cadauere, noctu epitaphia ſepulchro appoſuere ſequentia.

1.

*Ferrarij hic tumultus, quem ſic ſitis vſſit habendi,*
*Vt tumulus dici poſſit Auaritia.*
*Tantaleam patitur pœnam, & quia parua fuiſſet*
*Impendent auidis aurea poma labris.*

2.

*Hic Baptiſta, tegor, Medici quem culpa peremit*
*Naturę fuerat neſcius ille meę*
*Herbarum mihi pro ſuccis dare debuit aurum;*
*Sola erat apta meis hęc medicina malis.*

3.

*Inyce qui tranſis terram; rurſus inyce, ne qua*
*Hic tegitus peſtis proferat atra caput.*

4.

*Ianus in hac Baptiſta iacet Ferrarius vrna,*
*Terra habuit corpus, Bos bona, Stix animam*
*Non iacet hic corpus, petyt nec ſpiritus aſtra,*
*Rex ſuperum in Stygios merſit vtrumq. lacus.*

5.

*Ne dicas, ſit terra leuis, ne ſpargit flores.*
*Numos, ſi requiem mi dare vis, numera.*

Ciaconius, Panuinius, Garimbertus, Victorellus, Auberij, Bzouius, Contelorius.

28. *Vocaui ex nomine Beſelael filium Vri filij de tribu Iuda, & impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, intelligentia, & ſcientia in omni opere* Exodi. 21.



IOannes Stephanus Ferretius natu Italus, ex oppido Biellu, ſeu Bugella diœceſis Vercellenſis, filius Sebaſtiani Ferreri [qui pro Gallorum Rege, Mediolano præfuit Gubernator] Rotæ Auditor Romanæ & Apoſtolicus Protonotarius ab Epiſcopatu Hippotelienſi ad Veronenſem primò, mox ad Bononienſem tranſlatus, Iuliano ſe abdicante Ruuereo, qui eam poſſidebat eccleſiam. Abbas etiam S. Mariæ de Stapharda, & S. Stephani de Vercellis, paulo poſt, Menſe Iunio in vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli, Anno
D 1502. promotione octaua Presbyter Cardinal. *S. Vitalis*, poſtea *SS. Sergij, & Bacchi*, meritò à Trithemio inter viros illuſtres recenſetur; rei namq. cultor litterariæ exactiſſimus, in omni litterarum genere exercitatiſſimus, cum à muneribus vacabat Epiſcopalibus, ſtudia litteratum inquirebat aſſiduè, ſuaq. induſtria excitauit Iacobum Fabrum Stapulenſem, vt ſub auſpiciis eiuſdem Cardinalis, *Ariſtotelis magna Moralia* priſcis ſæculis nunquam præcognita, nobis communia faceret, & typis mandaret, teſte Anonymo, qui Trithemium ſupplet de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Diligens obſeruator Cęremoniarum Cardinalitiarum, Paridi Graſſo Canonico Bononienſi, Piſaurienſi Epiſcopo futuro, prouinciam mandauit, *vt De cęremonijs exercendis à Cardinalibus* ſcriberet. Comitiis adfuit Pii III. & Iulii II. nomine Cardinalis Bononienſis, & litem de Plebis, & Centicaſtris inſtruxit aduerſùs Ducem Ferrariæ, quæ poſt ceſſionem Epiſcopatus Bononienſis factam à Iuliano Ruuereo, conceſſa Duci fuerant Ferrarienſi à Romano
A Pontifice, magna conſtantia, & valido legum auxilio. Romæ obiit die quinta Octobris, 1510. in Eccleſia ſepultus S. Clementis cum ſequenti epitaphio.

*Ioanni Stephano Ferrerio*
*SS. Sergij & Bacchi Presb. Card, Bononien.*
*Viro ſanctitate, doctrinaq. inſigni.*
*Vixit Ann. 36. Menſ. V. Obyt An. MDX. III. Non. Octob.*
*Iulio II. Pontifice Maximo.*

Oſſa Biellam tranſlata in æde quieſcunt S. Seba-
B ſtiani, quam Sebaſtianus Io: Stephani pater erexerat; filius verò ornamentis, annuiſque redditibus ad adiuuandam Canonicorum Regularium inibi commorantium ſuſtentationem auxerat.

Leonem hic habes Ferreriæ ſtemma familiæ in parma argentea, quod & Acciaiolæ gentis in vrbe Florentiæ, è qua bello pulſa ciuili Biellam Pedemontanæ regionis oppidum demigrauit, vbi retento ſtemmate, mutato nomine, poſteris domicilium parauit.

Ciaconius, Panuinius, Contelorius, Nomenclator, Auberii, Leander Alberti *in deſcript. Italia*,
C Carolus Sigonius *de Ep. Bononien.* Vghellus, Io: Stephan. Ferrerius *de Ep. Vercellen.* Pomponius Vizanus *hiſtor. Bonon.* Iacobus Faber *in præfat. Moral. Ariſtotel.*

29. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum.* 1. Tim. 3.



IO: Caſtellar, vel de Caſtella natu Hiſpanus, in diœceſi Valentina Anno 1441. ex familia illuſtri, Galcerani filius. & Bernardinæ de Caſtella, iure ſanguinis (in familiam namq. Eccleſia trāſierat Romana tempore Alexandri VI.) Pontifici affinis, Canonicus primò Hiſpalenſis, mox Neapolitanus, poſtea Burgenſis. Cęnobio pręfectus Nonnantulano Abbas Commendatarius, & Epiſcopus Eccleſijs Olorenſi, ac Tranenſi, tandem Presbyter Card. *S. Mariæ Tranſtyberim, tit. Callixti*, die 30. Maij, 1503. Diploma obtinuit ab eodem Alexandro VI. retinendi plura beneficia

Eccleſiaſtica peſſimo exemplo, abuſu iam ſanctiſicato, ſed ob temporis anguſtias cum minimè ſortitus ab Alexandro, neq. à Pio III. ea tandem à Iulio II. aſſequutus. Mortuo Alexandro VI. ex mandato Cardinalium, prouinciam ſubijt de cogendis quàm citiſſimè comitijs pro Pōtificis creatione, & cuſtodia Conclauis. Archiepiſcopus Montis Regalis deſignatus ab Alexandro VI. comitijs adfuit Pij III. & Iulij II. ſub quo in Hiſpaniam contendit, & Valentiæ ex calculo obijt, die 1. Ianuarij, 1505. ætatis ſuæ 63. ibidem ſepultus in Capitulo Fratrum Heremitarum S. Auguſtini, cum patribus ſuis.

Ciaconius, Panuinius, Auberij, Ludou. Lelius *hiſtor. Montis Regalis*, Vghellus, Contelorius, Rocch. Pirrh. *in notis Eccleſ. Sicil.*

30. *Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem*, 1. Cor. 7.



FRanciſcus Remolinus de Eluenſe Hiſpanus, patria Ilerdenſis, matre Carcaſſonenſi Galla, Piſis lauream obtinuit vtriuſq. iuris. Nexu vinctus matrimoniali orator Regis nomine Romā venit ad Alexādrū VI. cuius in oculis cū gratiā inueniſſet tanquàm Hiſpanus, Archipresbyteratū Caccabēſē, & Cātoratū Mazzarienſē obtinuit. Cæſari adhęrens Borgiæ fidus Achates, Protonotarius Apoſtolicus, mox (ſi Victorello fides) Auditor Rotæ, ſed fallitur: teſte namq. *Garimberto p.* 408. ab illo Collegio fuit ſemper excluſus, eo quòd iudex extitiſſet in delictis criminalibus, Veruntamen adiuuante fortunam Cæſare Borgia, ei contigit quod pluribus Romanis (teſte Tullio) qui cum à Populo Romano Ædilitatem impetrare non valuiſſent, nemine poſtea contradicente, Conſulatum obtinuerunt. Remolinus namq. Antiſtes promotus Surrentinus, ac Prætor Vrbis, Floren- C
tiam deinde miſſus ab Alex. VI. vt Hieronymum Sauonarolam inſignem concionatorem à militia amoueret Clericali; die 30. Maij, 1503. factus eſt Presbyter Cardinalis *SS. Io: & Pauli, tit. Pammachij*, poſtea *S. Marcelli*, demùm Epiſcopus *Albanus*. Cuius Dignitas vt magis admirationem excitaret in Orbe Catholico, coniugata reſulſit: vxore namq. viuente, inter Cardinales aſſumitur, quæ toto tempore Cardinalatus ſuper vixit Monialis in Hiſpania. Cænobium ingreſſa fuerit ante acquiſitam purpuram, vel poſt? ante affirmant Ciaconius, Victorellus. Veruntamen Pariſius *De Reſignat. Beneſic. lib.* 3. *c.* 18. *n.* 140. contrarium videtur aſſere- D
re dicens: *Tempore Alexandri VI. fuit ab eodem Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem promotus Franc. Romelinus Valentinus, Hiſpanus cum eius vxor in Hiſpania viueret, quare effecta eſt Monialis, & vixit per plures Annos*. Veruntamen cum Pariſius ſit Garimberto poſterior, huicque adhęreat, benigniùs interpretando verba Pariſii, dic Monialem factam, antequàm Remolinus Canonicus promoueretur. Præſuit Epiſcopus Eccleſiis plurimis, ſcilicet Ilerdenſi, Firmanæ, Peruſinæ, & Archiepiſcopus Panormitanæ, Pro Rex Regno Neapolitano, abſente Raymundo Cardona, qui Rauennam abierat.

Huius Cardinalis non vna memoria. In Baſilica Surrentina *Franciſcus Remolinus Hiſpanus ędem ſub titulo S. Philippi, & Iacobi minoris dicatam amplificauit*. Panormi cænobium monialibus S. Clarę in antiquis ędibus Archiepiſcopi erexit, qua in vrbe, eo ſedente erectum ſacrum Fidei tribunal ad hæreſis arcendam peſtem. Ibidem Ioannes Sanches Abbas Parci, nomine Archiepiſcopi iurauit de ſeruandis priuilegijs, & conſuetudinibus vrbis, forma ſequenti: *Ego*
A *Franciſcus Archiep. conſacratus iuro ſuper hæc ſacroſancta Dei Euangelia, me obſeruaturum de cætero bona fide exemptiones, iura, priuilegia, & immunitates à ſummis Pontificibus, & Regibus Eccleſiæ Panormitanæ ſponſę meę conceſſas: ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia*. Comitiis adfuit Pii III. Iulii II. Leonis X. Iulii II. iram vt declinaret, Neapolim Roma ſeceſſit; odioſa iam facta Alexandri VI. familia. A Leone X. iudex conſtitutus in cauſa Cardinalium, qui vitæ Pontificis fuerant inſidiati, ordinem non immutauit iudiciarium, Romæ deceſſit die Veneris, 5. Februarii, An. 1518, ætatis 56. ſepultus in Baſilica Liberiana, non quia illius Baſilicæ fuerit
B Archipresbyter, vt per errorem adnotauit Rocchus Pyrrhus *de Archiep. Panormitanis*. Deliquio periiſſe creditur, & viuus ſepultus. Poſt Annos namque plurimos reſerato ſepulchro; repertus eſt capiti ſuppoſuiſſe brachium, contra vſum defunctorum.

31. *Qui reddit mala pro bonis; non recedet malum de domo eius*. Prouer. 7.



FRanciſcus Soderinus, Italus Florentinus Thomæ filius, oratoris ad Paulum II. & Dianoræ Tornabonæ fœminæ in ea Republica nobiliſſimæ, Petri frater Reipublicæ Florentinæ perpetui Dictatoris, Anno natus Salutis 1453. die X. Iunii, litteris incubuit magna ſui nominis fama, præcipuè in Lectura iuris Cæſarei, & Pontificii, quam Piſis publicè habuit incredibili auditorum frequentia, Philippo Decio acri æmulo, & antagoniſta concurrente. A Sixto IV. R. P. Volaterranus renuntiatus Epiſcopus, à Florentino Senatu ad eumdem legatus caput fuit duodecim Legatorum, qui enixè poſtularunt à cenſuris Eccleſiaſticis abſolui Rempublicam: eorundem nomine ad Innocentium VIII. patriæ legatus cum alijs, ſed primo loco ſelectus officia præſtitit obedientiæ. Anno 1497. coram Carolo Gallorum Rege regnum affectante Neapolitanum, cuius expeditionis voto vt Piſani conuenirent, & Florentini, his Piſarum imperium promiſſum fuerat; illis libertas: cum vtraq. natio vanis lactaretur promiſſis; miſſi hinc inde Legari ad Carolum Romæ ſtantem. Piſanorum cauſam egit Burgundio Lollius natu Piſanus, Aulę Ro-

manæ

manæ tunc celebris Cauſidicus facundia grauis, aras repetens, & lares paternos à Rege promiſſos, vt nobilis gens olim mari latè potens, iugo excuſſo, Florentinæ Tyrannidis, ſub quo amiſsa libertate etiam nunc vita periclitabatur ob aeris inclementiam, arte procuratam, ſtagnantium aquarum curatione ſtudioſè neglecta. Huic non minùs acriter reſpondit ex Florentinis Legatis Soderinus Pontifex Volaterranus: *Piſanos anguſto ſemper agro veluti conſtrictos, numquàm in finitimos imperium propagare, ac ne Luca quidem vrbe admodum vicina potiri aliquando potuiſſe: ideircò ad res nauticas ſtudia olim conuertiſſe, & claſſe, ſed non diu præſtitiſſe; ingeniorum enim contumacia, atq. innata ambitione furentes ſeditiones inter ſe plurimas excitarunt, & mutuis ſe ſe cladibus affecerunt, ad eam tandem inopiam redacti, vt Dominatum Iacobus Appianus ſcriba vilis inuaſerit, quem Girardus eius filius Io: Galeacio V. Comiti primo Mediolanenſium Duci, ingenti pretio addixerit; Galeatius Gabrieli Mariæ filio notho teſtamento reliquerit, à quo redemptum quarto huius ſæculi Anno Florentina Reſpublica componere, atq. Vrbem ipſam ornare contenderit: ſed protectione vix adita ad ingenium redeuntes Piſani rebellarunt, & diuturno bello ſuperati victorum non tàm arma, quàm clementiam experti ſunt: fame enim ob longam obſidionem prope enecti maiorem commeatus, quàm armorum Piſas importari copiam viderunt: Quod ad liberales artes, magiſtratuſque attinet, Piſanos in eadem, qua cateræ Florentinæ ditionis ciuitates conditione eſſe, qua ſingulari moderatæ Reipublicæ benignitate ſe gaudere profitentes, haud vllo nouarum rerum ſtudio tenentur: Piſanorum ſuperbiam ac pertinaciam nec ſuis vnquam viribus ſapienter vti, nec fortunam pati, nec alienum dominatum tolerare potuiſſe, vt mirandum non ſit, ſi qui ſolum verterint, frequentiorem tamen hactenus vrbem fuiſſe, quàm Florentini acceperint; quorum magna impenſa portus Liburnicus redemptus omnes Piſano agro, vrbiq. mercium, commeatus commoditates afferat. Ad libertatem aſpirare, non omnibus licere. alioqui imperiorum, regnorum, rerum publicarum iura omnia tollerentur. Carolum Regem prudentiſſimum quid Florentinis, antequàm Piſas iniret, pollicitus ſit; quid Florentiæ, renouato fædere, ſacramento ſanctiore confirmarit, probè meminiſſe, cuius fidem religione obligatam fallaces, falsiq. Piſanorum calumniæ violare minimè poſſint; itaq. haud accurata ſibi oratione opus eſſe, admonuiſſe duntaxat, atq. in memoriam redigiſſe ſuffecerit.* Quibus auditis Carolus vt vtroſq. falleret, vtriſq. per benignè ad inducias excitauit. *Belcarius lib. 6. n. 4.*

Aliam legationem ſubiit Soderinus ad Ludouicum XII. Gallorum Regem Mediolani ſedentem, nomine Reip. Florentinę, expugnationem gratulatus Regni Neapolitani. Anno 1502. iterum à Florentinis Vrbinum miſsus, deinde in Galliam, vbi tandiu manſit, donec die 30. Maij, 1503. ad Alexand. VI. inter Canonicos primò Vaticanæ Baſilicæ, mox inter purpuratos patres *tit. S. Suſannæ ad duas domos* aſsumptus: eodem ferè tempore, quo Petrus frater à ciuibus Florentinę Reip. Dictator perpetuus creatus eſt. Tranſiit poſtea ad Titulum *SS. XII. Apoſtolorum*, inde Epiſcopus Albanus, Sabinus, Prænestinus, Portuenſis, Oſtienſis. Comitiis interſuit Pii III. Iulii II. Leonis X. *Hadriani* VI. Clementis VII. Sub Leone X. cui ob ſingulares virtutes chariſſimus erat, humanitatem paſſus Alphonſum fouit Petruccium, vel ſaltem conſpirantem in vitam Leonis X. R. P. non detexit; quapropter meritas pænas ſubiit. Apud amicos Cardinales, *Riarium, Bandinelum; Soderinum, Cornetanum*, quòd beneficiorum immemor Leo ſe Borgneſiumq. fratrem patria, patrimonio, principatu expuliſſet. Soderinus, qui fratrem Petrum à Mediceis Florentia dolebat expulſum pronis auribus auſcultabat

A querentem, Re detecta, quæſtione inſtituta, *Cum ad Cardinalem Volaterranum, qui erat* (ita Graſſus in Diariis) *& vt Epiſcopus Prenestinus nouus affinis Papæ, & ab eo multa bona receperat, deueniſſet, & ipſe conſtanter negaret, illi tres Cardinales, qui proceſſum in manu Papę viderunt, redarguerunt ipſum Volaterranum, hortantes, eum, vt ſe ad terram proiiceret, & miſericordiam peteret de peccato commiſſo: ille autem obediens eis proiecit ſe, & cum multis lachrymis confeſſus eſt peccatum ſuum, omnia in arbitrio Pontificis remittens, ſe & bona ſua commendans.* Leo Cardinalibus rogantibus, Franciſco veniam indulſit, acceptis tamen priùs viginti quinque millibus aureorum. Soderinus ab

B vrbe recedens, in Campaniam ſeceſſit, vbi Legationem ſubierat, Fundos tandem cum Petro fratre ſuo pacificè, à machinationibus abſtinens. Leone mortuo, nouos in Hetruria motus excitauit Cardinalis, Franciſcum euocans Gallorum Regem, vt Mediceos Florentia pelleret: & quòd Rex à pecunia imparatus eſſet, tot exercitibus exhauſtus, ſtipendium Volaterranus ſuppeditare promiſit, quod intra præſcriptum tempus Franciſcus reſtituere debebat. Annuit Rex; cuius tamen phalanges latrocinia potiùs exercuere, quàm bellum, magno rumore, nullo fructu. Romam interim nouus Papa Hadrianus VI. aduenit, & Soderini cognita virtu-

C te, initio ſui Pontificatus vnicè dilexit; licet poſtea mutata fortuna, irarum plenus ob interceptas Soderini litteras ad Iulianum Soderinum filium ſui fratris Epiſcopum Santonenſem datas, quibus Gallorum Regem in Siculos excitabat, in Hadrianam molem coniecerit, quæſtione commiſſa Cardinalibus S. Crucis, Anconitano. & de Cęſis, à quibus reus iudicatus læſę Maieſtatis, ob euocatos Gallos in Siciliam, quæ Feudum dicitur Apoſtolicum; Pontifex bona eius occupauit, quæ domi reperta, nullo tamen perſonæ incommodo, cui neceſſaria omnia ſubminiſtrari mandauerat. Paulò poſt Hadriano è viuis erepto, omnium Cardinalium votis è

D carcere liberatus, comitiis adfuit Clementis VII. cui ęgrè licet contuliſſet ſuffragium, imò omnem mouiſſet lapidem, ne Mediceus promoueretur; in gratiam iterata benignitate receptus, ea diutius vti non potuit morte præuentus. Romę deceſſit Epiſcopus Oſtienſis, Decanuſque Sacri Collegii, die 19. Iulii, An. 1524. apud S. Mariam de Populo ſepultus cum breui epitaphio.

*Franciſci Soderini Epiſcopi Oſtienſis, & Volaterrani Depoſitum.*

Fuit Franciſcus incomparabilis exiſtimationis apud omnes, quòd ab inueterata aulica prudentia, ciuiles omnes receſſus, aulicoſq. labyrinthos probè teneret: hinc de eo communis ſententia; vt Franciſcus ſuæ patriæ principatum; Petrus verò frater Sedem adepturus eſſet Apoſtolicam; ſi hunc ſacris initiari; illum verò ad clauum Reipublicæ contigiſſet ſedere. Protector Ordinum Ciſtercienſis, & Camaldulenſis, ex Ciſtercienſium alumnis Nicolaum coluit Creſcium Florentinum, virum eruditione clariſſimum, teſte *Paulo Corteſio de Cardinalibus*.

Scripſit (teſte *Pocciantio*) complura ſcitu dignisſima, ad enodandas Decretorum difficultates, ſed impolita, ea emendare morte prohibitus. Plures ei litteras Marſilius ſcripſit Ficinus de rebus arduis, & naturæ arcanis; cui doctè doctus reſcripſit.

Gallorum Regi gratiſſimus Nanetenſem obtinuit Epiſcopatum in Gallia, à Romanis Pontificibus Cortonenſem in Hetruria, Vicentinum, Narnienſem, Anagninum. Volaterranum inter cęteras dignitates dilexit, propterea Cardinalis *Volaterranus* appellari voluit, & hunc nepoti reſignauit Anno 1509.

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Garimbertum, Nomenclatorem, Vghellum, Spondanum, Scipionem Amirat. *De Ep. Volater*. Victorellum, Guicciardinum, Auberii, Naldi *hiſtor. Florent.* Ioſeph Mar. Soareſium *de Ep. Praneſtin*.

32. *Vnus de primoribus ſcribarum, vir ætate prouectus, vultu decorus.*
2. Macc. 6.



MElchior Copis à MeKaum, natu Germanus, Gaſparis filius in Auſtria natus conſiliarij Maximiliani Imperatoris, ex Epiſcopo Brixinenſi abſens ab Alexandro VI. die 30. Maij, 1503. Presb. renuntiatur Cardinalis *tit. S. Nicolai inter imagines*, quo relicto, alium obtinuit *S. Stephani in Cælio Monte*. Romę vitam poſuit in legatione, quam geſtabat nomine Imper. Maximiliani, die 3. Maij, 1509. ſepultus in Eccleſia S. Mariæ Aræ Cęli, cum Brixinenſem Eccleſiam Annos duos rexiſſet ſupra viginti.

De eo Ciaconius, Panuinius, Auberii, Vghellus, Contelorius.

33. *Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.*
Pſal. 21.



NIcolaus de Fliſco Iacobi Ianuenſis patritii filius, Iuris vtriuſq. ſtudio cum incubuiſſet, moribus iuſtitiam edocuit, quam ſyllabis deſcripſerat. Senator venerabilis in Ianuenſi Rep. Orator abiit ad Galliæ Regem, & le-
A gationem abſoluit abſq. querela. Luctare natus aduerſus torrem, virtutem nunquam deſeruit, quæ vt plurimum inclinata reſurgit. Ex Apoſtolico Protonotario, & Epiſcopo Foro-iulienſi, & Tolonenſi, cuius poſſeſſionem nanciſci longo tempore prohibitus, ſeruauit conſtanter vitæ integritatem, ob quam ab Innocentio VIII. inueſtitura collata, ſub Alex. VI. die 30. Maii, 1503. intercedente Ludouico XII. Gallorum Rege, Cardinalis aſſumitur *tit. S. Priſcæ*; vel cum Ciaconio, *S. Nicolai inter imagines*, poſtea *SS. XII. Apoſtolorum*, diuerſiſq. temporibus promotus Epiſcopus *Albanus, Sabinus, Portuenſis, Oſtienſis*. Eius in
B promotione merita conuenere purpurati, & Regis preces, non ſine meriti iniuria, quòd ad purpuram Fliſeum Iuſtitia euocaret: moribus namq. ſanctisſimis, à primo ſuæ promotionis conclaui conſtantia enituit. Cum enim Alexander VI. immeritò Caſtellanum Epiſcopum vellet deponere, ipſe ſemper obſtitit, neq. hominis illius iram formidauit, quæ erat omnibus terrori, & quod mirabilius eſt, id facere non dubitauit in primo ipſo Conſiſtorio, cui Cardinalis interfuit, *ſcilicet beneficio tam recenti deuictus*. Garimbertus *p.* 130. Hieronymus Platus *de Dignit. & offic. Cardinal.* Toto vitæ curſu ſemper idem, mortuo Alexandro VI. *cum in Iulij II.* electione, tum
C deinde in ipſo Pontificatu, ſæpè vt res poſcebat, oppoſuiſſet, & quidem accerrimè; tamen tantum abeſt, vt damnũ vllum acceperit, vt inſuper ab eo ipſo ditatus ſit reddit u ſeptem millium aureorum, quin etiã tanto in pretio habitus, vt ſcriptũ ſit conſecutũ eſſe communẽ hominum opinionẽ, nõ poſſe bonum Cardinalem *non amari etiam à Pontifice non bono*. Huc uſq. Platus, & Garimbertus. Comitiis interfuit Pij III. Iulij II. Leonis X. à quo ſelectus miracula inquirere S. Franciſci de Paula, pia diligantia prouinciam peragrauit. Acer iurium Eccleſiæ propugnator, vt pro ea Principum ſimultates, & offenſiones ſubire minimè veritus, Leone mortuo, in electione
D noui Pontificis, plurimos habuit aduerſarios, qui ad vindictam merita non negabant: ſed ſuffragio abſtinebant. Magna itaq. ſuffragantium pars cum in eum inclinaret; ſuadentibus familiaribus, vt renitentes Patres largitionibus ad ſe attraheret, ingentemq. pecuniæ vim, ea de cauſa à propinquis confectam, & paratam oſtenderet; vir integer mentionem abominatus ſimoniacam, magna vultus, & vocis acerbitate reſpondit: maiorem haud dubiè gloriam ex Pontificatu repudiato, quàm multi ex
ade-

adepto conſecuturum. *Folieta in elogijs*. Ab eodem Leone X. Rauennæ dictus Archiepiſcopus Sal. An. 1516. ſedem tenuit vſque ad Annum 1524. Epiſcopus etiam, & Princeps dicitur Ambianenſis à Ciaconio, cum tamen in caralogo Præſulum eiuſdem ſedis non recenſeatur à Claudio Roberto in *Gallia Chriſtiana*, nec a Ioanne Chenu, Ambianenſem Ludouicus Donius d'Attichi, dictum putat pro Ebredunenſi Metropolitano, cuius eccleſia, & ciuitas *Ambrum* Gallicè effertur; cumq. vtriuſq. nomen ab iiſdem incipiat litteris, facile fuit hominem Gallici idiomatis peregrinum, in errorem inducere, & loco Ebredunenſis, latinè Ambianenſem reponere. A
Romæ obiit Decanus ſacri Collegii, Kalend. Ianuarij, An. 1524. vel die 24. Iunii, ſepultus apud S. Mariam de Populo, domo, quam Romæ tenebat, familiæ Fliſcæ ex Lauaniæ Comitibus legata.

Ciaconius. Panuinius. Auberii. Spondanus. Carol. Carthar. in ſyllab. Aduoc. Conſiſtor. Contelor. Alberti *in deſcript. Italię*. Feder. Feder. *de famil. Fliſca*.

34. *Præſtitiſti decori meo virtutem*. Pſal. 39.



FRanciſcus de Sprata, vel de Sprars, aut Spares, natu Hiſpanus, Aureolenſis, Epiſcopus Legionenſis, Presbyter Cardinalis aſſumitur tit. *SS. Sergij, & Bacchi*, ab Alexãdro VI. die 30. Maii, 1503. Pauca de hoc Cardinali recurrunt ob eius abſentiam in Hiſpania. Comitiis tamen adfuit Pii III. & Iulii II. ſub quo Romæ viuere deſiit die 9. Septemb. 1504. ſepultus in ęde S. Saluatoris de Lauro, cui executores Teſtamentarij Franciſcus Borgia, C
& Io: de Vera ſequens poſuere epitaphium.

*Franciſcus de Sprata*
*Ex Aureola citerioris Hiſpaniæ, tit. SS. Sergij, & Bacchi P.C. Legionenſi, nobili genere, integritate vitæ doctrina ſingulari, & rerum gerendarum prudentia Alexandro VI. PP. M. & Ferdinando, Eliſabetq. Catolicis Hiſpaniarum Regibus gratiſſimo: de Rep. Chriſtiana optimè merito.*
*Qui obijt IV. Idus Septemb. MCCCCIV. Vixit Annos XXXXX. Franciſcus Coſentinenſis, & Io: Salernitanus S.R.E. Cardin. ex teſtamento poſuerunt.*

Giaconius. Panuinius. Auberii. Portegnus *elog.* D
*Card. Hiſpan.* Contelotius. Auberii.

35. *In Cælum conſcendam ſuper aſtra Dei, exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, ſimilis ero Altiſſimo.* Eſai. 14.



HAdrianus Caſtellenſis, natu Italus, patria Cornetanus, honor Larij, & reparator Latini ſermonis. Nouus A
namq. Tullius primus omnium, qui noſtra ætate poſt Ciceronẽ, linguam reſtituerit Latinam, vt ex libris ab eo ſcriptis ante, & poſt adeptum Cardinalatum.

*De modis latinè loquendi* ad Carolum Hiſpaniæ Principem, poſtea Imperatorem, cuius in præfatione votum exponit, cœptum proſequendi opus, vertendi libros Veteris Teſtamenti, ad verbum de Hebræo in latinum ſermonem.

*De vera Philoſophia lib. 4.* Coloniæ Agripinæ editos Anno 1548. quatuor Eccleſiæ Romanæ Patrum, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, & Gregorii ſen-
B rentias horis ſubſeciuis collectas.

*Carmine, Iulij II. iter* conſcripſit.

*De venatione* ad Aſcanium Mariam Sfortiam Cardinalem.

In oppido Ripæ diæceſis Tridentinæ, ad lacum Benacum Polidoro Caſamico amiciſſimo, comiti ſuo epitaphium poſuit.

*Polidoro Caſamico Romano ſum. Pontif. oſtiario,*
*Vixit. An. XXIV.*
*Hadrianus Card. S. Chryſogoni familiari chariſs. poſuit.*
*Exulat Hadrianus, tu iam Polydore quieſcis*
*Æternumq. vales: nobis dira omnia reſtant.*

Suæ ętatis primordio lectus ab Innocentio VIII. vt in Scotiam proficiſceretur, ad (teſte Polydoro *lib. 26. Hiſtoria Anglicana*) tollendas ipſius auctoritate; ex illorum Principum animis diſcordias; is quamuis magnis itineribus profectus, tamen cum peruenit in Angliam, cognouit ab Henrico Rege, ad quem etiam à Pontifice mandata habebat, ſe tardiùs veniſſe, quàm res requirebat; quare eius monitu ſibi iam pedem referendum. At ex Anglia non recedendum ratus, vix bidui moram fecerat, cum nuntius cędis Iacobi Regis aduenit. Manſit ibidem Hadrianus in Anglia menſes aliquot, in quem à primo Ioannes Mortonus Cantuarien. Archiep. omnia humanitatis officia conferre ſtuduit, hominis doctrina ac moribus ductus; eumq. in ſumma etiam apud Regem gratia poſuit. Henricus verò cum hominem ſibi à Mortono commendatum videret non minimi eſſe vſus, iam tum munificè diligere cępit, eiuſq. opera cum apud Innocentium, tum apud Alex. VI. Pontifices ita deinde vſus eſt, vt primùm Herefordenſem, & eo mox relicto, Bathonienſem, & Vvellenſem Epiſco-

parum

patum ei detulerit, Cæterum Hadrianus breui poſt tempore Romam reuerſus per omnes honorum gradus in Collegium Cardinalium venit. Innocentius enim eum primò Collectorem, ideſt Quæſtorem Pontificium in Anglia, & Protonotarium vnum ex ſeptem creauit. Poſtea Alexander Pontifex eumdem diu ſecretiorem familiarem habuit, Cardinalemq. fecit, die 30. Maij, 1503. Sed quotuſquiſque eſt, qui iſta quæ ignauis iuxta atq. ſolertibus & dari, & auferri poſſunt; miretur? Alia Hadriani laus, & hæc quidem æterna. Erant enim in eo plurimæ litteræ non vulgares, ſed reconditæ, ac ſummum bonorum verborum delectus iudicium: qui memoria noſtra primus omnium poſt illud diſertiſſimum Ciceronis ſæculum, ſuis ſcriptis mortales excitauit ad perfectas litteras de doctiſſimorum auctorum fontibus hauriendas, docuitq. modum purè, nitidè, ac luculenter loquendi, ſic vt eo doctore in præſentia vbique gentium Latinitas de integro renaſceretur. Cardinalis Presb. creatus tit. *S. Chryſogoni*; eiuſdem Camerariæ Theſaurarius, & à ſecretis eidem Pontifici; antea ad Galliæ Regem Nuntius Apoſtolicus de morte Caroli VIII. Sublato autem è viuis Alexandro VI. ac Cæſare Borgia, veneno, quod alijs miſcuerat: accepit & Hadrianus Cardinalis, cuius in hortis erat cæna diſpoſita, vt eidem Hadriano Cardinali, alijſq. opulentioribus venenum propinaretur, quo ita exaruit ex ſubito viſcerum feruore, vt obortæ caligines oppreſſis ſenſibus ſibi rationem excuterent, ſe ſe in dolium frigida plenum mergere cogeretur, neq. prius (*ita Iouius li. 2. vita Conſalui*) peruſtis interaneis ad vitam redijt, quàm ei extrema cutis in exuuias abiens toto corpore decideret. Poſt Leone X. gerente Pontificium, in Petruciana coniuratione contra Leonem reus fuit Hadrianus: qua detecta, & Senatorio ordine, ſubmotus X. millibus aureorum, & exilio mulctatur *Hadrianus* (inquit idem Iouius) *nulla maleuolentia, ſed vana regnandi cupiditate inductus Leonis mortem expectabat. Certam enim ſpem adipiſcendi Pontificatus conceperat ex oraculo fatidicæ mulieris, quæ pleraq. interroganti de ſua, & publica rerum fortuna, exactiſſimè prædixiſſet, conſtanter etiam affirmat fore, vt Leoni immatura morte ſublato ſuccederet vir ſenex nomine Hadrianus, obſcuro natus loco, litterarum ſtudiis inſignis, qui ſacros honores gradatim ſola nixus virtute, ſine vlla maiorum commendatione meruiſſet. Hæc omnia ſibi vni apertè congruere videbantur. Nam Corneto infimi Tuſcorum intra oppido, familia tenui, & prope ſordida ortus, vno bonarum litterarum beneficio, ſingulas ſacrarum Ordinum dignitates fuerat conſecutus. Neq. vetula oraculum fefellit. Nam Hadrianus ſenex Batauus opificis filius, doctrina illuſtris, poſt Leonem prodigioſa felicitate Pōtificatum eſt adeptus. Et mox Hadrianus Card. trepido, ſuſpicacíq. ingenio vir, Leonis clementiæ diffidens, ab Vrbe Roma, meſſoris habitu profectus vſq. ad vitæ exitum nullo perſequente latebras mutauit.* Dignitatibus expoliatus, & tandem vita. Audita namq. apud Anglos Pontificis indignatione aduersùs Hadrianum, Henricus Rex Angliæ vnà, & Cardinalis Eboracenſis inſtarunt degradari Hadrianum; Cardinalis auaritia ductus vt Eccleſiam vſurparet ab Hadriano poſſeſſam. Rex vt Cardinali impudenter ſatisfaceret, immemor maieſtatis Regalis, cuius erat oppreſſum hominem ſubleuare, & quia miſerum, & quòd parentis ſui largiſſimè meritum. Ferunt Venetias primò deſcendiſſe, in Thraciam deinde Conſtantinopolim vſque, necis metu fugiſſe perterritum, ibique obſcurum ac latentem, proh dolor, diem clauſiſſe extremum, manu forſan proditoria famuli ſublatus. A die namq. Veneti diſceſſus, nulla amplius Hadriani valuit haberi memoria. Circa Annum Salutis 1518.
A vel die 18. Ianuarij, 1526. vt voluit Contelorius. Romæ apud Vaticanum, palatium ſuis ſumptibus erexit, quod Regi donauit Anglorum, poſſeſſum modo à Hieronymo Columna S. R. E. Cardinali. Plura de eius recurrunt argutijs, lepidè namq. & facetè inſultabat amicis. Die prima Anni ſurgentis cum in aulam aduenisset, vbi plures Cardinales conuenerant, & inter eos Remelinus; Annum auguratus ſalutarem, & omnibus Circumciſionem, Remelino excepto; hunc Iudæum annuit & circumciſum. *Garimbertus p.* 280.

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Franciſcum Guicciardinum, Scipionem Amiratum, Victorel-
B lum, Auberij, Garimber. *p.* 383.

36. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti; Iudæo primum, & Græcos.*
1. Rom.



C IAcobus Caſanoua, natu Hiſpanus, patria Valentinus ex Apoſtolico Protonotario, & Papæ cubiculario, patriæ merito, ab Alexandro VI. An. Sal. 1503. die 30. Maii, qui Valentiam traducere voluiſſet Eccleſiam Romanam, Presb. Card. *tit. S. Stephani in monte Cœlio*. Romæ vitam poſuit, die 3. Iunii, 1504. poſtquam comitijs interfuiſſet Pij III. & Iulij II.

Ciaconius, Panuinius, Auberii, Contelorius.

37. *Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem,*
2. Timo. 3.



D IOannes ...., ſapientia, & eloquentia nobilis, à Duce Saxoniæ Orator miſſus ad Alexandrum VI. Presb. Card. aſſumitur *tit. S. Crucis in Hieruſalem*, teſte Victorello *in Addition. ad Ciac.* ex Archangelo Gianio *par.* 2. *Annal. Ordin. Seruorum Centur.* 3. *lib.* 5. *c.* 2. ad Annum 1499. De hoc in Diarijs, & Vaticanis monumentis, neq. Ciaconio vlla mentio. *Auberij, Contelorius.*

38. *Inſtat*

38. *Iuſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit ; in refrigerio erit. Sap. 4.*



PEtrus Ciera, familia honeſtiſſima, Venetijs apud Italos natus, vir probus & doctus ex Notario Pontificio, Cardinalis S.R.E. ab Alex. VI. renuntiatur clam tamen, & nunquam publicatus. *Vidi ego* (inquit Andreas Victorellus) *exſcriptum diploma fi-* A *de publica firmatum, datum Romæ ſub Annulo Piſcatoris, Anno 1501. die 17. Aprilis: in quo hæc verba. Te in Cardinalem approbamus quod tamen ſub ſilentio tenebis, donec tempus idoneum aderit.* Paulò tamen poſt, cum ſexagentarius eſſet, è vita migrauit, priuſquàm Cardinalis publicaretur.

## Diaconi Cardinales,

39. *A flagello linguæ abſconderis: & non timebis calamitatem, cum venerit.*
Iob. 21.



FRanciſcus Iloris, vel de Loris, natu Hiſpanus, patria Valentinus, affinis Alexandri VI. Epiſcopus Eluenſis, Proſecretarius, & Theſaurarius generalis Papę, Diaconus Card. aſſumitur *S. Mariæ Nouæ*, ab Alex. VI. die 30. Maij, 1503. Ab eodem Patriarchatum obtinuit Conſtantinopolitanum, Epiſcopatum Valentinum, & Dienſem, vulgo dictus Cardinalis Eluenſis. Legatus ad condolendum de morte Caroli VIII. 4. Iunij, 1497. Gallis adfuit non ingratus. Gemino adfuit comitio Pij III. & Iulij II. à quo perpetuus Adminiſtrator aſcitus Eccleſię Interamnenſis die 4. Decemb. 1504. Vir fortiſſimi animi in tot calamitatibus, quæ illi obuenerunt, præter exilium patriæ, è quibus omnibus fortis emerſit. Romæ deceſſit die 22. Iulij, 1505. ſepultus apud S. Petrum.

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Auberij, Vghellum, Contelorium, Guicciardinum.

40. *Fugit Adonibezec, quem perſecuti comprehenderunt, caſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum: dixit Adonizebec. Septuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci: ita reddidit mihi Dominus.* 1. Iudicum.



CÆſarem Borgiam, qui ſanguinario ingenio (verba ſunt Iouij in elogiis, p. 130.) immaniq. ſęuitia veteres tyrannos ęquaſſe cenſeri poteſt, viroſo ſanguine, execrabiliq. ſemine progenitum ferunt; quòd faciem atro rubore ſuffuſum tuberculis, qui ſaniem leuiter expuerent redundantem, oculoſq. introrsùs recedentes, & atroci, vipereoq. obtutu ſcintillantes ac igneos oſtenderet; quos nec amici quidem & familiares contuendo ferre poſſent, quamquam eos inter fæminas iocabundus, & mira commutatione ad lenitatem conuertere conſueſſet. Cæterum artus reliqui ad decorem reſpondebant, quum ei eſſet habile corpus, valida neruorum compage firmiſſimum, quòd tam aptè; quàm impotenter ad B cunctas pedeſtris, & equeſtris armaturæ, ludorumq. omnium exercitationes affectebat: vt potè qui longiſſime, & certiſſimè iaculari, in palęſtra vel robuſtiſſimum quemq. proſternere, currentem in arena taurum vno machæræ ictu decollare didiciſſet. Suſceperat eum in minori fortuna Rodericus pater, Papa futurus nomine Alexandri VI. ex *Vanozia Romana*, quam a formæ venuſtate, & morum, miraq. demum fæcunditate, legitimæ propè *vxoris loco habuit & cultu, quem Dominici Armiani, cui Zanozia nupta erat, iuſtum filium credi Alexander voluit. Vt autem ita crederetur* (*Mariana l. 27. c. 2.*) *cautum, multorum ad gratiam loquentium teſtimonia con-* C *firmarunt. Contra hiſcere nemo Rota Iudicum, nemo Cardinalium, cum quibus rem communicauit, auſus eſt.* In Piſano cum educaretur gymnaſio Romam feſtinè, ac feſtiuè venit, audita patris in Pontificem electione, ſeuerè admodum receptus à patre vel ſimulato rigore iuſtitiæ; vel innocenti regimine vitia corrigere meditaretur præterita. Anno ſecundo Pontificatus, Diaconus Card. *S. Mariæ Nouæ* creatus à patre, qui antea in primo Conſiſtorio, Ioannem Borgiam Valentinum ſororis filium Presb. Card. dixerat tit. *S. Suſannæ*. Turbauit illicò Cæſar Italiæ pacem ambitu ſuo. Affinitatem Domus Arragonię cum impetrare non potuiſſet, patrem excitauit D Alexandrum Papam, Gallos in Italiam euocare. Annuit Papa eo voto, vt ſimulato cum Gallis ſędere, Hiſpanis timorem incuteret. Adfuit Gallus intrepidè promittens cenſum 40. millium aureorum, tot Annis à Ferdinando intermiſſum, ſumma integritate penſitaturum. Alexandri ſpuriam prolem beneficiis aucturum ampliſſimis: eiecto Ferdinando, Gallica, & Italica arma verſurum in Turcas. Hæc præſentiens *Ferdinandus Neapol.* & alter *Ferdinandus Siciliæ*, & Hiſpaniarum Reges conſilia, legato illicò filio Friderico Andrię Duce, amicitiam Papæ redemit, oblata *Sancia* Alphonſi filii

Re-

Regis Ferdinandi, Gotifredo notho Pontificis.
Hæc cum Gallus ſubodoratus, Ferdinando Hi-
ſpaniæ Rege ſibi conciliato reſtitutione co-
mitatus Ruſcinonenſis, & Cerdaniæ, per
quos Gallis patebat aditus in Hiſpaniam, plura re-
tulit, omnia tamen verbis, opere nihil. Ferdinan-
dus verò Neapolitanus proxima Gallorum incur-
ſione ſollicitus ſeptuagenario maior, appoplexia
percuſſus, *ſine cruce, ſine luce, ſine Deo diem clauſit ex-
tremum*. Mortuo Ferdinando; inſtabat Gallus, ne
Papa Alphonſum coronaret. Ille verò pretioſis de-
linitus muneribus, fœdus conditionibus iurauit ſe-
quentibus. *Inter Papam, & Regem Neapol. eſto fœdus,
mutuis ſe adiuuent armis, Coronationem Papa inſtauret,
cenſu tamen diminuto. Legatum mittat Apoſtolicum pro
Alphonſi II. coronatione. Cardinalem dicat Ludouicum
Arragonenſem Alphonſi nepotem, Numorum triginta
millia Rex Pontifici citò ſoluat. Nubat Sanctia Alphonſi
notha Gothifredo notho Pontificis. Dotis titulo vltra Prin-
cipatum Squillatij, & Comitatum Carreti, gaudeat pen-
ſione annua decem mille ducatorum, Regio Protonotariatu
centas militum cohorte; ea conditione vt Gothifredus in
aula Alphonſi vitam ducat, veluti pignus fœderis Pontifi-
cij. Dux Gandiæ Alexandri primogenitus à Rege, Prin-
cipatu donetur redditus ſaltem duodecim mille ducatorum;
ac muneri præponatur venturo, quod ob excellentiam* Ex
Septem *dicitur. Tercentos ducat armatos ære Regio con-
ductos: Cardinali Valentino det Rex vacantia, & vaca-
tura Regni beneficia, Eccleſiaſtica pinguiora ſaltem.
Omnem moueat Alphonſus lapidem, vt Cardinalis S. Petri
in vincula Romam regrediatur*. His impletis, moni-
tus Rex Galliæ ab Italica expeditione deſiſtere, mi-
nimè audiens per viam Annibalis, Mediolanum
venit. Alexander verò habito cum Alphonſo collo-
quio apud Vicouarum pro tuendis liminibus, ad
implorandam Turcarum opem, Byzantium miſſos
*Camillam Pandonem*, & *Georgium Bucardum* ex Bur-
chardo M.S. in Vaticano tradidit Raynaldus *An.*
1494. *n.* 20. Gallus verò citato itinere Romam
veniens (dubius Papa an vrbem defenderet) intra-
uit in vrbem per portam Flaminiam, obulantibus
tribus Cardinalibus *Iuliano S. Petri ad Vincula, Bene-
uentano, & Sfortia*. Pacificè ingreſſus claues vrbis
recepit, in ædibus pernoctauit S. Marci. Alexan-
der in arcem ſe receperat S. Angeli, in quem bis
adducta tormenta ad quaſſandam arcem, excitan-
tibus Cardinalibus Sfortia, Iuliano Ruuereo, &
Gurcenſi, vt clauibus ſpoliarent hominem nequam,
qui per crimen irrepſerat ad clauum Eccleſiæ, & per
ſcelus adminiſtrabat. Vicit tamen Chriſtianiſſimi
Regis pietas in S. Sedem. Inconſultis propterea fa-
ctioſis Cardinalibus pactum inter Pontificem &
Regem; *vt Zizimum magni Turca fratrem Papa Regi
traderet ad ſex menſes cuſtodiendum. Rex Franciæ duca-
tos* 20000. *Pontifici ſolueret, atq. cautionem dares per
Florentinos, ac Venetos mercatores de Zizimo reſtituendo
Coronaret Papa Carolum diademate Neapol. ſine alterius
præiudicio; ſecuros faceret Cardinalis S. Petri ad vincula
Gurcenſem, Columnenſem, Sabellum*. Roma diſcendens
Rex Zizimum, ſecum duxit, equitante à ſiniſtris
Cardinali Valentino, quem legationis ſpecie in re-

gno gerendæ obſidem duxit, licet die ſequenti, aga-
ſonis habitu ſe ſubducens, Romam redierit ad Ale-
xandrum. Tanto metu liberatus Papa, in ſuorum
augumentum totus effuſus, Anno ineunte 1469.
Conſiſtorium habuit, in quo quatuor Cardinales
creauit, adſtante ipſo Cæſare Borgia. Anno 1497.
in ſecreto Cardinalium Conſiſtorio ciuitatem Bene-
uentanam, Terracinam, Pontemcuruum cum ſuis
territorijs in Ducatum erigens, Feudi titulo, Ioan-
ni Borgiæ Gandiæ Duci, S. R. E. Capitaneo Gene-
rali, filio ſuo chariſſimo tradidit, eiuſq. ſucceſſo-
ribus in perpetuum. Cæſar verò natu minor, Car-
A dinalis Valentinus à ſacerdotio planè alienus locũ
hunc cum ſibi à fratre præripi ferret impatienter,
*nec minùs quòd in Lucretia communis ſororis amore poſt-
poneretur*, noctu cum vnà apud Zanoziam matrem
cœnaſſent, vrbe obambulantem ſolum clam cum ſi-
cariis adortus, manu ſua trucidat, ac in Tyberim
proycit. Paucos poſt dies cædis ſpirans, atq. mina-
rum chlamide indutus Conſiſtorium conſcendit ro-
gans patrem, & Patres, vt quoniam inuitus & re-
uerentia in parentem per vim factus eſſet Cardina-
lis, atq. Diaconus, vtramque dignitatem depone-
re permitteretur; quod & obtinuit, mimica ſolùm
præuia tergiuerſatione. Statim ergo in Franciam
B tranſijt ad Regem Ludouicum, detulitq. diſpenſa-
tionem (vt Rex coniugi miſſo repudio, vxorem du-
ceret Annam viduam Caroli defuncti Regis) licet
eam occultaret, vt Regi venderet caro pretio. Rex
autem certior factus à Pontifice ſignatum diploma,
minimè curans Valentinum ampliùs interrogare,
vel Bullam expectare, nouas voiauit ad nuptias, &
carnaliter conſumauit. Hinc illuſus Valentinus ve-
neno poſtea Legatum ſuſtulit Apoſtolicum, qui ar-
canum Regi prodiderat. Purpuræ autem pretio,
quam ab ſe violatam detulerat ad Georgium Amba-
cianum Archiep. Rothomagenſem, Valentinum ac-
cepit Ducatum, Equeſtrem Ordinem, & centum
C cataphractorum alam, cum penſione viginti mil-
lium librarum Turonenſium. Anno ſequenti vxorẽ
duxit, adnitente Rege, *Carlottam* filiam *Alani Labre-
ti*, ex ſanguine Francico, ſororem Regis Nauar-
ræ. Carlotta, enim filia Friderici Regis Neapol. con-
iugium impuri Diaconi toto pectore repudiauerat
quod tamen Papa ſupra modum concupiuerat, vt fi-
lius ſuus armis fretus Eccleſiæ, ſocerum ſuum Regno
deijceret Neapolitano, & partem ſui ad thronum
eueheret: quod cum optimè præuideret Rex Fride-
ricus, nuptias negauit. Cæſar nuptiis Alibretæ ſu-
perbus, copiis præfectos Eccleſiæ, non erubeſcens
vexillis pandere, quod animo meditabatur imperiũ
D Italiæ, ſigna inſcripſit militaria. *Aut Cæſar, aut ni-
hil*. Hinc *ante omnia* [ ita Iouius ] *proceres Romanos Co-
lumnios, & Vrſinos tollere conſtituit, poſtquam inter eos bel-
lum aliquandiu fruſtra luſiſſet, vt vtraq. pars mutuo fer-
ro concideretur. Illi enim poſt ciuile bellum, Borgia arti-
bus intellectis, ſe ſe pace facta conciliarunt. Columnij ni-
hil ſibi fuga, exilioq. ratis, paterna oppida Borgiæ reliquę-
runt. Vrſini ſtipendijs allecti ad vnum ferè omnes
teterrimo ſupplicio necati ſunt: Baptiſta Cardinalis in mo-
le Hadriani, Gentilium ſuorum necem prægreſſus cum Vite-
loctus*

*leciùs Tiphernas, & Liberatus Firmanus ad ſenogalliam; in agro autem Peruſino Paulus Vrſinus Latini Cardinalis filius, & Franciſcus Vrſinus Grauinæ Princeps eandem necis ſortem tuliſſent. Caietanæ quoq. familię proceres, qui Sermonetam oppidum in Latio iuxta Priuernum obtinebant, Iacobus, Nicolaus, & Bernardinus alio modo interfecti, arces & opes Borgię conceſſerant. Camertes quoq. Principes antiquæ nobilitatis, Iulius Cæſar, Venanctius, Annibal, & Pyrrhus principatu exuti, ſtrangulatiq. ſunt. Aſtorem Manfredum Fauentiæ Principem ſub fide deditum, [ poſt ſtuprum illatum iuueni ſpecioſiſſimo ] necatumq. immaniter Tybris excepit. Catharina Sfortia, quæ Foroliuij, & Foro-Cornelij vrbibus impera-* A *bat, expugnatis tormentis, captaq. Romam tanquam ad triumphum perducta eſt. Pandulphus porrò Malateſta, Ioannesq. Sfortia, & Guido Vbaldus Feltrius ipſorum ditionum vrbes, Ariminum, Piſaurum, & Vrbinum inuadenti relinquere, quàm interfecti arrepta fuga maluerunt: ceſſit Cæſari Iacobus Appianus oppidum Poppuloniam in Hetruria; ſed dum hac cruenta via in alienos principatus graſſaretur, etiam Aragonium adoleſcentem Biſeliy Principem, ac Alphonſi Regis filium, & Lucretiæ ſororis ſuæ maritum in atrio Vaticani templi vulneratum, & quoniam ſpes eſſet, curari poſſe, in ipſo cubiculo, lectoque nuptiali ſororis mactari iuſſerat. Borgiam quoq; iuniorem Cardinalem, quòd Candiano faueret, veneno ſuſtulerat;* B *Ioanem demum Cerbellionem virum domi, militiaq. nobilem, quòd pudorem in femina Borgia domus ſeueriùs custodiret, noctu à cena redeuntem crudeliter interfecit. Ab eo quoq. capitali ſupplitio affectus eſt Iacob. Sancta crucias preclaræ nobilitatis Romanus ciuis, quo nemo ipſi Cæſari amicior, & familiarior fuit: nec aliam ob cauſam, quàm validam promptiſſimorum hominum manum ex factione Vrſina ſubito cogere, & ad omne audendum facinus impellere poſſet*. Omitto Cardinales pecunia creatos, ad alendos milites: Indulgentias venditas; inſultantibuſq. pecuniam à Cæſare, aleis, luxu profundi, reſponſum à Pontifice: *conſumere ſe peccata Germanorum*. Tantos errores vt aliqualiter Veneri cohi- C berent; legem ſanxere Decemuiri, vt ſi quis Romę beneficia emeret eccleſiaſtica, bonorum confiſcatione mulctarentur, & exilio. Omitto Cardinales veneno ſublatos, vt eorum diuitias expilaret; inter quos *Ioannes Michael* Venetus Cardinalis ex ſorore nepos Pauli II. per epularum præfectum subminiſtrato, Idem contigiſſet Baptiſtæ Zeno, niſi tempeſtiuè ſe ſubduxiſſet. In tanta propaganda imperij libidine, cum ſpes noua ex Regni Neapolitani conuerſione Valentinum inflaret; pecunia tantum deeſſet; nouum LXXX. Scriptorum Breuium Collegium inſtituit Alexander, quorum loca ſingula 750. aureis vænebant: *Maranis* vectigal impoſuit, his D ſcilicet, quos à Rege Catholico ex Hiſpania pulſos ipſe Romæ graui Regis indignatione ſuſcipiebat. Hæc cum ingentibus copijs alendis non ſufficerent; opulentiſſimum quemq. in aula Sacerdotem, & in his aliquot Cardinales cæteris ditiores veneno tollere conſtituit cęnę ſpetie, quam parari mandauit ad vmbroſum ruris Cardinalis Cornetani fontem, in qua primus omnium neci deſtinatus erat ipſe Cornetanus, cuius in hoſpitio epulabantur Pater, &

Filius: quando vindictam Nemeſi exigente ſuperna, ſalerni lagena permutata archiriclini, lethum bibit ipſe Papa, eiuſq. filius Cæſar: licet iſte viuidę vt erat ætatis, vigore prævalidus, adhibitis exquiſitis antidotis venenum regurgitauit. Pontifex verò ſenio grauis ſuccubuit. Ad obitum patris, cum in Vaticano filius decumberet, querebatur; quòd cum omnia præuidiſſet, quæ in patris morte contingere poterant, cauteque præparaſſe remedia: hoc vnum non præuidiſſe; quòd moriente genitore ipſe ægrotaret. Copias tamen militares circa ſe contrahebat; vt a tumultibus in vrbe excitatis, vel à ciuibus iniuſtè expulſis ſe defenderet. Negātibus porro Cardinalibus Conclaue ingredi, niſi liberum eſſet: Cæſar Nepe lectica vectus ſe recepit, & inde ciuitatem Caſtellanam. Creato Pio III. Romam rediit, Patribus gratias agens, quòd virum Optimum Reipublicæ præfeciſſent, ipſumq. Pontificem in primis adorat. Vrſini verò vindictæ cupidi, Borgiam in Vaticano agentem inuadunt armati, ceduntúrq. plurimi, Valentino ſe ægregiè tutante. Cum autem aduerſarii viribus augerentur; tutelæ ille ſe commiſit Pontifici, vt ex nummiſmate, in quo Valentini imago ad Papam confugiens, ſub lemmate, *ſub vmbra alarum tuarum*, quod habes in vita Pii III. à nobis exarata. In Hadrianam itaq. arcem receptus, ex qua inſcio Papa egredi non liceret, ille totius paulo ante terror Italiæ, iuſtæ necis metu, carcere ſe tutatus honeſto, non priùs emiſſus eſt, quàm vi partos principatus reſtitueret; impleto Sannazarii vaticinio. l. 1. Epig. aduerſùs Borgiam.

*Aut nihil, aut Cæſar vult dici Borgia; quidni?*
*Cum ſimul & Cæſar poſſit, & eſſe nihil;*

ſeu

*Omnia vincebas, ſperabas omnia Cæſar,*
*Omnia deficiunt; incipis eſſe nihil.*

Mortuo Pio III. ſpe illectus Iuliani Ruuerei (qui Frãciſco Mariæ Ruuero nepoti ſuo nupturã promiſerat Valentini filiam, amiſſas Flaminiæ vrbes reſtituere, ac exercitus creare ducem Pontificij) ſuaſit Hiſpanis in Iulianum conuenire. Seruabatur tamen Valentinus in arce, exultantibus Romanis præ lætitia. Plures ciuitates, quæ conſtantes hactenus in fide fuerant, de auxilio deſperantes, ad dominos redierunt antiquos. Cæſena ad Pontificem, Imola cæſo à ciuibus arcis præfecto, nutabat, an Riarios reuocaret. Forum Liuii *Antonium Ordelaphum*, adiuuantibus Florentinis; Piſaurum *Ioannem Sfortiam*: Ariminum *Pandulphum Malateſtam*, quem poſtea *Dionyſius Naldus* Valentini centurio iterum expulit. Fauentia poſt longa diſſidia *Aſtorrem Manfredum* aduocauit. Valentino, Cæſenæ duntaxat, Fori Liuii, Fori Pompilii, Bretenorii arces ſupererant, quas apud Iulium, fide de reſtituendis recepta, deponere voluit. Iulius ne cupidine videretur illectus imperii, vel priſtinæ ſinceritatis memor accipere recuſauit, imò eundem ad eatum cuſtodiam remiſit:

quamuis non longe, arcium non acceptarum pœnitens, *Volaterranum, ac Surentinum* Cardinales Oſtiam miſit, qui Valentino perſuaderent arces reſtituere. Recuſantem, è nauibus retractum ſpecie criminis, quo plures Cardinales veneno ſuſtuliſſet, in Vaticanum deduxere, benignè acceptum à Iulio, vt blanditiis Papa arces redimeret: quod voto datum, arce excepta Fori Liuii; Valentinus namq. præfecto clandeſtinò ſuggeſſerat, ne vllis imperiis ſuis, quæ ſimulata forent, ad deditionem pateretur adduci. Quamobrem accidit, vt Petrus Ouedius cum litteris à Pontifice Cæſenam miſſus, à Didaco Chignone de muro præcipitaretur, quo atroci facto vehementer commotus Papa Cæſari acerbiora minaretur, niſi continuò Hiſpani præfecti arces dediſſent. A

Hinc territus Borgia cum familiaribus Neapolim profugit, vbi conuentum, interprete Cardinali Caruaialio, arces Pontifici tradere libertatis pretio Cæſari permittendæ. Dimiſſus Borgia cœpit annuente Conſaluo Hiſpani duce exercitus, noua moliri, militem ſcribere, vt opportunè in Emiliam irrumperet, auxilio fretus Ducis Ferrarienſis, cui ſoror nupſerat Lucretia. Hæc cum aduerteret Iulius Conſaluum ſeuerè monuit, ne hominem cruentum, tyrannum ampliùs ſurere, & graſſari pateretur: eadem per Legatos grauiſſimè repetens cum Ferdinando. B Mandato propterea Regio iuſſus Conſaluus Valentinum cuſtodiæ tradere, ad ſe in arcem aſcendentem de more, vt cum Conſaluo, inſtruendæ claſſis arcana agitaret; redeuntem per Nonium Campeium carceri dedit, fruſtra fidem ſibi datam implorantem, & fortunam ſuſpicijs accuſantem. Non multo poſt, Rege iubente, in Hiſpaniam à Liſcano deuectus Medinæ Duce in arce clauſus, cui nomen *Motta* per biennium, ea tamen ſorte, vt deceptis cuſtodibus, fune demiſſus, equos ſuppeditante Pigmentellio Principe Beneuentano, ad Ioannem Nauarræ Regem, volunt alij, ad Ioannem Cantabriæ Regem perfugit, C qui aduerſus Alarinum Regulum rebellem, bellum gerebat. In eo armorum motu, cum Regi egregiam nauaret operam, conſerta ad Mendauiam pugna, ignita glande læſus occubuit, eo euentu, vt nequaquàm agnitus detractis armis nudus relinqueretur. Eius ſcutifer cadauer equo impoſitum, Pampelonem retulit, haud dubiè rapiente Fato ad eam vrbem, cuius antea fuerat Antiſtes. Anno cecidit nouus Lucifer Sal. 1505. die 13. Aprilis: vel 12. Maij, 1507. in diœceſi Pampilonenſi ea ipſa die, qua Epiſcopatus illius poſſeſſionem inierat, nempe M. Gregorij feſto. D

Hiſpanus illius æui Poeta ſequens inſcripſit epitaphium.

*A qui yaze en poca tierra*
*El que toda la temia*
*En eſto vulto ſe encierra*
*El que la pax, y la guerra*
*En ſu mano lo tenia.*

*O tu que vas à mirar*
*Coſas dignas de notar,*
*Si lo mayor es mas digno*
*à qui acabas tu camino*
*De à qui te puedes tornar.*

Hoc eſt,

*Terra qui modo terror vniuerſa*
*Valentinus erat Sepultus hic eſt.*
*Tantillo hoc ſpatio quieſcit, Orbem*
*Bello qui potuit mouere totum.*
*Hoſpes, qui freta longa, quique terras*
*Curris, res nudus notare dignas*
*Siſte hic aduenient gradum, neque vltra*
*Iam quoquam properes; Videre maius*
*Toto nil potes Orbe, digniuſue*
*Quàm quo tantus homo iacet ſepulchro.*

Eidem Andreas Angulius aliud inſcripſit Epitaphium.

*Heu quantum fuerat ſatius Dux maxime Cæſar*
*Borgia, tam claris Romæ natalibus ortus*
*Hiſpano Patre, magnarum puer indole fulgens*
*Virtutum; & iuuenis donatus honore Galeri*
*Purpurei, nunquam tàm fadè inſignia tanta*
*Tu deſpexiſſes; regnandi dira cupido*
*Iauaſit quum te rorantem ſanguine Fratris*
*Vel ſaltem eſt animum agreſſus quum bellicus ardor*
*Ille tuum, priſcor, quo æquaſti Marte Quirites,*
*Totque Duces, validaſque acies, totq. oppida, & vrbes.*
*Vicisti indutus mentemq. animumq. tyranni*
*Aut nihil, aut Cæſar demens iactare ſolebas,*
*Debueras pro ſama æterna. pro laude perenni*
*Prælia tractare, vt Romæ celeberrimus olim*
*Mos fuit, at non in hians & ſanguine, & auro*
*Exercere, domo Dominoſque expellere auita,*
*Totque horrenda animo committere funera ſæuo,*
*Quæ pudor Hiſpano me ortum Genitore, Quirinæ*
*In qua Vrbe, & tectis iiſdem tam fæda referre*
*Nunc prohibet; ſacri quum ſpreti iniuria honoris*
*Magna olim edocuit mortales ſatque ſuperque,*
*Cantabria miſer vt cecidiſti inglorius agris.*

Eidem Sannazarius aliud inſcripſit Epitaphium videlicet.

*Qui modò proſtratos iactarat cornibus Vrſos*
*In latebras Taurus concitus ecce fugit*
*Nec latebras putat eſſe ſatis ſibi Tybride tota*
*Cingitur, & notis vix benè fidit aquis.*
*Terruerat montes mugitibus; obuia nunc eſt,*
*Et facilis cuiuis præda ſine arte capi.*
*Sed tamen id magnum, nuper potuiſſe vel Vrſos*
*Sternere, nunc omnes poſſe timere feras.*
*Ne tibi Roma nouæ deſint ſpectacula pompæ,*
*Amphitheatrales reddis arena iocos.*

Vni-

Vnicam reliquit filiam penès matrem, & auunculum Vaſconum Ducem. Ex tantis Principatibus, quos per tyrannidem adminiſtrauit, & Eccleſijs, quas poſſedit, antequàm dignitati cederet Cardinalitiæ, Pampelonenſem, Caſtrenſem, Nannetenſem, & Elenenſem Eccleſias, Legationem in Vrbeueteri, & ad coronandum Regem Ferdinandum, nonniſi infamiam reliquit. Diſcite ſuperbi Nimrodi, qui dies cogitatis æternos, & annos antiquos.

Ciaconius, Panuinius, Paulus Iouius, Guicciardinus, Infiſſura, Volaterranus, Garimbertus, Vghellus, Io: Mariana, Belcarius, Victorellus, Bzouius.

41. *Coronemus nos roſis, antequàm marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.*
*Nemo noſtrum exors ſit luxuria noſtra;*
*vbique relinquamus ſigna lætitiæ:*
*quoniam hæc eſt pars noſtra,*
Sap. 3.



HIppolytus Eſtenſis, natu Italus, patria Ferrarienſis, Herculis primi Ferrariæ Ducis filius ex Eleonora Ferdinandi Siciliæ Regis filia. Grauida mater, annuente genitore, Deo prolē dicauit naſcituram. In lucem editus ne domeſticis emolliretur delitijs, ſub ſeueris magiſtris, bonis artibus incubuit, natura indolem ſubminiſtrante excelſam, & dignam Principe. Septennis ad Strigonienſem euocatus Archiep. ab optimatibus Vngariæ, in Pannoniam cum inſigni comitatu contendit, eo tempore, quo Matthias Coruinus nouam Auſtriæ vrbem obſidione cingebat, qui cognito Hippolyti aduentu, obſidione relicta, cum Regina, & exercitu occurrit veniēti. Loco filij ſuſceptus à Beatrice Regina matertera ſua ſub Rege rudimenta didicit militaria, per ſeptennium Regio adhærens lateri. Vngaricum edoctus idioma, modeſtia, comitate, humanitate, morum elegantia regnicolas ita demulſit, vt ab omnibus diligeretur, coleretur. Obſeruantiſſimus Virginis Deiparæ, eius laudes quæ ſtatis horis recitantur, à pueritia vſq. ad obitum nunquam dimiſit. Procero corpore, valida neruorum ac membrorum compage firmo, vultu venuſtus, eloquio placidus, exercitijs equeſtribus vſq. ad mortem incubuit non ſine ſcandalo. Natandi peritus, ſagittandi, & iaculandi gnarus, theatri ſtudioſus ſub Leone X. vnà cum Sfortia Cardinali redditus ligurriuit eccleſiaſticos in alimoniā muſicorum, buccinatorum, Spadonum, Morionum, venatorum, qui irruente Luthero Orbem perdidere Catholicum. De eius laſciuia plura recurrunt, quæ prætereo; Vnum Belcarium l. 10. n. 25. fugere non permittor. *Ardebat propinqua Virginis* (Anno 1505.) *amore Hippolytus Cardinalis Ateſtinus; illa viciſſim Iulium eius fratrem nothum non minori mentis ardore deperibat; rogata cur hominem tantoperè deperiret, oculorum eius pulchritudine ſe incendi Cardinali fatetur. Is amore amens ac planè furens fratrem venantem comprehendi, rivales amoris oculos erui iubet, atq. interim tetri huius facinoris cupidus ſpectator coram adeſt. Oculi prompta Medicorum opera ita reſtituti fuerunt, vt non minùs quàm antea ſua actione fungerentur. Hinc Ferdinandus Alphonſi frater natu proximus, Iuliuſque ille, quòd Ferrariæ principatum inuadere cuperet; hic, quòd Alphonſus eius calamitatem, contumeliamq. ſuſq. deq. tuliſſet, nec aliter ſe Cardinalem vlciſci poſſe confideret, intra huius Anni vertentis finem aduersùs Alphonſum coniurarunt; cuius coniurationis Albertinus Boſchettus Mutinenſis conſcius fuit; nonnullos infimi ordinis homines Alphonſo familiares in ſuas partes pertraxerunt. Verum*
A *dum forte diutiùs data occaſione cunctarentur; detecta coniuratione, Ferdinandus, cæteriſq. coniurationis adminiſtri comprehenduntur; Iulius ad ſororem Mantuani Marchionis coniugem elapſus, & mox eiuſdem mandato ad Alphonſum remiſſus, atq. vnà cum Ferdinando in perpetuam cuſtodiam traditus: Boſchetus, cæteriſq. coniurati in partes diſſecti pœnas dederunt.* Hæccinè Cardinalis S. R. E. geſta? Mortuo Rege, Strigoniæ Reginam ſuſcepit honorificè, habuitq. loco matris. Ibi degentem Alexander VI. Anno Sal. 1493. die 12. Cal. Octob. Romam vocauit Diaconum dictum *S. Mariæ in Silice*. In Pannonia galerum accepit. Romam venienti Vrbs tota in occurſum exiit, via Flaminia,
B Campo Martio, totaq. Vrbe facibus illuſtrata. Mediolanum accerſitus à Ludouico Sfortia, in rebus arduis adiutor, & ſocius, illius vrbis ab eodem Alexandro deſignatus Antiſtes, per Annos 13. Eccleſiam adminiſtrauit. Ad nuptias vocatus Alphonſi fratris cum Lucretia Borgia, Romam rediit; vbi Petrus Apoſtolus ære ſuo dotem ſoluebat, eundemq. Alphonſum in nuptiarum gratiam, Archipresbyterum dixit S. Petri, Capuanum Antiſtitem, & breui poſt Ferrarienſem, ac Mutinenſem in Italia, Narbonenſem in Gallia. Oh luctuoſa facies Eccleſiæ! Cæſaris in Italia Vicarius Caſtrum Baldi, Montagnanum dono recepit, partem ſpolii, quod fœderati
C extorſerant Venetæ Reipublicæ. Moriente Alexandro Roma abſens cum citatis equis ad comitia creādi Pontificis accederet, equi caſu, fracturam paſſus dexteri cruris Florētiam abiit, vbi breui conualuit. Poſt obitum Pii III. ad comitia venit Iulii II. Ludouicum Gallorum Regem, in Italia bellum gerentem inuiſit, ſecretioribuſque ab eodem admiſſus conſiliis, indolem probauit caſtris natam, non Eccleſiæ. Ad Maximilianum Legatus Imperatorem Patauio Venetæ Iuriſdictionis inſultantem, Venetorum claſſem Pado contra Alphonſum fratrem eductam, Triuiſani Veneti Imperatoris inertia vicit, vexilla in cathedrali Ferrariæ ſuſpendit. Anno
D 1509. In Galliam profectus cum Conciliabulum pararetur Piſanum aduersùs Iulium II. non munere, non prece contra Iulium, quem Pontificem prædicabat legitimum, excitari potuit, dexteritate tamen non minùs Pontifici ſatisfecit, quàm Regi; vt ab vtroq. ſapiens appellaretur. In Italiam reuerſus in Germaniam proceſſit, & inde in Pannoniam à Ladislao Rege, & Cæſare perhonorificè acceptus, poſt Iulii mortem, Leoni veteri eius amico litteras dedit, ab eoque ſequentes retulit.

*Ex tuis litteris intellexi id, quod etiam ſine iis exploratum mihi erat. Pontificatus mei nuntio audito te magnam lætitiam cepiſſe. Itaque mihi ea de re officioſiſſimè, amantiſſimiſque verbis gratularis. Ægrè fers etiam ſuffragiorum ferendorum tempore te non affuiſſe. Quæ quidem mihi omnia optatiſſima legenti, iucundiſſimaque fuerant: ex animo enim beneuolentiſſimo mihi dudum perſpecto, & cognito ſanè prouenirent. Magnopere autem vellem, eo te tempore Romæ fuiſſe: rem enim noſtram, qui tuus eſt in me amor, profectò in primis iuuiſſes. De meo verò in te animo ita te volo exiſtimare: Amorem meum, qui quidem ante erga te, atque Alphonſum Ducem Ferrarienſium fratrem tuum eximius ſemper fuit, hac in me Dei Opt. Max. benignitate, ac munere, & iam auctum, multiplicatumque eſſe: vt quo maior ipſe ſum, eo vterque veſtrum, & coniunctior mihi ſit, & certe charior. Quod autem mihi eundem fratrem tuum commendas: voluit is iuſtis quidem de cauſis, quas ab ipſo intelliges, infectis rebus ſuis Roma proficiſci. Spero tamen, quoniam eius rei fundamenta iecimus, quod ſupereſt, me daturum operam, ut intelligatis vos mihi ambos, incolumitatemque veſtram magnæ curæ eſſe. Dat. 1513. An. 1. Romæ.*

Acceptis litteris, Romam venit magno Leonis gaudio, cum quo Bononiam profectus, Franciſcum Gallorum Regem, ipſe, & Cardinalis Sanſeuerinas primi Diaconi Regem medium excipientes ad Leonem deduxere, Ferrariam reuerſus, ædificia reſtituit Epiſcopatus, Strigonienſem Eccleſiam cum Agrienſi mutauit, In Pannoniam reuerſus ad ſedanda diſſidia, incenſum tectum Templi primarij refecit. aliud ſacrum ædificium abſoluit. Bonæ ex materno genere nepti, Sigiſmundo deſponſatæ Regi Poloniæ, occurrit ad Forum Iulij, eamq. per Carinthiam, Styriam, & Auſtriam in Poloniam vſque deduxit: Pannoniam iterum inuiſit, cum Rege muneribus certauit. Ferrariam rediens, Eccleſiam Mediolanenſem nepoti Hippolyto ceſſit. Litteratorum Mecœnas Ludouicum Arioſtum, & Franciſcum Nigrum in famulitio habens, liberalite ſua famam redemit, vt in eum ſtylo parcerent Hiſtorici. Mathematicas, Geometriam, Arithmeticam, Muſicam calluiſſe dicitur. De nauali ſcripſit certamine, lingua vernacula, quo claſſem fudit Venetorum. Hunc librum poſtea Cælius Calcagninus latinitate donauit. Ferrariæ obijt Sacramentis Eccleſiæ ritè munitus, tertio Septemb. 1520. Fratre hærede relicto. Sepultus in Sacrario Cathedrali eiuſdem Vrbis; Cælio Calcagnino in eius funere perorante. Recurrunt etiam orationes funebres Hieronymi, Falcti, & Alexandri Guarini de eodem Cardinali. Eius cineres Anno 1607. Ioannes Fontana Ferrarienſis Epiſcopus ad pedes ſepulchri Vrbani VIII. decentiùs vnà cum corpore Io: Card. Saluiati eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi collocauit, teſte M. Antonio Guarino *hiſtor. Ferrarien.* Hoc Præſule corpus S. Leonis PP, conditum eſt in Eccleſia Ferrarienſi, in qua ad perpetuam memoriam legitur.

*A partu Virginis Anno 1619. IV. Kalend. Iulij.*
*Pontif. Maximo Iul. II. Alphonſo Eſtenſi Ferrar. Duce III.*
*Hippolyto eius fratre S. R. E. Cardinali Ferrariæ*
*Epiſcopo, hoc in ſepulchro, vbi Fauſtina primo eius reconditus fuit.*

*Ven. Iacob Bentionus huius Eccleſiæ Antiſtes arcam plumbeam oſſibus inſtructam deprehendit, in qua hæc inciſa legebantur.*

*Hic requieſcit corpus Sancti Leonis Pontificis & Sacerdotis Chriſti, translatum huc à Vicouentia ſub Gratiano Ferrarienſe Epiſcopo, Anno Dom. MVIII. Kal. Martij. Cuius rei indicta ſupplicatione per Venerab. Sacerdotum Collegium religioſiſſ. eodem loco eadem oſſa repoſita ſunt, eodem Anno Id. Iulij.*

Moriens mandauit opus charitatis, quod viuens ad elocandas decem puellas elargiebatur, non interrumpi.

In cenotaphio Mutinæ, Anno 1659. poſito memoriæ Franciſci Eſtenſis, ſimulacrum aderat Hippoliti 1. Cardinalis cum ſequenti elogio.

*Hungarici Regni iactata ſecuritas.*
*Hippolyto nixa ſiquidem nutauit, haud cecidit.*
*Suum ferre Cælum non modo didicit humeris*
*Sed etiam ſeruare luminibus.*
*Hic Argus Alcides.*
*Facilè collabeſcit Imperiũ, quod ſceptro exoculato fulcitur.*
*Præſentire Syrtes, ſemper eſt maturæ Perſpicaciæ,*
*nonnunquam immaturæ fælicitatis, euincere.*
*Dedecorant, pericula non opinata, Rectorem*
*Sæpe non ſuperata Fortunam.*
*Sagax Hippolyti Clauæ.*

*Exorta diſcordiæ ſeditioſas Beluas condere fecit:*
*Vt in eiuſdem Regni ſphæra coniuncta ſplenderent quidem.*
*Non tamen à ſuo Sole deficerent.*
*Ille mentem obſcuri furoris illuminauit.*
*Quando gliſcentes flammas ambitionis extinxit.*
*Adamantinas vires Prudentia.*
*Vices vitreas attriuere Perfidia.*
*Quare procelloſa capita, quæ tragicam concepere Melpomenem.*
*Sapienti patrocinante Lucina,*
*Hilarem peperere Polymniam.*
*Iam Sereniſſimi Leonis regale ſtemma ſociauerat:*
*Sua gloria cum Syderibus victor Hippolytus.*
*Ita tamen, ut hoſti magnanimo vulnera inflicta*
*Radios uomerent eloquentes.*
*Qui eundem victum teſtarentur, & inuictum.*
*Quoniam, ut extero de mundo triumphare conſueſceret,*
*Arte magiſtra vinci aliquando non recuſauit.*
*In hoc uno lunares eſt imitatus ille periodos;*
*Quod exacta breui iactura fulgoris.*
*Orbem uniuerſum ſua luce compleuit.*
*Venetus Leo.*
*Nullius cicatricis apparente veſtigio:*
*Quomodo Romuleæ Lupæ laudes immenſas.*
*Poſt ſe longo interuallo relinqueret.*
*Dum laureata ipſius immortalitas inuenta potiùs,*
*Quam acquiſita crederetur.*

*Sor-*

*Sortis indulgentia, non Fato adſcribenda virtutis?*
*Æternitas illa pulchrior enitefcit?*
*Quæ nobili exorta genitricis mortalitatis eluctata tenebras,*
*Per ſplendida vulnera concedit in Solem.*
*Purpuram contulit Alexander Hippolyto.*
*Alteri verè Lyſimacho.*
*Qui priſci Macedonis viribus, & victoria plauſibus æquaretur.*
*Hic ſane vixit & ſanguine, & amore Alexandro ſuo coniunctus.*
*Vix ille Rubor Vaticana illuxit Aurora,*
*Cum Lyriſtes Apollo terris affulſit.*
*Cuius obtutu diſerta Muſarum natio reuocaretur ad cantus.*
*Quàm benè Ateſtinę Roſę.*
*Delectarunt, ipſis cuſpidibus aſpera.*
*Dum ſtylis aureis, erudito planè ſatelitio, Ferrarię cingeretur.*
*Interim miraculo quidem venturi Nepotes adſcribant,*
*Quòd Togatus pugnarit Hippolytus,*
*Et vicerit Infulatus.*
*Sed Prudentię, & fortitudinis ingenio referatur acceptum,*
*Quod triumphauerit Palmata pręteχta Purpuratus.*

Nummiſma exhibeo in Muſęo Petri Maurocęnę Senatoris Veneti, cuius in fronte Effigies Hippolyti, ſub inſcriptione *Hippolyt. Eſten. S. R. E. Card. Ferrar.* In altera ſunt plures Angeli, cum ſene genuflexo ſub lemmate; *Ne tranſeas ſeruum tuum.*

Ciaęon. Panuinius. Vghellus. Garimbertus. Belcarius. Contelor. Hippolyt. Marrac. in Purpura Marian. Auberij. Guicciardinus. Victorellus. Claudius Rober. *in Gallia Chriſtiana*. Antonius Sanderuș *in elog. Cardin.*

42. *Expergiſcimini ebrij, flete & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine,*
Ioel. 1.



FEdericus Caſimirus Caſmiri Regis, & Eliſabethę Auſtriacæ Reginæ filius Poloniæ, vt litteris operam daret, à Caſimiro patre in educationem datus Petro Tomicio, viro docto, & pio, qui in Bononienſi gymnaſio apud Italos, litteris operam dederat ſumma cum laude. *Fuit Fridericus procera ſtatura, aſpectu decoro, ac dignitate pleno* (teſte Cromero) *cæterum ingenio nullo, iners, ignauo*
D *ocio, crapula, & aſſiduis compotationibus in fumo, & ſordibus cum ſuis gregalibus quibuſdam marceſcens, & ad extremum morbo gallico confectus, teſte Matthia Miechouienſi Medico.* Quatuor habuit fratres, Caſimirum, Io: Albertum, Alexandrum, & Sigiſmundum, Reges omnes ſucceſſiuè. Primus caſtiſſimus iuuenis religioſiſſimus in Lituania mortē ſubijt immaturam, ſanctitate celebris, vt miracula firmant edita ad eius ſepulchrum. Ioannes Albertus, qui poſt patrem ſuper octo Annos regnauit. Alexander qui Annis Regno præfuit, maximi Rex animi a Moſchis apud Vedruſios victus, eoſdem apud Opoſcam, Tartaros etiam Tauricos apud Cleſeum paucis ante mortem diebus, inſigni victoria profligauit. Sigiſmundus cognomento Felix Rex Polonię dictus. Matre annitente Federicus Anno ętatis ſuæ XIX. Cracouienſis electus Epiſcopus, paulo poſt ab Alexandro VI. R. P. Anno Sal. 1493. die 1. Aug. Diaconus Cardin. *S. Luciæ ad Septemſolia*; & die 20. Septemb. publicatus, quo die creatum affirmat Matthias de Michouia eius contemporaneus *in Chron. Polon.* Gneſnenſem
A Archiepiſcopatum poſtulāre eius fratre Rege obtinuit, ita tamen, vt etiam Cracouienſem retineret. Fratrem Alexandrum ex Lituaniæ Duce, à proceribus Poloniæ in Regem electum in Baſilica Cracouienſi die 12. Decemb. 1502. publicè coronauit, ab eoq. dum in Lituania ſe reciperet, vt Moſcos reprimeret, Regni Poloni Gubernator eſt conſtitutus. Ditiſſimus vixit ob regale patrimonium, fructuſq. Eccleſiaſticos, quorum partem intulit in Eccleſiam Gneſnenſem, quantam nullus ex Anteceſſoribus in auro, & argento, gemmis, pretioſis lapidibus, calicibus, crucibus, candelabris, peluibus, thuribulis, reliquiariis, caſulis, dalmaticis ſericis auro intextis,
B quorum deſcriptio longa extat in tabulario Metropolitanæ Gneſnenſis. Crucem ante ipſum præferri ſolitam, ad neceſſitates Eccleſiæ ſubleuandas teſtamento legauit: Gneſnę Synodum habuit, in qua quartam partem annui cenſus Eccleſiaſtici pro belli ſubſidio contra Turcas Sacerdotes ſponte contulerunt. Ibidem ante portam ciuitatis Xenodochium erexit. In Baſilica Cracouienſi thecam caluæ D. Staniſlai M. auream gemmis ornatam reliquit. Liberalitatem in Sanctos fædauit commeſſationibus, & ebrietatibus, quamuis enim iuuenis directorem accepiſſet à patre Petrum Tomicium, vt eſſet actionum eius, ſtudiorumq. inſpector & moderator, vnde
C Tomicij grauitate detentus, eo veniente pocula, quibus cum ſodalibus euacuandis meliores horas pendere conſueuerat, citò auferri iuberet, nihilo tamen melior factus, in omnem mox erupit licentiam, quæ illi mortem accelerauit, perijtque morbo Gallico confectus die 19. vel 21. Martij, Anno 1502. Corpus Cracouiam aduectum, matre religioſiſſima funus proſequente, marmoręo tumulo conditum; eius in funere perorante Staniſlao Orichouio.

Ciaconius. Panuinius. Auberij. Contelorius; Garimbertus. Vghellus. Victorellus.

43. *Vla.*

Digitized by Google

43. *Vlulate Paſtores, & clamate : aſpergite vos cinere optimates gregis: quia completi ſunt dies veſtri, vt interficiemini.*



IVlianus Cæſarinus cognomento Iunior Domicellus Romanus, Iuliani Cæſarini Cardinali ſenioris agnatus, ex Protonotario Apoſtolico, & Canonico Vaticanæ Baſilicæ Anno 1493. Diaconus Card. *SS. Sergij & Bacchi*, poſtea *S. Angeli*, vt in tabulario Baſilicæ Vaticanæ, *Iulianus Iunior Cæſarinus Romanus. Protonotarius Apoſtolicus, ex Canonico S. Petri ab Alex. VI. Diaconus Card. SS. Sergij & Bacchi declaratus fuit, obijt Anno 1510. ſepultus in æde Deiparæ Virginis in Capitolio. Habentur receptæ pecuniarum ſui Canonicatus in Archiuio, in libris quietantiarum ab Anno 1490. vſq. ad Annum 1493. partim manu ſua ſcripta.* Aſculanam obtinuit Eccleſiam ab eodem Papa, die 19. Feb. 1500. quam abſens adminiſtrauit. Morte obijt repentina die 1. Maij, 1510. Romæ, ad Aram Cæli ſepultus in maiorum ſuorum ſepulchro. Archipresbyter dicitur Vaticanæ Baſilicæ; quod de iuniore dubium, vt de ſeniore certum.

Ciaconius. Panuinius. Vghellus. Victorellus. Auberij. Paulus Iouius *elogio Iuliani Senioris*. Contelor.

44. *Honora patrem, & matrem.*
Exod. 20.



DOminicus Grimani, natu Italus, patritius Venetus, Antonij Venetiarum Principis filius, die natus 21. Iulij, 1463. literis incubuit, & grauis Philoſophus, ac Theologus euaſit, teſte Petro Bembo *lib. Hiſtor.* qui eum *virum Philoſophiæ ſtudijs clarum* appellat. Petrus Iuſtinianus *doctiſſimum*: Ioannes Candidus *hiſtor. Aquil. Philoſophorum, ac Theologorum illius æui principem*. Paulus Corteſius *de Cardinal. Senatorem tam Philoſophia, quàm Theologia robore neruoſum.* In ſtudijs ita aſſiduus, vt de eodem idem Corteſius: *Cui hodie non eſt nota commendatio Dominici Grimani? qui ita temporis auaritia flagrat, vt nihil propè relinquat naturæ neceſſitati.* Librorum diligens inueſtigator, bibliothecam collegit 8000. voluminibus inſtructam. Inter plura ingenij monumenta ab eo relicta erat Tomus M. S. in bibliotheca Cardinalis Sirleti. Scripſit etiam.

*De Intenſione, & Remiſſione*: teſte Toſſignano.
*Epiſtolas* ad Sabellicum, Eraſmum, alios.
*S. Io. Chryſoſtomi de Incomprenſibili Dei natura* in linguam vernaculam tranſtulit.

Vix trigeſimum agebat Annum, cum Diaconis adſcribitur Cardinalibus, *S. Nicolai inter Imagines*, die 12. Kal. Octob. 1493. poſtea Presb. Card. tit. *S. Marci*, die 13. Feb. 1497. Veneto applaudente Senatu, Donato ſucceſſit in Patriarchatu Aquileienſi; eius laudes luculenter perſcripſit Bembus epiſtola gratulatoria, Epiſcopus præfuit Eccleſijs Albanæ, ac Portuenſi: Vrbinatem, & Cenetenſem adminiſtrauit Eccleſias, quas poſtea reſignauit. Antonio patri D. Marci Procuratori, & maritimæ claſſis Imperatori Venetias, poſt abrogatum illi imperium ob rem in Turcas potiùs non benè, quàm malè geſtam vocato occurrit Dominicus iuxta carcerem, eumq. lacrymabundus amplectens: *Ego* (inquit) *pro te pater, tuaq. ſalute, in publica vincula me conijciam, nec priùs inde diſcedam, quàm audiero, te publico abſolutum iudicio.* Spectaculum miſerabile. Cum enim Scalas Antonius aſcendit ad ſubeundam Aduocatoris declamationem, compede vinctus ſeruili, coram totius Nobilitatis comitijs, filium habuit conſolatorem, qui brachio purpureo ſuſtinebat gradientem, & manu ſacra leuabat catenas. Patris loco cum in carcerem recludi poſtularet, non auditus; vt ſuum tenerent auctorem delicta: permiſſus tamen liberè adire parentem; vt dedimus *in vita Antonij Grimani*. Relegatus Antonius, ad filium Romam illicò contendit, vbi vnà cum filio Cardinali cauſam egit Reipublicæ, tempore Interdicti ſub Iulio II. quæ gratiſſima Antonium non ſolum patriæ, & purpuræ reſtituit Procuratoriæ, ſed poſt Lauredani obitum, ad clauum exaltauit Reipublicæ. Comitiis Dominicus adfuit Pij III. Iulij II. Leonis X. Hadriani VI. omnibus charus, & ſtudioſis venerabilis, quos in familia aluit, & dignitate euexit. Ordinis Minorum Protector, Romæ obiit ætatis ſuæ Anno 63. die 27. Aug. 1523. Hadriani VI. graui mæſtitia, quem decumbentem iteratò inuiſit. Sepultus iacuit in æde SS. Io: & Pauli, tit. Pammachii, cum epitaphio: eius in funere perorante Baptiſta Cælio.

*Dominico Grimano Ep. Portuenſi.*
*Cardinali S. Marci, Patriarchæ Aquileienſi.*
*Inculpatiſſimæ vitæ, omnium ſcientiarum peritiſſimo*
*Temporaneum Depoſitum Nepotes pientiſſimi poſuerunt.*
*Luctu totius Vrbis.*
*Vixit Annos LXII. Menſ. VI. dies VIII.*
*Obijt XXII. Aug. MDXXIII.*

Romæ in media D. Marci æde pauimentum opere perfici iuſſit teſſellato, in quo ſepulchrum parauit cum ſtemmate gentilitio, ſub epigraphe.

*Dominicus Grimanus Cardin.*
*S. Marci Patriarcha Aquileien.*

Noſtris temporibus tumulus huius Cardinalis ampliùs non recurrit in Titulo Pammachii; eius namq. oſſa Agnati Venetias tranſtulerunt, & in templo quieſcunt S. Franciſci in Vinea intus in pariete ad portam principem, vnà cum Marino Grimano Cardinali Clementis VII. De huius Cardinalis obitu Hieronymus Niger ad M. Antonium Michaelium litteras dedit ſequentes.

*Audi-*

*Audiueris Cardinalis Grimani mortem obitam ſeptima noctis hora die vigeſima ſeptima Augusti Anni labentis 1523. non ſine publico mœrore omnium bonorum, & præcipuè Summi Pontificis, qui quotidie illum ſuo nomine officiosè adiri fecit, non quidem cupiditate illius opum, vt ſit in Romana Curia interdum, nam illi poteſtatem fecerat de omnibus teſtandi, ac Sacerdotia, quibuſcumque frueretur, impertiendi, præter Titulum S. Marci, ac Titulo adiunctum palatium. Supremis tabulis ita, ſi benè memini, cauit. Bibliothecam ſuam D. Antonij Venetiarum Eccleſiæ legauit; monumenta antiqua plurima, & quaſdam gemmas Reipublicæ Venetæ, certam pecuniæ vim ſuis familis diuidendam cum diſtributione etiam ſa-* A *crorum prouentuum ad quadraginta aureos; ex quibus Gentilis Contarenus donatus fuit Archidiaconatu, vt aiunt, Vicentino, & Petrus Alexander Canonicatu Ciuitatis Bellunenſis, & quibuſdam aliis Sacerdotiis tenuioribus. Corpus ſuum ſepulchro mandari iuſſit in ęde SS. Ioannis, & Pauli titulo olim Hadriani Papæ in minoribus, quam obtinent viri religioſi Ieſuatæ nuncupati. Ad hæc legauit Nardio famulo ſibi ab Epiſtolis, & maximè intimo argentea vaſa, duo cubicula benè instructa, & ornata, vectigal Eccleſiaſticum trecentorum aureorum præter Epiſcopatum Vrbini quem illi ceſſerat paulò ante quàm in morbum caderet: Summo Pontifici quaſdam Diuorum icones argenteas, & gemmas: Fabricæ autem, vt dicunt,* B *S. Petri certam auri vim, in reliquo are inſtituit hæredes propinquos ſuos, & curatores Teſtamenti deſignauit Pontificem, Theodoricum Pontifici à Secretis, ac Staphilæum ſacræ Rotæ Duodecimvirum. Oratio funebris demandata eſt Caſalio, in gratiam Cardinalis Piſani: qui eam mihi eripuit; quem alij Oratorem malebant: Sed hæc ſunt noſtrorum patritiorum erga me munera: ignoſcas autem hoc mihi, ſi te læſum putes, &c. Die prima Septembris, Anno 1523.*

Sui Teſtamenti executorem voluit Romanum Pontificem; bona ſua inter amicos diſtribuit: pretioſiorem ſuppellectilem Venetæ legauit Reipublicæ. Bibliothecam viuens dono dederat Cænobio C S. Antonij Venetæ Vrbis. Eius memoria in litteris Leonis X. R. P. ad eum datis.

*Lectis tuis litteris, quibus me certiorem facis te propter tabellarij tarditatem Cardinalium creationi intereſſe non potuiſſe, magna moleſtia affectus ſum; qui enim te pro tuis eximijs virtutibus, excellentique doctrina magnoperè diligo, valdè ſanè cupiebam ei declarationi adeſſe. Verum quoniam tabellarium accuſas, mandaui, vt is ſuæ negligentiæ pœnas daret. Sed is ita ſe purgat, aït enim, quoniam Vrbeueteri te non offenderit, ſe Spoletum rectà tetendiſſe quod ad oppidum te iter feciſſe intellexerat. Quò cum acceſſiſſet, rediſſe te Vrbem Veterem ei nuntiatum fuiſſe, eòque reuertiſſe. Itaque ſe tardiorem, quàm* D *oportebat, fuiſſe. Sed quoquomodo ſe res habet, animi tui alacritatem, quam pia te fers, libenter accipio. Reliqua, quæ te ſcire volo ea de re, nuntius tuus ad te perferet, quocum locutus ſum, Dat. 5. Kal. Octobr. Anno primo. Romæ.*

Pariter in dedicatorijs librorum, quos ei ſacrarunt Sabellicus, Niphus, Eraſmus, Picus Mirandulanus, & in opere Hadriani VI. ſuper IV. Sententiarum Venetijs edito.

Nummiſma teneo huius Cardinalis, cum effigie, & nomine in fronte. Ex aduerſo Theologia Philoſophiam docet, ne aberret. Lumine namq. fidei Mundum in tempore dicimus: creatum, non fabrefactum.

Ciaconius. Panuinius. Victorellus. Spondanus. Contelorius. Petrus Rodulph. *Hiſtor. Seraph.* Vghellus. Amirat. *hiſtor. Florent.* Sanderus *elog. Card.* Sanſouin. Bembus *Hiſtor. Venet.*

35. *Ecce tu ſenuiſti: & filij tui non ambulant in vijs tuis.* 1. Reg. 8.

A ALexander Farneſius Diaconus Cardinalis *S. Euſtachij* Anno 1493. Papa futurus nomine *Paul. III.*

46. *Tremor apprehendit eos.*
Pſal. 47.



BErnardus de Lunate, vel Lonati, natu Italus Papienſis ex Protonotario Apoſtolico, precibus Aſcanij Mariæ Sfortiæ, Anno 1493. Diaconus Card. *S. Cyriaci in Thermis* dictus ab Alex. VI. quamuis Anno ſe- B quenti ob amicitiam Aſcanij Sfortiæ, cum eodem in palatio detentus Apoſtolico tanquàm Pontifici ſuſpectus, paulò poſt libertati datus receſſit ab Vrbe, vnà cum Card. Aſcanio Sfortia, Pontifice inſalutato. Borgiis reconciliatus, in Conſiſtorio, die 26. Octob. 1495. Legatus aduersùs Vrſinos, qui Vrbem obſidione cinxerant; die 27. Octob. vnà cum Gandiæ Duce, & Vrbini, Roma exijt, *expugnarunt, & acquiſierunt Eccleſiæ Romanæ Anguillariam, Galeram* (vt ait Brucardus) *Baſſanum, Sutrium, Campagnanum, Formellum, Scrofanum, Caſanam, Vianum, Bledam; ſed Triuignanum tantùm combuſſerunt.* Porro acie C cum Vrſinis, & alijs Domicellis Romanis conſerta, relictis in captiuitate Guidone Feltrio Vrbinate, Io: Petro Gonzaga, alijſq. viris illuſtribus, Cardinalis Lunatus cum Fabritio Columna, equorum pernicitate euaſit: quanquàm Cardinalis *morbo ex ea trepidatione concepto paucis poſt diebus extremum vitæ ſpiritum edidit.* Belcarius *lib. 7. n. 35.*

Romæ, è vita migrauit, die 8. Aug. 1497 in ęde S. Mariæ de Populo, ſepultus tumba marmorea, cum epitaphio.

*Bernardino Lunati S. Cyriaci in Thermis Diac. Card. cui fortuna generoſos natales, natura corporis dignitatem, animiq. ſolertiam; virtus verò ut in Patrum hono-* D *ratiſſimorum Collegium cooptaretur, indulſerat, qui cum in dies, & foris, & domi egregiam pro S. R. E. nauando operam, prudentia, conſtantia, fide, maior inſurgeret. Ætat. ſuæ XXXXV. Sacerdotij verò quarto Anno, è tanta rerum expectatione, immatura morte ſurripitur.*

Scripſit, teſte Nomenclatore, Pronoſticem ad Alex. VI. olim M. S. ſeruatum in bibliotheca Cardinalis Sirleti.

Ciaconius. Panuinius. Contelorius. Landucc.

*de*

*de orig. S. Maria de Populo*. Paulus Iouius. Auberij. Gaſpar. Bugat.

47. *Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis*. Pſal. 10.



IO: Borgia Hiſpanus, patria Valentinus Alexandri nepos, ex Protonotario Apoſtolico, & electo Epiſcopo Melphitenſi, merito ſanguinis, Diaconus Card. *S. Mariæ in Via Lata*, die 19. Feb. 1496. dictus mox A Archiep. Capuanus Legatus in Vmbria, in ciuitate Bononiæ, in Exarchatu Rauennæ, & Romandiolæ, ad Venetorum Ducem, Gallorum Regem, & ad Principes Chriſtianos renuntiatus ab eodem Alexandro VI. Eccleſiam reſignauit Melphitenſem Sal. An. 1498. Io: Ferrerio Tarraconenſi. Eccleſiam reſtaurauit *S. Maria in Via Lata*, cuius in naui minori inſignia viſuntur Cardinalis Io: Borgiæ. Vrbini deceſſit, vel Foroſempronij, die 17. Ianuarij An. 1500. veneno ſublatus propinato à Ceſare Borgia. Sepultus iacet in Vaticana Baſilica, vel in Eccleſia S. Mariæ de Populo, ſine epitaphio. B

Ciaconius. Garimbertus. Auberii. Vghellus. Florauan. Martinell. *de Diacon. S. Maria in Via Lata*. Iouius. Contelor.

48. *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Pſal. 115.



LVdouicus, ſeu Aloyſius de Arragonia Neapolitanus, filius Ferdinandi I. Arragonij Regis, & frater naturalis Alphonſi Regis Neapolitani, Marchio Hieracenſis, licet matrimonium contraxiſſet cum Baptiſtina Cybo, ſub Innocentio VIII. ad caſtra tranſiens Eccleſiæ, & charactere inſignitus clericali, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Aquiro*, vel *S. Maria in Coſmedin*, Anno 1497. dictus ab Alexandro VI. pluribus auctus Abbatijs, & Epiſcopatibus, præcipuè Legionenſi in Hiſpania, Auerſana in Italia, Neritonenſi, Cauenſi, Hieracenſi, Abbatia Montis Virginis, non ſine pietatis memoria; in Eccleſia namq. Legionenſi duo Sacerdotia fundauit, & annuos redditus ad ſacrificandum contulit annuatim. Larga quoq. & munifica manu, fabricæ opus promouit. Comitijs interfuit Pij III. Iulij II. Leonis X. Reginam Neapolitanam viduam Regis Ferdinandi in Hiſpaniam duxit: ſub Leone X. Legatus abijt ad Germanos. Studioſos dilexit præcipuè Petrum Martyrem Anglum, qui ei Mediolanenſis Oceani Decadis libros 5. & 6. dedicauit, ac carmen in obitu Hiſpaniarum Principis. Satyram etiam, aliaq. carmina ſequenti miſit adiecto epigrammate.

*Et tu murices qui gloria ſumma galeri.*
*Conueniet capiti, cui Diadema triplex.*
*Accipe de patruo breuibus ſua geſta libellis.*
*Scripſimus heros, quæ pete digne nepos,*
*Parua eſſe hæc fateor: nec tanto Principe digna,*
*Tunc maiora canam, cum mihi Cæſar erit.*

Romæ obijt ætatis ſuæ Anno 45. Salutis 1519. ſepultus in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam, cum epitaphio.

*D. O. M.*
*Aloyſio Cardinali Arragonio.*
*Regum Neapolitanorum, Ferdinandi nepoti.*
*Alphonſiq. prioris pronepoti, qui vixit.*
*An. XLIV. Menſ. IV. Dies XIV.*
*Franciotus Card. Vrſinus ex teſtam. faciundam.*
*Curauit Anno MDXXXIII.*

*Ergo cuncta licent Lacheſis tibi, nec datur vlli.*
*Euitare tuas improba poſſe manus?*
*Regibus ille atauis Aloyſius editus, ille.*
*Cui roſeus Sacro vertice fulſit apex.*
*Ille vni virtus omnis, cui contigit, vnus.*
*Qui contra hæc potuit viuere ſæcla, iacet.*
*Heu quot nos mortale genus ſperabimus Annos,*
*Si Vita eſt ipſis tantula numinibus?*

De eo lege Ciaconium, Panuininm, Vghellum, Auberij, Contelor. *in elencho Cardin.*

49. *Cum veniſſet Tobias in Rages ciuitatem Medorum, ex his quibus honoratus fuerat à Rege, habuiſſet talenta Regni: & cum in multa turba generis ſui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, ſub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.* Tobias. 1.

C 

LVdouicus ſeu Petrus Ludouicus Borgia, natu Hiſpanus patria Valentinus, ex ſorore nepos Alexandri VI. frater Ioannis Cardinalis, & Archiepiſcopi Montis Regalis, Eques Rhodius, Prior S. Euphemiæ, & Valentinus Præſul, adhuc puer ex Apoſtolico Protonotario Diaconus Cardinalis *S. Maria in Via Lata*, poſtea *SS. Nerei & Achillei*, tandem Presb. Card. *S. Marcelli* Anno Sal. 1500. volens Papa familiam ſuam conſolari ob mortem immaturam Cardinalis Montis Regalis, mortuum excitare decreuit, eius fratrem Ludouicum Cardi-
D nalem creando vnà cum Didaco de Mendoza, & Amaneo Albretio. promotione ſeptima, quamuis in octaua ſolummodo publicauerit, vt cum illis publicaret, qui abſq. promouentis rubore præteriti haud poterant. Poſt collatam purpuram dictus etiam Maior pœnitentiarius; Abbas Commendatarius S. Simpliciani Mediolanenſis, quamuis quacumq. eccleſiaſtica dignitate prorsùs indignus, ludis ſæcularibus totus intentus, vt ex morte conycitur miſerabili, quam ſubijt, dum præceps laxatis ha-

habenis, calcaribus equum impelleret, An. 1510, ſub Iulio II. Neapoli, vbi exilium elegerat voluntarium, poſtquàm comitijs adfuiſſet Pij III. & Iulij II.

Ciaconius. Panuinius. Auberij. Contelorius, Vghellus, Paulus de Angelis *l. 2. Baſil. Liber*,

50, *Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te bucellam panis; vt comedens conualeſcas, & poſſis iter agere*,
3. Reg. 28,



MArcus Cornelius, patritius Venetus, Georgij Cornelij Senatoris filius, Catharinę Cypri Reginæ ex fratre nepos, & Florentiæ Ægei Maris Ducis filiæ, altæ indolis adoleſcens, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis primo *S. Mariæ in Porticu*, promotione octaua facta ab Alex. VI, Anno 1500. primuſque fuit, qui è gente Cornelia purpuram geſtaret Eccleſiaſticam: deinde *S. Mariæ in Via Lata*, mox Presb. Card. tit. *S. Marci*; die 24. Nouemb. 1503. Veronenſis declaratus Epiſcopus, menſe Nouemb. Anni ſequentis, ſolemni ritu ingreſſum habuit, cuius magnificentiæ pompam deſcribit Hieronymus Corte *par. 2. hiſtor. Veron.* coram eo, perorante ciuitatis nomine, Leonardo Cipolla, ſpectatæ virtutis viro. Solummodo poſt Annum Veronam ingreditur, quòd teſte Panuinio *de Antiquit. Veronen.* ciues Veronenſes eadem Cornelio obycerent, quæ Michaelio, nempe Venetum Senatus Conſultum, quo cauebatur, ne Dignitas Epiſcopalis cuiquam daretur, qui apud ipſos non eſſet in ciuitate permanſurus. Difficultatem tamen *per bellè ſuſtulit Georgius Cornelius pater, qua fortè fortuna tum præfecturam militarem in vrbe noſtra gerebat. Is filio ſuffragari cupiens, primos ciuitatis Senatores, eoſq. maximè, quos obſtinatiùs illi aduerſarios perſpiciebat, ſeorſum primò ſingulos; tum vniuerſos comiter, blandeq. appellans, ac quibus eſſent filij ad Eccleſiaſtica munera natura propenſi, habileſq. in certiſſimam eos conciliandorum illis à Marco filio opimorum Sacerdotiorum ſpem erigens, ſi eum Romam ſequerentur, vincente publici commodi rationem priuati lucri ſpe, haud magno negotio cunctos induxit, vt de reyciendo illo, quod tantopere antea obiectarant, Senatus Veneti pro ſe Decreto conſenſerint. Ceterum hòc eo tolerabilior pleriſque viſus eſt Georgij actus, quòd ſumma fide promiſſa omnibus exſoluit; ſiquidem nemo fuit ex noſtratibus adoleſcentulis, qui Romam Marcum ſequuti ſunt, qui non opimis Sacerdotijs ditarentur. Marcus interim Epiſcopus relictam teſtamento à Michaele pecuniam quum exegiſſet, ex ea fornices, poſtremaſq. columnas cathedralis Eccleſiæ duas ædificauit, ſacrariumq. elegantiſſimum condidit. Ab ipſomet Pontifice inſtituta eſt Menſa illa, quæ de eius nomine hodie Cornelia appellatur*. Cuius nobile monumentum habes apud Vghellum *to. 5. p. 980. Italia*. Comitijs adfuit Pij III. Iulij II. ſub quo, cum Cardinali Grimano omnem mouit lapidem, vt Venetæ Reipublicæ Iulium II. reconciliaret, qui Cameracenſi fœdere Reges omnes Chriſtianos contra Venetam Rempublicam concitauerat. Gallis primò irruentibus, in Abduana Glarea occurrere Veneti Ducibus Andrea Gritti, Georgio Cornelio. Hinc odium Pontificis aduersùs Marcum Cardinalem, cuius parens caſtra duceret inimicorum. Inita pugna, quam Liuiani ardor, vel ſors improſpera perdidit, ſuprema Veneti nominis clade, in qua optimi quique Duces deſiderati, cæſa militum octo millia, vaſtata caſtra, impedimenta direpta; in Georgium Cornelium, & Andream Gritti adſcripta calamitas, quòd iuuenilem Liuiani ardorem non depreſſiſſent. Datę porrò ad Cardinales Grimanum, & Cornelium litteræ, vt Iulium Pontificem Reipublicæ conciliarent Flaminiæ oblata reſtitutione; qui plena fide, exactiſſimaq. diligentia, Iulio ſemper adſtantes, & libertatem vrgentes Italiæ, ad nouum fœdus induxerunt cum Republica: quo ex tantis calamitatibus emergens patria, victrix amiſſa redemit. Mortuo Iulio, comitijs adfuit Leonis X. qui viri agnita prudentia, & morum innocentia, rebus arduis, arcaniſque, tractandiſq. eum cum alijs octo Cardinalibus præfecit, & Anno 1517. data epiſtola ad Leonardum Principem Lauredanum, Patauinum nominauit Epiſcopum. *Hoc Sixto Cardinali vita functo, cum vellemus Eccleſiæ Patauinæ, cui is præerat, aliquem ex tuis ciuibus præficere, nemo ex nobis dignior Marco Cornelio eſt viſus; cum propterea quòd is Cardinalis eſt, & ciuis tuus, & multis maximiſque virtutibus præditus: tum etiam, quia is omnibus eius Reipublicæ, difficillimis, duriſſimiſq. temporibus nullum vnquam laborem euitauit, nulli rei pepercit, vt illi vel commodo vel ornamento eſſe poſſet*. Nouennio namq. Reipublicæ cauſa, fructibus beneficiorum caruerat, atq. penſionibus. Ab eodem Leone X. Patriarcha dictus Conſtantinopolitanus, atq. Archipresbyter S. Petri, vnico exemplo, ex primo Diaconorum Cardinalium factus primus Presbyterorum, coronauit Hadrianum VI. Clementem VII. à quo Ep. Card. *Albanus*, die 18. Maij 1524. paulo poſt *Præneſtinus*, propinquorum precibus Venetias euocatus, ibidem morbo correptus repentino, humum ſubijt in Eccleſia S. Georgii Maioris, die 26. Iulii, vel in templo S. Saluatoris, vna cum aliis tribus Cardinalibus Marco, Franciſco. & Andrea, teſte Cauacio, *hiſtoria S. Iuſtinæ*. Familiæ ſuæ promotor ſingularis, purpuram parauit fratri, ac duobus nepotibus, quibus plures tranſmiſerat dignitates, idem facturus de Epiſcopatibus Veronenſibus, & Patauino cum Patriarchatu Conſtantinopolitano, & Legatione Viterbienſi, niſi morte præuentus, vacantes relinquere coactus fuiſſet.

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Garimbertum, Petrum Iuſtinianum *hiſtor. Venet.* Victorel. Hieronymum de Curte *Hiſtor. Veron.* Auberii. Petrum Bembum *in ep.* Ioſeph. Mar. Soareſium *de Ep. Præneſt.* Vghellum .. Contelor. Sanſouinum *Hiſtor. Ven.* Florauan. Martinel. *De Diac. S. Mariæ* in via lata. Panuinium *de Antiquit. Veronen.*

### Vice Cancellarij S. R. E. ſub Alex. VI.

Aſcanius Maria V. Comes Sſortia Mediolanenſis, Diacoous Card. SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum; ab ioitio vſque ad finem Pootificatus, V. Cancellarius S. R. E.

# PIVS IIJ. R. P. CCXVIJ.

Pius III. Electus 24. Septemb. An. Sal. 1503. Obiit 15. Kal. Nouemb. eodem Anno, & nullum creauit Cardinalem. Eius adfuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Oliuerius Archiep. Neapolitanus, Ep. C. Sabinus Decaous ex Paulo II. & Sixto IV. A

### Ex Sixto IV.

2. Iulianus de Ruuere Ep. C. Oſtienſis.
3. Georgius Coſta Archiep. Vlyſſiponeo. Ep. C. Portueoſis.

4. Hieronymus Baſſus de Ruuere Recanatenſis Ep. C. Præneſtinus.

### Ex Innoc. VIII. & Alex. VI.

5. Laurentius Cibo Archiep. Beneuentan. Ep. C. Tuſculan.
6. Antoniotus Pallauicinus Ep. Alerienſis, Card. Albao.

## Presbyteri Cardinales.

### Ex Alexandro VI.

7. Io: Antonius de S. Georgio Ep. Alexandrin. P. C. SS. Nerei, & Achillei. B
8. Bernardinus Carauaial Ep. Carthagin. Patriar. Hieroſol. P. C. S. Crucis in Hieruſalem.
9. Dominicus Grimanus Patriar. Aquileien. P. C. S. Marci.
10. Georgius de Amboſia Archiep. Rothomag. P. C. S. Sixti.
11. Iacobus Serra Ep. Arborenſis P. C. S. Clementis.
12. Franciſcus Borgia Archiep. Coſentin. P. C. S. Cæciliæ.
13. Io: Vera Archiep. Salernitan. P. C. S. Balbinæ.
14. Ludouicus Podocatharus Ep. Caputaquenſis P. C. S. Agathæ. C
15. Antonius Triuultius Ep. Comenſis P. C. S. Aoaſtaſiæ.
16. Io: de Caſtro Ep. Agrigentinus P. C. S. Priſcæ.
17. Io. Stephaous Ferrerius Ep. Bonooieo. P. C. S. Vitalis.
18. Io. Caſtelliar Archiep. Tranenſis P. C. S. Mariæ Tranſtyberim.
19. Fraociſcus Soderinus Ep. Volateraous P. C. S. Suſannæ.
20. Nicolaus de Fliſco Ep. Forolioienſis P. C. S. Nicolai inter Imagines.
21. Franciſcus de Spares Ep. Legionenſis P. C. S. Sergii, & Bacchi.
22. Hadriaons Caſtelleoſis Ep. Bathooien. P. C. S. Chryſogoni.
23. Iacobus Caſanoua P. C. S. Stephaoi in monte Cælio.

## Diaconi Cardinales.

24. Franc. Picolomineus Archiep. Senenſis D. C. S. Euſtachii, S. R. E. Archid. ex Pio II.

### Ex Sixto IV.

25. Raphael Riarius D. C. S. Georgii ad Velum aureum, Camerat. & Archidiac.
26. Io: Columna D. C. S. Mariæ in Aquiro.
27. Aſcanius Maria Sſortia D. C. S. Viti, & Modeſti in macello Martyr. V. Canc.

### Ex Innoc. VIII.

28. Io: Medices D. C. S. Mariæ in Dominica.
29. Federicus Sanſeuerinas D. C. S. Theodori.
30. Iuliaous iunior Cæſarinus Ep. Auſculan. D. C. S. Angeli.
31. Alexander Farneſios D. C. S. Coſmæ, & Dam.
32. Ludouicus de Arragonia D. C. S. Mariæ in Coſmedin.
33. Amanatus de Alibreto D. C. S. Nicolai in carcere Tulliano.
34. Ludouicus Borgia Archiep. Valentinus D. C. S. Mariæ in Via lata. D
35. Marcus Cornelius D. C. S. Mariæ in Porticu.
36. Franciſcus Iloris Ep. Heluenſis D. C. S. Mariæ Nouæ.

Car-

Cardinales in hac electione abſentes numero Nouem.

1. Ludouic. Milanus Ep. Segobricenſis P. C. SS. IV. Coronat ex Callixto III.

Ex Alex. VI.

2. Raymundus Periardi Ep. Gurcenſis P. C. S. Io: & Pauli.
3. Guillelmus Briſſoneta Ep. Maelouen. P. C. tit. S. Pudentianæ.
4. Philippus de Lucemburgo Ep. Cænomanenſis P. C. S. Petri & Marcel.
5. Thomas Herodotus Archiep. Strigonien. P. C. S. Martini in montibus.
6. Petrus Iſuallies Archiep. Rhegiuus P. C. S. Cyriaci in Thermis.
7. Franciſcus Remolinus Archiep. Surentinus P. C. S. Marcelli.
8. Melchior. Copis Ep. Brixien. P. C. Stephani in Monte Cœlio.
9. Hippolytus Eſtenſis Ep. Agrienſis D. C. S. Luciæ in Silice.

Omnes numero 45.

Pius III. nullum creauit Cardinalem.

# IVLIVS IJ. R. P. CCXVIII.

IVlius II. creatus die 1. Nouemb. Anno Sal. 1503. Obiit 20. Feb. Anno 1513. Cuius adfuere comitiis.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Oliuerius Caraſa Archiep. Neapol. Ep. C. Sabinus Decanus: ex Paulo II. Sixto IV.

Ex Sixto IV.

2. Iulianus de Ruuere Ep. C. Oſtien. Papa creatus.
3. Georgius Coſta Archiep. Vlyſſiponen. Ep. C. Portuen.
4. Hieronymus Baſſus de Ruuere Ep. Recanat. Ep C. P.

Ex Innoc. VII. & Alex. V.

5. Laurentius Cibo Archiep. Beneuen. Ep. C. Tuſculan.
6. Antoniotus Pallauicinus Ep. Aurienſis Ep. C. Albanus.

## Presbyteri Cardinales.

Ex Alexandro VI.

7. Antonius de S. Georgio Ep. Alexand. P. C. tit. tit. SS. tit. SS. Nerei, & Achillei.
8. Bernardinus Carauaial Ep. Carthag. Patriar. Hieroſol. P. C. S. Crucis.
9. Dominicus Grimanus Patriar. Aquil. P. C. S. Marci.
10. Io: de Caſtro Ep. Agrigentinus P. C. S. Priſcæ.
11. Georgius de Amboſia Archiep. Rothomag. P. C. S. Sixti.
12. Iacobus Serra Ep. Arborenſis P. C. S. Clementis.
13. Petrus Iſualies Archiep. Rheginus P. C. S. Cyriaci.
14. Franciſcus Borgia Archiep. Coſentinus P. C. S. Cæciliæ.
15. Io: Vera Archiep. Salernitanus P. C. S. Balbinæ.
16. Ludouicus Podocatharus Ep. Caputaqnenſis, P. C. S. Agathæ.
17. Antonius Triuultius Ep. Comenſis, P. C. S. Anaſtaſiæ.
18. Io: Stephanus Ferrerius Ep. Bononien. P. C. S. Vitalis.
19. Io: Caſtelliar Archiep. Tranenſis P. C. S. Mariæ Tranſtyber.
20. Franc. Soderinus Ep. Volater. P. C. S. Suſannæ.
21. Nicolaus de Fliſco Ep. Foro-liuienſis P. C. S. Priſcæ.
22. Franç. de Spares Ep. Legionen, P. C. S. Sergii & Bacchi.
23. Hadrianus Caſtellenſis Ep. Bathonien. P. C. S. Chryſogoni.
24. Iacobus Caſanoua P. C. S. Stephani in Cœlio.

## Diaconi Cardinales.

Ex Sixto IV.

25. Raphael Riarius D. C. S. Georgii ad velum aureum.
26. Io: Columna D. C. S. Mariæ in Aquiro.
27. Aſcanius Maria Sfortia D. C. S. Viti & Modeſti

Ex Innoc. VIII.

28. Io: Medices D. C. S. Mariæ in Dominica.
29. Federicus Sanſeuerinas D. C. S. Theodori.

Ex Alex. VI.

30. Hippolytus Eſtenſis D. C. S. Luciæ in Silice. Ep. Agrienſis.
31. Iulianus Cæſarinus Ep. Aſculanus D. C. S. Angeli.
32. Alex. Farneſius D. C. S. Coſmæ & Damiani.
33. Ludouicus de Arragonia D. C. S. Mariæ in Coſmedin.
34. Amanatus de Alibreto D. C. S. Nicolai in carcere.
35. Ludouicus Borgia Archiep: Valentin. D. C. S. Mariæ in Via lata.
36. Marcus Cornelius D. C. S. Mariæ in Porticu.
37. Franc. Iloris Ep. Eluenſis, D. C. S. Mariæ Nouæ.

Cardinales abſentes numero ſeptem.

1. Ludouicus Milanus Ep. Segobricenſis P. C. tit. SS. Quatuor Coronat. ex Callixto III.

Ex Alex. VI.

2. Raymundus Periardi Ep. Gurcenſis P. C. S. Io: & Pauli.
3. Guillelmus Briſſoneta Ep. Maclouien. P. C. S. Pudent.
4. Philip. de Lucemburgo Ep. Cænomanen. P. C. S. Petri & Mar.
5. Thomas Herdouts Archiep. Strigonien. P. C. S. Martini in Montibus.
6. Franc. Remolinus Archiep. Surrentinus P. C. S. Marcelli.
7. Melchior Copis Ep. Brixien. P. C. S. Stephani in Cœlio.

Omnes ſunt numero 44.

## Epiſcopi Cardinales promoti à Iulio II.

1. RAphael Riarius Sauonenſis ex Diacono Card. S. Georgij in Velabro, Ep. Card. *Albanus, Sabinus, Portuenſis, Oſtien.*

2. IO: Antonius de S. Georgio ex Presb. Card. SS. Nerei, & Achilei, Ep. C. *Alban. Praneſtin. Sabinus.*

3. GVillelmus Briſſoneta Gallus, ex Presbyt. C. S. Pudentianæ tit. Paſtoris, Ep. C. *Alban. Tuſculan. Praneſtin.*

4. DOminicus Grimanus ex P. C. S. Marci, Ep. C. *Albanus Tuſculan. Portuen.*

5. PHilippus de Lucemburgo ex P. C. SS. Petri & Marcellini, Ep. C. *Albanus, Tuſculanus.*

6. IAcobus Serra ex Presb. C. tit. S. Clementis Epiſcopus C. *Albanus.*

7. FRanciſcus Soderinus ex P. C. Baſilicæ SS. Apoſtolor. Ep. C. *Sabinus.*

8. F. Marcus Vigerius Ordin. Minorum P. C. tit. S. Mariæ Tranſtyberim Ep. C. Præneſtinus. Lege infra n. 17.

9. *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam eius: neq. auri, & argenti immenſa pondera*
Deuter. 17.



FRanciſcus Gulielmus de Claramonte, Gallus, Triſtandi magni Franciæ Dapiferi, & Catharinæ Amboſiæ ſororis Georgii Cardinalis Amboſiani filius, plurium eccleſiarum polygamus ex illius ſæculi corruptela, ſcilicet Agathenſis Valentinæ, ac Senecenſis, Narbonenſis, & Auxitanæ Archiep. etiam S. Pauli Epiſcopus, ſi vera refert Ciaconius; primus omnium à Iulio II. R. P. die 29. Nouemb. 1503. Presb. Card. dicitur tit. *S. Iulij*, quem in Titulum Presbyteralem erexit Sixtus ipſe, poſtea *S. Stephani in Cœlio Monte*, diplomati ſubſcribit indictionis Lateranenſis, XV. Cal. Aug. 1511. contra Synodum Piſanam. Munus gerens Galliarum patroni, in curia Romani, ſæpe nimia eum libertate in gratiam Regis, ad Pontificem verba faciens, detentus abiit in arce S. Angeli, licentia non impetrata eum ad Regem redire meditaretur. Sub Clemente VII. Legatus à latere Auenionenſis, curauit piè, vt Petrus de Luxemburgo, & Ludouicus Alemandus *Beati* declararentur à Clemente VII. Anno Sal. 1727. in cuius rei diplomate, mentio ſequens Franciſci recurrit. *Nobis præterea Venerab. fratris noſtri Franciſci Ep. Tuſculani S. R. E. Cardinalis de Claromonte illarum partium Noſtrarum de latere legati; qui ad eoſdem Petrum & Ludouicum non paruum genio affectum; & veſtro nomine humiliter ſupplicatum, vt huiuſmodi tam pijs, & ho-*
*neſtis*

*neſtis deſiderijs annuere, pro noſtri paſtoralis officij debito, & dignitate Apoſtolica dignaremur*. Mandante itaque Clemente, ſacrum B. Petri cadauer ab humo erexit, & puluere. Epiſcopus Tuſculanus, non Portuenſis Auenione diem clauſit extremum, in Eccleſia ſepultus Cœleſtinorum, apud pontem Sorgiæ, Decanus Sacri Collegij, Anno 1540. die .... Romę, eius morte cognita die 3. Martij 1541. Scutum Gentilitium appoſitum à Frizonio, Aureum eſt Parmę ſolum caſtro coccineo, contra quadripartitum ex argento, Leone nigro, quadrifariam diſpertitum faſcijs aureis, & muricatis capite muris pontici quinque notis expreſſo exaratum. Veruntamen Auberij duce, antiquum Scutum à Ciaconio poſitum mutare non placuit.

Ciacon. Panuinius, Frizonius, Auberii, Guicciardinus, Io: Chenu *de Ep. Galliæ*. Vghellus.

10\. *Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem vento agitatam?* Matth. 11.



ROBERTUS Guibè, alijs Brittus, vel de Vitrè, ſeu de Chalanch, Armoricus Vitręi natus, Ardeneti Guibè, & Oliuę Landais filius, nepos maternus Petri Landais obſcuro loco editi, tamen magni Theſaurarij apud Franciſcum II. Britannię Ducem, Abbas fuit S. Melanij Rhedonibus, Ordinis Benedictini, poſtea Præſul Trecorenſis, & defuncto fratre Michaele Rhedonenſis, demum Nannetenſis, ad Innocentium VIII. Legatus à Britonnum Duce Franciſco, Anno ętatis duodeuigeſimo Presb. Card. *tit. S. Anaſtaſiæ*, Cardinalium promotione ſecunda, die 1. Decemb. 1505. à Iulio II. Anna poſtulante Regina Armoricum Duciſſa, poſtea Regi Ludouico XII. iuncta connubio. In hoc tamen fallitur eruditus Frizonius, Anno ętatis ſuæ duodeuigeſimo aſſerens Robertum inter Cardinales adſcriptum. Quomodo enim Oratoris munere fungi potuiſſet ad Innocentium VIII. qui obijt 8. Cal. Aug. 1492? ſi ab Anno 1492. vſque ad Annum 1505. quo inter Cardinales aſſumitur, Anni tredecim intercedunt; vnde quinquennis Robertus Oratorem egiſſet in curia Romana. Inſuper ſi Auberij teſte, moritur Robertus Anno ętatis 54. poſtquàm Annos octo duntaxat egiſſet in Cardinalatu; ergo Anno 46. ętatis purpuram ſubijt. Indictioni ſubſcripſit Lateranenſis Concilij contra Piſanum Conciliabulum Anno 1511. Orator Regis Ludouici ad Iulium II. quòd Pontifici magis quàm D Regi fauere crederetur, eccleſiaſticis omnibus, quos in Gallia habebat fructibus, priuatus, ſumma rerum inopia (ſi veterem reſpicias opulentiam) laborauit, quam Senatus Cardinalium ęre collato, & duplici portionis parte, vt vocant, ſubleuandam decreuit. Romæ obijt, die 9. Nouemb. 1513. in Eccleſia S. Iuonis ſepultus. Orationem ſcripſit ad Innocentium VIII. habitam nomine Franciſci vltimi Britanniæ Ducis.

Arundo vento agitata Robertus dicitur ob luctantis fortunæ luctam. Ex paupere namq. diues, ex nobili priuato Cardinalis, & Regius Legatus, & Regni arbiter; mox nihil, & Regi ſuſpectus Ludouico XII. de pane ſollicitus, priuatus iacet redditibus omnibus.

Lege Guicciardinum *l. 9. Hiſtor.* Vghellum, Ciaconium, Frizonium, Panuinium, Cabrera, Garimbertũ, Vghellum, Claudium Robertum *in Gallia Chriſtiana*.

A 11. *Stet Dauid in conſpectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis*, 1. Reg. 16.



FRanciſcus, ſi Ciaconio fides; vel cum Frizonio, Ioannes Trimolleus, Ludouici filius V. Comitis de Thoijars (is Lodouicum Sfortiam Ducem Mediolan. intercepit, & in Gallias miſit) & Margaretę Amboſianæ; Archipręſul Narbonenſis, (teſte Panuinio) frater Ludouici Principis de Talmond *Cheualier ſans reproche* (qui in
B Ticinenſi obſidione, capto Rege, dimicans interficitur) Abbas fuit Ioannes Granatariæ dięceſis Lucionenſis, Ordinis Benedictini, Pictauorum Pręſul, deinde Auſciorum Archiep. Presb. Card. dicitur à Iulio II. die Lunæ, IV. Ianuarij, 1506. Bononiæ, in ſecreto Conſiſtorio, tit. *S. Martini in Montibus*, vnà cum Renato de Pria, & Lodouico de Amboſia, Franci omnes, & conſanguinei Georgij Cardinalis de Amboſia. Romæ agentem in patriam reuocauit Rex Ludouicus, quòd Iulio Pontifici minimè gratum, vt & reliquos Gallos, qui ea tempeſtate, Italiæ incubabant. Mediolani obiit An. 1507. poſtea in Eccleſia Deiparæ caſtri Thuar-
C tij ſepultus in ſepulchro parentum ſuorum, corde relicto in ędibus Fratrum Minorum ciuitatis Mediolanenſis, cum epitaphio, quòd Gallicè primum ei exarauit Io: Bouchetus, picto in panegyri fratris Ludouici Tremollij,

*Auſcorum Præſul, ſacroqui cardine fulget,*
*Pictauum Antiſtes hac requieſcit humo.*
*Ipſe pedo dignus, quo nuſquàm ſanctior alter,*
*Nec fuit ille tamen nobilitate minor.*
*Mendicos aluit diues, caſtuſque Sacerdos*
*Iuſtitiæ cultor, conſcia culpa procul.*
*Italiam fato quęrens, ſanctumque parentem*
*Ætatis flore mors inopina rapit.*
*Ioannes Trimolius ſuperas conceſſit ad auras,*
*Illic quò nomen luna dedit media.*
*Quingentos ſeptem Sol tunc compleuerat Annos.*
*Milleq. quo Chriſtus natus in Orbe fuit.*
*Hic iacet.*

*Corpus Illuſtriſſ. Pr. Io: de Tremolia Cardinalis S. Sedis Apoſtolicæ, Archiepiſcopi Auſcenſis, qui obijt Mediolani Anno D. M. DVII. Orate Deum pro eo.*

Cia-

Ciacon. Panuin. Claudius Rober. *in Gallia Chriſtiana.* Io: Chenu *de Ep. Gallia*, Vghellus. Contelor. Frizonius.

Gemina huius Cardinalis occurrit parma; vna, quæ cantherio coccineo exarata cum tribus Aquilis cæruleis, roſtro,& cruribus miniatis. Altera quam iam dederat Ciaconius,

12. *Dixit David Salomoni: ingredior viam vniuerſę carnis: confortare, & eſto vir: tu noſti qua fecerit mihi Ioab: ne deduces canitiem eius pacificè ad Inferos,*
3. Reg. 2. A



RENatus, vel Reginaldus filius Antonij à Pria Baronis de Buſanſois,& Montpompon Franciæ Archimagiri, & Magdalenę Amboſianæ, apud Bituriges natus, Bituricenſis Archidiaconus, cognatus Georgij Cardinalis de Amboſia. Commendatarius Archimādrita Dolenſis Anno 1506. Ordinis Benedictini, Baiocarum Epiſcopus, poſtea Lemouicenſium Antiſtes, Anno 1510. Abbas Ciſtercienſis S. Mariæ de B Pratea, Presb. Card. tit. *S. Luciæ in Septiſolio* creatus à Iulio II. Bononiæ, 4. Ianuarij, 1506. in ſecreto Conſiſtorio, vt ſupra adnotauimus in Ioanne de Tremolia; pileum accepit per manus Georgij Amboſiani Legati Apoſtolici, 15. Aug. præſente Rege Ludouico XII. Miſſę ſolemnia celebrante Antonio de Furno Antiſtite Maſſilienſi, Indignationem ſubijt Iulij II. ob Piſanum Conciliabulum, cui interfuit, & quia inſcio Papa Roma ſeceſſerat, contra datum iuramentum, Hinc in pænam purpura priuatus Cardinalitia, abiurato poſtea Conciliabulo [teſte *Iouio*] ad priſtinos redijt honores. Iulius verò in hæc verba moriens prorupiſſe dicitur, *Vt Iulius Cardinalibus indulgeo Sciſmaticis, vt Iulianus iuſtitiæ rationem habendam iudico*; teſte *Pariſio Craſſo in Diarijs Pontif.* Iulij verò ſucceſſor Leo X. pacem reſpiciens, Renatum reſtituit inter Cardinales. Exequias celebrauit Annæ Reginæ Duciſſę Britanniæ, Epiſcopis aſſiſtentibus Pariſienſi, Aurelianenſi, & Lemouicenſi. Carnis ſarcinam depoſuit in andrio Pratæ diæceſis Bituricarum, V. Id. Septemb. ſepultus cum ſequenti epitaphio. C

Heu mortales RR. D. de Prie Cardinalis tit. S. Sabinæ, Ep. Baiocenſis, ac Lemouicenſis, Abbas S. Mariæ de Pratea ab humanis diſcedens animam Deo O. M. tradidit, eiuſque cadauer iuſſit humillimè iuxta D. Fauſtam recondi. Obijt V. Idus Septemb. An. Dom. MDXVI. D

Lege de eo Ciaconium, Frizonium, Guicciardinum, Panuinium, Vghellum, Claudium Robertum, Io: Chenu, Contelorium, Auberii.

Scutum bipartitum huic Cardinali aſſignat Ciaconius, cum Leone, & Lilliis Gallicis; vt ſupra vides: veruntamen aliud in eius ſepulchro inciſum reperiri affirmant; in cuius priore parte miniata trifolia aurea; in poſteriore verò palata auro,& minio exaratum,

13. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus pietatis.* Eſai. 11.



FRanciſcus de Amboſia, teſte Panuinio; vel Ludouicus cum Frizonio filius Caroli pro-Regis inſulæ Franciæ, deinde Campaniæ, demùm Burgundiæ, & Catharinæ de Cauuignii, familia purpuris illuſtri, atq. thiaris. Cardinalis Presb. tit. *SS. Marcelli, & Petri*, An. 1506. menſe Ianuario, Bononię, abſens declaratus, Viterbium venit ad Iulium II. R. P. ibi degentem; cum pararetur nouum Conſiſtorium ad ſuſpiciendum nouum Cardinalem; Nuncius venit ex Gallia relereos ſub Arreſto poſitos redditus Cardinalium, mandante Rege. Hinc Pontifex ira ſuccenſus noluit Cardinalem recipere, nec recepit, niſi priùs in Gallia in priſtinum cauſa reſtitueretur Cardinalium. Ab hoc Cardinali, in vrbe Albienſi Sorores Annuntiatæ dictæ in Monaſterio Conceptionis, repoſitæ.

Morte ſublatus eſt Anconæ, in Marchia Italiæ, An. 1517. Catel in Epiſcopis Albienſibus mortuum notat An. 1511. ſepultumq. Laureti cadauer in ęde B. Virginis, cum ſequenti epitaphio poſito à Georgio Card. de Armeniaco.

*Ludouico Cardinali Amboſiano Gallo, Albienſi Ep. præter generis nobilitatem ſingularis pietatis viro, ac omnes omnium virtutes complexo Georgius Card. Armeniacus affini, & primæ ętatis alumno neglecto, & collabente in tumulo iacenti voti reus hunc poſt ſextum, & trigeſimum ab eius obitu annum cum veniſſet pro tempore poſuit, An.* 1553. *Cal. Octob.* Cor eius in Gallias delatum, Albię quieſcit in Eccleſia Cathedrali, iuxta patruum Ludouicum Præſulem Albienſem.

Panuinius, Ciacon. Contelor. Vghel. Frizon. Auberii, Claud. Rober. *in Gallia Chriſtian.*

14. *Capit Ioſues omnem terram montanam, & meridianam, terramq. Goſem, & planitiem, & Occidentalem plagam, & montem Iſrael: omnes Reges eorum capit, percuſſit, & occidit.*
Ioſue 11.



IOannem de Eſtunica ſine de Zoniga in Hiſpania, Aluarus Zuniga Arenalii primò mox Placentiæ, & Baciæ Dux, ac Eleonora Pigmentella procrearunt, litteris imbuerunt, & armis. Rogante Ferdinando Rege, & Sixto IV. diſpenſante defectum ętatis, puer adhuc & nondùm profeſſus, magnus Magiſter militum de Alcantara renunciatus circa Annum Salutis, 1476. contra Alphonſum de Montoii Regis rebellem; & matre interprete, Ordinis tractauit habenas, quę

ar-

armara oppida occupauerat, diuiſiſq: Equitibus, alii ſequebantur Caſtellæ Regem, alii Luſitaniæ; donec inita pace inter Ferdinandum Regem Aragonum, & Beatricem Luſitaniæ Reginam, Anno Salutis 1479. ea conditione, vt Alphonſus Monroij in gratiam Regis reſtitueretur, Magiſtratu tamen Alcantaræ depoſito, Ioannes ru.ic, qui per Pontificis diſpenſationem, Ordini præerat, in comitiis Ordinis voluit adprobari, & pręfuit per Annos XIX. Grandior factus caſtra duxit aduersùs infideles, pręcipuè in obſidione Malagę, vbi Mauri Granatenſes vltimũ ſubiere periculũ, nõ ſine Magiſtrorũ diſcrimine Ordinis Alcantaræ, & S. Iacobi, in quos re- A perita irruptione iam deſperati irrepſere Infideles. Tantis meritis eum Regiam tutelam promeruiſſe ſibi blandirentur Ordines Militares; in Magiſterij oppreſſionem impetrauit Rex Ferdinandus ab Innocentio VIII. R. P. vt vacante Alcantaræ Magiſterio, Ordinem adminiſtrarent Reges, donec de Magiſtro à Pontifice prouideretur. Diploma confirmauit Alexander VI. cum futuræ vacationis Ferdinandus impatiens, Zunigam ad ſpontaneam abdicationem promiſſis excitauit. Paruit ille armatis blanditiis, ſponte proijciens quod manu ſeruare minime valebar. In manibus ergo Palenciæ Epiſcopi reſignato Magiſtratu, redditibus reſeruatis quoad viueret, in aſceterium Villæ Nouæ ſeceſſit cum tribus ſociis ad melioris vitæ contemplationem, vbi non longe poſt, retribuente Rege, Archiepiſcopus electus Hiſpalenſis, eodemq. petente Rege à Iulio II. R. P. die 29. Nouemb. 1503. Presbyteris Cardinalibus adſcriptus *tit. S. Nerei, & Achillei*, aliàs *Faſciola* adſcriptus, Anno ſequenti, qui fuit Salutis 1504. die 27. Iulii, Guadalupi, apud Hiſpanos, è vita migrauit, ibidem ſepultus in æde S. Mariæ. Eius obitus Romæ publicatur die XI. Auguſti.

Ciaconius, Panuin. Iongellin. *Par. D. Bern.* Montal. *Hiſtor. Ciſter.* Porreg. *elog. Card. Hiſpan.* Aubetii, Contelor. Vghel.

15. *Propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum.* Iob. 21.



FR. Clemeus de Ruuere, cognomento Groſſus natu Italus, patria Sauonenſis, ſororis Sixti IV. filius, Ordinis Minorum ex Epiſcopo Mimatenſi Presb. Card. *SS. XII. Apoſtolorum*, aſſumptus die 29. Nouemb. 1503. à Iulio II. ad memoriam, & gratitudinem Sixti IV. à quo electus D fuit Cardinalis. Menſibus octo ſolummodo vixit in purpura, memorabile magis ex dignitate, quàm ex opere, vt teſtatur Obertus Folieta quamuis de ligure Ligur. Pluribus fũctũ legationibus Clementẽ ſub Iulio II. adulatur Iongellinus: quales enim legationes obire potuit breui octo menſium ſpatio? quo vixit in Cardinalatu? Obiit Romæ, die 18. Auguſti, An. 1504. in Vaticano ſepultus, in Saecllo Sixti IV. Per Annos 13. Religio Franciſcana Cardinalatu caruerat, quòd Gabrieli Rangonio, & Petro de Fuxo Cardinalibus mortuis nullum ſubrogaſſet Alex. VI. ſiue quòd Cœnobitas frigidè proſequeretur: ſiue quòd Franciſcana Religio Iuliano Ruuereo Alexandri infeſto commendata eſſet.

Ciacon. Panuin. Vghel. Auber. Contelor. Vvading: Periander *par. 7. Sapientia Franciſcana.*

16. *Quidam veſtrorum Poetarum.* Act. 17.



GAleotus Franciotus de Ruuere, nobilis Lucenſis Io: Franciori, & Luchinæ ſororis Papæ Iulij II. ex primo marito filius, ob ſuauitatem ingenii, corporis formam, vitæq. ſplendorem Populo non ingratus Romano, cui non litterę, ſed magnificentia, & profuſio eſt venerabilis. Inter Cardinales cooptatur à patruo, merito ſanguinis, & poeſis Italæ quam profitebatur, cuius teſtes Odæ M. S. ſuperſunt ad amicos, teſte *Folieta*. Die 29. Nouemb. 1503. titulum obtinuit *S. Petri ad Vincula*, aliàs *Eudoxiæ*, quem Iu- B lius ipſe tenuerat; defuncto poſtea Aſcanio Sfortia Vicecancellarius renũtiatur. Eccleſias habuit ad ſaturitatem, Lucenſem, Patauinam, Vicentinam Cremonenſem, Archiep. Beneuentanam, cum Bononienſis legatione. Abbas præfuit cænobiis S. Benigni Fructuarienſis inter flumina Orci, & Amaloni, in diæceſi Salutiarum: quarum nullam inuiſit, ſed per Vicarios rexit, nullibi ſigno pietatis relicto. Neceſſitudinem coluit cum Io: Mediceo Cardinali futuro Papa Leone X. ob morum analogiam, ętatem non diſſimilem, & artium liberalium inclinationem, quibus vterq. delectabatur. Callidè etiam conueniebat Mediceus, vt interprete C Galeoto, apud Iulium IJ. præualere poſſet natura ferocem. Inſuper Ioanni vix ad Annum trigeſimum ætatis prouecto Galeotus Pontificatum offerebat, ęquitati conſonum dicens, vt iunioribus, qui corporis, & animi robore ſenibus antcibant ſummum aliquando rerum imperium deferri ſacrarum. In hac rerum proſperitate Galeotus lenta febri correptus die Lunę, 11. Septemb. 1508. terram deſeruit incredibili Joannis Medicei dolore, qui in eo ſpes omnes repoſuerat. Decumbentem pluries inuiſit Julius, & pro eius ſalute Deum ſollicitauit precibus, & eleemoſinis. Jn Baſilica Vaticana ſepultus ſaecllo Sixti IV. ſequens habuit epitaphium.

*Depoſitum Galeoti Cardinalis S. Petri ad Vincula.*

Ab Anno vero 1625. iacet in Saecllo SS. Sacramenti, in Sixti ſepulchro.

Ciacon. Panuinius, Vghellus. Marius Vipera *de Archiep. Beneuen.* Aubetii.

17. *Egre-*

17. *Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus.*
Iob. 21.



MArcus Vigerius Sauonenſis inter Italos Vrbani filius, & Nicolettæ Groſſæ, Sixti IV. proœpotis, nepos alterius Marci, Epiſcopi Nolani, præceptoris Sixti IV. cuius educatione per honorum gradus ad clauum ſedit A Eccleſiæ. Emanuel à puero vocatus, Ordinem ingreſſus Minorum, Franciſco adhæſit Ruuereo eiuſdem Ordinis Generali, qui cum Emanuelis in Marcum mutato nomine, in Patauino cænobio Regentem vnà cum Magiſtro Trombetta collocauit. Cum verò Franciſcus Ruuereus dictus fuit Petri ſucceſſor nomine Sixti IV. Romam aſcendit Marcus, delatus ab emulis oleum, & opera perdidiſſe. Veneris potius quàm Palladis incubuiſſe ſtudijs; Pontifex ad ſe vocatum oblatis theſibus, quas Marcus intra geminas horas defendere teneretur; is nulla librorum lectione præuia, coram Pontifice in arenam deſcendit, eidemq. arguenti Ponti- B fici ita reſpondit, vt laudabili ſui nominis fama, æmuli confuſi fecellerint. Hinc gratus Pontifici, Magiſter declaratus in Theologicis facultatibus, atq. in Romana Sapientia publicus Profeſſor cum annuo tercentorum ſtipendio, paulo poſt Epiſcopus Sen gallienſis Non. Octob. 1487. quo in munere eam præ ſe prudentiam, & rerum experientiam tulit, auctis ſui fructibus Epiſcopatus, in arce Contrada palatio Epiſcopali conſtructo, templo D. Mariæ Magdalenæ in vſum Minorum attributo; vt Iulius II. ſuffraganeum euocauerit Bononienſem, Moliſq. Hadrianæ Præfectum. Anno verò 1505. inter Cardinales adlegerit Presbyterum, C tit. *S. Mariæ Transtyberim tit. Callixti*, deinde *Præneſtinum* Epiſcopum, & Archipresb. S. Petri, legatumq. in expeditione, quam contra Alphonſum Ferrariæ Ducem Iulius decreuerat. Accerſitus tandem à Pontifice ad Lateranenſis Concilij difficultates explicandas, & negotia tractanda, Apologiam contra Piſanum Conciliabulum eleganter, ac doctè ſcribere cœperat, quam tamen reliquit incompletam, ob Iulij II. mortem, quo defuncto illicò diſſipatum eſt Conciliabulum. Scripſit etiam libellum *Decachordum* vocatum: alterum *De Ferro Lanceæ, & Chriſti indumentis, eorumq. dignitate*.

*Controuerſiam de excellentia Inſtrumentorum Paſſionis* D *Dominicæ*.
*De Sacerdotis officio*
*De Compaternitate*
*De Vniuerſalibus actiuorum opus*
*Sermones, vel Homilias*
*De Antichriſto*
*De tollendis Abuſibus*
*In Ethicam Ariſtotelis*
*De Annunciatione B. Virginis* librum vnum Fani cuſum, Anno 1506. teſte Hippolytho Marracio *in Biblioth. Mariana*.

Vitam Romæ poſuit ſub Leone X, cuius comitijs interfuerat die 18. Iunij, 1516. ætatis ſuæ ſeptuageſimo, doctrinæ potiùs, quam vitæ exemplo. Dum enim de tollendis abuſibus ſcriberet meretricem alebat ſacrilegam, ex qua plures filios procreauit: teſte *Garimberto p. 169*. Vnde ei perbellè quadret Chriſti mandatum, *Facite ea quæ dicunt, non ea quæ faciunt*. Sepultus iacet ad S, Mariam Transtyberim ſine epitaphio; quem titulum ſtructuris, A hortuliſq. decorarat, Eius laudes Camillus Porcarius in oratione contexuit, In eius gratiam Iulius II. R. P. Nicolettam Ruueream ex fratre neptem, eiuſdem Marci Cardinalis fratri deſponſauit.

Ciacon. Panuinius, Yghellus, Folietta, Toſſignanus *Hiſtor. Seraph.* Antonius Sanderus in *elog. p.* 285. Eiſengrenius *catalogo teſtium Veritatis*, Riccardus Gibbon. Contelor. Auberij, Cabrera, Victorel. Filiucius.

18. *Miſericors Dominus, & iuſtus*,
Pſal. 114.

B 

LEonardus Groſſus de Ruuere, patria Sauonenſis, frater Clemētis Cardinalis, & Sixti IV. ex ſorore nepos, ex Canonico Vaticanæ Baſilicæ, Epiſcopus primò Agennenſis in Gallia renuntiatus à Iulio II. poſtea Presb. Card. *SS. XII. Apoſtol.* & Maior Pænitentiarius, quo relicto titulum ſubijt *S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ*. Eius laudes Folietta ſequentibus cumulauit, quamnis Liguri de Ligure canenti non multum diferendum, quòd vitijs præteritis, vel peſſimis etiam C ſcribat elogia. *Eximia in hoc viro fuit Pontificij, & Cæſarei iuris ſcientia, præterea ſanctiſſimi mores, perpetuo vitæ curſu integerrimè acto: verùm duæ in illo ingentes virtutes inprimis conſpectæ ſunt, eximium iuſtitiæ ſtudium, ac ſingularis miſericordia, excellenſque in egentium inopia ſubleuanda liberalitas, quæ virtus inter Chriſtianas altiſſimum locum tenet. Quarum virtutum multa in omni vita clariſſima edita ſunt documenta: Nos vtriuſque ſingula exempla protuliſſe contenti erimus. Nam cum ſupplicibus libellis tam ijs, qui ad forenſes res gerendas, quàm ijs, qui ad Beneficiorum diſtributionem pertinent, multos Annos præfuiſſet, in eoq. munere fungendo caſtè, & integrè perpetuò eſſet verſatus, factum* D *eſt, vt ex cubicularijs longa, & intima familiaritate illi inprimis acceptus illum commonefecerit, etiam atque etiam animaduerteret; quæ enim in libello oblato continebantur, ea rem fratris obliquè attingere. At Leonardus hominem verbis malè acceptum, oculis & auribus aſpernatus, faceſſe [inquit] protinùs è conſpectu meo ſceleſte, qui tantum nefas mente concipere auſus ſis, vt pluris eſſe apud me ponderis fratis reſpectum, quàm iuſtitiæ ſtudium ſuaderet; hominemq. domo exegit. Et mortuum Leonardum miſerorum, & egenorum*

*rum parentem pauperes diù ; multumq. luxerunt* . Legatione functus in gatrimonio S. Petri in Tuſcia ; atq. ex aliquibus in vrbe , dum Iulius Bononiam deſcenderet eum phalangibus; Archipresbyter tandem Liberianæ Baſilicæ, Romæ mortem ſubijt, die Iouis 17. Septemb. An. 1520. non die 1. Nouemb. ſepultus apud S. Mariam Maiorem.

Ciaconius , Panuinius , Paul. de Angel. *in Deſcript. Liber. Baſil.* Vghellus , Auberij , Franc. M. Turrig. *de Cryptis Vatic.* Cabrera , Contelorius.

*19. Iuſtitia , & pax deoſculatæ ſunt.*
Pſal. 84.



CArolus Dominicus de Carretto ex comitibus Finarij , Genuenſis Galeotti filius, Fabricij frater Equitum Hieroſolymorum Magiſtri, Archiep. Thebanus, Turonenſis, Cadurcenſis, & Rhemenſis , demum Presb. Card. *SS. Viti & Modeſti* mox *S. Cæciliæ* , teſte Ciaconio , Contelorio, Cabrera , qui erroris arguuntur à Victorello, quòd SS. Viti, & Modeſti Eccleſia ad Diaconos pertineret , non ad Presbyteros ; quare Carolum inter Diaconos primùm , deinde inter Presbyteros tit. S. Nicolai inter Imagines collocat ex Iulii II, diplomate, in quo legitur. *Iulius PP. II. Dilecte fili noſter Salutem , & Apoſtolicam bened. Hodie te hactenus Diaconum Cardinalem S. Viti in macello Mar. Presbyterum Card. tit. S, Nicolai inter Imagines , de conſilio Vener. fratrum Noſtrorum S. R, E. Card. conſtituimus.* Indulſit etiam, vt à quocumq. Catholico Epiſcopo, etiam extra Curiam , & extra Tempora , Sacerdos initiari poſſet . Eius promotio, cum Gallorum rogante Rege facta fuiſſet , eidem ſignificata Regi , in primo loco poſitum expoſuit Carolum quamuis Diaconum , ſine Titulo tamen ; vel quòd Archiepiſcopatu Thebano decoratus eſſet ; vel in Regis illius honorem , quo rogante fuerat electus, Huic enim à Secretis erat Carolus , & in rebus arduis Rex ſine huius conſilio nihil mouebat . Lege Folietam *de viris Illuſtrib. Quot , Deus Immortalis , quantaque laudes Caroli Dominici Carreſij nomen verendum faciunt? Nam ad præclari , & peruetuſti generis nobilitatem acceſſerunt multæ opes ; quæ res eum per ſe ad homines illuſtrandos ſatis valeat , tamen tanta eſt in Carolo clariſſimarum virtutum gloria , vt illarum ſplendore reliqua amplitudo penè obſcuretur fortunaq. & generis commendationes animi , & ingenij bonis obruiantur : fuit enim in hoc viro præſtans ingenium , ſingularis prudentia , eximius rerum humanarum vſus , inprimis verè ſummum religionis , & pietatis ſtudium , quas ingentes virtutes regia in omni genere magnificentia decorabat. Neq. verò indefeſſa virtus vllis aut laboribus vnquam infracta eſt , aut negotiorum multitudini ſuccubuit , aut tædio , & ſatietate relanguit, ſed eodem ſemper perpetuo tenore vicit, & ac viguit, omniq. vitæ curſu Carolo in aſſiduis laboribus, atq. in Reipub. adminiſtratione , acerrimaq. contentione continenter auctus eſt , Prima gerendæ Republicæ tempora Gallis data ſunt , pro quibus multis , & peramplis Legationibus de maximis rebus perfunctus eſt ; in quibus obeundis ea ſui documenta dedit , atq. nominis ſui fama Chriſtianas prouincias impleuit , vt Iulius II. quantus , qualiſq. Pontifex execrabilis , internecimq. odij , quo Galli à ſe diſſidebant oblitus , aduerſorum partium virum , ac pro illarum propugnatione experta conſtantia ad ſe euocatum , ſacræ purpuræ honore collato in Senatum legerit , quod ſapiens Pontificis conſilium ea , quæ conſecuta ſunt , comprobarunt . In Piſano enim Conciliabulo Carolum iam ac neutiquam vulgata virtutis exempla , ampliſſimorum beneficiorum , ac partium immemor , ſe ſe à ſeditioſorum*
A *conſilijs , & ſocietate penitùs ſegregauit , ſtudyſq. cum pijs viris coniunctis in Romani Pontificis cauſam penitùs demiſit ; adeo vir pius cæteros omnes humanos reſpectus piæ religionis ſtudio leues duxit . Præclara actioni omnis reliqua Caroli vita reſpondit: cui in Lateranenſi Concilio vnà cum nonnullis alijs negotium omnium grauiſſimum pacis inter Chriſtianos Principes componendæ datum ſit . Iam verò immenſas ſacrarum ædium ſubſtructiones regio ſumptu , ac miro opere excitatarum , ampliſſimaque illius facta donaria quantum cumulum reliquis laudibus addunt ? Principes Chriſtianarum rerum capita Leo X. Pont. Max. & Maximis elogijs ſuis ampliſſimis verbis conſcriptis , ingentium meritorum, & viri teſtimonium dederint .*

B Aliud elogium ei contexuit Leo X. P. R. litteris datis ad Fabricium fratrem Rhodi Magiſtrum.

*Etſi exploratum nobis erat pro tuo fraterno amore , ac pietate triſtem te nunciū acceptarū , cū intelligeres Cardinalem Finariū fratrem tuum mortem obijſſe , uolui tamen ut de eo meis litteris fieres certior , ut cognoſceres , te , atq, tuos ; tuaq. omnia paternæ mihi curæ , uti debent , fuiſſe . Quam ſanè uirum cum propter plurimas eius , eximiaſq. uirtutes , & diligerem ut fratrem , & magno eſſe uſui in Repub. adminiſtratione viderem , quantum mihi moleſtiæ , quantum mœroris eius mors attulerit , exiſtimare facile ipſe per te potes . Ego quidem certè ſic exiſtimo , multum in eo uiro ſplendoris, & præſidij Rempublicam amiſiſſe :*
C *Noſtri uerò in ipſum amoris, & beneuolentiæ teſtimonium id ſupremum fuit , quod omnibus profectò in rebus , quas impetrare à me uoluit , vt benefaceret ſuis , ei petenti ſatisfeci . Ipſe autem ita fortiter , temperatèq. deceſſit , vt credi par ſit Deum Op. Max. ex hoc impuro , lacrymabiliq. hoſpitio ad cæleſtis illum patriæ iucundiſſimam, beatiſſimamq. ſedem euocare , atq. traducere voluiſſe : nihil enim eorum , quæ ad ſanctiſſimè decedentes prætermiſit . Quæ cum ita ſint , te hortor , vt eam iacturam æquo , & erecto animo feras ; ut virum magnum , & ætate iam deuexa , & terrena omnia infra te habentem , & contemnentem decet Ego autem , ſi quid in ea ſolatij tibi eſſe poterit , polliceor tibi ,*
D *atque recipio , me in omnibus rebus , quæ ad te , dignitatemque tuam pertinebunt , fratris tui clariſſimi Viri , amoriſque eius erga te preces , atque munera ſubiturum , libentiſſimèq. ea præſentaturum , & præſtiturum . Tu modò ad Chriſtianam rem iuuandam , tuaq. cura , & diligentia , ut ſoles amplificandam , à luctu atq. mœrore te auoca : erit id , & te dignum , & tuæ anteactæ uitæ proprium , & mihi gratum , & optatum . Dat. 13. Kalend. Aug. 1514. Anno ſecundo Remo .*

Nos breui, ſed ſacro lemmate vitam huius Cardi-

nalis deſcribemus longè ab adulatione: *Iuſtitia, & Pax deoſculatæ ſunt*,

Romæ è vita migrauit ſub Leone X. cuius adſuerat comitiis, die Martis, 15. Iulii, An. 1514. non An. 1517. vt ex ſupradictis litteris Leonis X. ad Fabricium fratrem Caroli Rhodi Magiſtrum.

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Franc. Aug. *Hiſtor. Pedemon*. Vghellum, Claudium Robertum in *Gallia Chriſtian*. Auber. Ioan. Chenu *de Ep. Gallia*.

20. *Ingrati enim ſpes tanquàm hybernalis glacies tabeſcet; & tanquam aqua ſuperuacua diſperiet*, Sap. 16.



ANtonius Ferrerius natu Italus, Sauonenſis, à primis propemodùm annis in familiam trãſcriptus Iuliani S. Petri ad Vincula Card. poſtea Papæ Iulii II. ab eodem gratiſſimo Domino ſacerdotiis ditatus opulentiſſimis, quibus natalium humilitatem decoraret, & auaritiam ſaturaret. Apoſtolicę Aulę Magiſter Nolanam, Eugubinam, & Peruſinam rexit Eccleſiam; deinde ex Domus præfecto Pontificiæ, Presbyteris Cardin. adſcriptus tit. *S. Vitalis* vel *Veſtinę*, Cardinalium etiam repugnante Senatu, die 1. Lunæ Decemb. 1505. Datariæ munus tractauit; deinde Peruſina, & Bononienſi legatione donatus, cum in eius adminiſtratione conſtitutos in Bulla per ſummam ſuperbiam tranſiliiſſet cancellos, ſubſcriptiones furtim ſurripiendo Pontificias, aulico interprete, qui a Ferrero corruptus, ſolummodò poſt prandium diplomata Pontifici ſubſcribenda offerebat veluti ordinaria, quæ tamen priuilegia obruebant Cardinalium; quaſi ea per ebrietatem Papa præteriiſſet.
Hinc Ferrerius Romam vocatus, & in vincula in arcem coniectus S. Angeli, aſpectu priuatus Pontificis, & Senatus ingreſſu, cauſa cognita, viginti aureorum millibus mulctatus, cęnobium ſubiit veluti carcerem S. Onuphrij in Ianiculo, vbi pręnimio dolore, morboque ex ignominia contracto, bimeſtri ſpatio conſumptus periit die 22. Iulii, hora noctis quarta, Anno 1508. Huius pœna vt exemplum tranſiret ad poſteros; nulla funeris pompa, nulloq. exequiarum honore Iulius efferri voluit. Sepulchrum etiam epitaphio honorari prohibuit; vt ingrati, & proditoris memoria periret cum ſonitu. Perdit quandoq. Fortuna mortales, eos ſupra ſortem honoribus immeritis extollendo. Folietta tamen & hunc proditorem ad honorem Liguriæ, noluit ſine elogio.

21. *Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt*. 2. Cor. 12.

A 

FRanciſcus Alidoſius, Italus, ex caſtro Riui Forocornelienſis diæceſis, ex nobili Alidoſiorum familia, quæ in Æmilia Forocornelii Principatu olim poſita, vſq. ad Philippum Viſcontem, qui Imola expugnata, Ludouicum Alidoſium traduxit in vincula, poſtea in cænobium detruſit, in quo ſanctè obiit. Liberaliter educatus Franciſcus, ſed aliquandoq. licentius, quàm exuenti pueritiam ad tuendum pudorem expediret. Adoleſcens namq. roſeo ingenuoq. ore conſpicuus, Iuliano adhæſit Ruuereo, qui poſtea Iulius II. eſt appelatus. Apud hunc multis & arcanis expediti ingenii & parati corporis obſequiis, quantam nemo alius inter æquales, gratiam promeruit; *quamquàm eam aduersùs, proſtrata pudicitia rumor vehementer eleuaret, quòd inuerecunda conſuetudine* [ſunt verba Iouii
B lib. 4. Elogiorũ] *aula principes ſibi conciliaſſe crederetur; vnde illi purpurei galeri honos maturè collatus eſt, & permagna illi ex Sacerdotiis diuitię, nunquàm fruſtra petenti, affluenter obuenerint; ſed quibus coniuncta (vti mox apparuit) inſitaq. eſſent familiares ſuperbo eius ingenio peſtes, cum libidinis & gula, tum procacitatis, & aleę, malignìq. liuoris, qua hominem natura irriſorem, & ab æquo, & bono diffidentem, ad ſermones contumelioſos, & impuros, impudentibuſq. mendaciis refertos impellebant; vt ex commodo proferenda ambitionis, & voluptatis inſtrumenta pararentur. Mirè enim ſibi placebat, quum pleroſq. eiuſq. ordinis ſplendoris, & munificentia, gratiaq. nomine prorſus anteiret; poſtquam ei litterarum, &*
C *vera virtutis ornamenta deeſſent*. Vſque huc Iouius. Verum ne aliorum Hiſtoricorum flores ſubterfugiamus; Romam dicunt veniſſe Alidoſium in obſequiis Sixti IV. R. P. quo defuncto, Iuliano adhæſit eius nepoti Card. S. Petri ad Vincula, qui Alidoſſium vnice dilexit, & aliquando odio habuit in Picæni Legatione, vbi ob accipitrem cuidam Caſtellano violenter ereptum ab Alidoſio, damnauit capite, etſi poſtea miſericordia motus, & Marchiano deprecante indulſerit reintegrata amicitia propter obſequium fidele Domino ſuo ſemper præſtitum. Cum enim Alidoſius Romam veniſſet ad Alexandrum VI. fructibus donatus medij
D ſecretariatus, ab eodemq. ſollicitatus Iulianum veneno tollere, vt Papam falleret, & patronum ſeruaret, ampullam cum toxico accepit, & cum ea Florentiam ſe recepit, vbi ſimulato morbo decubuit. Iulianum interim per tabellarium certiorem faciens, vt ſibi caueret. Extincto Alexandro, eiq. ſucceſſor donatus Iulianus, Alidoſiæ memor fidelitatis, Theſaurarium appellauit Generalem, Militenſem primo, deinde Papienſem, ac Bononienſem Archiepiſcopum, tandem Presb. Card. tit. *SS. Nerei*

*rei & Achillei*, mox *S. Cæciliæ*, die 1. Decemb. 1505. Eo ſedente in cathedra Bononienſi, cum aſſiduis Belli terroribus affligeretur ciuitas, Bentiuolis cum Gallo milite in ſuburbio incumbentibus, Imaginem Deiparę in ſupplicationem populo detulit comitante; quo facto, diſcedentibus Gallis, ciuitas reſpirauit. In Galliæ poſtea Togata apud Ludouicum Galliæ Regem, in D. Petri Patrimonio, & Bononię, legationibibus perfunctus, habuit, vndè abundè viram aleret impudicam, donec intemperanter blãdientis fortunæ abuſus beneficio perniciem ſibi accelerauit. Foro-cornelij cũ Dominatum optimo iure ſe petere à non ingrato Pontifice profiteretur, quòd A eam vrbem olim Alidoſij maiores obtinuiſſent, eaq. in te Iulium ſpe ſua duriorem inueniret, occupatum ſcilicet Gallico bello, & Concillij à Gallico Rege indicti offenſionibus circumuentum, nec quicquàm alind coquentem, quàm vt imperii opes augeret Pontificii, ſtudio religionis, & amore patriæ communis, quam in libertatem aſſerere aduersùs gentes externas magnoperè contendebat: cuius generoſis, atq. ſanctiſſimiis conſiliis cum aduerſa Fortuna ita Iulii cæpta perturbaret, vt vndiq. victor Gallus, iteumperet. Quo rerum ſucceſſu Alidoſium peruerſè potiùs lętatum, quàm publico malo conſternatum ferunt; vt pote qui pri- B ſtinæ innixus cupiditati, Foro Cornelii vrbem beneficio Galli victoris, quàm Iulii munere adipiſci mallet; propthereaq. perfidioſis artibus, importuna ad ſuſtinendum, gerendumq. bellum impedimenta, Franciſco Mariæ Feltrio, qui copiis præerat Pontificiis, afferre diceretur, vt Gallis incumbentibus victoriam aperiret. Erat enim Bononiæ in munere Legationis, expediendis rebus caſtrenſibus atq. pecuniis, obſcuro quodam aſtu ſemper aduerſus, & vſq. adeo auaritia, libidine, atq. ſæuitia infamis vt à Bononienſibus Verre Tulliano rapacior, & ſęuior vocaretur: ob id præſertim, quum inſontes nec vllo iudicio conuictos, ſimpliciſ- C ſimo tãtùm liberoq. ore loquutos paritios quatuor, ad inanẽ ciuitatis terrorẽ ſtrãgulaſſet; eòq. acerbius, quòd nulla Pontificii iuſſus in eorũ necẽ documenta extarent. Fuere ii Albertus Caſtellius, Innocentius Aringherius, Salluſtius Guidottus, & Bartholomæus Magnanius, qui nunquam de prodenda vrbe ſomniarant. Itaq. alienato populo, & Gallis appropinquãtibus, Triuultio ſũmo Duce, Feltrianæ copiæ, & Veneta item auxilia his ſub vrbe coniuncta, primo, repentinoque impetu fæde profligata ſunt; ita vt irrumpentes Bentiuoli veteres tyrannĩ in vrbem reciperentur, aperiente Galetiam portam Laurentio Arioſto, quem Alidoſius Bentiuolę D factionis ſtudioſum cohortibus conſcriptis, portarũ cuſtodiæ perfidè, aut imperitè præfecerat. Erat tum Rauennæ Iulius Pontifex, ad quem Feltrius amiſſis copijs peruenerat, quum eò etiam Alidoſius vrbe, arceque deſertis, ſe in fugam eiiciens conuolauit, vt ſceleſti admiſſi erroris veniam, incuſata fortuna deprecaretur. Verùm hoc meditanti ſurda fata, & ſuperi ſcelerum vindices non attiſerunt: eum ſiquidem mula vectum, indutumq. atri coloris penula, Hiſpanicoq. pileo, depoſitis purpurę Senatorię inſignibus, Feltrius pedes ad Pontificem ire pergentem, iuxta Vitalis ædem adeptus, mucrone per ilia grauiter adacto, è mula deturbauit: cadenti Mondulphus equitum Præfectus latiore ſica malam cum auricula diſcidit; Philippus demùm Auria, repetente ictus Feltrio, iacentẽ impreſſo ad pręcordia gladio humi confixit; nihil ſe commouentibus prætorianis aliquot militibus, qui ſtupente, atq. attonito Guidone Vaino ipſorum duce, prætoriiq. præfecto, neq. animos, neq. arma ad ferendam cadenti opem expedire potuerunt. Iulius ad nuncium A tanti patrati facinoris exclamans, *Neuter* (inquit) *eorum me fefelit: quod ominabar enim, non ſerò euenturum ſciebam; ſed me fratris filij diſpudet; quod dexteram ſacrato ſanguine polluerit, quum priuato indulgere odio, quàm publicæ ſaluti, immitis patrui deſertor maluiſſe videri poſſit*. Sed Triuultius hoſtis egregie pius & prudens, Iulium Rauenna tumultuosè excedentem perſequi noluit, Bononia cõtentus, quam Gallicis adiutus armis Papa ante quinque Annos acquiſiiſſet. Patratę cædis nomen diuerſi iudicij famam tulit: quum alii ad ſacroſãcti Ordinis immaniter violati cõtumeliam, execracrabilis inuſitatæq. cædis facinus deteſtarentur, quo Feltrius B ſcelesto exemplo aditum ad Cardinalium cædẽ pateſeciſſe videtur. Alii porrò extra aulæ adulationẽ poſiti, hominem impensè celebrarent, qui æquiſſimo iure, ſacrati Senatus probrum, & purpuræ dedecus, tanquàm planè monſtrum genorosa, & verè Herculea manu ſuſtuliſſet. Hinc leti cecinere

*Improbrior Caco, Lernaq. immanior Hydra*
*Geryone aſperior:*
*Ille eſt, Auſoniæ non enarrabilis aulæ*
*Peſtis, & opprobrium.*
*Iam tum uulgatum cunctis Alidoſius oris:*
*Quem tamen impauidus*
C *Suſtulit Herculeo confoſſum Feltrius ictu,*
*Scilicet ut merito*
*Sublatus terris Stygias inuiſeret umbras*
*Tergeminumq. canem,*
*Perpetuas illic pœnas, & ſæua daturus*
*Supplicia, heu miſerum,*
*Te pudor, & pietas, & religionis honores*
*Deſeruere ſimul.*
*Pro quibus inuidiam, & rabiem exercere ſolebas*
*Imperium patria*
*Affectans, tumidi dum te uictoria Galli*
*Erigit, atq. putas*
*Illius auſpicijs cuncta exoptata referre*
D *Sed uetuere Dei*
*At nos iamdudum eſſo gaudente Tyranno*
*Patritiorum anima:*
*Et tu cum placido lætare Bononia Rheno*
*Nam quis erit ſcelerum*
*Tantorum inuentor, qui triſtes improbus iras*
*Effugiat Superum?*

Contigit Alidoſii Cardinalis cædes, die 24. Maij, vel cum Ciaconio, 9. Kal. Aug. 1511. Cadauer ſe-

pulchrum excepit in Templo Vrſino. Exemplum poſteris (teſte *Iouio*) Animum deprauatum Illuſtris Formæ ſpecie aliquandiu poſſe contegi: Decoram, liberalemq. eius imaginem habes in numiſmate, cuius in fronte effigies ſub epigraphe. *Fr. Alidoxius Card. Papien. Bon. Romandiolæq. C. Legat.* In altera Iupiter fulmina dextera vibrans in curru duabus Aquilis ductus, ſub lemmate.

*His auibus, curruque cito deceris ad aſtra.*

Ciaconius. Panuinius. Iouius. Vghellus. Garimbertus. Cabrera. Hyppolyt. Marrac. *in pur. Marian.* Vizan. *Hiſtor. Bonon.* Guicciardinus. Contelorius. Auberii. Sigonius *De Ep. Bononien.* Robertus *Hiſtor. Rauen.* A

22. *Videbunt oculi eius interfectionem ſuam: & de furore Omnipotentis bibet.*
Iob. 21.



FAtius Sanctorius, Natu Italus, patria Viterbienſis, honeſta quamuis pauperrima natus familia, litterarum ſtudiis clarus, Peruſii vitam traduxit B pedagogus alumnorum, qui ibi artes quærebant liberales, præcipuè Iuliani Ruuerei, cuiusfamiliaris & in aduerſa etiam fortuna comes perpetuus & indiuiduus, ab eodem in Papam ſumpto, Epiſcopus promotus Cæſenas, ibidem ſubſiſtere iuſſus, vt ciuium diſcordias componeret, qui ab Annis ſex, bello laborabant plusquam ciuili: Factus poſtea Cameræ Clericus Apoſtolicæ, ac Datarius, tandem Cardinalis Presb. tit. *S. Sabinæ*, die 1. Decemb. 1505. vt faciliùs Cardinalitiæ dignitatis ſumptibus par eſſe poſſet, Pampilonenſem etiam in Nauarra gubernandam ſuſcepit C Eccleſiam, cuius tamen poſſeſſionem, Rege contradicente Ioanne, nunquam obtinuit. Qua de cauſa iratus Papa Nauarræ Regem iam ſibi infeſtum ob bellum Gallicum, anathemate notatum regno ſpoliauit gladio Regis Ferdinandi, cui mox regni occupari titulum contulit. Interim Sanctorius nobiles ædes Templo S. Mariæ in Via Lata contiguas à Cardinale inceptas Agrieſi; alias proximas ab eiuſdem Eccleſiæ Canonicis, numerata pecunia mercatus perfecit: cuius emptionis legitur monimentū in Archiuio eiuſdem die 28. Iulii, 1507. Has ædes modo incolunt Aldobrandini. Iulio verò cum ſupramodum complacuiſſet erectio; nepoti ſuo Franciſco D Mariæ Ruuereo tradi poſtulauit conditione, & remuneratione promiſſa, cuius conceptæ ſpei cum non reſponderet euentus; ſed imminuta potiùs apud Iulium gratia videretur Sanctorij; dolore animi in morbum lapſus, die Veneris, 22. Martii, Anno Sal. 1510. ætatis 63. Pontificatus Iulii ſeptimo; in ædibus S. Laurentio in Lucina proximis obiit, in Vaticano ſepultus, ſacello Sixti, cum epitaphio.

*Depoſitum Fatij Sanctorij Card. S. Sabinæ.*

Nunc ſacello iacet SS. Sacramenti, apud Sixtum IV. Executores Teſtamentarij Cardinales Senogallienſis, & Farneſius ſolemni pompa, in Vaticano, parentauere defuncto, orante Camillo Poſtio Canonico eiuſdem Baſilicæ.

Ciacon. Vghel. Garimber. Victorel. Panuinius, Cabrera.

23. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore.* Exod. 18.



GAbriel de Gabrielibus, natu Italus, patria Fanenſis Andreæ, vel Ludouici, & Dianæ de Liliis filius nobilium Fanenſium. Sedente Alexandro VI. Apoſtolicus dictus Protonotarius, Iuliani Ruuerei abſentis ac voluntario exilio iactati fortunam non expaueſcens, Romæ ſubſiſtens, negotia candidè tractauit abſentis. Cuius rei memor Iulianus, Iulius factus Vrbinatem adlegit Epiſcopum, mox Presb. Card. tit. *S. Agathæ*, poſtea *S. Praxedis* die 1. Decemb. 1505. à ſecretis adſciuit, deinde Abbatem conſtituit cænobiorum S. Saluatoris in Peruſino, & S. Leonardi in agro Firmano, cum Vmbriæ legatione, qua ob Cęli grauitatem ſibi inſalubris citò ſe abdicauit, Romam reuerſus rariſſimo ad poſteritatem exemplo, cenſum omnem, pecuniamq. quæ ex litis ſententijs ſibi iuſte obuenerat, ad pedes Pontificis lætanter effudit in commodum Sedis Apoſtolicæ. Adeo auaritiæ ſordes ſemper abhorruit, coluitq. parabilem vitæ cultum, vt ob candidiſſimos innocentię mores, omnibus fuerit in pretio. In conſiliis, ea auctoritate prępollebat, vt in congreſſu ad Sauonam habito cum Ludouico XII. Gallorum Rege, ac Ferdinando Arragonio pro pace communi, vnum Gabrielem Iulius legare voluerit; vt ibi Pontificis Maieſtatem ſuſtineret. Romam reuerſus, ſub eodem Iulio, Sal. Anno 1511. ætatis 66. die Mercurii, 24. Octob. vel. 14. Nouemb. in palatio Apoſtolico, vbi apud Pontificem habitabat, è vita migrauit, ſepultus in ędè S. Praxedis cum epiraphio, quod ei poſuere nepotes hæredes Teſtamentarij.

*Gabriel ex Fano Fortunæ ex gente ſui nominis.*
*Cooptatus in ſacrum Collegium Cardinalium*
*A Iulio II. P. M.*
*Pro clementia ſua Sanctitatis rediens*
*Ex Legatione Peruſina hic diem functus eſt.*
*Vixit Annos 66. iacetq. ſub hoc paruo lapide.*

Huiuſce Cardinalis, & Guidi Baldi Ducis gratia Vrbinatibus Collegium *Rotam* dictum, ad lites decidendas eccleſiaſticas conceſſit; vt ex diplomate apud

apud Vghellum in Ep. Vrbini. Eius memoria apud Petrum Bembum, cuius in quinque litteris familiaribus nomen recurrit, Fani nummiſmata habes cum eius effigie,

24. *Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo de gloriam*, Pſal. 137.



FRanciſci Ximenij vitã mappa exhibeo homographica; cum tanti Præſulis geſta libris octo Aluarus Gomeſius A Caſtrus Toletanus complexus præceſſerit. Ex nobili & vetuſta Ximeniorum ſtirpe, in oppido Ciſnerio Regni Legionenſis municipio non ignobili, ex patre Alphonſo, & Maria de Turre legitimis nuprijs procreatus, *Gonſalui* nomen in fonte regenerationis accepit, & ſub cura parentum educatus, Complutum venit, indeq. Salmanticam humanioribus ſtudijs operam daturus. Iuris vtriuſq. laurea ſtudijs finem impoſuit ea fruge, vt paucos poſt Annos, in domeſticis ędibus leges ipſe alios docuerit; eodemq. tempore magiſtro Roenſi, celeberrimo profeſſore, ſacrarum litterarum ſtudia percurrit. Patre iubente, qui cauſas procurabat forenſes, Romam contendit ſed in itinere à latronibus expoliatus, apud Aquas Sextias ſiſtere coactus, donec Brunetus præteriens Salmanticenſis olim contubernalis pecuniam ſubminiſtrauit, & ſocium itineris adhibuit. Romæ dum litibus actitandis ſe exercet, cognita patris morte, matris conſulturus viduitati, & fratrum orbitati, domum regreditur obtento priùs *de Expectatiuis* Pontificio Diplomate, vt aliquod Sacerdotium adipiſceretur. Vzedæ vacantem Archipresbyteratum occupauit graui tamen Alphonſi Carilli Archiep. Toletani indignatione, qui Gonſaluum coniecit in vincula, in penitiore turre arcis Vzedanæ, quæ illi poſtquàm ad Archiepiſcopatum aſcendit pro gazophylacio fuit. Inter cuſtodias mæſtum, Sacerdos non ignobilis illius oppidi ciuis, qui eodem erat in carcere, perhumaniter ſolatus. *Merorem* (Inquit) *depone. In hoc ipſo, quo teneris cubiculo Ioannes Zerezuela Aluari illius magni Comeſtabilis frater, grauioribus vinculis conſtrictus, acerbiorem paſſus eſt cuſtodiam: cui ad Pontificatum Toletanum aſſumpto, rerum præteritarum, & iniquæ fortis memoria fuit iucunda. Ego quidem poſtquàm tuæ frontis probitatem, totiuſq. corporis dignitatem ſum contemplatus, talem in te rerum commutationem futuram animo concipio.* Gratias agens Ximenius conſolatori ſuo; duriora reſpondit eſſe principia diuinationi prædictæ. Ab hac cuſtodia, non multo poſt ad arcem S. Torquati, publicum ſontium Sacerdotum carcerem, per plures dies lectione S. Scripturę, tolerauit; donec vxore Bondiani Comitis Archiepiſcopi nepte intercedente ſolutus, ne nouam Archiepiſcopi indignationem incurreret, ſolum vertit, & Archipresbyteratum cum Capellania maxima Eccleſiæ Seguntinæ commutauit, onere tamen annuæ penſionis prægrauata. Seguntiæ ita vitam inſtituit, vt cæteris exemplo eſſet moderationis, & eccleſiaſticę diſciplinæ. Familiaritate vſus Io: Lupi Medinenſis, Archidiaconi Almazani, opibus & auctoritate pollentis, auctor ei fuit, Collegii condendi litterarii, quod in Seguntino ſuburbio ius tenet publicæ Academiæ. Petrus interea Gonſaluus Mendozius Ep. Seguntinus hominis fama motus Vicariam detulit vel inuito Diæceſis vniuerſę; quam ne Antiſtitem potentiſſimum ſpernere videretur, ſuſcepit, ſed tanta moderatione geſſit, vt vniuerſi facilè intelligerent, neminem inueniri poſſe, qui ab auaritiæ, & inſolentiæ labe magis abhorreret. Hinc Sacerdotiis non contemnendis auctus vnà cum omnium beneuolentia; ea opinione apud viros primarios innotuit, vt Alphonſus Sylua Cifontanus Comes, in expeditione captus Granatenſi à Mauris, ditionem ſuã vniuerſam, ac rem familiarem Ximenii fidei commiſerit. Onus porrò forenſe cum ſibi nimis graue duceret, quòd mens contemplationibus aſſueta, ſemper litigantium ſtrepitu occuparetur, cępit Monachatum cogitare, vt eodem tempore, Epiſcopo ſatisfaceret Seguntino, & ſui compos fieret. In hac ſententia obfirmatum rogarunt amici, in Bernardinum eius fratrẽ natu minorem Sacerdotia transferre. At cum vagaretur adoleſcens, nec ſatis conſtaret, vbi locorum ageret; amicos ſucceſſores Sacerdotiorum conſtituit, vt ipſi poſtea fratri conſulerent. Rebus domi vt cumque compoſitis, in Toletanum cænobium nuper à Catholicis Regibus conſtructum, Anno 1447. tyronum omnium primus ſe adiunxit. Elapſo tyrocinio, *Gonſalui* nomen in *Franciſci* mutauit eo pietatis exemplo, vt breui ſanctitatis ſpem excitarit: Mendozio diuinante Cardinali, ab illo cænobio ad præclariſſimam aliquam dignitatem breui abducendum. Nec ibidem porrò quieuit; odioſa virorum ac fęminorum frequentia, qui ad loci celebritatem confluebant. Solitudine propterea impetrata *Caſtaneti*, cęleſtem ibi vitam cæpit meditari, inedia, labore, vigilia. In lucum ſeſe vicinum proripiens, qui vix per meridiem, Solis radios admittebat, illic ſe penitiſſimè recondens, vno dumtaxat Scripturæ Diuinæ Codice contentus, poſt mentem ſacra lectione refectam precationibus intentus, totus à ſenſibus abſtractus in regionem ferebatur ſupernam. Multo poſt tempore, humanis reſtitutus negotiis, hanc requirebat ſolitudinem, & ſub aureis laquearibus poſitus, ad tuguriolum, quod ad vitandas Cæli iniurias hoc loco conſtruxerat, ſępe numero ſuſpirabat. Ab hac Caſtaneti ſolitudine nonnunquam à Superioribus Toletum euocatus, aliquando iter faciens cum Sanctiaco ſui Ordinis viro, vitæ integritate, ac Chriſtiana ſimplicitate inſigni, cum nocte profunda, Aiofrinum perueniſſent non longè à Toleto oppidum, in frugibus ad triturationem paratis, cubare contigit. Expergefactus Sanctiacus exclamare cæpit: *Te nunc, o pater, Archiep. Toletanum venerabar, galero etiam rubro inſignitum*. Ximenius nihilo commotior *Dormi* (inquit) *nam hæc mera ſunt ſomni ludibria*. Salzedam miſſus eno-

nobium neq. amęnitate, neq. ſolitudine Caſtaneto inferius, vitam egit auſteriorem, vino abſtinens, herbiſque aqua elixis ad cibum vtens: at breui illius Monaſterioli Guardianus dictus, vitam agere non valuit à turbis alienam. Munus hoc recuſanti datum & inuito; in quo nullo ſupercilio, ſed exemplo Religioſos excitans ad obſeruantiam, infima quęq. miniſteria ſibi aſſumebat, aliquando aliorum operam ipſe præſtabat; qua arte imperandi, Religioſos ſemper habuit obſequentes abſq. querela. Erat hoc tempore Petrus Gonzales Mẽdozius Cardinalis, qui ex Seguntino Epiſcopo Hiſpalenſis primo, deinde Toletanus factus Archiep. in ſumma A apud Reges Catholicos auctoritate: huic mandauit Regina Iſabella Granatenſi vrbe in Regnum Caſtellæ veniens, virum quærere ſpectatæ religionis, atq. prudentiæ, quæ ei à Confeſſionibus eſſet, in locum Fernandi Talabricenſis Hieronymiani, qui ex Abulenſi Epiſcopo Granatenſis electus Archiep. ibi ſubſtiterat, Sal. Anno 1492. Cardinalis, qui nimis ſollicitam de hac re ſentiebat eſſe Reginam, *Non opus longa indagine* (reſpondit) *hominem habeo ad unguem factum, olim Seguntinum Vicarium, nunc Salzedę Guardianum, priſcæ ſeueritatis virum & ſanctimonię: ſed dubito, quòd vitam contemplatiuam difficilimè mutabit*. His auditis, hominem videndi deſiderio flagrare cœpit. B Per Cardinalem adſcitus, & in Reginæ conſpectum adductus, vultu, corporiſq. habitu, ſedatę mentis compoſitionem pręſeferens, ſermone ſententijs referto, facilè Reginam in admirationem adduxit, & conceptam opinionem impleuit. Poſt aliquot dies, rogatus Reginæ Confeſſionem audire; onus ſe eà conditione ſubiturum reſpondit, ſi aulam comitari non cogeretur, Se quoties, eius opera Regina indigeret, venturum, mox tamen rediturum in cænobium: nec aliud à Ximenio, multis precibus valuit impetrari, Magna erat tunc Ximenii fama apud omnes Hiſpanos; vltra namq. laudes, C quas ei contexebat Regina; pallor vultus, aſperitas vitæ, totius corporis obducta macie, Paulum vel Hilarionem primos Eremi incolas poſt tot ſęcula in lucem retuliſſe, repreſentabat. Relictis enim Seguntinis Sacerdotiis, fortuna nequaquàm aſpernenda in ſemotam ſeceſſiſſe ſolitudinem, eumq. viuendi rigorem delicijs, quas aulici tantoperè conſectantur, prætuliſſe, haud vulgariter mentes hominum commouebat. Nec dubitat *Petrus Martyr de Angleria* ipſum Auguſtini acumine, Hieronymi abſtinentia, Ambroſij ſeueritatę exornare. Addit præterea ab eius ſodalibus iactatum fuiſſe mentis plerumq. exceſſu, aut eum Cœleſtibus collocutum, aut certè contemplatione occupatum, ſenſuum D quandam alienationem ſubire ſolitum. Illud etiam memorant viri docti: cum de itinere laſſus prope riuulum conſediſſet, eiq. comes inędiam minùs ferens, animam agere videretur; Ximenium dum ad memoriam reuocabat Dei prouidentiam, quæ de paſſeribus etiam curam habet, panem vidiſſe puriſſimum petrę impoſitum iuxta illum riuulum; quem inter ſe partiti, & aqua ſumpta, reliquum itineris alacres confecerunt.

Interim cum ea eſſet apud Reginam Ximenij auctoritas, vt ex eius conſilio tota penderet Reſpublica; contigit, vt Vicarius Caſtellanæ Prouinciæ ab Ordine eligeretur quamuis abſens, quod lubens accepit, vt hac occaſione non ita frequenter ad Reginam accerſiri poſſet. Peragranda itaq. cum eſſet Prouincia, Franciſco Riuzio in ſodalem itaq. cum eſſet Prouincia, Franciſco Ruizio in ſodalem aſſumpto, cœpit luſtrare cænobia eodem apparatu, quo ſolebat priuatus., hoc eſt vnico contentus vię ſocio, & aſello, quo ſarcinæ portarentur, & defeſſus aliquando veheretur ſodalis: ipſe enim ſuę religionis tenax, niſi morbo cogente, iter ſemper pedibus abſoluebat; oſtiatim panem quærebat; qua in re cum planè ineptus plerumq. vacuus domum rediret, ſocio mendicationem permittebat. Ad fretum eum veniſſet Herculeum, Africæ conſpectu inuitatus, deſiderio ardere cæpit tranſmarinis hominibus Chriſtum annuntiandi. Certior porrò factus fęminam ſui Ordinis, morum ſanctitate claram ibidem ſubſiſtere, captato extemplo fæminæ colloquio, votum expoſuit; à qua deterritus, quòd ad grauiora, Deo diſponente, vocaretur certamina, ſubſtitit, eodem tempore litteris Reginæ euocatus, vt quod olim à Regibus tẽtatum fuerat de reſtituenda Regularium diſciplina (quę tàm in fęminis, quàm in maſculis languebat collapſa, relegata pręcipuè paupertate inter Franciſcanos, pręda vbiq. tenerentur nomine *Conuentualium*, qui magnifica omnia vſurpauerant cænobia: Fratres verò, qui *Obſeruantes* appellabantur, pauca quædam & exigua obtinebãt) perficeretur. In horũ itaq. poteſtatẽ, *Cõuentualiũ* domos Ximenius qua potuit arte, prece, pretio, Reginæ brachio traducebat non ſine tamen contentione, & diſſidiis, præcipuè *Laurentij Vacca* Commendatarii Monaſterii S. Spiritus Segobienſis, qui prætextu Pontificii Diplomatis quoſcumq. Conuentuales in S. Spiritus libertatem, facultatem ſibi eſſe aſſerebat commutandi. Hinc quantum vigilantiſſimus cenſor ad priſcam ſanctimoniam ſodales reuocare tentabat; tantum ille commentitiis priuilegiis ad petulantiam deflectebat. Hac de cauſa à Regibus impetrauit Ximenius, vt ſalua Papę auctoritate, qua ille abutebatur in vincula conijceretur; donec Ximenius negotium cõſumaret. Ita factum, ſed inutiliter; Romam aufugiente Vacca ad Aſcanium Cardinalem Sfortiam, quem patronum quondàm habuerat; impetratiſq. litteris ad Reges, & Petrum Martyrem virum ſtrenuum in rebus gerendis, vt Cardinalis Sfortię nomine Ximenium roget, vt ſi patria Laurentius ob Pontificis rectè adminiſtraram conceſſionem carere debeat, ſaltem ablata per ſummam iniuriam ſuppellex reſtituatur. Inuitus id fecit Martyr, quòd rem omnem probè noſceret; ne tamen officio ceſſaret, Ximenium adijt, Aſcanij mandata expoſuit; ad quem Ximenius contracta fronte conuerſus, *Hominem* [inquit] *Petre Martyr, qui tam iuſta Regum decreta auſus fuerit reſcindere, tueris? Abi*. Hoc idem Sfortię Martyr reſcripſit, ſimulq. à Vaccæ patrocinio amouit. Inter hęc Cardinalis Mendozij obitus renuntiatur, Anno exeunte

te 1494. Moriens multa pro ſua erga Reges fide, atq. pietate, Regibus expoſuit, præcipuè, vt mediocris conditionis hominem in Pontificatum ſufficeretur Toletanum. Non ſine periculo, eius Sedis amplitudinem comitti cui natalium ſplendor, & numeroſæ familiæ eſſet patrocinium. Alphonſi Carillij adducebat exemplum; quantum moleſtiæ Regibus exhibuiſſet, Regi adhærens Luſitaniæ. Ximenium reſpicerent virum numeris omnibus abſolutum, ad dignitatem gerendam nulla coronæ zelotypia. Audis auribus arcanum Reges exceperunt: Ximenium porrò conſuluere Reges, qui cum crederet, perdificile fore, vt homo humili aſſuetus fortunę, animum regium repente indueret, Reginæ ſuadebat, *Didacum Furtadum* Tentiliani Comitis filium, ex eadem Mendoziorum familia, Petri Gonſalui Cardinalis ex fratre nepotem, Hiſpalenſem Ep. Toletanæ Sedi præficere. Verum cum tantæ dignitatis augmento nollet Regina familias augere potentes, Iuriſconſultum quemdam Oropeſam nomine, morum integritate conſpicuum nominauit, Legato ſuo mandans, vt ſuę nominationi Apoſtolicam auctoritatem more maiorum interponendam curaret. Non multò poſt pænitentia ducta, optimi Ximenij nullam habuiſset conſiderationem, quamuis honorem abhorrentis; miſſo nouo tabellario, Ximenium Pontifici iuſſit præſentari Romano. Exeunte Quadrageſima, redijt Nuntius cum approbatione Pontificis, eo tempore, quo Ximenius confeſſiones excipiebat Reginæ; qui cum ſuo muneri ſatisfeciſset, diſceſſum parabat, vt tranquilliore animo, loco à turbis remoto, Hebdomadæ Sanctæ intereſset officijs: cum reuocatus ad Reginam, poſt alijs de rebus ſermones conſultò iniectos, *Videto* (inquit Regina) *quid nam hiſce litteris Summus Pontifex ſibi velit?* Ximenius ad primam inſcriptionem, quæ erat à tergo: *Vener, Fratri N. Francisco Ximenio Electo Toletano*, vehementer commotus, depoſitis continuò litteris, & nihil ad ſe pertinere inquiens, de Scamno ſurrexit, nullaq. vt ſolebat, expectata miſſione, vultu admodum conturbato receſſit. Regina diſſimulandum rata, donec interiecta temporis morula hominem redderet ſedatiorem, abire permiſit, petita priùs licentia litteras reſignandi. Paulo poſt Henricum Auricium Regis auunculum, & Aluarum Portugallium Senatus Præſidem ad Ximenium mittit petitum, nè vel Reginæ, quæ illum tanti faciebat, vel Rom. Pontificis, cuius in ipſum erat imperium, auctoritatem contemneret. Suſcepto negotio, ad Monaſterium illi properantes, cum compeτiſſent profectum, citatis equis viam ingreſſi, hominem cum duobus ſocijs, tertio ab vrbe lapide inuenerunt cum duobus ſodalibus iter facientem, reductumq. paulisper è via, poſt longos ſermones expugnarunt, vt ſaltem Madritum reuerteretur ſui tamen tenax propoſiti; donec nouis litteris Summi Pontificis iuſsus obtemperare poſt ſex menſes, ceruicem ſubiecit maxima Regum, Procerumq. lętitia. Tanta eſt virtutis vis honorumq. contemptus. Turiaſsone, in æde D. Franciſci, aſtantibus Regibus, 5. Id. Octob. 1495. ſolemni ritu conſecratus, ſacris peractis cõfeſtim ad Reges accedens, illorum dexteram per ſpeciem deoſculantis de more appetens *Non tam* [inquit] *quòd beneficio veſtro Reges inclyti, Archiepiſcopus factus ſum, veſtras exoſculari manus velim, quàm quòd eas mihi vos confidam porrecturos eſſe mei adiutrices, vt tandem mihi liceat in Cęlo Archiepiſcopi locum mereri.* Reges contra, quod ille per ſpeciem Regij cultus fecerat, re ipſa religionis ergo facientes, & poſtea vniuerſi, qui aderant Proceres eius manum venerabundi ſunt deoſculati. Cum autem ingens honorum numerus occurreret diſtribuendus; & inter eos perampla dignitatis, ac opulentię plena Caſtorlę præfectura, quam Petrus Furtadus Petri Gonſalui Cardinalis frater eo viuente ſemper obtinnerat: venere quidam ex Mendozia familia Reguli Reginæ nomine rogantes; vt rurſus Petrus per eum pręficeretur. Iniquum enim, & ingratum; ſi Gonſalui immemor, cuius teſtimonio ad faſtigium aſcenderat, fratrem eius modo dignitate priuaret. Solent Reges dum rogant cogere; nec tam id precibus videbatur agi, quàm imperio. Ximenius verò excelſi animi, quem diu intra ſyluas preſſerat, aperta iam exhibens documenta, negauit id conceſſurum apertè. *Potero* (inquit) *rurſum ad cucullum redire; quàm Toletanum Pontificatum vel vna gleba imminutum ſuſcipere.* Ad Reginam redeuntes Reguli animum obiecere ingratum: nulla tamen prudentis Reginę commotione. Poſt aliquot dies, aulam forte ingredienti Antiſtiti obuius Hurtadus iter aliò diuertit, quaſi lęſus Ximenium declinaret. Ximenius verò voce paulò altiore illum honorificè appellans, Caſtorlæ Præfectum ſalutat, addens ſe pro certo habere, qualem hactenus ſub fratre Illuſtriſſimo, Regibus, & Archiepiſcopo præſtiturum. Quamdiù verò vixit, magno eumdem proſequutus honore, & gratitudinem ſeruauit, & maieſtatem. Diœceſi poſtea inſtruendæ intentus, Conſiliarios, Aſſeſſores, Viſitatores homines doctrina, integritate præſtantes conquiſiuit. Rem priuatam priſca Sanctorum Patrum frugalitate ac S. Franciſci ſui paupertate cum exornaſſet, cenſum annuum ita diuiſit, vt dimidium per Io: Cardenam Burgenſem Theologum egenis diſtribueret: reliquum deductis familiæ, & Pontificatus neceſſariis, in opera publica, quę Religionem, & litterarum ſtudia excitarent, impenderet. Aſello contentus non equos, non aurigas, non aulęa, non argento menſam ſternebat, incedebat pedes; licet ſuccedentibus maximorum ſumptuum occaſionibus, præcipuè graui ęre alieno ex effuſa in Granetenſes nouos Chriſtianos liberalitate contracto, ſemiſſis illius largitionem, ad arbitrariam diſtributionem redigere coactus ſit. Conſilium ſanè neceſſarium, maximè cum impoſitam ſibi moderatoris, ac pacificatoris publici perſonam, dubiis ac turbulentis Reipublicæ temporibus cerneret ſine magna pecuniæ vi ſuſtineri non poſſe. Ad familiæ quoq. frequentiam, & domeſticum cultum, hortante Romano Pontifice deſcendere coactus: licet multationem hanc ęmuli animi adſcriberent leuitati. En litteræ R. P.

*Di-*

*Dilecto filio Franciſco Archiep. Toletano. Dilecte Fili S. & A. B. Sancta, & vniuerſalis Eccleſia, ſicut te ignorare non putamus ad inſtar cæleſtis Hieruſalem, multis ac diuerſis decoratur ornatibus; in quibus ſicut in exceſſu præuaricando peccatur ita in defectu nimium declinando erratur. Grata eſt Deo, & laudabilis cuiuſlibet ſtatus condecens obſeruantia. Et propterea quicumq. præſertim Prelati Eccleſiæ ſicut in moribus, ita in habitu, & inceſſu ſtudere debent, ne nimio faſtu ſuperbi, neue nimia abiectione ſuperſtitioſi eſſe videantur; cum vtroq. auctoritas eccleſiaſtica diſciplina vileſcat. Eam ob rem hortamur te, vt poſtquam te Sancta Sedes A. de inferiori ſtatu ad Archiep. dignitatem euexit, quemadmodum te in interiori conſcientia ſecundum Deum viuere intelligimus, de quo plurimum gaudemus, ita extrinſecus iuxta condecentiam ſtatus tui, habitu ſcilicet familia, & cæteris ad dignitatis decorem conuenientibus, te habere, & obſeruare coneris. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Nouemb. 1495. Pontif. N. An. IV.* Sic ergo impellente Papa, familiam auxit, menſam ſtrauit eleganter, cultum aſſumpſit non incurioſum, veſte ſe induens holoſerica, & pellibus pretioſis. Longo poſt tempore, Reipublicæ dum præeſſet, veſte donatus a Beltranno Metinneſi regio apud nouum Orbem Senatore, pelle rariſſima, quæ tribus æſtimabatur aureorum millibus, accepit ne donatorem offenderet; paulò tamen poſt remiſit morbi prætextu. Lectos etiam ſtragulis ornauit purpureis, quamuis Franciſcanæ Regulæ rigidos obſeruator ſindones lineas ſemper reſpuerit, & in nudis tabulis cubauerit.

Familiæ ſuæ initio Pontificatus, pars non exigua cum ex Franciſcanis conſtaret, quos ſibi delegerat, vt eorum ſocietate, vitæ religioſe memoriam recoleret; ſpem conceperant Regulares, penès eius Ordinis viros, vt & alios primarios Regulares, futuram aulæ adminiſtrationem. Spes tamen vtroſq. feſellit: cum anguſtius in ædibus haberentur Archiepiſcopi, quàm in cænobiis: nec cum eis alios miſceret sermones, quàm de inſtauranda eccleſiaſtica diſciplina. Inuidia propterea non vulgari laborauit apud Regulares, qui contra Antiſtitem cœnobiorum reformationi intentum ſecuriùs agerent; Ægidium Delphinum Amerinum Generalem Miniſtrum in Hiſpaniam euocarunt, qui ad Reginam profectus cum minùs gratum Ximenium reddere conaretur, pænas luit temeritatis, à Regina indignanter reiectus, & ſeuerè reprehenſus. Alium habuit Ximenius ſuæ patientiæ exercitatorem Bernardum bis fratrem, iiſdem ſcilicet parētibus genitum, eademq. religione initiatum. Hic enim morum inconſtantia in tot ſe mutauit formas; vt tandem Ximenius illum procul facere oportuerit.

Synodo congregata ſanctas leges populo præſcripſit & Clero. Academiam Compluti magnificis ædificauit, diuiſitq. in duas partes, quarum altera ſub nomine Collegij Maioris, ſæcularibus data: altera ſub Collegij Minoris, & titulo SS. Petri, & Pauli, Fratribus conceſſa ſui inſtituti. Numerum in collegio minori taxauit duodecim, qui litteris incumberent humanioribus, Græcæ, & Hebraicæ linguis addiſcendis. Solam Iuriſprudentiam excluſit, quòd apud Hiſpanos duæ celebres habeantur Accademiæ, in quibus traditur Iuriſprudentia. Iuuentus ne copia alimentorum deſtitueretur; quinq. Collegia inſtituit, quibus pauperū adoleſcētiū alii triennio, alii quadriennio alerentur: quinque itaque contubernia parari iuſſit, in quibus qui Rectoris, ac Triū uirorū ſuffragijs cōprobati eſſent, per tempus diuerſarentur ſibi deſignatū. Ædes proinde perāplę conſtructæ, quarum ſingulæ alicui Diuo dicatæ, à quo & nomen acceperunt. Grammaticorum ſchola binas accepit, altera D. Iſidoro Hiſpanorum indi- A genæ; altera D. Eugenio primo Toletanorum Antiſtiti. Singulis ædibus virum moribus, doctrina clarum præfecit, qui ternos Gramaticæ præceptores ad puerorum inſtitutionem per claſſes conducit. Horum primus rudimentis tradendis, alter prouectioribus inſtituendis; tertius ad elegantiorem methodum, priuſquàm ad alias diſciplinas deſcendant, formandis intendit. In his Collegiis aluntur per triennium, quadraginta duo adoleſcentes, qui ſæpe numero ab illis initiis ad cōtubernia reliqua per gradus promoti victa ægeſtate in viros euaſere præclaros. Horum præceptores XV. quoque die viciſſim tribus diſcipulis, magiſtrorum ſuorum ſenten- B tias de rebus Grammaticis, defendentibus, aduerſariis impugnantibus, in Gymnaſium maius conueniunt, vbi pueri ex mutua contentione non mediocriter iuuantur. Dialecticis quoq. & Philoſophis binæ ædes attributæ: altera D. Balbinæ dicata nonnulos annuatim recipit adoleſcentes. Altera ſub D. Catherinæ titulo Phyſicos ſuſcipit, & Metaphyſicos. Domum etiam ædificauit, vbi ægrotantes ſcholaſtici curati poſſent: Collegium quoq. aliud inſtituit, in quo viginti quatuor ſodales alerentur; quorum decem, & octo Theologiæ: reliqui ſex Medicinæ vacarent. Collegium etiam erexit trilingue: in quo triginta alumni decem Linguam Gre- C cam; totidem Hebræam, reliqui Latinam addiſcunt. Cathedræ in his Collegiis quadraginta duæ numerantur: Sacræ Theologiæ ſex; Iuris Canonici totidem; Medicinæ quatuor: Artium Liberalium octo: Philoſophiæ Moralis vna: Mathematicæ altera: Linguæ Græcæ duæ; Hebraicæ totidem: Rhetoricæ quatuor: Grammaticæ ſex: Anatomiæ vna: Chirurgiæ altera: deſignatis iuſtis ſtipendiis ad redditus Annuos quatuordecim millium Aureorum, adeo prudenter diſtributos; vt nulla parte extenuata ſtipendia, ad triginta millia progreſſu temporis excreuerint. Complutenſis Gymnaſii patronos voluit Regem Hiſpaniarum, Cardinalem S. Balbinę, Archiep. D Toletanum, Infantatus Ducem, & Comitem Cluníenſem. Præbendas, Canonicatus, Beneficia, variaq. genera Sacerdotii inſtituit, quibus Scholaſtici & Magiſtri excitentur ad feliciores progreſſus. Seuero namq. præmiſſo examine, a deſtinatis iudicibus hæc ſingulis diſtribuuntur.

Anno Sal. 1498. exeunte Aprili, Catholicos Reges Compluto Toletum profectos ob immaturam Principis Ioannis mortem, nimio mærore obrutos verbis piiſſimis conſolatus, ibidem nouam Synodum cele-

celebrauit, & in ea legem tulit de Synodo annuatim conuocanda. Per Seguntiam poſtea iter agens, vbi Vicariatum exercuerat Petri Gonſalui Mendozii, Sacerdotes obuios habuit ad Fontem calidum, Primatem humiliter ſalutantes, ſenes præſertim, qui longe ætatis beneficio quondàm Vicariũ viderant: ille omnes comiter ſuſceptos cupidiſſimos ſui dimiſit. Cæſaraugustam cum veniſſet, & ſine ſtrepitu vrbem ingredi meditaretur: Alphonſus Arragonius Catholici Regis Ferdinandi filius, Cæſaraugustanus Antiſtes, Arragoniæ Regnis præfectus non permiſit. Hic cum grauiſſima arcana occurrerent; nulla in re quantum prudentia valeret, magis oſtendit, quàm cum Iſabella Regnorum hæres in Emmanuelis Luſitani coniugis complexu, qui illuc venerat cum vxore, poſt Ioannis Principis mortem deſtinandus, fato erepta fuit acerbiſſimo, in ipſo puerperio. Cum ergo è dolore grauiter laboraret; Ximenium accerſiri iubet Regina mater, vt in tam graui diſcrimine parturientem religioſis dictis confirmaret, & ad omnem fortunæ caſum paratam faceret, Quod ita prudenter Ximenius impleuit; vt illa vita ſpreta mortali, æternam concupiſceret. Vix ex vtero prodeunte infantulo, animam illa emiſit oon indignantem, ſed exultantem potius, & à Ximenio rogantem, deſolatorum parentum curam ſuſcipere, ne quid ex mærore ſubirent incommodi. Fecit id ſedulò Ximenius apud vtrumq. mæſtiſſimum genitorem, & cum Iſabellam apud Deum O.M. viuere profuſis lacrymis dixiſſet; tanta commiſeratio Reges inuaſit; vt ſe mortales, & mortalem genuiſſe aſſererent, gratias agentes Deo ob temporis vſuram tranſacti,

Complutum inde receptus, dum conſtituendæ vacat Accademiæ, iuſſus Granatam accedere, vt Maurorum conuerſionem procuraret, multa ad illius vrbis tranquillitatem, ad mutua cum Mauris commercia, & ad religionem ſtabiliendam vtilia ſanciuit, quibus excitati Mauri cateruatim conuolarunt ad lauacrum Baptiſmi. Contumaces, qui paternarum traditionum ſtudioſi populum concionibus deterrebant, vinculis traditi; inter quos Zegri genere nobilis, & corporis, animiq. magnitudine præſtans, aſſidua increpatione ſuos deterrebat, In hũc vt ſeueriora exerceret remedia, Petro Leoni miniſtro ſuo traditi cũ poteſtate eicurãdi nec inutiliter: breui namq. homo alioqui ferus, humilis factus ad Ximeniũ ductus vinctus vt erat, & ſqualidus à Ximenio petiit vinculis exolui, vt poſſet liberè loqui; neq. enim vt ille aiebat, quicquam pro raro habendum ab homine captiuo, & manicis conſtricto. Ablatis vinculis, continuò genibus volutatus terram priorò; deinde manum deoſculatus Baptiſmum petiit, ita ſe inſpirante Deo admonitum dicens. Lætus Ximenius hominem veſte indutum coccinea ad fontem duxit Gonſaluum Ferdinandum Zegri appellans, vt ille poſtulabat. Tanti hominis exemplum reliquam Maurorum turbam traxit ad ſacrum regenerationis lauacrum. Quinquaginta millibus nummum annuatim à Ximenio Zegri donatus oon modò propagandæ Religioni, ſed Reipublicæ commodis vſui fuit. Nam Sacerdotibus Maurorũ, libros offerentibus ſuperſtitioſos *Alcoranos* dictos, horum quinque millia volumina, publica pyra Ximenius exuri iuſſit. Tantis ſucceſſibus non omnes arridebant, indignum eredentes Chriſtiano inſtituto, Mauros ad Chriſti fidem adigere; cum Toletanis Conciliis ſeuerè admodum ſit ſancitum, *nemini vim inferendam ad credendum*. Ximenius porrò ſuum ſecutus conſilium, paulo poſt ad ſcopulum allidit duriſſimum. In ea vrbis parte, quæ *Albaizinum* dicitur, rixa exorta inter Mauros, ac tres de Ximenii familia, in tantum erupit tumultum, vt ad claſſicum

A vrbs tota concineret, & ſpe recuperandæ libertatis ad arma conclamaret. In domum Ximenij vis parabatur; cum eidem plerique ſuaderunt, Alhambrã fortiſſimum vrbis præſidium ſe conſerre; pium reſpuit ille conſilium, ne ſe abſente in familiam ſæuirent. Decem dies increbuit ſeditio, non ſine ſui nominis exprobratione maximè apud Regem Ferdinãdum, cuius virtute, & labore parta erat ciuitas. Indignationem augebat fama, Ximenij culpà ad Mauros rediiſſe vrbem; dum ſtudio nimis peruicaci Mauros adhuc rudes nullis præmiſſis Cathechiſmis, ſubito Chriſtianos fieri voluiſſet, Stupor Reginam tenebat, ſed apud Regem indignabundum excuſa-

B bat. At ille conceptũ neſciens diſſimulare dolorem Reginæ obiecit: *En* (inquit) *tot maiorum noſtrorum, & noſtros triumphos Hiſpanæ nobilitatis ſanguine partos, ob Ximenij tui ſtultam peruicaciam, momento temporis diſſipatos*. Hæc Regis tam iuſta, vt omnibus videbatur, increpatio eò mentẽ Reginæ acriùs pupugit, quoniã nõdum coniugis animo excidiſſe ſentiebat, Alphonſi Arragonii filij honores præreptos, ob ei prælatum in Toletano Archiepiſcopatu Ximenium. Anxia igitur litteras doloris, & quærimoniæ plenas ad Ximenium dedit; cuius vt conceptam iracundiam mitigaret Ximenius, Franciſcum Ruizium ſodalem ſuum Hiſpalim miſit, qui rem omnem Reges edocuit

C atq. leniuit, Ximenius poſtea & ipſe veniens, relato fine tumultus, & fructu quem inde decerpſit conuerſæ gentis, offenſionem, ſi quæ remanſit, abſterſit. Nam cum Albaizinenſes læſæ tenerentur Maieſtatis, interrogati an mallent ſupplicium, vel baptiſmum? ad Chriſtum omnes ad vnum redacti, & ſimul quicquid in reliqua vrbe infidelis turba ſupererat. Annos fermè tres in conuerſione illius gentis inſumpſit, rebuſq. ex voto compoſitis, poſt graues moleſtias in ſuam diæceſim ſe reſtituit Anno 1502,

Ob nouam porrò ſeditionem, Granatam reuocatus, quæ Regis ſtudio, breui quieuit, morbo ren-

D tatus decubuit, ſalutatus à Regibus, quos incredibilis ſollicitudo tenebat. Delectum à Medicis mulier quædam ſine vllo pharmaco, ſolis vnctionibus ſanauit. Hinc Complutum rediit, vbi viam *Maximam* aquarum ſordibus oppletam, lapidibus ſterni iuſſit, & medio alueo paululum deprimi, quo aquæ ſenſim laberentur, eamq. puram relinquerent. Surgenti Accademiæ decies centies nummum perpetuo percipiendum è regiis comparauit prouentibus: impetrauitq. à Regina Iſabella, vt quoniam liberali-

bus diſciplinis ibidem parabatur hoſpitium; liberi quoq. à Regiis exactionibus perpetuò remanerent Complutenſes. Toletum inde profectus, Philippum Burgundię Ducem cum Ioaona coniuge Hiſpanę ſucceſſioni deſtinatum appatatu excepit ſplendidiſſimo. Bibliorum quatuor linguàrum editionem magnis impenſis curauit, in qua quinquaginta millium aureorum ſummam impendit. Septem ſacræ ſcrip turæ Hebręa exemplaria, quę adhuc Compluti aſſeruantur quatuor aureorum millibus, ex diuerſis regionibus comparaſſe Ximenium ad opus perſiciendum tradunt Hiſtorici quindecim Anni in hoc laborę continui conſumpti. Eo die quo vltima manus, euocatis toto terrarum Orbe viris linguarum peritia clariſſimis, ab Arnoldo Brocatio typogragho Complutenſi impoſita ſuit, Io: eius filius puer elegãter veſtitus ad Ximeniũ venit cum vltimo Bibliorũ volumĩoe; quod cum Ximenius eleuatis in Cęlum oculis, *Gratias tibi ago* (inquit) *ſumme Chriſte, quòd rem magnoperè à me curatum ad optatum finem perduxeris*. Ad familiares conuerſus: *Cum multa ardua Reipublicæ cauſa ſuſceperim hactenus, nihil eſt amici, de quo magis mihi gratulari debeatis, quàm de hac Bibliorum editione, quæ vna ſacros religionis noſtræ fontes tempore perquam neceſſario aperit: vndè multò purior Theologica hauritur diſciplina, quàm à riuis poſtea deductis.*

Ariſtotelis etiam tranſlationem parabat, vt ſingulæ paginæ ternis columnis diſtinguerentur, quarum prima textum exhiberet Græcum; ſecunda tranſlationem vulgatam: tertia commentarium pro locis difficilioribus. Hanc morte præuentus abſoluere n n valuit. Ad iuuandam etiam imperitorum turbam, vulgandos curauit libros epiſtolarum Catharinæ ſenenſis; Angelæ Fulginatis, & Methildis opuſcula: Ioannis Climaci Gradus, Vinceotii Ferrerii, & Claræ Virginis viuendi inſtituta: Meditationes Landulphi Carthuſienſis; vitam Thomę Cantuarien. Libros quoque Muſicos *Gregorianos* multis voluminibus excudi iuſſit, quos per ſuam diæceſim diſtribuit. Cum autem à fratre Mauro legato ad Romanum Pontificem miſſo à Sultano tabulam marmoream lucidis maculis aſperſam, quam ipſe Maurus è Chriſti rapuerat ſepulchro, accepiſſet, per Anoos duodecim, in ea ſemper, diuina ſe refecit Euchariſtia; moriens teſtamento dulce pignus amoris, Eccleſiæ legauit Toletanę. Sodalitium Miſericordię, aliquot nummorum millibus, ſæpè ſæpiùs donauit. Annuatim quoad vixit, vicena nummum millia pro pharmacis ad ęgrotantium curam comparandis, & nongentos frumenti modios in vſum pauperum largiebatur. Idcircò die Conceptionis Immaculatę, Aſcenſionis Dominicę, & Cal. Nouemb. ac poſtridię eius diei, in hac ſodalitate Ximenio ſacra fiunt. Methinæ Campenſis cum ægrotarent Reges, euocatus Ximenius dietim eorum lecto aſſidebat, omnia diligenter circumſpiciens, quę ad eorum ſalutem neceſſaria. Ibidem Ciſnetis ſuæ familiæ proceribus volens piâ conſulere, annua vectigalia ex regiis comparauit prouentibus, quibus aucti Sacerdotes Muncipales in veſtibus lineis, ſingulis Dominicis, horis pomeridianis, poſtridię verò antemeridianis ad ædem S. Petri, vbi Toribius Ximenijanus iacet, maiorum manes expiarent: idem facerent in ędibus S. Laurentij. Toletum cum accedere non poſſet publicis impeditus negotiis: Viſitationem per Vicarios non ſine indignatione Eccleſiæ Toletanæ, quæ appellatione interpoſita ad Papam, miſſaq. ad Reginam legatione, à nullo quàm ab ipſo Antiſtite voluit viſitari. Auditis legatis, iuſtaq. cognita eorũ petitione Regina Ximenio abeundi licentiam indulſit; qui protinus Toletum venit, & perſonaliter viſitauit. Cumq. plures fæminas intellexiſſet honeſtis natas parentibus illocabiles ob

A rerum penuriam, cænobia coodere opus iudicauit in prouincia. Compluti exorſus, vbi ædem ſacrarum Virginum ædi curauit. Moritur interim Regina Iſabella, *6.* Cal. Decemb. 1504. graui Ximeoii mærore, qui ad omnem ægritudinem animi diſſimulandam exercitatiſſimus, lacrymis abſtinere non valuit, & voce præter ſolitum lamentabili, *Reginam* deceſiſſe, cuius ſimilem ſol nunquàm viſurus eſſet, ſiue animi magnitudinem, ſiue pectoris puritatem; ſiue religionis Chriſtiani cultum, ſiue iuſtitiæ curam, quam omnibus tribuebat, ſiue priſcarum legum conſeruationem, aut pro tempore condendarum ſtudium, ſiue annonæ vbertatem

B ſua diligentia vbique partam, quod in primis regium & populare eſt, conſiderare quiſpiam voluiſſet. Defuncta Iſabella, controuerſias inter Philippum Burgundum Hiſpaniarum hæredem, & Ferdinandum Arragonium Philippi ſocerum compoſuit, & vſque ad Philippi mortem, & Ferdinandi io Hiſpaniam reditum, nũquàm à regio comitatu diſceſſit. Aduerſo porrò Hiſpaniæ fato, Philippo Rege ſublato, *9.* Cal. Octob. 1506. Principes conuenieotes vniuerſi in domo Ximenii, omniũ vna ſententia decreuere, vt quoniam nemo eſſet, qui magis morum ſanctitare, & auctoritate, nullis affinitatibus abnoxius, pro Reipublicæ tranquillitate ſeruanda, is vnus Regni

C & Reginæ cuſtos, ac Caroli pueri deſignaretur. Monuit idem Ximenius, vt ad declinandos tumultus, Reginæ atq. Senatus auctoritas accederet; quod factum, aſſignatis ei ex regio ærario redditibus, quos tamen ipſe Fiſco conceſſit, inſtructa ſolumodo armatorum prætoriana cohorte ad Reginæ cuſtodiam. Regiiq. palatii. Tanta Regnorum mole minimè oppreſſus, de reſtauranda Religione in longinquis regionibus cogitauit. Quare Ferdinandum Hiſpanum Emanuelem Luſitanum, & Henricum Angliæ Reges ad fædera prouocare non ceſſabat, vt coniunctis viribus, expeditionem ſubirent Hieroſolymitanam. Aooo 1509. ſuis impenſis, Oranum Maurorum opu-

D lentiſſimam vrbem expugnandam ſuſcipiens rebus domi compoſitis, licet ætate prouectus, & laboribus penè confectus, claſſis Imperator, quarto Idus Maii, Carthagine ſoluit octaginta nauibus actuariis, decem maximis triremibus præter minora nauigia, quibus decem millia peditum, equitũ quatuor millia præter lixas, & calones traiecit. Poſtridie Chriſti Aſcendentis, multa iã nocte in Affricã appulit, vbi ſollicitus, & inſomnis per eam noctem in anchoris permanſit. Manc expoſito in terram mi-

ſire,

lice, prodiit ipſe Ximenius non caſſide armatus, ſed Cruce, Pontificalibus indutus. Reſocilatum militem potenti oratione ad fortiter agendum pro re Chriſtiana, pro Rege, pro patria excitauit. Vt ipſe pugna excederet, cũ orarent omnes, in Petrum Nauarrum cura commiſſa, in arcem ſe recepit Merſalcabiranam vbi in ędicula D. Michaeli ſacra, in genua procumbens, expanſis in Cælum manibus, multis lacrymis cępit præcari Deum, vt Chriſtianis præſidio eſſet. Colles occupauerant Numidę; anxius Nauarrus an illicò aleam ſubiret, vel diem expectaret ſequentem, in hac cunctatione Ximenium conſuluit. Is experientiſſimi Imperatoris dubitatione commotus, neque quid reſponderet, ſatis certus, cum ſe collegiſſet: *In hac die* [inquit] *vir fortiſſime pugna: Chriſtus Summi Patris filius, & ſeductor Mahometes in certamen deſcendont, omnem cunctationem non ſolum damnoſam, ſed impiam eſſe arbitror; quare omni depoſita formidine milites tuos, vt cum hoſtibus manus conſerant, iubeto: certa enim mihi ſpes eſt; hodie te victoriam magna cum laude reportaturum.* Diuinum id potiùs oraculum, quàm conſilium euentus probauit: pugnaq. ſi deferebatur, Oranum non capiebatur. Poſt tres horas namq. expugnatæ vrbis, Trimceſenius Meſſaurus magna equitum, peditumq. multitudine in auxilium venerat obſeſſorum, qui videns vrbem captam, nil tentandum ratus ad Regem redijt; Nauarrus itaq. caſtris diſpoſitis claſſicum cecinit, ſuperatoq. colle, fugatis Mauris per ſubiectam Orano planitiem ad muros irruit, tormentis verberans, milites per haſtas mirabili pernicitate reptantes, præſidia occupatunt tanto impetu, vt poſtea poſt partam victoriam cum idem efficere tentarent, numquàm ſucceſſerit. Vrbe expugnata, in qua promiſcui vulgi quatuor millia ceciderunt, captaq. quinq. millia; ex Hiſpanis triginta duntaxat ſunt deſiderati. Non defuerunt ad bellum hoc ſuſcipiendum, & proſequendum oſtenta; inter quæ illud maximum; Solem ſcilicet ſupra quatuor horas curſum ſuum continuiſſe. Cum enim à Chriſtianis mons appeteretur, dies palam inclinare cœperat, fermèq. occaſui proximus videbatur; quod vnum Nauarrum ad montis radicem, priuſquàm bellum tentaret, conturbauerat. Ximenius captæ vrbis nuntio lætus totam illam noctem in hymnis traduxit; poſtridie triremibus Oranum petijt pręeunte Crucis vexillo, in vrbis ingreſſu *Io: Ximenio* militibus acclamantibus, Dauidico ipſe reſpondit verſiculo, *Non nobis Domine non nobis; ſed nomini tuo da gloriam.* Ad Alcazauam, hoc eſt arcem maximam è veſtigio perrexit, cuius claues nulli pręterquàm Ximenio Præfectus ſe daturum aſſirmauerat, Tercenti Chriſtiani, qui dira ſeruitute à Mauris premebantur in lucem producti, libertate donati. Præda illi oblata vniuerſa, ex qua nil tranſtulit in rem ſuam, quibuſdam ſolumodo ad publicum vſum, vel Regi mittendis reſeruatis. Bellica inſtrumenta capta ſupra 60. Catapultarum, ſcorpionum baliſtarum, iaculorum immenſus numerus. Miraculo proximum creditum eſt, atq. Ximenij pietati adſcribendum, vrbem Mauritaniæ celeberrimam tot bel-



licoſo refertam apparatu, tam florenti iuuentute, ac præſidiis abundantem tanta celeritate expugnari potuiſse. Luſtrata vrbe, Meſquitam maximam Mariæ victrici, eiuſq. Angelicæ Annunciationi dicauit, cænotaphio ad aram maximam conſtituto, vt ſibi anniuerſario ſacro, XV. Cal. Iulij, parentarent, triginta millibus nummum ad hanc operam in perpetuum datis. Alteram D. Iacobo conſecrauit. Xenodochium pro ægrotantibus militibus ad D. Bernardini honorem erexit. Binas ędes etiam Franciſcanis, & Dominicanis attribuit. Parta victoria In Hiſpaniam traiecit, Nauarro caſtrorum Imperatore relicto. Compluti ſubſtitit, vt Toletum declinaret, vbi Primates triumphos illi parabant. Illeſcis ędem ſacrarum fæminarum excitauit; annuis prouentibus inſtruxit. Turri Lacunæ, quod illi fuerat natale ſolum, aream ſignauit ad alteram ædem Deiparæ erigendam, in qua Franciſcani ſolent habitare. S. Auditus delubrum non longè à Turri Lacuna, nemorum ſolitudine peramęnum ſanctiori cultu honeſtauit. Diem Præſentationis Mariæ Virginis in diœceſi Toletana feſtum voluit. Ne autem ſanctiſſimæ Hiſpanorum cæremonię à viris præclaris inſtitutæ, & miraculorum teſtimonijs comprobatæ in deſuetudinem venirent, eas inſtaurate cæpit, viris adhibitis, qui libros *Miſtarabum*, vulgò *Mazarabum* congregarent, & Gothicis characteribus conſcriptos, in vulgarem litterarum redigerent, & imprimi curarent. Sacellum ædificauit eleganti forma, in templo Toletano, in quo tredecim Sacerdotum collegium adiunctis tribus miniſtris inſtituit, & *Mozarabes* appellauit, An. 1512. ſub patrocinio Toletani Capituli, cuius eſset Hiſpanicos ritus coſtodire.

Ferdinandus Arragonius Ioannæ genitor Reginæ, compoſitis cum Ludouico Gallorum Rege, de regno Neapolitano diſceptationibus, in Hiſpaniam cum redijſset regnum pro filia moderaturus, inſignia ſecum tulerat Cardinalitia, à Iulio Papa, Ximenio decreta, Rege rogante, qui vt Ximenium ſibi conciliaret (teſte *Garimberto*) voluit ipſe ſecum ferre cum litteris Pontificijs, eodemq. iubente, ad Mahamudi oppidum, ſpectantibus Proceribus, & Io: Ruffo Nuntio Apoſtolico ſacra procuratore, lectis publicè litteris Iulij II. Ximenio oblata fuere.

*V. Fratri Noſtro S. R. E. Presb. Card. Dilecte fili ſalutem, & A. B. Inductis præclaris meritis, & virtutibus tuis, contemplatione etiam chariſſimi in Chriſto filij noſtri Arragonum, & Sicilia Regis Catholici, qui hoc à nobis per litteras, & Oratores inſtantiſſimè petijt, hodie in Conſiſtorio N. ſecreto, Cardinalium conſortio, & Collegio te aggregauimus, ſperantes quòd eidem S. R. E. cuius iam honorabile membrum es, vtilis eris, & honorificas, illiuſq. auctoritatem pro viribus conſeruabis, & augebis. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris. die 17. Maij, 1507. Pontif. N. Anno IV.*

Presb. Card. renuntiatus, præfuit titulo *S. Sabinæ*, teſte Ciaconio; vel *S. Balbinæ* cum Panuinio. Huic dignitati alteram fermè æqualem eidem Ximenio conferri Rex idē Ferdinādus, *Inquiſitorē ſcilicet voluit*

*Generalem* in cauſis Religionis examinandis, cui gra-
uiſſimo muneri præfectus tabulas publicas per vni-
uerſas Hiſpaniæ dedit Eccleſias, quibus agebatur,
vt recens ad fidem conuerſi liberiq. eorum, & fami-
lia vniuerſa in rebus Religionis ſeſe gererent, qua-
liter ſacris intereſsent, quibus rudimentis, & exor-
diis ad fidem inſtituerentur Chriſtianam, præſcri-
pſit. Harum exemplum ſeruatur adhuc Compluti.
Quare cum Iulius II. P. R. à Conciliabulo exagita-
tus Piſano litteras Ximenio dediſset, vt Regis Fer-
dinandi animum ad patrocinium ſuſcipiendum Se-
dis Apoſtolicæ inflecteret: Ximenius per Procura-
tores reſpondi iuſſit; vt nulla hoſtium machina de-
bilitatus, à ſuſcepto diſcederet propoſito. Se pro
debita in Sedem Apoſtolicam obſeruãtia, quadrin-
genties nummum aureorum ſtatim ad Vrbem per
publicos argentarios numeraturum, ſeq. ipſum, ſi
opus foret, cum exercitu adfuturum.

Cum verò ſæpè annonæ caritate inopem Tole-
ti plebeculam premi videret, & aliquorum iniqui-
tate apud paucos frumentum recondi, curauit vt
more Romano, Toleti, horrea publica inſtitueren-
tur: & primus omnium frumenti nonaginta millia
modiorum populo donauit Toletano, nouis aſſer-
uanda granariis, & quotannis in vſum Reipublicæ
diſtribuenda. Hinc gratus Senatus Toletanus pri-
die Non. Octob. Ximenii manes facto anniuerſario
ſolet expiare in medio vrbis Prætorio, monimento
poſito. Idem præſtitere Complutenſes inciſo Epi-
grammate ad forum olitorium.

*Æthere ſeù largus, ſeù parcus incidat imber,*
*Largus eſt Compluti tempus in omne Ceres.*

Cum Ferdinando deinde Catholico ad bellum
Nauarræum cum ſuis copiis proceſſit; quo Regnum
illud Coronæ adiectum Caſtellę. Mortuo Ferdinan-
do, Anno 1516. eiuſq. filia Regina Ioanna ad regi-
men inepta, Caroli genitrice, qui in Belgio dege-
bat, Ximenius ex teſtamento, abſente Carolo, Re-
gnorum curam ſuſcepit & per biennium guberna-
uit repreſſis ſeditionibus, quę frequenter regna tur-
babant. Tantis implicitus curis, Indorum conuer-
ſionem nunquàm neglexit, iubens vt nulla nauis ad
nouam terram explorandam, vel ad ſubiugandam
vela faceret abſq. viris Religioſis, quorum zelo
gens illa Idolatriæ dedita ad Chriſti fidem conuer-
teretur.

Morbo poſt hæc apud Aquileram tentatus, viſce-
ribus præcipuè, quorum in ſenibus difficilis eſt cura-
tio; periculi fama Petrũ Gironiũ in Bætica excita-
uit, vt ſeditioſè Luzerũ Aſſidonenſis Ducatus oppi-
dum inuaderet. Mauri oram maritimam Granatæ
infeſtarent, Turcæ qui Duce Horuſcio Barbaſſora
Algerium occupauerant, Oranum Ximenii tro-
phęum irrumperent. Ximenius porrò quamuis cor-
pore debilis, animi minimè remiſſo vigore, con-
gregatis protinùs mille & quingentis equitibus ſub
imperio Quingonii Lunæ Comitis miſit in Giro-
nium, vt captum, vel cæſum ad ſe perducant. Le-
gem diligentiſſimè implenit Quingonius, coegitq.
Gironii patrem errorem filii deprecari, & Giro-
num filium arma ponere: Ex Mauris, qui terceoti in
terram deſcenderant, quinquaginta ſolumodo ela-
pſi, cæteri capti, vel occiſi. De Orano tanquàm de
propria prouincia ſollicitus, omnia neceſsaria vrbi
propugnandæ prouidit, ſed Marte aduerſo: cũ enim
exercitum in Africam miſsum, fugatum à Barbaris
audiuit, litteras dedit ad Leonem X. R. P. quibus ſe
animo minimè fractum cum oſtẽderet, ſequens re-
tulit reſponſum.

*Magna moleſtia tuæ Nos litteræ affecerunt: quibus
ſcripſiſti eum, quem contra communes noſtros hoſtes in Afri-
cam exercitum tranſmiſeras, ab Aphris, atq. Turcis
A reiectum, & fugatum magnam plagam apud Alzaiem
accepiſſe. Te tamen animo fractum non eſſe, neque
quicquam de tuo ardore, & diligentia eam ob cauſam eſſe
detractum: quæ quidem tua conſtantia, & fortitudo do-
lorem meum multò leuiorem fecit. Sic enim exiſtimabam,
ſi to ipſe non contraxiſſet, & ſpem vincendi non abiecis-
ſes, fore, vt breui hæc ipſa res ſecundior multo maiorem
luctum, & diuturniorem hoſtibus pareret. Sed auxit eun-
dem illum ſtatim dolorem meum, atq. moleſtiam Turca-
rum Regis contra Sultanum Ægypti Regem recens, miri-
ficaq. victoria: de qua & te arbitror cognouiſſe, & ipſe
his diebus cognoui: tum eiuſdem Regis ducentarum lon-
garum nauium claſſis, quam illum habere paratam di-
B cunt, qui illinc veniunt. Sed hæc Dominus moderabi-
tur. Te autem atque etiam hortor, vt quando hoc tuo pa-
rando, mittendoque exercitu magna tua diligentia,
maiore impenſa confecto maximam, veriſſimamq. glo-
riam apud omnes homines optimi, fortiſſimiq. Principis,
apud Noſque in primis tibi ipſe comparauiſti, magis etiam
ad eoſdem hoſtes opprimendos, & profligandos, Remq.
publ. Chriſtianam iuuandam pro virili tua iterum, atq.
ſæpiùs te accendas, & pares: atq. in hac quidem cauſa
dignum te, dignum tua virtute, dignum etiam auctori-
tate ea, quam tibi Reſp. dat animum, quid dicam ſu-
mas, qui tantam iam rem egeris? Sed tamen illum ipſum,
quem ſumpſiſti multò antea, magnum, & fortem ani-
C mum, uel retineas diutiſſimè, uel augeas. Nam quod ad
inſequentem annum attinet, eſſe nobis exploratum poteſt,
neris initi mare Noſtrum omne Turcarũ claſſibus plenum
fore. Itaque Nos, neq. deſiſtimus reliquos Principes Chri-
ſtianos magnoperè hortari, ut ipſi ad capeſſendum contra
Turcas bellum in tempore comparent: neque ſi quid erit,
in quo iuuare ipſi cauſam, tam ſanctam, boniſq. omni-
bus tam expetitam poſſimus, non id ſumus libentiſſimè
iam nunc, ſi expediat, præſtaturi: modò unum omnes
ſentiant: unum ſibi, & tentandum, & conandum, &
perficiendum putent. Sed ut ad te, exercitumq. tuum re-
deam, & doleo tuas cogitationes, atque conatus in commu-
nem utilitatem ſuſceptos non multum profuiſſe, & lætor
D tui te ſtudiis, & uoluntatis hoc accepto incommodo nihil
remiſiſſe. Dat. 4. Non. Nouemb. Anno quarto. Romæ.*

His acceptis, dum reparandis caſtris totus incum-
beret; tabellarius ſuperuenit miſſus à Carolo V. qui
Cal. Octob. 1519. ex Belgio in Hiſpaniã aſcenderat,
vt ad Morados in Segobia oppidũ cũ Ximenio arca-
na cõmunicaret. Litteræ tamen ad Senatum remiſſe,
quòd febri laborare cæpiſſet. Vbi ſe mori ſenſit, cor-
pore quamuis afflicto, firmo tamen iudicio, de
rerum humanarum vanitate, de immenſa Dei mi-
ſeri-

ſericordia, apud ſuos breui quodam ſermone piè, & doctè diſſeruit: deinde Crucifixi imaginem, quam ſemper ſub veſte, bracchio alligatam geſtabat, complexus, veniam multis lacrymis efflagitauit, in auxilium euocando Deiparam, Michaelem Archangelum, Petrum & Paulum, Iacobum Hiſpaniarum patronum, D. Franciſcum, cuius vixerat inſtituto, ac Toletanæ Eccleſię Præſides Eugenium, & Ildephonſum, & hoc tanta pietate, atq. Chriſti affectu, vt circumſtantes in lacrymas ſe effunderent. Sacramentis inde ritè procuratis, verſus recitauit Dauidicos, *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te:* prolatiſq. ex imo pectore verbis. *Sancta Maria, quanta apparet rerum Hiſpanicarum turbatio*, vrbium prænuntians, & Communitatum commotionem, quę poſtea ſequuta eſt. Animam efflauit 6. Idus Nouem. die Dominico, Anno 1517. ętatis circiter octuageſimo. Theſaurum, quem in pios vſus, centum ſcilicet, & quinquaginta millia aureorum, in arce Vzedana congeſſerat, teſtamento inter pauperes diſtribuit, & in dotem magiſtralis eccleſię SS. Iuſti, & Paſtoris, quam à fundamentis reędificauerat; nec non in fulcimentum plurium Collegiorum, & Monaſteriorum, quæ fundauerat, diuiſit. Huius etiam ſumptibus B teſtamento legatis, facta eſt Venerijs prima impreſſio operum Alphonſi Toſtati.

Cadauer vnguentis delibutum, vndiq. confluentibus, & lacrymantibus populis, pedes oſculantibus, veſtium contactu funus proſequentibus Complutum, relatum eſt. Accademia ſcabellum temporarium vndiq. gradibus, funebri panno ſtratum, & in eo cęnotaphium ad portam Burgēſem erexit. Aduenienti ſtudioſa iuuentus, Cænobitarum collegia, Ordines Litterarij occurrère męſtiſſimi. Vltimo loco Michael Corraſcus Rector, patribus Theologis, ac Collegialibus comitatus ad Sacellum proceſſerunt. Altera ex parte Abbas, & Capitulum SS. Iuſti, & Paſtoris aduenere: funeſta, & C atrata nouiſſimè acceſſit Ximenii familia. Precibus abſolutis, carmina recitarunt expiandis manibus accomodata tàm Capitulum, quàm Collegium. Ad ſepulturam cum deducendum eſſet cadauer, contentio oritur inter Capitulum, & Collegiales, dum vtriq. Cadauer Ximenii ſibi vindicare pręcudunt; ſed eam Abulenſis Epiſcopus illicò compoſuit productis tabulis teſtamenti, quibus ad Collegiū Complutenſe in æde D. Adelphonſi ſepulchrum ſibi delegerat Ximenius. Multum tamen à Ximenii voluntate Abulenſis Epiſcopus, executor teſtamentarius in parentalibus celebrandis deflexit. Cum enim il- D le prohibuiſſet, ne quid vanitatis in eius funere fieret, ampliſſimum iſte funus procurauit, religionis hoc dicens, & officii, non ſuperbiæ. Dies, quo humandus Complutum infertur, D. Eugenio ſacer erat: quam ob cauſam Theologi lege cauerunt, vt eo die ſacris anniuerſariis Ximenio parētaretur pōpa illuſtri, & concione in eius laudem. Sepulchrum Lunenſi marmore candidū ſub ſimulacro Pontificis cum paſtorali pedo cadauer excepit, cum epitaphio.

*Condideram Muſis Franciſcus grande Lycæum*
*Condor in exiguo nunc ego Sarcophago.*
*Prætextam iunxi ſacco, galeamq. galero*
*Frater, Dux, Præſul, Cardineuſq. Pater*
*Quin virtute mea iunctum eſt Diadema cucullo,*
*Cum mihi regnanti paruit Hiſperia.*

Anno ab Accademia Complutenſi condita, 58. Alphonſus Mendozius Rector ferreis cancellis miro opere elaboratis monumentum cingendum curauit, ſexdecim ſpatiis totā Ximenii vitā cælaturis oſtētā- A tibus præclaris. An. 1545. Abbate Andrea lectore, cū fornix ſubterraneus, in quo Ximenij cadauer cōditum fuerat, reſtauraretur, eius calua in lucem deducta, nullis reperta eſt ſuturis compacta, ſed offe conſtabat continuo, qualem aliquando in homine reperiri notat Ariſtoteles. Fuit Ximenius corpore firmo, procero licet, inceſſu compoſito grauitatem præſeferente, voce virili, ſtabili, facie oblonga, fronte ampla ſine rugis, mediocribus oculis conditis potiùs, quam eminentibus, acutis tamen, & acribus; naſo oblongo, & adunco, narium foraminibus latis, ampliſq. dentibus penè iunctis, ſed caninis prominentibus, labris craſſioribus B & aliquantulum deductis, nam ſuperius aliquantulum attollebantur citra tamen deformitatem, auriculis infimis, non pendulis, ſed perpetua ſerie ad maxillarum iuncturas hærentibus; ſuperiore totius corporis parte longior erat, quàm inferiore, ſeſquitertia fermè proportione, Animi ſententiam breui explicabat, reſpondebat diſertè, nec vnquàm extra rem vagabatur, verborū parciſſimus vel promitteret, vel obiurgaret; Ciceronis illud ſępè vſurpans, nequaquàm à natura ita nos genitos, vt ad ludum, vel ad iocum facti exiſtimaremur. Ad ſeueritatem potiùs compoſitus morte ſua iucunditatem attulit hominibus ſeditioſis, Litteris mirè cum oble- C ctaretur, poſt cænam homines litteratos audiebat diſceptantes: aliquando iuuenum dimicationes dicens. *Bonum Agricolam non minus delectari nouis virgultis, quàm arboribus iam fructuoſis*. Atra bile nonnunquam vexatus, negotiis ſe ſubtrahebat. Quod ſemel faciendum propoſuerat, dicto citius confectum exigebat iuxta illud Salluſtii: *vbi conſulueris maturè, facto opus eſt*. Dicendo liber, verborum libertatem etiam in aliis magna animi moderatione tolerauit. Viciſſitudinis obſeruator humanæ, malleo ex alto decidente, in capite leſus patienter tulit, nulla voce emiſſa, vitæ humanæ perpendens caliginem. Grauioris arcana con- D ſilij nunquàm aggrediebatur, Deo inconſulto, & præcibus fatigato. Purpuræ ſplendore, & nobili ſuppellectili quamuis reuerentiam ſibi conciliaret, interiores tamen veſtes, & lectos, ſtragula, in quibus cubabat, ex præſcripto habuit ordinis Franciſcani, vitæ ſtrictioris cultor perpetuus, vt ex litteris Leonis X. ad eum datis, quas videre eſt apud Lucam Vvadingum in *Annal. Minor.*

*Dilecto filio Franciſco titulo S. S. Balbinæ Presb. Card. Toletano: Dilecte fili ſalutem, & Apoſtol. benedictionem.*

*nem. Accepimus, quod tu, qui ſeptuageſimum, & vltra ætatis tuæ Annum agis, & in Eccleſia Toletana, necnon Regnorum Caſtellæ, & Legionis pro cariſſimis in Chriſto filijs noſtris Ioanna Regina, & Carolo Rege Catholicis gubernatione, & regimine, ac in officio Inquiſitionis hæreticæ prauitatis, quod de commiſſione Sedis Apoſtolicæ laudabiliter exerces, plurimum ſollicitudinis, atque laboris iugiter impendis, proindeque ( vltra quas tanta ætas ſecum affert ) in varias corporis indiſpoſitiones, atque infirmitates ſæpè incidis, ac ætatis tuæ quaſi immemor, medicorum conſilia ſpernens, à ieiunijs, & abſtinentijs per Eccleſiam indictis, & per Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de obſeruantia, cuius tu profeſſor exiſtis, adhuc deſiſtere non curas; ſed ea conſtantiſſimè obſeruando, habitu, ac cingulo per dictos Fratres geſtari ſolitis, nocte indutus in lectum te recipis, & cum illis ibi manes, ac lanea tunica vlteriùs, & alijs auſterrimè viuis. Et licet dilecte fili modus iſte viuendi ſit exemplaris, & laudari potiùs, quàm reprehendi debeat, ac clarè conſpiciamus, te ad brauium æternæ vitæ non lentis gradibus properare: tamen quia [ vt accepimus ] complexio, & ætas tua iſtis vitæ auſteritatibus adeò rigoroſis, atq. arctis non eſt apta, ac deceat te, qui multis annis ieiunia ipſa, & dictorum Fratrum viuendi modum integerrimè obſeruaſti, velut emeritum militem ad maiora ſeruatum, tanta ætatis mole grauatum, à tanta viuendi auſteritate iam deſiſtere, ſperans, quòd tu, qui regimen, ac officium prædictum integerrimè exercendo, S. R. E. & Religioni, ac Regnis prædictis maximè vtilis fuiſti hactenus; de cætero etiam illis, nec non generali expeditioni contra Infideles per Nos fieri propoſitæ, ac deliberatæ, quibus tu nonnunquam magno terrori, ac formidini fuiſti, quorum vires cum non parua illorum ſtrage contriuiſti, futurus ſis vtilis, ac neceſſarius; animoq. repetamus conuerſionem Regni Granatæ ad Chriſti fidem, & expugnationem ciuitatis Orani, & alia iam ferè omnibus nota, per te cum Dei auxilio præclarè geſta; motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hac oblutione petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera deliberatione, ac certa ſcientia de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in virtute ſanctæ Obedientiæ ( cuius quanta ſit virtus, & efficacia non ignoras ) ac pro tua erga hanc Sanctam Sedem ſolita, atque in multis cognita reuerentia, ac ſub Noſtræ indignationis eo ipſo, quod huiuſmodi Noſtri mandati fueris transgreſſor, pœnis præcipimus, & mandamus, vt de cætero quandiu in humanis vixeris, diebus ieiuniorum prædictorum, ſextis ferijs, & maioris hebdomadæ ſanctæ dumtaxat diebus exceptis, carnibus, & alijs ſementinam originem ab eis trahentibus, veſci, ac vti debeas, quibus diebus tres Chriſti pauperes reficiendo, omne ieiuniorum meritum conſequaris, perinde, ac ſi ad litteram ieiunia ipſa plenè obſeruares, & adimpleres. Et ipſis quoque diebus ſuperiùs exceptis, dum medicorum conſilio tui corporis ſaluti expedire decernatur, carnibus, & ab eis originem ducentibus tibi ſimiliter veſci, ac vti liceat. Necnon habitu, ſine tunica lanea, & cingulo prædictis per te dimiſſis, linea dumtaxat tunica in lecto ſindonibus, ſine lineis linteis ſtrato cubare, atque dormire, ac alijs in præmiſſis, & eorum aliquo medicorum, qui tui corporis valetudini curabunt, libero conſilio, & ſuaſioni parere, ac obedire poſſis, & debeas. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Statutis, & Conſuetudinibus Eccleſiæ, & ordinis prædictorum, iuramento, voto, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, & indultis, ac litteris Apoſtolicis, etiam per eas ſit cautum, ne quis dicti Ordinis frater aliquid etiam ab Apoſtolica Sede abſque licentia ſui ſuperioris impetrare, aut illo uti audeat, etiamſi de illis plena, & expreſſa de uerbo ad uerbum fienda eſſet mentio: quibus omnibus ad effectum præſentium, harum ſerie pro hac uice derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quod ſi te comeſtibilium ap-* A *petitum amittere contingat, & propter hoc, uel aliter medicis prædictis expedire uideatur, piſcibus iuxta ipſorum medicorum ordinationes quibuſuis anni temporibus ueſci, ac uti poſſis, & debeas, ita ut tuæ corporis bona ualetudini integrè conſulatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die ultimo Maij milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, Pontificatus Noſtri anno quinto.*

Quoties Sodales S. Franciſci, panem oſtiatim quærebant & vinum: aiebat: *Panem expoſcere iure ſuo*, quòd ſine eo viuere comodè haud poſſent: *Vinum verò meras eſſe delitias, cum tot perennes fontes ubique ſcaturirent.* Tempore plerumq. tondebatur nocturno, ne vllam diei particulam Reipublicæ ſubtra- B heret. Preces horarias ſolus plerumq. & obſerata ianua abſoluebat, vt occaſionem adimeret interpellandi. Sacram celebraturus Synaxim, frequentiùs in ædicula operabatur priuata, duobus Franciſcanis præſentibus, quos in id munus apud ſe habuit. In Eccleſijs non niſi Gregorianum cantum admiſit theatralia reſpuens. Templa requirebat more priſco, non multum ſpatioſa, & ſubobſcura, quòd in his mens colligi ſoleat. Extremo vitæ tempore, cũ morbo irruente, in publicũ prodire ſæpe prohiberetur, nõ ſine forenſiũ incommodo, & querimonijs, qui eum propterea apud Regem accuſabãt, reſpondit Rex: *Plus momenti in vnius Ximenij, Rempublicam* C *ſuſcipere quàm in omnium priuatorum negotijs.* In Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributione; quæ curam habent annexam animarum, familiaribus etiam omiſſis, ignotos vocabat homines probos, & in aliorum commodis curandis piè ſollicitos, quos vel mediocri litteratura præditos doctioribus minùs ſtrenuis præferebat. Opima Sacerdotia filiis diſtribuebat Magnatum, vel viris doctrina præſtantibus: nam ex nobilibus (aiebat) fauorem, ex doctis auctoritatem rebus ſacris conciliamus. In familiam nonniſi optimos, & efficaces admittendo, nouis ſemper augebat incrementis, vt ſolet genitor cariſſimos filios. A familia diſcedere volentem illicò dimittebat D cauſa etiam non requiſita, nec ampliùs admittebat. Æqui, iuſtiq. obſeruantiſſimus; ſi munera ſua miniſtri parum integrè, vel negligenter obirent; illicò Magiſtratibus amouebantur, quamuis coniunctiſſimi. Vitæ ſanctimoniam Prophetiæ dono, & miraculis confirmauit, ita vt Complutenſes, & Toletani, inter quos vixit, & obiit, *Beatum* proclament, ſuoſq. miſerint Oratores Romam, qui interpoſitis Regum precibus, pro beatificatione anxii inſtarent, Philippus IV. ſequentes ſcripſit ad

In-

Innocentium X.

*Muij Santo Padre.*

*El Cardinal D. Fr. Franciſco Ximenez Arcobiſpo de Toledo fue tan inſigne en la rigurofa obſeruancia de ſu Religion, el tiempo, que uiuio con ella, y deſpues en la adminiſtracion de ſu Pralaçia, que reſplandeçio mucho en ſantitad de uida: de mannera que ſu memmoria ha ſido, y ſera ſiempre uenerabile, en eſtos Reynos, donde exercito otras grandes uirtades morales en muchos benefiçios de ellos, como ſupongo que V.S. ſe hallara informado, y de nueuo le informerà el Duque del Infantado mi Embaxador. Suplico V.S. tenga por bien de oiole gratumente, y dandole credito à lo que referirà de mi parte, ſea ſeruido de mandar,* A *que ſe continue, y deſpache la cauſa pendiente ſobre la Beatificacion, de eſto Varon inſigne, en que Yo, eſtos Reynos, de qua fue Gubernador, la Orden de S. Franciſco, en que fue Religioſo, el Collegio Mayor, y ſu uniuerſidad, que fundo de Alcala à ſu coſta, y las Prouincias de Beruería, donde abrio una gran puetta à replantar en eliar nueſtra Santa Fee con la conquiſta de la plaças de Oran hechas à proprias expenſas, recebiremos de V.S. muy ſingular graçia, y conſuelo. Nueſtro Señor guarde la muy ſanta perſona de V.S. al bueno y proſpero regimiento de ſu uniuerſal Yglesia, De Madrid. 14. de Iulio. 1460.*

*El Rey.*

B

Ad Alexandrum verò Innocentii ſucceſſorem litteræ ſunt datæ ſequentes.

*Muy Sante Padre.*

*En differentes occaſiones repreſentè per medio de mis cartas, y de mis Embaxadores la Santidad de Innocentio X. las grandes virtudes, meritos, y ſantidad, que reſplandeſçieron an el Cardenal D. Franciſco Ximenez de Ciſneror, Arçobiſpo de Toledo, durante ſu vida, ſupplicandole ſubieſſe per bien deſpachar la cauſa pendiente ſobre ſu Canonization, y porque en aquel tiempo ſe adelanto poco eſta materia, y Yo tengo particulares razones para deſſear ver decorada la memoria de Varon tan digno con los fauo-* C *res de la Yglesia, ſuplico à V.S. de nuebo, ſe ſirua mandar ſe camine en ello ſen dilaçion, que Yo, eſtos mis Reynos, la Religion de S. Franciſco, y el Collegio mayor de la Vniuerſidad de Alcalà, de quien fue fundador, reciuiremos en elle muij ſingolar graçia, y fauor de Vueſtra Beatid, Nueſtro Señor guarde la muy Santa perſona de V. B. al bueno, y proſpero regimento de ſu vniuerſal Yglesia. De Madrid 12. Otubre, 1655. Muy humilde, y deuoto hijo D. Philipe per la graçia de Dios Rey de las Eſpannas, de las dos Sicilias, de Ieruſalem etc. que ſus Santos pies y manos beſſa,*

*El Rey.*

D

Plura recurrunt huius Cardinalis elogia, inter quæ Philippus Ferrerius in ſuo catalogo; *Toleti depoſitio B. Franciſci Epiſcopi Toletani, & Cardinalis Ordinis Minorum, vitæ ſanctitate conſpicui.* Et in notis: *Obijt Anno 1717. non ſine ſanctitatis opinione maxima ob vitam ſanctiſſimè actam.*

Simon Cugna Ribera Luſitanus de eo, epigrammate luſit ſequenti.

*Qui ſtupet ex humili me perueniſſe cucullo,*
*Præſulis ad culmen, Cardineumque decus,*
*Adiunctumq. ſagis ſceptrum, Libyamq. ſubactam,*
*Totq. Deo, & Muſis Templa dicata ſacris:*
*Virtutes potiùs ſtupeat, quibus Orbis, & omnis*
*Ceſſit honos, tituli, purpura, regna, decus.*

De eodem Petrus Martyr Mediolanenſis.

*Ordo Cardineus quondam decus eſſe ſolebat,*
*Ornabatque viros hęc data flammma nitens.*
*Nunc autem recipit, dare quòd rubeo iſte galerus.*
*Eſt ſolitus; uellat quem caput iſte tuum.*

Scripſit Ximenius plures epiſtolas, quarum aliquæ extant ad Carolum Bouillium, & alios. Eidem Petrus Martyr Mediolanenſis Tabulas Geographicas, ac Poema inſcripſit *de Ludis Hiſpanicis.*

De eo ſcripſere Ciaconius, Panuinius, Sanderus, Aluarus Gomecius; Fr. Lucas Vvadingus; Ludouicus Donius d'Attichi, ex quo ſupradicta deduximus. Andreas Victorellus, Vghellus. Hiſpano ſcripſere idiomate Eugenius de Rubles. Marcus Vlyſſiponenſis; Antonius Daza. Italicè ſcripſere Garimbertus; Bartholomęus Cimarelli. Gallicè Auberii, Michael Gaudier: Hilarion de Coſte: Henricus Albi: Petrus de Quintauilla Mendoza Ordinis Minorum libro, *Oranum Ximenij uirtute Catholicam*: in quibus omnibus *Magni Cardinalis* titulo, eius mentio recurrit, Eius imaginem habes in libello, Theodori Gallęi Antuerpienſis, in quo XII. Cardinalium Imagines pietate, doctrina, rebuſq. geſtis illuſtres cum elogijs.

*Cernere te Cœlo demiſſum numen ab alto*
*Lector Simeny dum conſpicis ora putato*
*Edi qui varijs curauit Biblia linguis*
*Quo meritò illius volat omnem famam per Orbem.*

25. *Si dormiero dicam: quando conſurgam: & rurſum expectabo veſperam: & replebor doloribus uſque ad tenebras.*
Iob. 7.



SIxtus Gara de Ruuere Lucenſis, Iulii II. ex ſorore Luchina nepos, & defuncti Galeotti Cardinalis frater vterinus, ex Priore Vrbis Romæ, ordinis S. Ioannis, & militiæ Hiæroſolymitanæ, Presb. Card. tit. *S. Petri ad Vincula*, electus à Iulio II. die Lunę 11. Septemb. 1508. alias *Eudoxiæ*, quamuis nondum ſacris initiatus, in omnibus fortunis, ac dignitatibus Galeotto fratri ſucçeſſit, non tamen in morum elegantia, & eruditione, à qua longè abfuit. Archiepiſcopatum rexit

xit Beneuentanum, Epiſcopatum Lucenſem, Cremonenſem, Vicentinum, Patauinum cum munere V. Cencellarii S. R. E. Eius tamen promotio in Ep: Vicentinum, magnæ diſcordiæ fuit ſeminarium inter Iulium Pontificem, Senatumq. Venetum; quippè qui ægrè ferens opulentum Sacerdotium in extraneum tranſmiſſum; Iacobum Dandulum Patritium Venetum ad hanc nominauit Eccleſiam, quam ille toto diſcordiæ tempore direxit, Electi titulo contentus, donec pace peracta, titulo ſe abdicauit Dandulus: Sixtus verò Vicentinam cum Patauina commutauit Eccleſia, An. Sal. 1509. cumq. accerrimis podagræ doloribus grauaretur, procul A ab aula, & à publicis muneribus abſcedere coactus, omnem ferè ætatem rure conſumpſit.

Ad Cardinalium promotionem vocatus à Leone X. cum ob malam valetudinem ſe excuſaſſet, litteras à Papa recepit ſequentes.

*Lectis tuis litteris, quibus me certiorem facis ad aquarum Veneris balnea curandi tui cauſa te acceſſiſſe: neq. nunc quidem ſine tua valetudinis incommodo poſſe iſtinc diſcedere. Itaque rogas, ne te accuſem, ſi ad Cardinalium comitia Romæ, eſſe quemadmodum tibi ſcripſi cupere me, eique rei intereſſe nequiuiſti. Ego verò Sixte te excuſo valetudiniſq. tuæ rationem tibi imprimis eſſe habendam ſtatuo. Quid enim poſſumus, aut quid planè ſumus ægroti?* B *Quare manebis tu quidem iſto in loco pelibente me tandiu, quoad tibi vſui erunt aquæ iſtæ, à quibus tibi profici valde cupio: vt rectâ poſthac valetudine vti poſſis, mecumq. & cum noſtris fratribus Romæ eſſe. Hortor autem te, quo res melius tuo etiam conſenſu tranſigatur, & tuo chirographo, vel mihi, vel cuiuis, qui tibi ad eam eſſe rem idoneus videatur, mandes tuam vicem: vt is in creandis Cardinalibus Laurentio Puccio, Iulio Medice, Bernardo Bibiena & Innocentio Cibo, quæ tu dicere agere ſi adeſſes, poſſes, dicere agere ipſe quoque poſſit. Dat. 16. Kal. Octob. 1513. An. 1. Romæ.*

Quinta die antequam decederet, Lucenſi ſe abdicauit Epiſcopatu in gratiam Leonardi Card. Groſſi C Roborei: quamuis aliàs eiuſdem Eccleſiæ Lucenſis curam Andreæ Franciòto Lucenſi patritio committere voluerit, & à Leone X. ad id faciendum hortatus fuerit litteris ſequentibus.

*Significauit mihi Bernardus Bibiena Quæſtor meus, Nicolas fratris tui nomine Epiſcopatum te Lucenſem Andreæ Francioto velle tradere: quæ quidem mihi res vehementer probatur: amo enim valde hominem cum mea ſponte quidem, tum vel maximè, quòd is cariſſimus fuit Galeotto Cardinali fratri tuo, qui cum mihi, vt ſcis, ſumma neceſſitudo, ſingulariſq. beneuolentia interceſſerat. Itaq. non ſolum ea de re magnoperè laudo, ſed hortor etiam, vt quod ſemel in animum induxiſſi tuum velle facere te, id* D *re efficias: quod ut comodius facere poſſis, polliceor tibi, me & Epiſcopatus tui tibi quandiu uixeris, & Præfecturam militum Hieroſolimitanorum, quas ille poſſidet, fructus ipſi Andreæ reſeruaturum; quin etiam ſi opus fuerit, tuq. ita ſtatuas eſſe faciendum, Epiſcopatus tui fructus aliorum Sacerdotiorum fructibus, qui tantidem ſint, tibi facilè compenſabo; nihilq. prætermittam earum rerum, quas tu fieri noles, vt id iam ipſum libentiùs facias. Dat. prid. Non. Septemb. 1513. An. 1. Romæ.*

Romæ vita exceſſit die Dominica, 8. Martii, 1519. ætatis ſuæ, 44. ſub Leone X. cuius creandi adfuerat comitiis, ſepultus ad aram maximam S. Petri ad Vincula cum inſcriptione ſequenti,

*D. O. M.*

*Sixtus Iulij II. nepos, Sixti IV. P. M. pronepos, S. Petri ad Vincula è familia Roborea quartus Presb. Card: S. R. E. V. Cancellar. Sepulchrum in templo à ſua familia dotato & inſtaurato, ornato, uiuens ſibi elegit. Obijt VIII. Martij MDXVII. Annum agens XLIV.*

Viros amaſſe litteratos, argumento ſint Epigrammata Angeli Politiani ſequentia. A

*Tenderet Hetruſcam nuper cum Xyſtus in urbem*
*Aurea qua magni ſigna Leonis habet,*
*Viderat aſſiduis pallentes ſolibus herbas*
*Et cana limoſo flumina ſicca ſinu*
*Viderat & querulis poſcentem uocibus imbres,*
*Effuſas populum congeminare preces,*
*Ergo ſalutiferos ſuſpendit in æthere nimbos,*
*Dum pergit Lydas Xiſtus adire domos.*
*Inde ubi iam lætus media ſe ſe intulit urbi,*
*Obtulit, & Tuſcis ora ſerena pijs*
*Ardua laxatos diſcuſſit nubila cælo*
*Et liquido arentem nectare pauit humum,*
*An quiſquam neget eſſe Deum, te Xiſte tenentem*
*Imperium terris, imperiumque poli?*

Ad eumdem

*Verba dedi Xyſto, decet hæc dare dona Poetam*
*Æra decet Xyſtum reddere, verba refert.*
*Verum habet ille alios, qui dent ſibi uerba, fatemur*
*Æra tamen qui nunc det mihi, nullus adeſt.*

Ad eumdem propter Poetas detractores

C *Credebam demens Xyſtum mihi uerba dediſſe*
*Fallebar, uates nam mihi uerba dabant.*
*Nil queror, inſanis mos eſt dare uerba Poetis,*
*Dij faciant, nè ſis Xyſte Poeta mihi.*

Ciaconius, Panuinius, Vbertus Folietta in elog. Contelor. Auberii, Vghellus.

26. *Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus nouis utens legibus, & Regis ſcita contemnens. Optimè noſti, quòd non expediat regno tuo, ut inſoleſcat per licentiam.* Eſter. 3.



CHriſtophorus Anglicus (quē Vrſuuicuum, alii Brambiggium, vel Brambrigde appellant) Ioanni Morono Cardinali Cantuarienſi à ſecretis, & comes fortunæ, & infortunis, naufragium ferè paſſus in aula Richardi III. Angliæ Regis, emerſit ſub Henrico VII. huic factus magnus Eleemoſinarius, deinde Archiepiſcopus Eboracenſis S. V. D. ſui temporis non incele-

lebrem dixit Vghellus *in additionibus ad Ciaconium*; cũ Garimbertus & Ciaconius indoctum, vanitate inflatum pinxerint. Inter Cardinales adſcribitur Presbyteros tit. *S. Praxedis* à Iulio II. Rauennæ, die X. Martii, 1511. promotione quinta, occaſione belli inter Papam & Ludouicum Gallorum Regem, cũ Chriſtophorus pluribus legationibus functus Regis nomine ad Maximilianum Imperatorem, ad Carolum VIIJ. Gallorum Regem; ad Franciſcum Britanniæ, & Ludouicum Aureliæ Duces, quæſturam Apoſtolicã in Anglia nomine Alexandri VI. & Romę tunc oratorem cum ageret ad Iulium II. Henricum apud quem auctoritate, & fide plurimum valebat, Pontifici vt opem ferret, ac parata claſſe arma contra Ludouicum aſſumeret, induxit. Ea re fæliciter geſta, dum adhuc Oratoris munere fungeretur, Cardinalis aſſumitur & in caſtris Iulij IJ. cõtra Gallos legatione perfungitur. Sed homo inſolentis, & intemperantis ingenii, indutus purpuræ ornamento iracundos, & inornatos, mores non mutauit: quę morum acerbitas non modò in domeſticos, & ante ambulones ſuos, quos publice verberabat in via, ſed etiã in alienos intẽpeſtiua & effrenis iracũdia violentũ, & inopinatum attulit vitę exitum. Nam inter alios ab eo contumelijs affectus, aut fuſtibus pulſatus quidam *Rinaldus* patria *Mutinenſis*, eiuſdem familiaris ab eodem abſq. vlla cauſa verberatus, eum veneno interemit, inſtigante etiam Epiſcopo Vingorn ienſi, vt patet ex proceſſu inſtructo aduersùs Rinaldum, qui in carcere vt publicum effugeret ſupplicium, ſeipſum veneno confecit; cuius cadauer ſectum in fruſta ad vrbis portas pependit. Aliqua ſcripſiſſe perhibetur ab Auberii, nempe geſta legationum ſuarum, quamuis illitteratus, & indoctus. Vento inflatus ambitionis, Archetypum ſcientiarũ cum ſtolidè ſeipſum profiteretur, Reginaldum Polum gloriam Angliæ, decus purpuræ, & litterariæ Principem Reipublicæ incuſabat, arguebat tanquã animi abiecti, & vilis, quaſi ſtemmate indignum gentilitio, & doctrina, qua Polus elucebat. Thoma Moro namque pręſente (Martyr ille ſanguine, & virtutibus laureatus) ad Polum conuerſus Chriſtophorus die quadam dixit: *Beneficiolum ei deſignaſſe, quo facilius abiectum animum in ſtudijs traduceret*: cuius ſuperbia ſtomachatus Moro riſu excipiens dicta Chriſtophori; ad Polum verſus: *Vilis animi te arguit homo viliſſimus terrenarum rerum luto implicitus; cum tu cæleſtia contempleris.* Die altera volens Chriſtophorus Homeri carmen recitare, quod erat oblitus, vel nunquàm legerat; ad Polum Græcè inquit Moro οὐδὲν πρὸς ἔπος quod latinè *Nil ad propoſitum*. Chriſtophorus tumidus, inſolens & ignauus credens carmen allegatum à Moro, illud eſſe quod ei Latinè non occurrebat, Hoc ipſum eſt, non ſine riſu, & deriſione poſtea inter tantos viros.

Periit die Iouis, pridie Cal. Iulii, vel 14. Iulii, Anno 11. Pontif. Leonis X. Salutis verò 1514. ſepultus in eccleſia hoſpitalis S. Thomę, nationis Anglicę cum ſequenti epitaphio.

*D. O. M.*

*Chriſtophoro Archiep. Eboracenſi, S. Praxedis Presb. Card. Angliæ, à Iulio II. P.M. ob egregiam operam S.R.E. præſtitam dum ſui Regis Legatus eſſet aſſumpto quàm mox & Domi, & foris, caſtris Pontific. præfect. tutatus eſt. Obijt prid. Id. Iul. A. Sal.* 1514.

Ciaconius, Panuin. Pitſæus de Scriptor. Angliæ. Garimbertus, Vghellus. Guicciardinus, Iacob. Nal. *Hiſtor. Florent.* Auberij. Scipio Amiratus. Victorel. Contelorius. Filiucius *elog. M. S.*

A 27. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Eccli. 7.



ANtonius Ciocchi, quem alij Antonium Mariã nominant, è monte S. Sabini, prope Aretium in Hetruria, Mõtanus, ſeu de Mõte dictus, Fabiani Aduocati Conſiſtorialis, ac inſignis Iuriſconſulti filius, Iulii III. patruus, Epiſcopus Tiphernas, Ariminẽſis, Caiacẽſis, Archiep.
B Sipontinus, Cameræ Apoſtolicæ, ac Rotæ Auditor cum eſſet, non tam iudicatæ litis magnitudine, quàm conſtantia iudicis aduersùs Principis gratiam, eiuſq. ſubitam indignationem, ac præclariſſima mox virtutis æſtimatione Antonij iudicium fuit celebratum: teſte *Ioanne Rho l. 4. c. 1. Nitebatur Iulij II. P. M. gratia litigator potens, aduerſariumq. eadem premebat, nam & Iulius ſecundùm amicum ſententiam ferri cupiebat maximoperè, ſed non ideo flexus Antonius eſt, quin contra ſentiret, ac decideret. Id ubi reſciuit Iulius, qui ius pro amico ſtare ſibi perſuaſerat, & ardentioris animi erat, adeò commotum ferunt, vt Antonius prima irarum metuens, Neapolim clam ſe*
C *reciperet, haud ſatis ſua ſe dignitatem (nam Rotæ Auditor erat) irato Principe tutum in vrbe credens. Pontifex vbi refrigeratus eſt uim animi, æqui amantem, virtutemq. admiratus, reuocatum in vrbem Antonium in Senatum legit, aperuitq. Iulij III. fatis viam, qui Antonij fratris filius egregia indole adoleſcebat. Rara viri conſtantia, ſi cum magnanimo Iulij iudicio componatur, quem præferas, dubia trahat ſententia mentem.*

Inter Cardinales adſcribitur Presb. tit. *S. Vitalis* die X. Martij, 1511. relicto poſtea *S. Vitalis* titulo, dictus eſt *S. Praxedis*, mox Ep. C. *Albanus, Tuſculanus* An. 1523. *Prænestinus, Sabinus. Portuenſis*, Præſul quoque eccleſiæ adfuit Papienſi, ac
D Nouarienſi. Huius Cardinalis optimo, ſalutariq. conſilio, ad abrogandum Conciliabulo Piſano fidem Romæ Lateranenſe indictum Concilium, cuius Acta conſcripſit tam ſub Iulio II. quàm ſub Leone X. Protector Ordinis Fratrum Seruorum, plura eis contulit beneficia. Comitijs cum adfuiſſet Hadriani VI. Leonis X. Clementis VIJ: hoc abſente, Romæ, ſub Leone X. in Vmbria legationem geſſit; Domum inuiſit Lauretanam, dono relicto S. Mariæ de Populo, priuſquàm

Roma Lauretum diſcederet, teſte Philippo Bellucio qui iter Cardinalis carmine deſcripſit.

*Inde propinqua caput non longè à littore Templa*
*Tollere iam turres, & Lauretana videmus*
*Mœnia quæ Pelagi ſcopuloſo gurgite fluctus*
*Adriacas voluant, Borea reſonante, procellas.*
*Miramur molem immenſam, Templumq. ſuperbum,*
*Atque vrbem, quondam nemora, & magalia tantùm*
*Creſcere, miramur ſtrepitum, turbamq. frequentem;*
*Virginis effigiem veram, ſedemq. vetuſtam:*
*Tot memoranda Ducum, Regumq. ingentia dona,*
*Soluere vota parans ſanctam proſtratus ad Aram*
*Procubuit gemitu Princeps, ſacriſq. peractis*
*More ſuo, lætus Matri pulcherrima donat*
*Munera Chriſtiparæ, fuluo pretioſa metallo;*
*Atque ait, à noſtra Virgo ſpes vna ſalutis,*
*Quæ miſeros primi damnatos labe parentis*
*Tartareis pœnis reuocas, Cœloque redemptos*
*Poſſe frui æterno partu inuiolata dediſti,*
*Nunc precibus placata meis pietate miſellum*
*Reſpice quæ ſolita ei, noſtris, & ſordibus item*
*Siſte Dei tactam, tantiq. miſerta laboris.*
*Accipe Diua Parens quæſo hæc, ſint vilia quamuis*
*Munera, meque tua ſanctiſſima protege dextera,*
*Da Diua optatam pacem, da Diua quietem*
*Chriſticolis, duce te ceſſent crudelia bella,*
*In Turcas, Mauroſq. truces, & vana colentes*
*Numina corda moue, mentemq. & pectora ſancta*
*Pontificis: cui longa precor, tranquillaq. fata,*
*Conſcia mens recti populum pietate gubernet,*
*Ille ſuam ſolita Petri ſanctiſſima ſceptra*
*Augeat, infandos veſani comprimat hoſtis*
*Errores, meraſq. ſimul caligine cæca*
*Diſyciat ſectas Martini vinctaque tradat*
*Colla premendat ibi, pariter da Diua ſalubrem*
*Aera, ne crebras inducant ſidera mortes,*
*Languor epidemiæ ceſſet, de carcere demum*
*Viſere terreno cœleſtia ſolutos.*

Obiit ſub Clemente VII. die 20. Septemb. Sal, Anno 1513. Ætatis ſuæ 72. ad Ianiculum In eccleſia ſepultus S. Petri de Monte Aureo; cum Epitaphio.

*D. O. M.*

*Antonio Fabiani F. de Monte S. R. E. Ep. C. Portuen. Qui ob ſingularem Cæſ. ac Pontif. Iur. peritiam vrbanis ferè omnibus I. D. Magiſtratibus Innoc. VIII. Alex. VI. & Iulio II. P. M. ſanctiſſimè geſtis ab eodem Iulio per omnes dignitatis gradus in Cardinal. ordinem adſcitus eſt, multiſq. inde Reip. muneribus Domi, foriſq. Præfect. ac in Vmbria ſemel Leonis X. & Clem. VII. in Vrbe iterum Legatus eam ſemper præ ſe integritatem, prudentiam, pietatem tulit, vt Romana, & Catholica Eccleſia non tam Fratrem, ac membrum nobiliſſ. ſed Caput ipſum, & Patrem, eius morte amiſiſſe viſa fuit.*

*Vixit An. LXXII. è vita exceſſit An. Ch. MDXXXIII. Iulius III. P. M. patruo chariſſ. ac de ſe, & Balduino fratre ſuo opt. mer. F.*

Duo huius Cardinalis occurrunt nummiſmata in muſeo Caroli Antonij à Puteo. Teſte *Oldoino*, quæ tamen ſilentio percurrit, nulla eorum facta deſcriptione.

Ciacon. Pannin. Auberii. Carol. Catthar. *in Syllab. Aduoc. Conſiſtor.* Contelor. Vghellus. Antonius M. Spelta *Hiſtor. Papiens.*

28. *Præcinxiſti me virtute ad bellum: ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.*
Pſal. 17.



A Matthæus, vel Marcus Schiner, cognomento *Lango*, non *Longus*, apud *Gomeſanos*, humili genere in vicul *Mulibachio* natus, Sedunum à parentibus miſſus, deinde Tigurim, prima litterarum rudimenta didicit, quibus in locis cum more pauperum ſcholarium illius regionis, hymnos ad victum comparandum in multorum præſentia decantaret; ſenex quidam ad ſe vocatum puerum diligenter inſpiciens, nomine requiſito, & patria ad adſtantes conuerſus, *Puer hic* (inquit) *aliquando Epiſcopus, & Princeps noſter erit*: quę vox animo pueri altiſſimè incubans ad ſtudia viriliter excitauit.
B In Italiam miſſus, Italicam, Latinamq. linguam Nouocomi, ſub Theodoro Lucino perdiſcens, robuſto, auidoq. ingenio dignam Germano, Italoq. homine ſcientiam, & exultam rerum cognitionem comparauit. Iuuit natura labores, robuſta namq. tenaci memoria nihil earum rerum, quæ audiret, vel legeret, memoriam amplius ſubterfugiebat. Ægri præceptoris ſæpè implens officia, fœlici æmulatione æquabat magnam partem Maronis Æneidos, & Heroidum Naſonis explicando. Plures percurrit auctores, & Seuerinum Boetium inter reliquos ſelegit, qui moralibus refertus exemplis, horum floribus ita ſermones ornabat
C quotidianos, vt eius eloquentiam admirarentur Itali, atq. Germani. Sacris initiatus primum apud Valleſios curam nactus ignobilis vici ita ſe geſſit, vt apud vicinos magnam ſibi doctrinæ, & probitatis opinionem comparauerit. Canonicus poſtea renuntiatus Sedunenſis, Nicolao patruo ſe ab Epiſcopatu Sedunenſi abdicante; Populus (cuius erat per ſuffragia Pontificem ſibi deligere) Mattheum poſtulauit. Dignitate recepta, vbi infulatus de more in templo ſacras cæpit habere conciones, tanto concurſu omnis generis hominum audiebatur (quòd mores exactè ſobrios caſtoſque præferret, qui ipſam eloquentiæ
D laudem ſine controuerſia ſuperarent) vt ampliore dignus haberetur Sacerdotio. Efficax namq. in componendis controuerſiis, quæ inter ciues, vel finitimos intercederent, vſque adeò rectè, atq. incorruptè, vt nemo vel factioſus, eum vltro oblatum arbitrum rejiceret. Hiſce moribus auctoritate apud populares collecta, probitatis, atq. induſtriæ nomine potens, & validus, fortunam etiam habuit amicam. Bellum namq. cum gereretur inter Iulium II. R. P. & Ludouicum Galliæ Regem, & infauſti, execrandiq. nominis cauſam ſuſcepiſſet Gallus excitandi Piſani Concilii, cuius ſanctionibus,

nious, atq. armis, Pontificis dignitas conuelli poſſet: iamq. eò res perueniſset, vt Iulius ex Rauennate, cruentoq. prælio victus, ſpoliatuſq. Bononia, armis vndique circumuentus, ab externis gentibus, Heluetiis præſertim opem implorare cogeretur: in ea controuerſiæ Matthæus integræ pietatis ſtudium, egregiamq. operam ſic præſtitit, vt à Iulio ſupplente Senatum, die X. Martii, 1516. in honorem Heluetiæ gentis, purpuræ dignitate cohoneſtaretur *S. Pudentianæ tit. Paſtoris*. Nec multò poſt Matthæus pluribus apud Heluetios concionibus habitis, perſuaſit egregiè, vt pia arma ſuſciperent aduersùs Gallos. Quòd ob id A non magnoperè difficile fuit: quoniam gens Heluetia paulo ante ſe ſe ab amicitia Ludonici Regis alienarat, tanquàm ingratè ſpreta, & fraudata donatiuis, atq. ſtipendiis, auari aut certè nimis parci Regis acceptam contumeliam vindicare percuperet, eoquè grauiùs, & properantiùs, quòd pro Heluetiis legionibus auxiliariis Gallus Germanorum cohortes mercede conducere cæpiſset: cuius iniuriæ is fuit exitus: vt Matthæus cum ſuo adſtrictus officio, tum purpurei galeri beneficio obligatus, vniuerſam gentem aduersùs Gallos concitaret, eoſq. Ticino pulſos, per Alpes in Gallicam fugientes, impe- B rio expelleret Ciſalpino: Nec in ea celebri victoria, qua haud dubiè Pontifici ſua dignitas eſt reſtituta, Matthæus aut ſtudium erga Pontificem, aut odium in Gallos intermiſit. Nam mortuo Iulio, Leonem X. pro recipienda Parma, atq. Placentia bellum mouentem mirificè adiuuit, Galloſq. Duce Lautrechio, iterum Mediolano depulit, ſæpeq. inſtaurato bello *Defenſores Eccleſiæ* ab eodem Leone X. appellari meruerunt Heluetii; donec Fato ſunctus Leo, eiq. ſuffectus Hadrians VI. cuius comitiis interfuerat, nunquam ab auctoritate nominis Pontificii diſceſſit. Mortuus eſt Romæ, primo Hadriani Pontifica- C tus, Anno ætatis ſuæ Sal. 1522. die 2. Octob. in Eccleſia ſepultus Teutonicorum S. Mariæ de Anima vir exactæ virtutis Imperatores potiùs, quàm inter Senatores numerandus, ſi corporis, ac ingenii robor, & rerum ſtrenuè geſtarum cumulum ſpectes. Maximè verò ei glorioſum fuit Franciſci Regis iudicium, cum aſſeueraret aliquanto ſibi ſumptus, atque periculi Matthæi Sedunenſis facundiæ vim indomitam, quàm tot legionum eius gentis cuſpides attigiſse.

Violentiæ, ambitus accuſatur, cæteraq. ei adſcribuntur, quæ viris militaribus imputari ſolent. Vitam namque degens in caſtris, moribus pingitur D non diſſimilis à Garimberto p. 493. Chriſtophoro Cardinali Eboracenſi, & Georgio Heſlero. Rumorem probat epiſtola Leonis X. ad eum data, vt fructus reſtituat Monaſterii Morimundi ab eo vſurpatos contra Cardinalem S. Angeli.

*Moleſtè ſanè tulimus Maximilianum Mariam Inſubrum Ducem, haberi in cuſtodia iuſſiſſe Io: Petrum Moronum ciuem Mediolanenſem, procuratorem Federici Cardinalis S. Angeli, ea de cauſa, vt fructus Monaſterij Morimundi, quos is Cardinalis debet, quique apud ipſum ſunt; ab eo per vim atq. iniuriam extorqueantur: eiuſq. te iuſſionis auctorem fuiſſe, quem minimè quidem decuit; minimèq. opus fuit. Eo de genere toto iniuriarum tametſi proximè ad te litteras dedimus, quibus te hortabamur, velles inferendis Cardinali detrimentis modum aliquem aliquando tandem ſtatuere. Tamen, quia non ſolum eæ te litteræ nihil mouerunt, ſed poſt eas multo etiam quàm antea grauiùs, atq. iracundiùs te geſſiſti; has de te litteras alteras dare volui; vt te diligentiùs commonefacerem, meminiſſes Federicum & eſſe A Cardinalem, & haberi. Noſq. id, Romanamq. Rempublicam ſtatuiſſe; neq. eſſe Regem, aut populum Chriſtianum vllum, qui non ipſum eo nomine appellet. Hæc tibi quanti facienda ſint, ſi neſcis, cur te fieri Cardinalem appetieris, non intelligo: ſi ſcis, & magni æſtimàs iſtam dignitatem, vide ne quod tibi amplum putas, in altero te minimi facere, non tam vllius vitium redarguat, quàm ſit tuum. Quòd ſi reliqua cauſa omnes parum apud te ualent, tui te ordinis, & dignitatis ratio ab eiuſmodi conſilio reuocare certè debet; ne tuo exemplo quilibet laceſſere reliquos Cardinales, ordinemq. ipſum auguſtiſſimum audeat; unamq. noſtrum malè habendi licentia ad cæteros facilè contemnendos emanet. B Hæc ſcripſi impulſus non magis Federici cauſa, quàm amore in te meo, mutuaq. noſtra beneuolentia. Tu ſi offenſionum, iracundiæq. tuæ finem feceris, & illum frui monaſterij ſui fructibus, & penſionibus paſſus fueris, profectò & reliquis Cardinalibus, tibique ipſe conſules, & huius Reipublicæ dignitati ni debere tuas rationes poſthabuiſſe, & mea mandata non deſpexiſſe. Dat. 16. Cal. Mar. An. 11. Romæ.*

Impellente neceſſitate, & Gallorum bello, Leonem ſaltem in ſpeciem, magni feciſse Sedunenſem Cardinalem, teſtantur litteræ eiuſdem Leonis.

*Non oblitus quantum in nos beneficiorum contuleris, C ei, qui has tibi litteras reddidit, Goro familiari meo ad Heluetios proficiſcenti mandaui, te ut uiſeret, tecum communicaret cauſam profectionis ſuæ. Qua in re peto abs te non id ſolum, ut eum inſtituas omnibus ijs in rebus, quas ad te deferet, doceaſq. quid illi agendum, quid ſtatuendum, quid conandum ſit: ſed illud etiam, ut meam cauſam apud Heluetios agas ipſe, meaſq. omnes ſuſcipias partes, quod te facturum, & facilè pro ea, qua plurimum apud illos polles dignitate auctoritate, gratia, & libenter, pro tua ſingulari, atque mirifica in nos beneuolentia planè confido. Volo autem in primis, ut ipſos Heluetios de mea propenſa, perpetuaq. in illos uoluntate certiores facias, doceaſq. eo animo eſſe D me, ut in eadem cum ipſis fortuna, magiſq. quotidie coniungi, conſociari cupiam. Deinde ut eos confirmes in Maximiliani Mariæ Inſubrum Ducis ſtatu, atq. imperio, quemadmodum adhuc quidem egregiè fecerunt, & fulciendo, & defendendo. quæ ſane tibi res curæ magnoperè ſemper fuit: Nobis autem non minus cordi ſit, quàm Florentinorum Reipublicæ, atq. Vrbis, quæ mihi patria eſt, incolumitas, & conſeruatio; quemadmodum ex ipſo Goro intelliges. Qui quidem ea etiam, quæ ad te de me falsò delata ſunt, diluet, purgabitq. me tibi, eaq. patefaciet,*

*quam ob rem mentem erga te meam, atq. animum perſpicere facilè poſſis. Te verò etiam, atque etiam hortor huiuſmodi vocibus hominum, vel inuidentium Noſtræ coniunctioni, vel certè maleuolorum aures tuas ne præbeat: quemadmodum & ipſe etiam fecimus, facturiq. ſumus ad ea, quæ de te ad me præter tuam dignitatem, & allata adhuc quidem ſunt, & fortaſſe afferentur. Neque enim de te tuis ſummis, præſtantiſſimiſq. virtutibus vllorum hominum artibus tantam quidem partem detractum iri patiar. Reliquum eſt, vt Coro ipſi meis te verbis alloquenti omnem fidem habeas. Vale, Dat. Sexto Kal. Nouemb. Anno primo. Romæ.*

Recurrunt aliæ eiuſdem Leonis X. ad Matthæum Cardinalē: *Cum perſpecta nobis eſſet & virtus, & prudentia tua, deq. tua in me, atq. in Rempublicam, in quā quidem plurima tua egregia, præclaraq. officia extiterūt, fide, & cultu, magnoperè conſiderem, &c.* Et alibi: *cum Ennius Ep. Verulanus Legatus meus iſthuc proficiſceretur, ei mandaui vt tibi ſalutem adnunciaret, oſtenderetq. ſuum ſtudium, curam, diligentiam, laborem, quem mihi, Reique publicæ impēdis, eſſe gratiſſimū, eaque omnia, vt bene poſuiſſe, te ſentias me effecturum &c.* Cum autem Leo bellum meditaretur in Turcas, in quo ſupramodum profuturos ſpetabat Heluetios; ipſi autem fœdera detrectarent, dum ſimultates vigerent, quas Cardinalis ex odio fouebat innato; Leo ad Cardinalem litteras dedit ſequentes.

*Certiores nos per litteras fecerunt Heluetiorum Legati Virorum octo, nobiſcum fœderatorum, qui in oppido Bergenſi conuenerant, ſe quò facilius nos communem omnium Chriſtianorum concordiam iure, neceſſarioq. in Turcas profectionem parare, atq. conficere poſſumus ſuas cum Franciſco Rege Gallorū ſimultates, atq. inimicitiam depoſuiſſe, neq. dubitare quin conſentientem ſtatim vnà cum ipſis futuri ea in re fuiſſent reliqui eorum fœderis ſocij, niſi tu eis impedimento fuiſſes, tuiſq. eos ſtudijs à propoſito retraxiſſes. Denique eò grauiter apud nos ſicut conqueſti, tàmpote, qui præuideant, ſi quid optas, quæq. conaris, effeceris nouos bellorum in Chriſtiana Rep. motus magna inter ipſorum ſocietates diſſidia, grauiſſimaſq. breui tempore diſſenſiones futuras. Quæ quidem nobis omnia incredebilem moleſtiam tulerant; fortiſſime illius conſenſum, atq. concordiam, & Chriſtianorum Principum vnanimen præclarum illud ad bellum conſpirationem ſummo tampridem ſtudio deſiderantibus, atq. ſpectantibus. Quamobrem has ad te ſtatim litteras duxi dandas, quibus te commonefacerem, atq. hortarer ab incæpto deſiſteres, quietiq. potius, ac tranquillitati quàm bellorum, & diſcordiarum fœdis motibus, inerudendiſq. animis tote dares: cogitareſq. quam te deceat tam à nobis diſſentire, atq. in alia omnia diſcedere, qui pro tua dignitate vnam nobiſcum Romanæ Reipublicæ curam ſuſtines, tum Heluetiorum nationem tam egregiam, ex qua oriundus es, concordiæ præſertim cupidam velle diſſociare, atq. dirimere. Quod ſi tu vel priuatus omnino, vel alienus homo eſſes, deberes tamen, & cum Reipublicæ voluntate, Romaniq. Pontificis ſtudijs conſociare ſtudia, & voluntatem tuam, & velle fortem, præclaramq. gentem illam, & Populos concordes potius inter ſe eſſe, quam bellis inteſtinis laborare. Nihil eſt enim tam alienum à boni viri, prudentiſq. hominis conſilijs, quàm quæ coniuncta pacis, & beneuolentiæ ſtudijs præſtat eſſe; ea cuperem dareq. operam, vt bellis, & diſſenſionibus conſerantur. Cum verò, & vnus ſis ex meis ipſis fratribus E. R. Cardinalibus, & in Heluetiorum terra Heluetijs parentibus atque maioribus genitus, vide quam ad te hominum opinionem ſis excitaturus, cum à nobis, & à Reipub. diſſentias, & ea ſcaces, quibus Heluetiorum natio, quæ te progenuit, à pace, atque concordia ad arma, ſeditioneſq. concitetur. Quamquam id quidem etiam mouere te plurimum debet, quod in*

A *eo vniuerſæ rei Chriſtianæ malè conſulis; quæ quidem maximè in Heluetiorum, & inter ſe concordia, & cum Romana coniunctione, tanquam in optimo totius ſpei rerum bene gerendarum fundamento, atque initio nititur; neque à te illud quoque ſilebitur, amorem erga te meum, quo te ſemper fraternè colui, veterem beneuolentiam mereri, vt ne noſtris conatibus præſertim cum omnium Chriſtianorum bono, atq. ſalute coniunctis, ad pacem, otiumque tendentibus te obuiam ſtatuas, aduerſariumque te pares. Quod ne pergas facere, atq. vt verborum Domini memor, qui pacem Nobis diſcedens commendauit, pacem, & concordiam nationis tuæ inter ſe ceptam ne impedias, per huiuſce Reipublicæ dignitatem,*

B *cuius eſſe propugnator in primis debes, & mehercule conſueſti, perque eam, qua Chriſtianus es, & religionem abs te magnoperè quæſo, & poſtulo. Id ſi feceris, & ipſe tuorum in me officiorum, & plurimorum, neq. ſanè leuiſſimorum memoriam nunquam proijciam, & dignitas tua principem apud me curam, locumq. ſemper obtinebit, & facies quidem ex vſu cum omnium hominum, tum tuorum maximè ciuium, ſed certè, atq. in primis tuo Dat. 16. Kalend. Martij, 1516. Anno tertio. Florentiæ.*

De eo lege Ciaconium, Panuinium, Iouium *in elog.* Antonium Sanderum, Garimbertum, Contelorium. Auberii. Victorellum. Franc. Aug. ab eccleſia, *Hiſtor. Pedemon.* Carolum Ep. Nouarien, *In Nouaria.*

C Is ille Matthæus Card. Sedunenſis, qui Friderico Sanſeuerinate de ſede deiecto in Epiſcopatum Nouarienſem ſubrogatus eſt, Anno 1511. Legatus non ſolum Germaniæ, ſed totius Inſubriæ, ſuorum Heluetiorum armis ſuccinctus Gallos eiecit victores, recuperatumque Mediolanum Maximiliano Sfortiæ, Ludouici Mori filios ex fide reſtituit. In quo viſus eſt Sedunenſis ſuæ gentis famam reſarciſſe deperditam, cum apud Nouariam Ludouicum Morum ſub mentitis armis latentem, Heluetij Gallis licitatoribus vendidiſſent. Cæterum non minorem conſtantiæ laudem tulit Matthæus victor, quàm victus.

D Tametſi enim ſub Franciſco Galli ad Mognanum, Heluetiorum ſtragem magis edidere, quam cedem, Matthæus tamen adeò iuſti ducis munus obiuit, & vndiq. circumſpectus, vbiq. reſtitueret, bellumq. renouaret in Gallos; viciſſet, niſi iniquioris Martis fortuna viro egregiè forti inuidiſſet triumphum. Victus, exutuſque exercitu tandem diſceſſit, adeo tamen inexorabilis hoſtis, vt inde augurarentur pleriq. ad tranquillitatem, libertatemq. Italiæ poſſe quandoque contra Gallos reſurgere belli contumaciam. Galli rerum potiti Nouarienſem Epiſcopatum, opimaq. alia ſacerdotia, quæ

Sedu-

Sedunenſis per Inſubriam latè poſſederat; Friderico veteri Domino adiudicarunt.

Placidi Placentini

In laudem Card. Sedunenſis.

*En tua purpureus decorat Matthea Galerus*
*Tempora digna ſacro ſcriptis ſplendore corona;*
*Scilicet exultans teſtis ferat unda Rheni,*
*Pondus arenoſum rapidis qui flexibus urget*
*Oceanum in geminum; ... hoſtilibus armis*
*Imperij, & agri Diuum lacerare profanas*
*Inſtabat ... tremor ... plectebat*
*Italia; ... validis cum te Duce caſtra ...*
*... cuſpide Gallos*
*Fundens; Ponti ſiceng. armis victricibus alta.*
*Tandem nubiferas Alpes tranſcendere cogunt.*

Auguſti Cocceiani.

*Heluetij, gens ... cariſſima ſummo*
*Et ... pignora*
*Indocti bello populi, ... Regum*
*... ſpes, ... *
*Nullo Heluetij veſtri celebrati honore?*
*Nullo ære? nullo marmore?*
*Cùm iam externos, clara virtutis amica*
*Vates fouebant Itala.*
*Ipſe pater Iouius, quàm mira expreſſerit arte*
*Illuſtrium formas Ducum*
*Cernitis, & veſtri Ductoris imagine verâ*
*Dotes, & ora effinxerit.*
*Qui latè Italiam fama compleuerat omnem*
*Virtutis ergo fulgidæ*
*Quare purpureo corpus velabat amictu,*
*Sacro coruſcus ordine.*
*... ſublimem ... ad aſtra*
*Belloua, Pytho, ſanctitas.*

*297 Accepit ergo Dauid adhuc concubinas, & vxores de Hieruſalem.*
2. Reg. 5.



PEtrus Accoltius natu Italus, patria Aretinus, Florentiæ caſu naſcitur ex patre Benedicto nobili Aretino, atque Florentino, & Laura Federica lectiſſima, ac nobiliſſima matrona. Artes edoctus, Piſis ſtudio incubuit Iuriſprudentiæ, ibiq. poſt adeptam lauream in publica Academia, ex cathedra docuit, Florentina iubente Repub. Ad Romanam Curiam inde profectus, ſub Alexandro VI. & Iulio II. ex Apoſtolici Palatii cauſarum Auditore, Epiſcopus primò Anconitanus Anno Sal. 1505. mox Presb. Card. tit. S. Euſebij, die X. Martii, 1511. Cardinalis vulgò dictus Anconitanus Epiſcopatum adminiſtrauit vſque ad Annum 1514. cumq. Franciſco reſignauit nepoti. Pluribus præfuit Epiſcopatibus, ex ſæculi abuſu; Gaditano in Hiſpania, Maleacenſi in Gallia, Atrebatenſi in Belgio, Cremonenſi in Gallia Ciſalpina, Rauennatenſi in Æmilia, Albanenſi, Præneſtino; tantis vxoribus vir vnus ſatisfacere potuerit? vel more Hebraico vxori concubinas ſuperinduxerit? Lector conſulat. Romæ, Pontificis vices geſſit; Supplicationum libellos ſignauit; Legatum Apoſtolicum repræſen-

A tauit in caſtris aduerſus Gallos. Eius polygamiæ cum refragarentur Hiſpani, fructus negantes Gaditanæ Eccleſiæ, Leo X. ad Ferdinandum Regem litteras dedit ſequentes.

*Intelleximus Petro Cardinali Anconitano, fructus Eccleſiæ Gaditanæ retineri mandaſſe; quæ res nobis, & pro meo in illum fraterno amore, & pro eius in rem Romanam plurimis, maximiſq. promeritis non paruam ſanè moleſtiam attulit, præſertim cum perſpectiſſimum mihi ſit, eum tuæ ſtudioſum ſemper fuiſſe, tuaſq. res, dignitatem, gloriam rebus omnibus anteruliſſe. Quare te hortor, neque hortor ſolùm,*

B *ſed etiam peto abs te diligentiſſimè, velis Eccleſiæ Gaditanæ prouentus Cardinalis procuratoribus remittere; quod erit mihi tam gratum quàm quod gratiſſimum. Cæterum polliceor tibi, in meque recipio, nihil quæ in rebus quæ cum eo tractas, quemadmodum vis, ſic planè fore. Dat. ... Kalend. Ianuarij 1513. Anno primo. Romæ.*

De eadem re Epiſcopo Coſentino Internuncio Hiſpanienſi has ſcripſit.

*Exemplum litterarum, quas Ferdinando Regi ſcribimus poſtulantes, vt quos Eccleſiæ Gaditanæ fructus interdictos à ſe Cardinalis Anconitani procuratoribus remittat, habebis cum his litteris. Mando autem tibi, vt apud eum agas,*

C *... , vt res quemadmodum volumus, conficiatur, in quo nihil prætermittes, ſi mihi rem gratiſſimam voles facere, neq. diligentiæ, neq. ſtudij, neq. ... laboris. Eſt enim mihi permoleſtum Cardinale de Republica ... Eccleſiæ ſuis fructibus negari; quod ad ... qui bus tu de rebus ... Regem ... , quemadmodum ipſe poſtulat, ſic agere ... Dat. ... Kalend. Ianuarij anno primo. Romæ.*

In cinerem abiit Romæ, die xii. Decembr. An. 1532. ætatis ſuæ LXXIIX. Sepultus teſte Hieronymo Rubeo, in eccleſia S. Euſebij, vel ex Ciaconio ad S. Mariam de Populo.

D Lege Panuinium, Auberi, Vghellum, Iacobum Naldi, Comelorium, Bembum in *ep.* Hieronym. Rubeum *Hiſtor. Rauen.* Ludouicum Caualcellum *Hiſtor. Cremon.* Ioſeph. Soareſium *de Ep. Præneſt.*

30. *Peſſima autem, & vniuerſis grauis erat malorum incurſio: nam Templum luxuria, & commeſſationibus Gentium erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus: ſacratiſq. ędibus mulieres ſe vltro ingerebant, intro ferentes ea, quæ non licebant.*
2. Macc. 5.



ACHilles Craſſus, vel de Graſſis, natu Italus, patria Bononienſis, Balthaſſaris filius, nepos Antonij de Graſſis A
Ep. Tiburtini, cui deſtinatum galerum ab Innocentio VIII. aliquorum inuidia ſubtraxit. Inter Rotæ Auditores Achilles patruo ſubrogatus ob præclaram doctrinam, innata quadam grauitate, exteroq; modeſtiæ decore aſtutè, & callidè continentiam ſimulans, virtutis ſpetię Iulium II. decepit, à quo tanquàm aulæ aptiſſimus, Tiphernati Eccleſiæ præpoſitus, mox Rotæ Auditor, & Referendarius, demum die X. Martii, An. 1511. Presb. Card. tit. *S. Sixti*, poſtea *S. Mariæ Tranſtyberim*, legatus abiit ad
Heluetios, vbi detracta larua continentiæ, publicè B
cum meretricibus verſatus, non ſine Romanę Eccleſiæ prçiudicio, cuius Legationem agebat. Nec honeſtiùs in aliis legationibus ſe geſſit ad Polonos, & Vngaros pro excitandis illis nationibus in Turcas; ad Gallos, nè Rex Ludouicus Bentiuolos ciues Bononienſes ſub Regio reciperet patrocinio; Legatione quoque in Germania functus ad Cæſarem, numeros omnes impleuit perfecti Legati, incontinentiam ſi demas, & nothorum promotionem, quos ex amaſia procreauerat, quorum incrementa, & honores nō erubeſcebat publicè procurare. Sub Iulio II. interfecto ab Vrbini Duce, Cardinale Alidoſio Ep.
Bononienſi, poſtridie Bononienſem Eccleſiam Papa C
Achilli detulit, 9. Cal. Iunii, 1511. quamuis Clerus, Bentiuolorum impulſu eandem Antonio Galeatio tradidiſſet Cal. namq. Iunii per Agamemnonem fratrem, nemine reclamante, poſſeſſionem ſubiit, & Anno ſequenti, 8. Cal. Aug. inſigni pompa Epiſcopali vrbem ingreſſus, aulam, quam Galli flamma conſumpſerant, inſtaurauit. Comitiis cum interfuiſſet Pontificiis, in quibus renunciati Romani Pontifices Leo X. Hadrianus VI. Clemens VI. Clemens VII. diem obiit ſupremum, Romæ, die tertia poſt Clementis VII. aſſumptionem, die ſcilicet 29. ex Sigonio; ex Garimberto autem, die 22. Nouemb.
1523. & in Eccleſia S. Marię Tranſtyberim ſepultus D
cum epitaphio,

*Achilli de Graſſis Ep. Bononienſi, huius Baſilicæ Cardinali, morum grauitate, & Legum peritia nulli ſecundo, in quo nullum iuſtitiæ, modeſtiæ, ac liberalitatis genus vnquàm deſideratum eſt. Vixit Annos LX. Clemente VII. & vniuerſa Curia maximo de ſe deſiderio relicto.*

In aula etiam Eccleſiæ S. Mariæ Tranſtyberim ab eo reſtituta, ſequens legitur inſcriptio,

*Achilles de Graſſis S. Sixti Presb. Card. Bononien. aulam hanc igne crematam reſtituit An. M.D.XII.*

In Petro Bembo epiſtolas habes Leonis X. ad Achillem de Graſſis non inglorias, & inciuiles. Lege Ciaconium, Panuinium, Pompouium Vizanum *Hiſtor. Bonon.* Contelor. Garimbertum, Auber. Victorel. Sigonium, Vghel.

31. *Exultatio iuuenum fortitudo eorum.*
Prouer. 20.



FRanciſcus Argentinus, Venetiis natus, matre Vcoeta, & Theutone patre Argentinenſi, humillibus parentibus, eò proceſſit virtutis, atq. exiſtimationis, vt Concordienſem primò Eccleſiam, fuerit aſſecutus An. Sal. 1494. tum ſub Iulio II. R.P. cuius antea Datarius fuerat, Eccleſiaſticam purpuram die X. Martii, 1511. Presb. Card. tit. *S. Clementis*, vel cum Cabrera *S. Vitalis*. Eius gliſcenti magnitudini præpropera mors inuidit. Romæ namq. deceſſit die 23. Auguſti, eiuſdem Anni, ſepultus apud S. Mariam Tranſtyberim. Corpus deinde Concordiam relatum Eccleſia recepit Cathedralis, hoc proloquente epitaphio.

*Franc. tit. S. Clem. Presb. Card. Ioanniq. Epiſcopis Concordien. Venetorum familia Argentina, Paulo III. conſ. fratre curante.*

*MDXXXIV.*

Scripſit vir doctiſſimus.

*De Immunitate Eccleſiaſtica.*
*In legem Pacta Conuenta.*
*De Modo prædicandi Euangelium.*

Lege Ciaconium, Panuinium, Vghellum, Auberii, Franciſcum Saoſouinum, Antonium Poſſeuinum *In Apparatu Sacro*. Contelorium.

32. *Cum ſit timida nequitia dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit, ſæua perturbata conſcientia.* Sap. 16.



BEndinellus, vel Bantinellus, Saulius, patritius Genuenſis opibus, ſanguine clarus ſtemma ornauit virtutibus acquiſitis. Virtute duce, comite Fortuna, purpuram ſubiit Cardinalitiam ſub Iulio II. die X. Martii, 1511. Diaconalem ex Cabrera, Presbyteralem tit. *S. Hadriani*, mox *S. Sabinæ* ſecundum alios, cum antea eſſet Epiſcopus Hieracēſis in Corſica. Io ſecunda Cardinalium electione facta à Iulio II. promotus, non ſedit inter Patres, aſsēſum tunc negantibus Cardinalibus. In hoc nouo munere exercendo, ita ſe accepta purpura dignū oſtendit, vt gratiſſimus euaſerit non ſolū Iulio promotori ſuo,

ſuo ſed Leoni etiam X. ſucceſſori, ineunti Pontificatum, litteratos fouendo, promouendo, quos præcipuè habebat in partibus, eorumq. anteſignanos tunc temporis, Paulum Iouium, & Io: Mariam Cataneum: cum & ipſe viuido ingenio, litterarum à iuuentute minimè rudis, exactam rerum naturalium notitiam fuiſſet conſequutus. Curſum porrò fælicitatis Inuidia virtutis comes interrupit. Vera vel falſa delatione ſuſpectus apud Leonem X. R. P. in quæſtionem vocatus non negauit; aliquando Card. Petrucium Senenſem, effrẹnatè ob Senarum imperium ſuæ ereptum familiæ, contra Papam audiuiſſe loquentem; propterea purpura expoliatus, A & pæna mulctatus perpetui carceris iacuit. Contumaciam augebat, quòd in quibuſdam poſtulationibus repulſam paſſus, licet Pontifici intimus, clandeſtine queſtus non ſemel fuiſſet. Pro eius libertate, Cardinalium Senatus Thomam Cataneum virum ſingulari virtute præſtantem Romam euocauit, qui licet omnia diligentis, ac prouidi oratoris munia expleret, & ſumma fide auxiam diligentiam adhiberet, pluribus tamen diebus Romæ inutiliter conſumptis, non citra tędium, domum redijt infecto negotio. Venere etiam Saulijfratres, ac propinquorum intimi fraterna charitate impulſi ad Leonem rogantes, vt data venia hominem dignitati, ac priſtinæ libertati reſtitueret; B quorum precibus inflexus Papa, vigintiquinque millibus nummorum emunctum Bandinellum reſtituit, eodemq. tempore, lento ſuſtulit veneno: paucoſ. namq. dies in municipio Vrſinæ familiæ, cui nomen *Mons Rotundus*, interiit die 24. vel 29. Martij, Anno 1518. in ędeſepultus S. Sabinæ. Voluot alii ex animi mœrore, quòd innocens exſibillaretur proditor infamis. Huic Cardinali Vbertus Folietta inſcriptionem poſuit ſequentem,

*Inuida uirtuti mala ſors cum cerneret in te.*
*Ingenium, & dotes eximias animi;*
*Non tulit, atq. tuis ſucceſſibus obſtitit auſo.*
*Ad decus intentum continuiſſe gradum.*
*Fęlix ſi quo cępiſti dare vela per altum.*
*Hoc tres curſu ruq. tuumq. decus.*
*Nam uirtus cum purpureo te ornaret amictu,*
*Promiſit triplex tum diadema tibi*
*At ſors, quę meritos olim ſubtraxit honores*
*Non potuit ſuperis te prohibere choris.*
*Hic tu Cæleſtis inter, Sanctumq. Senatum*
*Spernis opes, auri pondera, regna, decus.*

Ciacon. Panuinius. Victorel. Contelor. Cabrera. Guicciardinus. Auberii, Bizar. *hiſtor. Genuen.* Naldi *hiſtor. Florent,*

## Diaconi Cardinales.

33. *Perfecit Salomon ædificium domus Domini; & ædificium Regis.* 3. Reg. 9.



EX Federico Marchione Mantuæ Gonzaga, & Margarita Bauara naſcitur Sigiſmundus Gonzaga vir ſtrenuus, & militia clarus. Mortuo Ludouico Gonzaga Epiſcopo, ad caſtra venit Eccleſiæ, & Ludouico ſubrogatus non minus vitæ integritate, quàm generis ſplendore, piè ſanctè Mantuanam adminiſtrauit Eccleſiam, palatium prope Cathedralem extruens Epiſcopale, cuius extructioni dum attentus incumberet, Diaconus Card. *S. Mariæ Noua* dictus à Iulio II. die 1. Decemb. 1505. inſignia per manus Nicolai à Molaria Romani recepit Pontificis cubicularij. Romam accitus ab eodem Iulio, nobili Equitum comitatu venit, à ſene Pontifice, ſingulari quaſi parentis affectu acceptus, à quo in Picęnum, & Bono- D niam legatus, induſtria ſua Bentiuolis ereptam Bononiam Sedi reſtituit Apoſtolicæ. Mortuo Iulio, comitijs adſuit Leonis X. cuius aſſumptionem voce, & ſuffragio procurauit. Ab eodem in agrum legatus Mantuanum cum ampliſſima facultate, iuſtitia, religione, pietate famam ſeruauit illæſam, vſque ad vltimum vitæ ſpiritum. Mantuanum reſignauit Epiſcopatum in gratiam Herculis Gonzagę nepotis. Moriens ſex millia aureorum cęnobiis Mantuę æqualiter diſtribuenda legauit: reliquam ſuppellectilem ſatis amplam Marchioni Federico Gonzagę futuro Mantuæ Duci reliquit. Viuens plura ſibi crexit monimenta pietatis: in Picæno namq. Legatus, Maceratæ palatium Legatis futuris ſtructura nobili erigi iuſſit: Mantuæ Epiſcopales ædes, vete- C ribus ſolo æquatis, à fundamentis erexit. In Franciſcanum Ordinem propenſus, Aſſiſii, nobiliora Franciſcani hoſpitii cubicula extruxit. Protector Ordinis Carmelitani plura contulit beneficia. A Clemente VII. cuius adfuit Comitiis indultum impetrauit Epiſcopis Mantuanis iudices delegandi in ſecunda, & tertia inſtantia, appellatione remota, die 30. Ian. 1524.

Mantuæ, mortem ſubiit die 5. vel 9. Octob. 1525. ſolemni pompa ſepultus in Cathedrali D. Petro ſacra, quamuis in ædibus S. Franciſci ſibi ſepulchrum elegiſſet.

### Epitaphium.

*Sigiſmundo Gonzaga Cardinali,*
*Qui cum generis ſplendore bonitatem adæquauit;*

Eius tamen cadauer cum Ludouico anteceſſore Franciſcus Gonzaga Ep. Mantuanus in medio Eccleſiæ Nouæ, ſub fornice principe honorificentiùs collocauit, cum inſcriptione ſequenti.

*D. O. M.*

*D. O. M.*

*Sigiſmundo Gonzaga Cardinali Mantuæ Epiſcopo, & Ludouico Gonzaga electo Mantuæ itidem Epiſcopo: cum eodem corpora ferè inhumata, & indecorè iacerent, non vt ſanguinis nobilitas, ſplendor, functiq. officij dignitas poſtulabat.*

*Fr. Franciſcus Gonzaga Ep. Mantuæ, ſumma in vtroſq. pietate, atq. ſingulari reuerentia in ampliſſimos Patres anteceſſores ſuos, quo potuit decore monumentum hoc eis faciendum curauit.*

*Obijt Sigiſmundus, Anno MDXXV. Ludouicus verò MDXI.*

Ciacon. Panuinius. Hippolyt. Domiſmundus in A *Mantua Eccleſ.* Anton. Poſſeuin. *Hiſtor. Gonzag.* Garimber. Victorel. Vghellus. Auber. Contelor.

34. *Scit enim conſcientia tua, quia tu crebrò maledixiſti alijs.* Sap. 7.



ALphonſus Petruccius, Italus, patria Senenſis, Pandulphi Senarum tyranni filius, ex reuerentia paterna, adoleſcens nomen dedit Eccleſiæ, procurante, vel cogente patre, B vt fortunam ſibi blandiretur in choro, quam aduerſam expertus fuerat in caſtris. A Burgheſio namq. fratre ſuo, ferro tentatus, vulneris cicatrices ſeruauit in gutture vſq. ad ſepulchrum, licet oblonga veſte eas operiri conaretur. Genitoris itaq. officijs apud Iulium II. R.P. promeritus, Epiſcopus primò Suanenſis Anno Sal. 1510. deinde Card. Diaconus *S. Theodori* inauſpicata legitur fælicitate, bello cogente, quod Papa gerebar aduersùs Ludouicum Gallorum Regem. Populonij quoque, & Maſſe in Etruria Eccleſiam, eodem Anno Sal. 1511. adminiſtrandam ſuſcepit, quo Cardinalis aſ- C ſumitur. Verum mortuo Pandulpho, qui Burgheſium natu maiorem filium in Principatu ſibi deſtinauerat ſucceſſorem; mortuoq. Iulio II. in creatione Leonis X. multum inſudauit, vnà cum iunioribus Cardinalibus, Gonzaga, Cornelio, Saulio, vt Ioannes promoueretur Mediceus: quem cum Petruccius Pontificem electum populo nunciaſſet, elata voce ſed infauſta dixit: *Viuant, vigeantq. Iuniores.* Hoc merito, cum Pontificem, & Pontificatum dirigere præſumeret, Leoni X. odioſus, Senas ſecedere coactus fuit, vbi cum Burgheſio fratre, inſanis armis, exitiali odio contendentes, à Leone Senis exacti fuere: & Senarum principatus ad Ra- D phaelem Petruccium, veterem Leonis X. amicum, exilijq. comitem translatus. Iram cumulauit Alphonſi, promotio Raphaelis in Cardinalem; cum enim primum locum vſurpare crederet ob labores impenſos in creatione Pontificis, neque nouiſſimum tenere cerneret inter Patres. Senas aufugit inſalutato Pontifice, vt Senarum quietem intereiceret. Romam propterea à Leone, ſequentibus reuocatus.

*Quòd Nobis qui te amanter Romam acceſſeramus, non ſalutatis profectus ſis, cum res tuas conficiēdi curam paterna diligentia, atque amore ſuſcepiſſemus, atq. illas ex tua ſententia confecturi breui eſſemus; ſanè pro noſtra in te beneuolentia, propenſoq. ad tuam dignitatem, fortunaſq. tuendas animo, moleſtum Nobis, atq. inexpectatum fuit: Quod verò denuntiatum eſt cogitare, moliriq. te res nouas ad Senarum ſtatum, & quietem conuellendam, id mihi quidem, cum eſſes huius Reipublicæ pars, fratremq. meum gereres, ſciresq. id municipium in meam curam eſſe receptum, veriſimile medius fidius non eſt viſum. Veruntamen quoniam ea, quæ dico, magnis auctoribus aſferebantur; his te litteris & monere, & hortari volui, ut ab eiuſmodi motibus excitandis abſtinere, auocareſque te ab ijs cogitationibus, quæ Nobis negotium faceſſerent, ſciresque prorsùs, atq. cognoſceres ſi quicquam omnino contra hunc Senarum ſtatum egiſſes, tentauiſſes, id me nihilo planè ſecius, ac ſi in me ipſum admiſiſſes, ac conſpirauiſſes, eſſe uindicaturum. Dat. 4. Idib. Martij, 1517. An. 4. Roma.* Ante ſcriptam præſentem epiſtolam, denuò Cardinalem fratrem Burgheſius occidere tentauerat, cuius inſidias vigilantia cubicularii cum euaſiſſet, gaza expoliatum prædiuite, Neapolim remiſit in carcerem. Cardinalibus Saulio, & Cornelio Petruccii intimis ſaltem in ſpeciem verba cum feciſset Pontifex de reſtituendo Alphonſo Senarum imperio; illi Romam Petruccium euocarunt, priuſquam Petruccii cubicularius, qui ob ſuſpicionem carceri mancipatus erat ob litteras interceptas, liberrati reſtitueretur. Litteris ergo ſecurus Pontificiis, quę crimina omnia indulgebant verbo, opere, cogitatione commiſſa, vltra etiam fidem Oratoribus datam Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, Regum nomine, ad patibulum properauit infelix. In palatium namq. intromiſsus Apoſtolicum, vt pedes deoſcularetur Pontificis; in procætone à Præfecto Prætorii vinctus vnà cum Saulio miſsus in arcem, illicòq. vocatis ad Comitia Cardinalibus, expoſuit illis Papa, Alphonſum furore agitatum, pugionem in Cardinalium conuentum ſæpius tuliſse, vt Papam confoderet: quando facinoris atrocitate deterritum, veneno tollere decreuiſse, medio Baptiſta Vercellio chirurgo nobili, dum fiſtulam Leoni ima in Sede natam curaret; & vt fuſiùs dedi *in vita Leonis X. n.* 14. Quæſtione itaque exagitatus Alphonſus, quamuis Hiſpaniarum reclamante Legato, promiſſis illectus Pontificis, quòd ſola facinoris confeſſione veniam poſset promereri, omnia depoſuit ad nutum iudicis delegati. Hac confeſſione probato facinore, in Hadriani mole protinùs ad teterrimum, & obſcuriſſimum carcerem *S. Marocchi* dictũ detruſus, duce Vice Caſtellano, quem antea in famulitio ſuo Petruccius habuerat, in introitu illius Inferni, terrore obrutus Cardinalis genua flexit ante eum, qui flectere ſolebat coram Domino, lacrymis, ſingultibus miſericordiam efflagitans, verbis tam humanis, quibus ferociſſimum animal emollires. Nil tamen impetrauit: inſultante famulo aduersùs dominum; & ferociente aduersùs eum, cuius panem tot Annis ingratus manducauerat ſeruus. Eo itaque iubente in profundum obtorto collo perductus, eodem die a

ſuæ

ſuæ captiuitatis quadrageſimo, ferro percuſſus vitam finijt, cum carnifice luctando *Orlando Æthrope*, in quem ferox ſola manu inermis ſurrexerat. Accinace itaq. primo percuſſus, fune poſtea eius faucibus ſtrangulatus, inſutus in culeo, noctu collo ſatellitis impoſitus Campoſtum defertur Anno 27. ætatis ſuæ, non ſine plurium lacrymis, & querelis, Aſpectu namq. pulcher, ob corporis maieſtatem venerabilis, quamuis laſciuiente iuuenta vanus, imprudens, & impatiens ſibi mortem acceleraſſet.

Eius in memoria in Franciſco Philelpho, qui ei Ariſtotelis Rhetoricę explanationem è Græco in Latinum dedicauit.

Ciaconius. Panuinius. Vghellus. Garimbertus. Scipio Amiratus. *hiſtor. Florent.* Azzolini *in pomp. Senen.* Contelor. Franc. Guicciardin. Vghellus. Victorel. Bzouius. Spondanus. Lege quæ dedi *in vita Leonis X.*

35. *Pertranſijt benefaciendo*,
Act, 10.



MArthæus, vel Marthias Langius, Ioannis Langij, & Margheritæ Sulzerinæ filius, natu Germanus, Auguſtæ Vindelicorum, ſanguine nobilis, ex Epiſcopo electo Gurcenſi Diacon. Card. S. *Angeli in foro Piſcium* ſecreto aſſumptus à Iulio II. Anno 1511. quem poſtea die 18. Decembris, eiuſdem Anni publicauit. Marthæus autem veſtes Cardinalitias deferre renuit; regnante poſtea Leone X. cum veniſſet in vrbem, pileum recipere Cardinalitium recuſabat à Leone, collatum ſibi aſſerens à Iulio II. Cum autem ritu ſolemni non fuiſſet capiti eius impoſitus, opponente Ceremoniarum Magiſtro, decretum fuit; vt coram XII. Cardinalibus nocte antecedente ad publicum Conſiſtorium, in quo fuit receptus, eius capiti imponeretur. *Gurcenſis* dictus eſt Cardinalis ab Eccleſia, cui præfuit, & vices Cæſaris in Germania, Vngaria, Polonia geſſit, Maximiliani Imperatoris intimus Conſiliarius, prudentia, doctrina, munificentia de infimis, & de ſummis mereri ſtuduit benefaciendo, Maximiliano Imperatore intercedente Archiep. renuntiatus Saltzburgenſis, commendatitias recepit Leonis X. R. P. in gratiam Ægidij Auguſtiniani Magiſtri. *Ægidio ordinis Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro ad Maximilianum Imperatorem deſignatum proficiſcenti, vt Legatum meum apud illum ageret, in primis mandaui, vt tibi ſalutem plurimum diceret; quaq. à me diſcedens ad Maximilianum mandata habuit, ea tibi omnia nota faceret, vtereturq. in ijs tractandis maximè omnium conſilio tuo. Itaque quoniam exploratum mihi eſt pro tua prudentia, & auctoritate quantum adiumenti tuus illi fauor ſit allaturus, peto abs te, vt rem non magis illam quidem meam, quàm huius Reipub. atque tuam, vel potiùs ut veriſſimè dicam omnibus Chriſtianis populis communem, quantum poteris, iuues, Ægidiumq. ipſum, quem quidem pro ſingulari eius humanarum, diuinarumq. rerum ſcientia, bonarumq. artium omnium, & litterarum doctrina, probitate, religione ita diligo, vt neminem eius ordinis æquè carum habeam, ut libenter uideas, & ei quaſi dux, & moderator ſis earum rerum, quas tractabit, desq. operam, ut ipſe tibi plurimùm debeat: mihi certè nihil gratius facere poteris, idq. ut facias, abs te peto. Datum Idibus Decemb. Anno tertio. Romæ.*



A Cæſare Maximiliano ad Vladiſlaum, Ludouicum, Sigiſmundum Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ Regis Legatus, vt fœdus iniret, rem pro voto abſoluit, & aduenienti Cardinali Strigonienſi Legato Apoſtolico cum multis hominum millibus, extra portam occurrens cum Rege Ludouico Cardinalis Gurcenſis, quadringentos aulicos habuit in comitatu claſſibus diſcretos, quarum prima exhibebat Prælatos, ſecunda Comites, tertia Barones, quarta Nobiles, quinta Patritios. Romam cum veniſset, & tanquam Cæſaris Vicarius peculiares ſibi honores exigeret; decretum, vt ei honores exhiberentur, qui Regi, vel Regis primogenito pręſtari conſueuerunt, excepto totius Cleri, & Cardinalium, ac Collegii comitatu. Cum autem Leo Papa Roma diſcedere ſtatuiſset, ne ad iniuriam Gurcenſis interpretaretur diſceſsus, litteras ad eum dedit ſequentes.

*Cum certior factus ſim, te ad Vrbem, atq. ad Nos aduentare, qui quidem mihi Nuntius ſanè gratiſſimus fuit, ſtatutumq. mihi ſit relaxandi animi gratia, hodie Roma diſcedere; ne propterea tuum aduentum differas, ſi forte Romæ, nobis abſentibus, eſſe non appetis, ſcire te volo, per paucos me dies abfuturum. Quin etiam tum approximquare tuum aduentum intellexero, dabo operam, vt nos iam reuerſos offendas, vt te alloqui, & quamprimum videre poſſimus. Dat. 9. Nouemb. An. 1. Romæ.*

Eius in vrbem ingreſsum, tanquàm Cardinalis, & totius Italię Vicarii Pierius deſcripſit Valerianus epiſtola ſequenti.

*Pierius Valerianus Petrò Criſpo, Laurentij Campegij Apoſtolici Legati ad Cęſarem Secretario. S. P. D.*

*Quum hinc diſcederes Criſpe iucundiſſime, à Summo Pontifice ad Legatum tuum nuncius iterum tranſmiſſus, ſummoperè flagitaſti, vt ſi quid ſcitu dignum Romæ interim gereretur, id tibi per litteras ſignificarem. Ab eo verò tempore nihil, vel accidit, vel geſtum eſt maiori admiratione dignum, quam Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Matthei Langii Epiſcopi Gurcenſis ingreſſus in vrbem. Tot illi Cæſareo totius Italiæ Vicario honores publicè, & priuatim habiti, tam magnifico, tam ſplendido rerum omnium apparatu receptus, & ad Põtificem deductus eſt. Sed quod gratum omnino tibi futurum exiſtimo, rem omnẽ à principio percurram, & ipſius pompæ formam tuis oculis ſubijciam. Quando ego ex hac Hadriani mole rẽ omnẽ oculata fide diligẽter inſpexi, quod nuſquã locorum melius obſeruari potuit. Hinc enim (ut ſcis) omnis Roma uideri, & ſeptẽ poſsũt mõtes. Ago igitur te in otiũ aſſere, meque interim auſculta, dum quicquid*

fieri perſpexerim, conſueto inter nos ſermone referam, & ab ouo ad mala rem tibi ſatis opipare propinem.

Pridie nonas Nouembris, prima iam noctis hora ſignificata, eram in Præfecti noſtri cubiculo, atque (vbi mos eius eſt) ea prima vigiliæ ſtudia hæc politiora tractabamus, & Salluſtianam tum fortè hiſtoriam, tuas delicias, percurrebamus, quum vigiles renuntiant viam omnem, qua decliuis eſt à Mariano monte in Vaticanum vſque facibus innumeris collucere. Rati id quod erat, Gurcenſem aduentare, prodimus ad propugnacula, magna enim præceſſerat expectatio, hominem eſſe hunc, qui miſſus rerum arbiter à Cæſare ſummis de negotijs vnà cum alijs magnorum Re- A gum, & Principum Legatis ad Iulium II. Pontificem maximum, rerum cardinem eo verteret, vt modus imponeretur tandem tot cædibus, & excidijs, quibus per quinquennium hoc præcipuè, non Italia ſolum, ſed vniuerſa Chriſtiana Reſpublica deſolata, & magna ex parte deuaſtata eſt. Id enim ſemper (vt ipſemet noſti) impendio cauit Cæſar, vt ſanguine abſtineretur, cuius rei præcipuum teſtimonium Bellunienſes ciues noſtri calamitoſis his temporibus afferre poſſunt. Dum igitur ita quadam lætitia delibuti vim eam funalium, in lacteæ viæ ſpeciem ſplendere proſpectamus, aduertimus faces omnes, prout ad Nicolai turrim propinquabant deficere, nullas neque in Vrbem, neq. palatium inferri. Noſter interim Præfectus, B tubicines, cornicineſque acceſſiri iubet; qui plauſibili ſono Principem ante molem tranſeuntem exciperent.

Turmenta quoque ſulfure armari edicit, vt tonitruis emiſſis, vt Gurcenſem ipſum honorificè ſalutaret, & Vrbem tam expectati aduentus nuntio totam exhilararet. Interea nuncius à palatio regreditur, qui præmiſſus à Præfecto fuerat, vt quid ageretur, exploraret referetq. Gurcenſem funalibus extinctis, vna tantum face contentum, familiaribus ad hoſpitium ablegatis, clam eſſe palatium ingreſſum, prodiſſeq. illi obuiam Pontificem ipſum à ſolio ad extremam vſque aulam, vultuque hilari hominem accepiſſe apud ſe pernoctaturum, Vrbem poſtridie ſolemniter ingreſſurum, quod Pontifex eum ho- C norificentiſſimè recipere deſtinaſſet. Nos igitur hinc cenatum, inde à litteraria diſceptatione aliqua delaſſati cubitum imus.

Poſtero die Præfecti noſtri monita Paris Pontificalium adij, in proximis D. Celſi ædibus habitantem, ſciſcitaturus ex homine quid honoris aduenienti paratum eſſet. Reſpondit is, ex Pontificis, & ſacroſancto Collegio omnes illos honores huic Imperiali Vicario decretos eſſe, qui vel Regi, vel primogenito Regis ſint præſtari ſoliti, præter totius Cleri, & Collegij Cardinalium comitatum, qui Regibus tantum obuiam ire conſueuerunt.

Reliquos verò totius Vrbis ordines hominem deductu- D ros, pompa quantum fieri poterit honorifica. Decretum tamen fuiſſe eodem ſacro Collegio, vt Cardinales duo ex Primatibus procederent extra Vrbem, vſque ad aquam, quæ Tranſuerſa dicitur, ubi ſalutato, & accepto Principe, eum ad pontem cognomento Miluium deducerent, inde per prata illi in Vaticanum pergerent, Gurcenſis à reliquis acciperetur. Cæterum quia is ante ſtatum diem in Vaticanum præuenerat, alia ratione fore excipiendum, eaque de cauſa placuiſſe Pontifici, vt in Speculam, cui ab amœnitate pulchræ nomen inditum eſt, diuerteret.

Mane verò cum in Citriorum luco ad Bramanteum fontem pranſus eſſet, auditis ijs quibus eum de negotijs alicuius momenti ſtatim fuerat diſcernendum, undecima circiter hora per Buccineam ſcalam in ſubiectos hortos, mox in prata pergit, ubi clientum vis innumera, ſeruitio, & famulatus frequens, in equis inſidentes operiebantur, magnus etiam Germanorum ciuium numerus confluxerat, eorum, qui vel proprijs, vel alienis negotijs curandis dediti Romæ habitant: quorum plerique calami exſcriptorij opera locupletati ad ampliſſimas A interdum dignitates emerſerunt. Cum hoc igitur comitatu, qui nobis ab Arce proſpectantibus numeroſi inſtar exercitus habebatur, per planitiem ad Tyberis ripam contendit. Hic Cardinalibus illis fit obuiam, qui fuerant à Pontifice, vt hoc facerent, delegati. Quorum vnus Thomas Strigonienſis Cardinalium ſacris initiatorum Prior. Alter Leonardus Agennenſis ſummi Pontificis conſanguineus, & Pœnitentiarius maior, honoratiſſima uterque dignitate ex meritis honeſtatus. His cum pileolos extuliſſent Strigonienſis Gurcenſem fronte hilare compellat, Pontificis, & ſacroſancti Collegij nomine ſaluere iubet.

Eum, quod bonum, fauſtumq. ſit optatiſſimum omni- B bus appulciuiſſe, multaq. in hanc ſententiam ornatè, ac ſapienter locutus. Matthæus verò minimè ad loquendum ineptus, omnibus pro re, loco, & tempore luculenter & ſcitè adeò reſpondit, vt magna nobilium conuenarum corona facta, ex affabilitate, atq. prudentia, omnibus è veſtigio ſeſe præſtiterit admirandum. Oratio ſi quidem animi ſimulachrum habetur. Inde quum progredientes Cardinales eum inter ſeſe medium exciperent, Cardinalibus ipſe decedere, vtq. probatiſſima eſt modeſtia, negare ſe eum locum occupaturum. At poſteaquam reluctari non potuit, ingenuam profeſſus verecundiam, coactus eſt in eos ſacroſancti Senatus Proceres medius obequitare. Quum verò viciſſim de his, & illis rebus C diſſerentes ad pontem perueniſſent, ingentem offendunt numerum eorum, qui pompam honeſtare iuſſi iam aduentarant. Ibi tum Senator Vrbis cum frequentiſſimo Romanorum Ciuium comitatu, omnibuſque totius Reipublicæ ordinibus, qui munus aliquod in Capitolino foro, vel in Vrbe gererent, exquiſitiori ſermone Gurcenſem excipit, & amœnitate Neapolitana facundiæ demulcet, quumque idem facere ſingulorum ordinum Præſides inſtituiſſent, veriti Pontificales ne dies ſalutationibus his attereretur, ſilentium omnibus indixere.

Inter eundum itaq. vnus ex Pontificalis ſingulas Cardinalium clientelas, quæ in ordines ſigillatim inſtru- D ctæ obuiam veniebant, intento digito demonſtrabat, miſſos hos, & illos inquiens ab Antiſtite ſuo, vt ingreſſum hominis decorarent. Quibus omnibus Princeps, operto capite, benigniſſimè gratias agebat. Cum igitur inter ingentem hanc ſalutantium multitudinem ad Vrbis portam, quæ Templo Virginis popularis adiacet, applicuiſſent, Cardinales pro gradibus Templi venia petita, Gurcenſem relinquunt, mox ædem ingredientur adoraturi. Antiquum enim eſt inſtitutum [ vt accepi ex Pontificalo ] ne faceret Senatus quempiam per Vrbem,

publi-

*publicè deducat, niſi uel Regem, vel Regis primogenitum.*

*Duo verò Cardinales ſecundo, uel tertio Regum genitos, uel Duces, & Marchiones eos, qui ſe ad dictas Eccleſiæ profeſſuri uenerint, quippe ea ſunt amplitudine, ut in ſubſellijs, unà cum Cardinalibus aſſidere poſſint. Quamuis uerò Cæſarei huius Vicarij dignitas maior, quàm Mediolanenſis, & Ferrarienſis Ducis eſſe cenſeatur, quippe qui Cæſaream Maieſtatem in uniuerſa rebus Italiæ præſeferat, quia tamen in eorum numero non habebatur, qui ſunt Eccleſiæ mancipati, ſatis eſſe uiſum eſt propenſam erga eum voluntatem oſtendere, nihil verò eorum intermittere, quæ ſeruato venerabilis Eccleſiæ decore præſtari potuerunt. Pro reges enim, & Regum Vicarij à nullo Antiſtite deduci ſolent, nedum à duobus Cardinalibus excipiantur. Sed enim non ierim inficias huiuſmodi ritus aliquando profanatos, præſertim Alexandri VI. tempore, qui Valentinum filium ſuum à depoſito Cardinalatu ex Gallijs redeuntem, neque adhuc Vexilliferum Eccleſiæ deſignatum, à duobus Cardinalibus medium excipi, perque Vrbem ad ſeſe deduci ſufferit. Idque iterum fieri curauit, quum idem victor ſubacta Flaminia rediiſſet. Sed detur hoc illi, qui longe maiora his præter morem fieri permiſerit. Gurcenſis itaq. ab Regalis montis Epiſcopo Vrbis Gubernatore, & Neapolitano Archiepiſcopo, palatij Antiſtite, hinc inde exceptus, iter ſuum exequitur.*

*Quos verò ſecum adducebat Legatos, & illuſtres viros, à dextera Antiſtes aliquis, à leua qui prius in Vrbe fuerant Legati comitabantur, quod genus pompæ pulcherrimum eſt, & rariſſimum eſſe perhibetur.*

*Nos quum ab Arcis faſtigio comitatum omnem ab oculis elapſum aſpeximus, ſtatim in penſile viridarium, quod ripæ fluminis imminet, & ponti, quem ſtruxit Hadrianus, incubuit, deſcendimus, ut è feneſtris adiculæ, qua pontem, & Alexandrinam viam omnem perſpicere, comminus reliquos præcedentium ordines ſpectaremus. Itaque cum Arcis Præfecto, & Alphonſo Antiocheno Patriarcha paululum morati, Græcum militem in expeditiſſimis equis primum omnium aduentare aſpeximus. Ab hoc Germana omnis iuuentus ea, quæ numeroſiſſima, vel panificio, vel operibus alijs dedita Romæ degit, velitum armatura pulcherrimè prædita proceſſit, non ſine omnium voluptate, qui priuatum eorum fidem, & officium commendabant.*

*Hos inde ſubſequebantur Cardinalium clientelæ, ſingula in ſuas claſſes diſpoſita, quas inter, numeroſa Strigonienſis familia equorum generoſitate, amictus patrij uniformitate, geſtaminum varietate, auri, & argenti copia, quo non capita, & colla, & pectora tantum inſigniuerant, verum etiam equos eiſdem ornamentis ſtrauerant, ſpectaculum obtulit perquàm delectabile. Inde Atrienſes minoris notæ, poſtea Gurcenſis ipſius Tabellarij. Mox Veterina iumenta cum ſarcinis picturata ſtragulo ſuperſtrato, ab his eiuſdem ſeruitia, famuli, clientelaque, viri [ vti recenſere potuimus ] circiter quadringenti. Poſt hos illi procedebant, qui munus aliquod publicum gerunt, & amictu breuiori vtuntur, qui Cancellarium aliquod opus curant, qui Palatinis negotijs addicuntur. Inde Scutigeri Palatini, mox viri præſtantiores, qui uel auro honeſtati, uel monilibus inſigniti Gurcenſem ſecuti fuerant circiter centum. Inde Principis ipſius equi aliquot præſtantiores, quos præ ferocitate ſingulos ire neceſſe erat, amplo ſatis interuallo diſtantes. Ab his Heluetii Pontificiæ Cuſtodiæ pedites, Italus etiam peditatus, inde Romana nobilitas cum Pontificis aliquot miniſtris, quique locupletiores curiam honorifico veſtium, & equorum ſumptu decorant. Poſt hos Romani, qui Vrbicis regionibus præſident, unà cum ſcribis, & alijs, qui munera vel publica, vel priuata gerunt. inde Oratores ſociorum Eccleſiæ, Pon-*
A *tificique, & Apoſtolicæ Sedi addictorum, Placentini, Regienſes, Parmenſes, Bononienſes, mox Vrbis Conſeruatores cum Senatore ſuo. Lictores inde Pontificij ſex, unà cum Imperiali nuncio. Præſtantes inde viri opibus, nobilitate, militia, dominio, principatu, Pontificis neceſſarij, affines, & conſanguinei, Mox Federicus Illuſtriſſimi Marchionis Mantuani filius, acri vectus equo, & pretioſiſſimam indutus chlamydem, inde Cæremoniarum Antiſtites. A quibus ipſe Cæſaris Auguſti Vicarius Illuſtriſſimus in patria morem rogatus, inter eos, quos ſuperius dixi, Præſules, equo vehebatur. Qui ſtatim vbi marmoreum Hadriani pontem inſcendit, Præfectus Arcis nunc Angelicæ*
B *nuncupatæ, imperat igneis admoueri tormentis, quæcumque fuerant propugnaculis in hunc vſum comparata. Ecce verò primo flammis turres, & Arcem omnem coruſcare. Inde mugitus, & tonitrua vaſta, & horrenda ſtatim exaudiri? tanto cum ſtrepitu, tanto cum motu, vt non turres tantum quaſſarentur, verum ſolida ipſa moles Hadriani concuſſa tremere undecumque. Pons etiam ipſe concuti, ſuburbanum, & Vaticanus omnis contremere, quo ſtrepitu perculſi ſubſiſtere omnes, atque ipſe in primis Gurcenſis admirabundus ſublatis in molem oculis, rei numquàm prius in hunc uſum auditæ tenorem obſtupeſcebat. Subſecuta ſtatim tibicinum melodia qua tuba ductili, & quatuor tibijs intona-*
C *ta ſonum omnium ſuauiſſimum reddebat. Ibi nos hominis effigiem non ſine voluptate cominus ex proxima feneſtra contemplari, omnemq. corporis dignitatem mirificè commendare, manſuetudinem, atque prudentiam, quam oculis, & fronte præſeferebat nunquam ſatis admirari; dexteras omnibus oculos ſalire, dum tuendo expleri nequimus. Interim acer, & generoſus equus, quem Federicus Marchionis filius regebat, eo ſtrepitu conſternatus, imò potius excitus, uſq. adeò ferocire cœpit, ut ueriti ſint omnes ne puerum unà ſecum in flumium ex ponte deturbaret, Tam magnis, tamq. iteratis ſaltibus attollebatur, tam erat fræni contemptor. Quod niſi magnanimus puer ingenio rariſſimus lauum calcar la-*
D *teri appreſſiſſet, & in dexteram habenas leuiter deflexiſſet, perquam facilè accidere poterat, ut tam feſtus, tamque iucundus dies in luctuoſum, & mæſtiſſimum conuerteretur, uſque adeò egregia illa indoles ab omnibus & ſuſpicitur, & adamatur.*

*Facta eſt inde nobis copia recenſendi reliquos, dum in ipſo ponte multitudinis frequentia, quæ viſendi ſtudio conuenerat, conſtipati lentiùs ire coguntur. Maximè uerò ſpectabilis erat illuſtris Albertus Pius, Corporum*

*Princeps, & probitatis, & eruditionis columen, Cæſaris nunc ad Pontificem Orator ſapientiſſimus. Aderat, & Ioannes Franciſcus Picus Mirandula Comes, vir omni doctrinarum genere abſolutiſſimus. Cum his Andream Burgium Cremonenſem agnouimus, virum in magnis negotijs obeundis ætate noſtra clariſſimum. Ac ne tibi ſim tot Oratorum Nomenclator, quorum ſingula paria Palatinus Præſul à dextris deducebat, Hiſpanos quippe, Burgundos, ac tertio loco Venetos, mox Mediolanenſes, Florentinos, Senenſes, Lucenſes, ac Oratores reliquos quippe circiter, & viginti, totidem Præſulibus comites adiectos enumerauimus. Antiſtitum inde mitratorum paria circiter quinquaginta, inde ordinum omnium numeroſiſſimum equitatum. Dum interim hos recenſemus, & ſuauiſſimo tibicinum, qui ab arcis faſtigio modulabantur, concentu delinimur, Gurcenſis currum, qui militari via ſuperductus eſt, euaſerat. Edicit igitur Præfectus noſter, vt ea tormenta, quæ per mœnia versùs Leoninam vrbem muſica dimenſione diſpoſita erant, inflammentur. Ibique rurſum immanem ſtrepitum, clamoſa tonitrua, ſed placidiori quodam rithmo exaudiſſes. Ad hæc Arcis tubæ clangorem mirificum, & ſuauiſſimum dedere, animos ad exultationem accendentes. Fuerunt etiam ex Imperij clientibus, qui tormentis, & accenſorum ignium illuſtratione (atra enim nox iam incubuerat) prætereuntem Principem ſalutarant. Quid verò Criſpe tibi de concurſu dicam, quum via ab æde populari in Vaticanum vſque (quod ſpatium, vt ſcis, in viginti fermè ſtadia, via lata porrigitur) tanta hominum vtriuſque ſexus, conditionis, & ætatis frequentia referta, & conſtipata fuerint, vt ſinguli vix procedere interdum poſſent. Quinetiam fuerunt in aliqua Vrbis regione via iti hominum multitudine obſeſſæ, vt declinandum ab inſtituto itinere fuerit, ne prompa in totam uſque noctem traheretur. Per radices igitur Capitolini montis ad Cæſarianas ędes Vallèſes Maximinus ire perrexerunt, à quibus in Floræ campum deflexerunt, rectà inde in Vaticanum.*

*Vbi verò in Palatium applicuerunt demiſſi ex equis, ſcalas, & atria omnia Pontificiæ domus funalium frequentia, quæ noctem clariſſimè vincebant, illuſtrata vident. Gurcenſis primo, mox Legati, & Oratores omnes, & magna vix nobilium ingrediuntur ad Pontificem, quem in ſolio ſedentem Cardinalibus aliquot circumſeptum offendunt. Gurcenſis itaque ter genu procumbens ſacroſanctæ ſimulacrum maieſtatis piè veneratus eſt, admiſſus inde ad pedum oſcula. Tum Pontifex illi manum, mox faciem obtulit oſculandam. Gurcenſis inde vtroque genu poſito, aduentus ſui cauſam explicuit, breui, ſed caſtigata oratione, cuius argumentum erat: ſe delegatum à Cæſare, vt omninò Chriſtianæ Reipub. diſſidia componerentur; bello, quod aduersùs Apoſtolicæ Sedis dignitatem, tot Annis geſtum eſt, finis demùm imponeretur. Principum Italicorum, ciuitatum, & populorum iura perpenderentur; abominabile ſciſma, quod pullulare cœperat, eradicaretur, & exuſtioni prorsùs demandaretur. Ad hæc Pontifex, multum, diuque aduentum eius, ob hæc eadem, ſe deſideraſſe reſpondit, eumq. optatiſſimum ideò omnibus applicuiſſe, placere quod animis gereret, quod authoritas Imperatoria ad hæc eadem accederet, quantum in ſe eſſet, remis, veliſq. omnia deducturum, quæque tanto rerum molimini opportuna forent, omni diligentia proſpecturum. Hortari denique hominem, vt obuijs vlnis hæc exciperet, eoq. animo, quem profeſſus fuerat, perſiſteret. Futurum ſperare ſe, vt res tranquillo adeò ſtatu ſedarentur, vt (quod bonum, fauſtumque ſit) vniuerſa Reſpub. Chriſtiana quieti, & honeſtati ſuæ quamprimum reſtitueretur.*

*Surrexit ab his Princeps, adſiſtenſq. à læuo Pontificis latere, tantiſper cum eo familiariùs eſt locutus, dum Oratores reliqui, vniuerſa nobilitas, quippe inde voluerunt,* A *Pontificios pedes oſculati ſunt. Mox Gurcenſis à ſingulorum Cardinalium amplexu, & oſculatione pia digrediens, eodem quo venerat comitatu, numeroſiſſima funalium vi addita ad Iordanum montem, vbi paratum erat hoſpitium, ire perrexit, cui aduenienti Præfectus noſter eundem tubarum, tibiarum, & tormentorum applauſum dedit, quem antea tranſeunti præſtiterat. Cumq. ſub horam noctis tertiam ad ædes perueniſſet, vniuerſo comitatui ſalutem dixit, & gratias egit. Illi domum reuerterentur; hic diſcubitum accedit. Reliquum eſt, vt ſpes, & expectatio hac tranquillitatis, quam omnes optimam ſuper eum conceperunt, euentu non irrito, quamprimum eluceſcat, quæque iam aduerſis tempe-* B *ſtatibus vexata nauis eſt in vada, duabus anchoris firmetur. Nam quantum ad hominis prudentiam ſpectat, ipſe eam optime noſti, quum ſuperioribus diebus de negotijs Pontificijs ſecum ageret, nos hic ex prima facie, magnum neſcio quid, & omnibus æquè commodum auguramur. Vale. Valemus nos quoque, quibus apud Ioannem Franciſcum Roberum Præfectum benè eſt. Bembi, Maroſticani, & Auguſti nomine plurimum ſalutaris. Laccius Bonfilius, Accademiæ totius deſiderio adhuc abeſt, ac vtinam quamprimum adſitis anima cariſſima. Interim tu uale etiam atque etiam. Romę. ex Hadriani mole, ſeptimo Id. Nouemb. 1511.*

C In Lateranenſi Synodo tanquam Procurator Cęſareus Imperium Mediolanenſe Maximiliano Sforțiæ Ludouici Mori filio reſtitutum approbauit. Volens inter Presbyteros Cardinales aſſumi; mandante Leone X. Diaconia S. Augeli in foro Piſcium annumerata eſt inter titulos Presbyterales, donec Gurcenſis ſuperuiueret. Munificus, & liberalis præclara abſoluit, & à fundamentis extruxit ædificia in aula, & arce Saltzburgenſi, cuius etiam Cathedralem ampliſſimis muneribus cumulauit. Eccleſiæ cum præeſſet Carthaginenſi in Hiſpania, turrim curauit extrui campanariam, vt ex inſcri- D ptione.

*Anno Domini 1521. die 19. Octob. inceptum eſt hoc opus ſub Leone X. Summo Pontifice, ſui Pontificatus Anno IV. Carolo Imperatore cum Ioanna matre regnantibus in Hiſpania, Matthæo S. Angeli Diacono Cardinali Epiſcopo Carthaginenſi.*

Vita migrauit ſub Paulo III. Salzburgi feria tertia Paſchali, die 30. Martij, 1540. ætatis ſuæ 72. Præſulatus Saltzburgi Anno 21. ſepultus in Cathedrali ante aram D. Ruperti.

Plu-

Plurima de eo Poetæ, præcipuè Ianus Vitalis, panegyrim ſcripſit & ad eum miſit cum ſequentibus litteris.

*R. DD. Matthæo Longo Ep. Gurcenſi, Cæſareæ Maieſtatis Vicegerenti ornatiſſimo Ianus Franc. Vitalis S. P.*

*Cuiuſq. optimi, ornatiſſime Præſul, cenſuram euitare non poſſem, ſi tanta exercitationis genera audaci adoleſcentiæ morem gerens hoc opus in primis non erubuiſſem, & tibi omni bonarum artium diſciplina excultiſſimo dedicare, niſi ea me defenſarent, inteſtinus videlicet, eum omnium improbatiſſimorum, tum maximè erga te mens, & amor, & honor. Nemini enim in obſcuro eſt, te animi imperio, corporis vires abſolutiſſima virtutis luce ductum* A *diſponere, ac moderari. Quæ omnia ſi particulatim nunc enarrare velim non modo ego tanto ponderi imparaſſe viderer, at ille Arpinas eloquentiæ pater. Quibus omiſſis ſatis ſit ad excuſationem me non laude; non lucro, non temeritate has nugas luſiſſe: verùm vt animi mei gaudium à tot virtutibus excitatum teſtificarer. Præterea cum pace nonnullorum hac in miſerrima tempeſtate in fidei noſtræ interitum conſpirare omnes ferè videntur. Tu autem, vt bonus es, boni & æqui conſule. & hæc (licet puerilia) eo animo, quo ſunt data, ſuſcipere digneris. Vale noſtri memor. Romæ, tertio Idus Nouemb. 1512.*

Iani Franciſci Vitalis in Panægyrim Præfatio. B

*Sunt quos cornipides, canes, auesque.*
*Delectat volucres fouere, & illi.*
*Pingues montibus inſequuntur altis.*
*Dammas, hi cupidi ſequuntur aurum,*
*Secum, fulmineos equos, canesque.*
*Secum, ſecum habeant aues, volucres,*
*Damas oppoſita ſequantur haſta:*
*Non talem cupido decorem, & illis.*
*Diues muneribus frui, rapit nam*
*Fortuna hoc facili modo bonum, nec*
*His parcunt celeres boni ſorores,*
*Phœbus non trepide ſequendus ore.* C
*Sit dux, ſit dominus mihi, ſit auſpex,*
*Hoc faciant cineres mei decori*
*Vnguento, & facilis ſequendo ſit hic.*
*Ergo mellifluis ades Camenis,*
*Et pandas graciles Apollo Muſas,*
*Et pandas numeros Apollo dulces.*

Panegiris R. D. Matthæo Longo, Epiſcopo Gurcenſi, Cæſareæ Maieſtatis Vicemgerenti excultiſſimo.

*Cæſareas iterum gentes, gratamque Tonanti*
*Progeniem, ramis condit tibi Quercus opacis,* D
*O tandem gratare tuis generoſa trophæis*
*Roma iterum. Vindex Heroa ex ſtirpe Camillus,*
*Ortus ab Heſperia pepulit fera prælia, qui nunc*
*Magnanimo Liguris latitat ſub pectore Iuli.*
*Hoſtia ſeptenus ſuperas fluitantia Nili.*
*Albula, tu Gangem vincis, fluctuſq. Tymaui,*
*Tu celerem Tygrim rapidum Simoenta, & Araxis.*
*Impetum, & auratas qui fert Patolus arenas.*
*Victus honorato ſequitur tua flumina riuo.*

*Et maior titulis nunc aurea Roma ſuperbis.*
*Efficitur ſublime caput ſuper æthera tollens,*
*Sub Iulo æterno rurſus viſura triumphos.*
*Gaudet, & auratæ rutilant in fronte coronæ,*
*Qualis cum roſeo compellat mane colore.*
*Aurora, & eurus gaudet liquiſſe mariti.*
*Pulchra ethorum, dulces alio quæſtura lepores:*
*Talis perdomitis lætatur Roma tyrannis,*
*Quæ Rhodanum, quæ Arabas olim diſiecit, & Indos.*
*Sub iuga Cæſares totus ſe tradidit Orbis*
*Imperij, Silices Ariſque, Deiſque ſuperbi.*
*Dita victrici dederunt ſua munera Romæ.*
A *Ecce iterum Gallos eiecit Roma rebelles,*
*Atque iterum Latia ſub maieſtate tenentur,*
*Armigeros quondam, quos perdomuere Quirites,*
*En tibi Meonij Bacchantes præda reſurgunt.*
*Magnanima aduerſos geſtantia pectora Thyrſos.*
*Quæ rabie rigida furibunda mente trahuntur.*
*Sed quis rumor adeſt, præcepſ quò vulgus oberrat,*
*Quò Proceres Latij? cui pegmata celſo parantur?*
*Obſitaque egregia teſtantes regna tabellæ?*
*Chara Deum ſoboles, & noſtri cura Tonantis,*
*Cæſarei Imperij ſpes vna, & ſola carina.*
*Occurrit laſſæ, cuius virtute procellas,*
*Oceanus mulcet, tempeſtateſq. ſerenat,*
B *Cuſpide Mars, Phœbus, Cythara, Cyllenius ore.*
*Alter Olimpiaco merito decoratus honore.*
*Emicat, & ſerpunt tres circum clara coronæ.*
*Tempora grandiloquos tutatur prima Poetas,*
*Altera magnanimis Ducibus fauet, altera Cælum*
*Reſpicit occultos monſtrans ſuper aſtra meatus,*
*Religionis opus, primaſq. acquirere ſedes.*
*Edocet, & ſuperas qua poſſis ſcandere ad arces.*
*En meus ingreditur Latium Dux maximus armis,*
*Atq. toga, hunc ſequitur Procerum concordia diues,*
*Purpureiq. Patres, & candida turba potentum.*
*Auratis, fortiſq. comis venere Sycambri.*
C *Æthiopes nimio nigrantes Sole ſequuntur.*
*Pannonij hinc alacres frenis, Phaleriſq. decori.*
*Conſpiciuntur equi, ſpumis maduere lupati,*
*Tympana pars tundit, Buxos pars inflat inanes,*
*Horriſonuſque fragor volitat per amica tubarum*
*Sydera, Mænnijs fumat & plauſibus Æther.*
*Talis Germanis venis Gurcenſis ab oris.*
*Cæſaris auſpicium, taleſq. ſequuntur ouantes.*
*Hunc Latij proceres, vult niteat altus eburno.*
*Auguſti Imperij Cuſtos fidiſſime ſalue,*
*Salue cara Deum proles, rectura per æquor.*
*Carbaſa clauigeri tandem, cui nomen vtrumque*
*Principis, & Vatis merita memoranda dedere*
*Facta, ſub auſpicijs cuius ſecura Poeta.*
D *Credunt vela mari, Zephyris adiuta ſecundis.*
*Mens fugit Herois laudes ſcriptura decori,*
*Et ſuperat genus hoc ſemper fulgentius oſtrum.*
*Scribentis, quantum ceu cum ditatur auarus*
*Diuitijs, tantum ſit pauper ſapius auro.*
*At tu ſeu Vatum fauor es, ſeu cura Deorum,*
*Seu Phœbum ſplendore refers, cytharaq. ſonanti.*
*Non mortalis adeſt vultus color ipſe ſed almum*
*Purpurei radij teſtantur tempora circum.*
*Denique ni Samiæ fallamur dogmate rhetra,*

*Quæ tua nunc anima eſt, fuerat iam Cæſaris, aitus*
*Ingreſſa Æthereos, & Numina tanta decore*
*Principis Italiæ conſeruatura quietem,*
*Oceanum interea dum collapſura reuiſunt*
*Sydera, dumq. cauis reſpondet montibus Echo,*
*Semper honos, nomenq. tuum, laudeſque manebunt,*
*Namq. tua gaudent ſub tempeſtate Poetæ*
*Laurigeri, quorum eſt mortales rumpere nodos,*
*Et freta ſecura turgentia rumpere claſſe.*
*O facile ingenium priſcos imitantis honores,*
*O faciles animi generoſo in Principe, & ingens*
*Progenies calamos ſueri victura Maronis,*
*Priſca tamen patrum tutores ſæcula iactant.*
*Qui periere armis, & honoro Marte, Quirites,*
*At tu non armis, nec Martia templa reuiſis*
*Cædibus infandis miſerorum aut morte triumphans;*
*Sed præfers tantus ſanctiſſima dona Mineruæ,*
*Cuius honoratis fragrabant fronde triumphi,*
*Hæc hæc magnanimo laus eſt in Principe. Salue*
*Candida pax, cuius licuit fœdare decoram*
*Vlli unquam faciem, ſummoq. cupita Tonanti*
*Cum ſuperas voluit Cælorum ſcandere ſedes,*
*Et zonas vexare Poli fera turba Gigantum,*
*Te furor euictis manibus poſt terga, dolique,*
*Et rabies furibunda manus connexa ſequuntur;*
*Deniq. fidus amor circum, iuſq. omne, fideſque,*
*Et pietas graditur, poſt hos concordia ramis*
*Palladijs ornata petit dextram, atq. capillos.*
*Et tecum Italia qui maxima facta labante.*
*Ergo adeſt, venerare Ducem, venerare Deorum*
*Progeniem, qua nil dum lumina candida fundit,*
*Phœbus, ab Eois ſpectat iucundius oris.*
*Et vos ò Latij facunda caterua Poetæ,*
*Quos decet excelſum Muſarum ſcandere montem,*
*Et iuga Parnaſi ſubter labentia opacis.*
*Flumina ſpeluncis, riuoſq. haurire decoros.*
*Hoc opus eſt veſtris calamis, & dignius altis,*
*Aſt ego [dum tenues ſeruabunt molliter auras.*
*Fata] tuos quacumq. canam ſub voce triumphos.*
*Arma canant vates alij, ſeu mollia molles.*
*Facta viri Veneris, teneroſque cupidinis arcus.*
*Tu mihi materiet, numenq. decuſq. canendi.*
*Adueniis, & nimias noſtro de pectore curas,*
*Pellis, anhelanti, requiemq., imponis auena.*

De eodem C. Syluanus Germanicus cecinit.

*Longo decus patriæ non paruum, maxima dum te,*
*Miſſum à magnanimo Cæſare Roma capit,*
*Quo fueris plauſu quanto ſuſceptus honore,*
*Hoc Boreas, illinc nouit, & inde Notus,*
*Altus Apollo vetat non talia ferre nepotes.*
*Dignus in æternum viuere veſter honor.*
*Dimidium ſæcli vix hunc memoraret honorem.*
A *At nunc perpetuus carmine fultus erit.*
*Te quoniam vates numeris pia vota receptant.*
*Eripitur morti fama, decuſque tuum.*
*Inter, & excelſos Vates Vitalis honorem,*
*Veſtrum iam fecit carmine perpetuum.*

Dialogum ſequentem inter Maximilianum Cæſarem defunctum, & Cardinalem Gurcenſem adhuc inter mortales vitam ducentem, ſcripſit Ioannes Pinitianus.

Card. *O lux, noſtra Germanæ gloria gentis,*
*Quò fugis, & quo nos deſtituis miſeros?*
B Max. *Quæ mihi tam mollem rumpunt lamenta ſoporem?*
*Parce precor lacrimas fundere quiſquis ades.*
Card. *O qui fortunæ fueras pars maxima noſtræ,*
*Cæſar perpetuo tu mihi flendus eris.*
Max. *Tunè ibi es, Matthæe, mea ſolatia vitæ?*
*Agnoſco vocem candide Lange tuam.*
Card. *O Cæſar fœlix genitor, quo viuis in orbe?*
*Sentio in hoc ſacrum numen adeſſe loco.*
Max. *Magnus eram mundo, riſus fuit: optima nunc, me,*
*Regna poli clemens iuſſit habere Deus.*
Card. *Ergo colis ſuperum ſine ſollicitudine campos,*
*Diue pater, ſed nos anxia cura premit.*
Max. *Pone graues curas, ſenior prope deſeret auras.*
*Et tibi Rex Cæli regna ſuperba dabit:*
C Card. *Nunc etiam tibi cura ſum? ſit gratia Chriſto,*
*Sit tibi, cælicolas maxime Cæſar adi.*

## Vicecancellarij ſub Iulio II.

Aſcanius Maria Sfortia An. I. & II.

Galeotus Franciotus de Ruuere, An. III. & IV. & quinti parte.

D

Sixtus de Gara de Ruuere ab Anno V. ad finem Pontificatus.

# LEO X. R. P. CCXIX.

LEo X. Electus die 5. Idus Martij, An. Sal. 1513. vſq. ad diem obitus 1. Decemb. An. Sal. 1521. creauit Cardinales infraſcriptos. Eius autem adfuere Comitijs.

## Epiſcopi Cardinales.

1. Raphael Riarius Ep. C. Oſtienſis, Decanus S. R. E. Camerarius ex Sixto IV. & Iulio II.

Ex Alex. IV. & Iulio II.

2. Dominicus Grimanus Ep. C. Portuen.
3. •Philippus de Lutcemburgo Ep. C. Tuſculanus abſens.
A 4. Iacobus Serra Ep. C. Albanus.
5. Franciſcus Soderinus Ep. C. Sabinus.
6. Fr. Marcus Vigerius Ep. C. Præneſtin. ex Iulio II.

## Presbyteri Cardinales.

Ex Alex. VI.

7. Thomas Vngarus tit. Equitij, S. R. E. Archip.
8. Franc. Remolinus tit. S. Marcelli.
9. Nicolaus de Flisco tit. S. Priſcæ.
10. Hadrianus Caſtellenſis tit. S. Chryſogoni.

Ex Iulio II.

11. *Franc. Guillelmus tit. S. Stephani in Cœlio: abſens.
12. Robertus Brito tit. S. Anaſtaſiæ.
13. Leonardus Groſſus tit. S. Suſannæ maior Pæniten.
14. Carolus de Carretto tit. S. Cæciliæ.
15. *Fr. Franciſcus Ximenes tit. S. Balbinæ: abſens
16. Xixtus Gara de Ruuere tit. Eudoxiæ. V. Cancel.
B 17. Chryſtophorus Anglus tit. S. Praxedis.
18. Antonius de Monte S. Vitalis tit. Veſtinæ.
19. *Matthæus Heluetius tit. S. Pudentianę.
20. Petrus Accoltius tit. S. Euſebij.
21. Achilles Graſſus tit. S. Sixti.
22. Bendinellus Saulius tit. S. Sabinæ.

## Diaconi Cardinales.

23. Io: Medices S. Mariæ in Dominica, Papa futurus: ex Innoc. VIII.

Ex Alex. VI.

24. *Hippolytus Eſtenſis S. Luciæ in Silice.
25. Alexander Farneſius S. Euſtachii.
26. Ludouicus de Arragonia S. Marię in Coſmedin.
27. *Amaneus de Alibretto S. Nicolai in carcere Tulliano.
C 28. Marcus Cornelius S. Mariæ in Porticu.

Ex Iulio II.

29. Sigiſmundus Gonzaga S. Mariæ Nouæ.
30. Alphonſus Petruccius S. Theodori.
31. *Matthæus Langus S. Angeli.

## Cardinales priuati à Iulio II. & à Leone X. reſtituti V. Kal. Iulij. An. 1513.

Bernardinus Caruaial Ep. C. Sabinus.
Guillelmus Briſſonettus Ep. C. Preneſtinus. D
Renatus de Bria P. C. tit. S. Anaſtaſiæ.
Franc. Sanſeuerinas D. C. S. Angeli.

## Epiſcopi Cardinales creati à Leone X.

1. FRanciſcus Soderinus ex Ep. C. Sabino, Ep. Tiburtinus, Albanus, deinde *Præneſtinus*.
2. FR. Marcus Vigerius ex Præneſtino Ep. C. Reatinus, iterumq. *Præneſtinus*.
3. IAcobus Serra ex Albano Ep. *Præneſtinus*.
4. FRanciſcus Remolinus ex P. C. tit. S. Marcelli ſub Alexandro VI. Ep. *Albanus*:

5. Ni-

5. NIcolaus de Fliſco ex P. C. tit. S. Priſcæ ſub Alexandro VI. Ep. *Albanus*, poſtea *Sabinus*.

6. ALexander Farneſius ex D. C. S. Euſtachij, ſub Alex. VI. Ep. C. *Tuſculanus*.

7. ANtonius de Monte ex P. C. tit. S. Praxedis, ſub Iulio II. Ep. C. *Albanus*.

## Presbyteri Cardinales.

8. MAttheus Langus ex D. C. ſub Iulio II. Presb. tit. *S. Mariæ Tranſtyberim*.

9. LEonardus Groſſus ex P. C. tit. S. Suſannę, P. C. tit. *Eudoxia*.

10. AChilles Graſſus ex P. C. tit. S. Sixti, P. C. tit. *S. Mariæ Tranſtyberim*.

11. *Pecunię obediunt omnia*. Eccl. 10.



LAurentius Puccius Antonij filius, Italus, Florentinus præſtantiſſimi ingenii vir, ſub Iulio II. Romæ, Datarij munus obiuit, ab eodem legatus ad Florentinam Remp. vt familia interprete (quæ in ea Repub. ſcamnum obtinebat nobiliſſimum) in partes aſſociares Pontificis contra Gallos, orationem habuit luculentiſſimam. Defuncto Iulio II. Leonis X. à litteris aſſumptus, poſtea Presb. Card. tit. *SS. IV. Coronator.* die 23. Septemb. 1513. primus omnium, quos Leo promouit, arcana tractauit Reipublicæ non abſq. laude, ſi auarus argentum non quæſiſſet, & aurum. Synodo interfuit Lateranenſi, ac ſchedis præfuit legendis Seſſione XI. Laudem, vel vituperem? inter Scyllam nuto, & Charybdim. Iacobus namq. Sadoletus *ep. ad Antonium Puccium Cardinalem* eius nepotem, ſequentibus laudat.

*Cum cognouiſſem ex litteris meorum, Laurentium Puccium patruum tuum, virum ampliſſima dignitate, & omni virtutis gloria florentem ceſſiſſe à rebus humanis; teque in eius locum eſſe ſuffectum, qui eundem, quem ille, honoris, & auctoritatis gradum obtineres, ſanè & dolui animo vehementer, & lętatus ſum. Nam & illius amiſſi, quem parentis loco ſemper habuiſſem, deſiderio commouebar, & tua amplificatione dignitatis mirum in modum gaudebam; qua in diſceptatione doloris, atque lętitiæ aliquandiu cum fuiſſem rationibus vtrinque perpenſis, atque examinatis, tandem iudicaui æquius eſſe multò, tibi, & dignitate tua gratulari, quàm illius obitum, deceſſionemque lugere. Præſertim cum hoc à me erga te officium, amicitia vetus noſtra requirat; illi autem nihil omninò mali contigerit, quod ſit luctu, & lamentatione dignum. Nam ſi vitam illam cogitamus beatam, & immortalem, quæ in cælo his, qui cum fide, & pietate hic vixerunt, poſt mortem à Deo eſt propoſita; nihil omninò earum rerum, quibus illa comparatur, pretermiſit Laurentius. Mitto nunc bonitatem, mitto liberalitatem, mitto innumerabiles ab eo, & propè infinitos aſſiduè pro Repub. ſuſceptos labores*

A *humanitatem etiam, facilitatemque pretermitto, qua ille ad ſe adeuntibus, & ipſius ope, ac conſilio vti volentibus expoſitus ſemper fuit. Quid illa, vel pietate, vel religione potuit eſſe illuſtrius? qua ipſe erga Deum illius honoris ſtudio incenſus ferebatur? vel charitate, quæ erga homines? Cum nec monere errantes, nec erigere lapſos, nec ſolari deſperantes vllo vnquam tempore deſiſteret; omniaq. ſua cogitata, conſilia, acta eò potiſſimùm conferret, ut ſanctæ Eccleſię honos apud omnes, & auctoritas magna haberetur. Quod ſi illa etiam ſpectantur, quę in hac in vita nobis, qui ſuperſtites adhuc ſumus, allevamenta doloris ſunt; nullius unquam nomen nec clarius, nec frequentius, quàm Laurentij toto Orbe terrarum per-*

B *uagatum eſt. Ille Curiam regebat, ille & ciuibus, & exteris lumen preferebat ſapientię ſuæ; erga pauperes comis, potentibus non infenſus, bonis omnibus fautor, nulli unquam acerbus, maximis porrò Pontificibus, & conſilio ſemper, & opera, & omni fide, atque amore coniunctus, & conſentiens. Itaque non dubito, quin iſta tanta Vrbs, & iſta Curia talis viri tam benefici, & tam ſalutaris morte ſibi tota ſqualens, & pene ornamentis omnibus ſpoliata eſſe videatur. Ego verò, in quem plurima illius beneficia extiterant, qui me in filij loco dilexerat, in quo ego mihi patriam ſanctitatem, & venerationem conſtitutam habebam, facere equidem non poſſum, quin grani, & intolerando mœrore urgear.*

C Gomecius verò in *vita Ximenij Cardinalis*, Cardinalem hunc ſuperbum exponit, inexplebilis auaritiæ, & auiditatis; quare Laurentium Puccium nepotem, Nuncium deſtinatum ad Caſtellæ Regna, hominem leuiſſimum, futilem ab Hiſpanis reiectum; ne magna Hiſpanorum pernicie, occaſio daretur nationem expilandi; ſi vnus Romæ Laurentius Cardinalis, alter Nuncius in Hiſpania, mutuo ſe coadiuuando, arcana Eccleſiæ pro libito adminiſtrarent. Oppido ſub Leone X. malè audiit, cum eius conſilio Papa *non tantum ut viuentibus ſuccurrat* [ver-

D ba ſunt Guicciardini lib. 13.] *ſed etiam ut defunctorum animas penes eximat Purgatorij. Quia verò notum erat, tales Indulgentias emungendę pecunię cauſa ſolum concedi quam Commiſſarij illi impudenter flagitabant, qui mandata illa ab Officiarijs Papę emerant, maleuolentiam ipſe hominum pleriſq. in locis ſibi conflarat. &c.* Hinc apud Hadrianum VI. accuſatus ſãctiſſimis Indulgẽtiis immani queſtu diuẽditis, ingentem pecunię vim nul-

nullo metu pænę peculatus auertiſſet, coactus fuit obiecta diluere, quod facile contigit ob auctoritatem, & forſan innocentiam, Sub Leone X. fuit ei quaſi pedagogus. Pontifex namque de eccleſiaſtico honore ſollicitus, cum libelli ſubſcribendi porrigebantur, ad Puccium conuerſus [in quo plurimum confidebat] rogabat, fidemque implorabat, ne ſe impudenter in errorem labi pateretur, qui pænitentiam induceret, & infamiam. Romæ cum Theologi, & Canoniſtæ diploma meditarentur anathematis, aduersùs Lutherum, illudque exaraſſet Petrus Accoltius Cardinalis Anconitanus in Congregatione Cardinalium habita coram A Leone X. *Puccius* tunc Datarius, aliud obiecit formulis conceptum diuerſis, aduertens ſui eſſe officij, ſimilia præparare decreta: quare plurima obijciebat diplomati per Accoltium exarato, carpebatque æmulatione potiùs maligna, quàm conſilio zelanti. Cumq. Anconitanus ſcriptum à ſe conceptum defendere conaretur; opus fuit, vt Papa vocem immiſceret imperii, vt ad ſilentium altercantes retraheret, cum Maieſtas non ſufficeret imperantis. *Pallauicinus hiſtor. Concilij Tridentini lib. 1. n. 18.*

Romæ obiit Laurentius, ætatis ſuæ Anno 73. die 19. Septemb. vel 25. Salutis Anno 1531. in Baſilica. B Vaticana ſepultus, deinde ad S. M. ſupra Mineruam tranſlatus ad pedes Leonis X. cum epitaphio.

*Laurentio Puccio Ep. Preneſtino.*

*Card. SS. Quatuor Coronatorum, Maiori Peniten. ſingularis probitatis, ac Amabilitatis, & in Apoſtolicis negotijs experto. Qui vixit Annos LXXII. Menſem 1. dies IX. iuxta Leonis PP. X. vt mandauerat; ſepulchrum Robertus Puccius Card. SS. IV. Coronat. Maior Penitentiar. fratri optimo ac benemerenti fac. cur. Mortem obijt An. MDXXXI.*

In ſacello etiam S. Sebaſtiani, Florentię ad eccleſiam SS. Annunciatæ, ſequens elogium marmori C inſculptum adiecere Gentiles.

*Laurentio Puccio Antonij F. Ep. Prenes. Card. SS. IV. Maior. Penit. Apoſtolicorum negotiorum exacta cognitione celeberrimo, à Leone X. P. M. purpura decorato, Robertus Puccius patruo magno, ad illius in patria memoriam retinendam erexit An. Sal. MDCVII. Vixit Annos LXXIII. Obijt Romæ XVI. Cal. Octob. MDXXXI. & in S. Maria ſuper Mineruam ſeruatur.*

Scripſit cum Datarii munere fungeretur,

*De Gratijs & Expectatiuis.*

Eius memoria in epiſtola Dedicatoria Eraſmi præfixa Annotationibus S. Cypriani: & in vita S. Blaſii, quam vincta oratione deſcriptam ei dicauit D Bapt. Mantuanus illius ęui poeta clarus.

Huius Cardinalis literas in commendationem Reip. Florentinæ habes *to. 3. litterarum Principum.*

De eo Ciaconius. Panuin. Sandoletus. Vghellus. Auberii. Victorel. Guicciard. Stephan. Ioanninen. *hiſtor. Medic.* Claudius Robertus *Gallia Chriſtiana.* Contelor. Paulus Iouius. *Vita Hadriani VI.* Leander Alberti *Italia deſcript.*

12. *Eſt malum, quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis: ſtultum poſitum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* Eccl. 10.



THomas Vulcer alias Vulſęus, natu Anglus ex oppido Suffort, diæceſis Nurudienſis, non humili tantùm, ſed vili genere, malo natus Chriſtianæ Reipublicæ, lanione patre dictus *Terræ filius*, cum in aulam irrepſiſſet, Regique à ſacello factus eſſet, Richardi Ep. Vvintonienſis opera, regiis præfectus eleemoſinis, mox Tornacenſis Epiſcopatus donatus vectigalibus, ex Regia liberalitate, inde Epiſcopus Lincolinenſis, poſtea Dunelmenſis, & Vvintonienſis ac Eboracenſis Archiepiſcopus, tandem totius Regni Cancellarius & Angliæ Primas, Abbas S. Albani, eodemq. intercedente Rege, ob ſędus percuſſum inter Pontificem, & Henricum VIII. Angliæ Regem, Presb. Card. tit. *S. Cæciliæ* renuntiatus à Leone X. die X. Septemb. 1515. & ad vniuerſum Angliæ Regnum Legatus Apoſtolicus opes collegit immenſas; nam & Franciſci 1. Gallorum Regis, & Caroli V. Imperatoris muneribus donatus atque penſionibus, locupletiores Abbatias, vbiq. terrarum vſurpauit, director ſupremus & Regni & Regis. Sedem cum mente voraret Apoſtolicam, eoq. ſemper Volſæus collimaret; eius abuſurus facultate Carolus V. Imperator lactare cæpit, eius in Romanum Pontificem aſſumptione promiſſa, ſi Henricum Regem ſuum in fædus conduceret perpetuum aduersùs Gallos: eumq. vt magis palparet, crebras ad eum ſcribebat litteras nec alterius, quàm Cæſarea manu præſcriptas. Impleuit Volſæus conditionem quàm cupidè: ſed cum Carolus defuncto Leone X. fide defeciſſet, vt potius Volſæi loco Hadrianum VI. curaſſet; licet fama per vniuerſa Italiam, Volſæum Papā fingeret opera Caroli Cæſaris futurum; Volſæus diſſimulandum ratus, mortem Hadriani expectare decreuit: cuius poſt obitum, cum ne tunc quidem rationem ſui à Carolo haberi aduerteret, immo negatum ſibi Archiepiſcopatum Toletanum, cępit apertè furere, & Carolo ſummis viribus aduerſari, ad eius hoſtes tranſire, & Gallo ſe totum addicere. Hac de cauſa, cum Henricum Regem ab vxore Catharina, Caroli matertera alienū cognoſceret, amore captum impudico Annæ Bolanæ, ſuamq. ambitionem Reginæ ſanctiſſimæ grauem agnoſceret, vindictam ſibi totiq. Orbi propoſuit funeſtiſſimam, ſi Caroli Materteram à Regio thalamo diſſociaret. Recordatus itaq. tempore Alexandri VI. & Iulii. II. diſputatū fuiſſe, an Pōtifex diſpenſare valeat, vt fratris germani defūcti coniugē frater ducat ſuperſtes, cum in Leuitico, lege prohibeatur Moſaica, fratrem fratris turpidinē reuelare; inſuper quod Chriſti Pręcurſor Herodi dixerit, *Non licet tibi, habere vxorē fratris tui*; quæ tamē facile cōciliātur, cū Io: Bapt. non de vidua Hero-

Herodem obiurgaret, ſed de coniuge, quæ legitimè virum habebat ſuperſtitem. Sic præceptum Leuitici per Deuteronomium interpretabantur, non de coniugio, quia lege Deuteronomij adſtringebatur frater ſemen ſuſcitare fratris defuncti; cuius vigore Iudas Patriarcha Onæ filio ſuo mandauit, Tamarim ducere in vxorem, viduam fratris ſui primogeniti. Veruntamen ex controuerſijs doctorum habitis, quæ quandoque non pro veritate, ſed pro acumine ingenij inſtituuntur; ſperauit Volſæus quęſtionem fortiùs excitare medijs doctoribus Anglis, qui in adulationem parati, Regi obſequebantur, eiq. prolem optabant maſculinam, vt Regem naniſcerentur ex futuro connubio naturalem, & non extraneum, Præuidebat etiam Regem non alienum in nuptijs ſororis Regis Franciſci, viduæ Ducis Alenconij, cuius vinculo in partes Gallorum traheretur Henricus aduerſùs Carolum. Hoc voto, ſpetie tamen religionis, Volſæus verba fecit cum Regis Confeſſario; quaſi laqueo Rex irretitus mortali, concubinam teneret, non coniugem. Non diſſenſit Confeſſarius auctoritate victus Cardinalis, qui ad libitum, Regni tractabat habenas. Arcano itaq. cum Rege communicato, Rege iubente, ad conſilium clam vocati Theologi, & Canoniſtæ facilè ſubſcripſerunt; eodem tempore, quo Epiſcopus.... Gallorum Legatus in Angliam venerat pro nuptijs conciliandis inter Ducem Aurelianenſem Regis Galliæ ſecundogenitum, & Valliæ Duciſſam, qui à Volſęo monitus, nuptijs prętèritis Ducis Aurelianenſis, nullitatem proponere diſpenſationis cum Catherina Auſtriaca, nouaſq. nuptias offerre Regi viduæ Alenconij; impleuit ſollicitè, obtinuitq. vt in Galliam Volſæus mitteretur ad Regem Franciſcum, vbi pro liberatione Clementis VII. tunc captiui conueniret, nec non pro nullitate coniugij cum Cattarina Auſtria, & nuptijs viduę Alenconiæ cum Henrico Angliæ Rege. Volſęus Cardinalis dictus *Eboracenſis*, acceptis mandatis iter arripuit; nondum Lutetiam peruenerat, cum à tabellario præuentus, iuſſus eſt ab Henrico Rege mandata quidem abſoluere, ſponſæ excepta ſpecificatione. Agnouit protinus Eboracenſis mentem Regis, amore laſciuo bacchati, pęnituitq. conſuluiſſe Cattarinę repudium, ſera tamen pęnitentia, fulmine à ſe iam immiſſo, quod famam Regis, fortunam ſuam, patriæ pacem inſumpſit. Iam ergo Henricus diuortij percupidus, ſine quo Annæ Bollanę callidæ adulterę minimè ſperabat amplexus, Legatos miſerat ad Clementem pro fędere incundo aduerſùs Cæſarem; tum præcipuè, vt diuortij facultatem concederet non priuilegio, vel diſpenſatione, ſed matrimonium *Nullum* ab exordio fuiſſe declarando; ipſa, vt ſperabatur, non reclamante Regina, quæ pietati addicta, facilè in Monaſterium ſe ſe eſſet abditura. Sperabat Rex procliuem ſibi Pontificem, ob ſimultates, quę gliſcebant inter Clementem, & Carolum apud quem tanto ſtudio Henricus Pontificis libertatem armatus procurauerat: & quo facilius nouo munere impelleret, ſtipendia in quattuor millia peditum conſcribenda, ad eius obtulit cuſtodiam. Tantis beneficijs vinctus Papa, diuortium apertè negare non auſit, iuſſit tamen cum Cardinalibus, & Theologis de iure agere. Perpenſo rationum pondere, reſponderunt vnanimes, matrimonium nulli legi aduerſari Diuinæ, vt contendebant Legati: in cauſa tam perſpicua iudices minimè dandos in Anglia, vbi omnia in Regis poteſtate futura erant. Vrgentibus rurſum Legatis, diſpenſationem non fuiſſe Canonicam; mandauit Papa quęſtionem à nouis Cardinalibus iterum cognoſci, quorum indulgentia in gratiam Regis de eccleſia benemeriti, delecti iudices duo Cardinales *Eboracenſis*, & *Campegius* Sarisburienſis Epiſcopatus Adminiſtrator in Anglia, qui ſub Leone X. legatus venerat ad Henricum pro bello Turcico. At vbi Rex Angliæ nihil apud Campegium, & Eboracenſem iudices pro diuortio proficere agnouit, vehementer indignatus, in vnum Volſæum vindictam effudit tanquàm & primum auctorem diuortij, & vnicum impedimentum, nè licentiam Pontifex relaxaret, Cæptę namq. collocutionis pænitens Pontificem monuerat; ne diuortium Catharinæ approbaret; quòd ſponſa futura Caluini infecta erroribus, in Anglia ruina foret fidei Catholicę. Iuſto itaq. Dei iudicio, varijs accuſationibus apud Regem impetitus (accuſatores eodem inſtigante Rege) à Thoma Duce Norfolicæ comprehenſus, Magiſtratu primùm Cancellariæ coactus eſt ſe abdicare, deinde Vuintonienſi Epiſcopatu, & Abbatia S. Albani, magnificentiſſimoque palatio per ipſum Volſæum Londini ędificato, quod Rex ipſe inuaſit cum pretioſa ſuppellectili. Bonis tandem reliquis exutus, in villam relegatus Atherienſem, mox in Eboracenſem eccleſiam dimiſſus, cum ibi epulis vacaret, pompa vteretur ſolemni; ac mitram ſuam gemmis ornatam ad celebrandum ſuæ inaugurationis anniuerſarium repeteret; id ad ſuam Rex iniuram reuocans, & Volſæi ſuperbiam, die ipſo inaugurationis deſignato, comprehendi iuſſit ab Henrico Northumbriæ Comite, & captiuum Londinum duci: in itinere ad Leicaſtriæ oppidum, 4. Cal. Decemb. An. 1533. iam ſexagenarius ex Dyſenteria migrauit, vel vt alij volunt, ſponte hauſto veneno. Dum reus læſę Maieſtatis vinciebatur, exclamaſſe fertur: *Vtinam nihilo magis lęſa Maieſtatis Diuinæ reus eſſem: nunc autem dum nulli rei magis incubui, quàm vt Regi penitùs inſęruirem, & in Deum peccaui, & Regis gratiam non obtinui. Apprehendite Aulici* (ipſius morientis ſunt verba) *rotam humanę inſtabilem fęlicitatis*; vbi Deo adhærere non eligitis. Tam mitis deceſſit effrenis illa bellua, quę tot legationes immiſſas à Cæſare, à Pontifice pro pace conciliianda irritas fecit, ſolùm, quòd vnum belli, & pacis arbitrum Henricum vellet Regem ſuum.

Ciacon. Panuin. Garimb. Polydor. Virgil Guicciardin. Auberij. Vghel. Goduuinus *de Arch. Eboracen.* Spondan. Bzouius. Sleidanus. Sanderus *de Schiſmate*

mate Anglicano Contelor. Victorel.

13. *Attendite vobis, nè fortè grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & ſuperueniat in vos repentina dies illa.*
Lucæ 21.



HAdrianus Gouffier Guillelmi filius equitis aurati D. Michaelis, Domini de Bonniuet, Boyſi, & Oiron, Cubiculariorum Regiorum Princi- A pis, & Sanctonenſis Seneſchalli, ex Philippa Montmorancia vidua Caroli Melodunenſis, magnus Franciæ elemoſinarius, Abbas B. Mariæ Burgidolenſis, Fiſcani, Burgulij, Cometiaci, S. Florentij Salmurienſis, & B. Nicolai Andegauenſis, fratres habuit Arturum toparcham de Boyſi, magnum Franciæ magiſtrum; Guillelmum Dominum de Bonniuet, Thalaſſiarcam, Aimarum, Ludouicum S. Maxentij, & Petrum S. Dionyſij Abbates. Horum interceſſione Pontifex dictus Conſtantienſis in Normannia, quamuis (ſi Garimberto fides *p.* 502.) litterarum B cuiuſq. generis prorsùs ignarus, purpuram etiam extorquente Franciſco I. Gallorum Rege, poſt victoriam aduersùs Heluetios reportatam, ad Melegnanum, à Leone X. in congreſſu Bononiæ habito, die 19. Cal. Ian. 1519. quò Regem hac ſola ferè cauſa traxerant Goufierij fratres, vt Hadriano purpuram impetrarent, cum Gallica Apoſtolica legatione, cuius titulo in Gallia prædominari ſperabant. Annuit Pontifex regiis poſtulatis, Apoſtolicam tamen legationem vltra Annum, Hadriano prograre negauit. Qua ex Sauſa odium emerſiſſe creditur inter Leonem, & Franciſcum, quo bello conflagarunt Gallia, & Italia, ipſius C Regis captiuitate, in Papienſi certamine, ob vnius Bonniueti temeritatem, & conſilium impacta importunum. Ea in pugna, Deo exigente vindictam, cecidere Arturus, & Bonniuetus, quorum iam lætho præcurrerat Hadrianus Cardinalis ſola crapula & purpura notus. Eius cum ageretur de promotione, dixiſſe fertur famoſus ille *Robertellus* (qui Regi à ſecretis erat) *non ingratam Cardinalibus futuram Hadriani aſſumptionem, qui incapax & ignarus rerum ſuarum, tantò minus alienas inuadere voluiſſet*. Hoc tamen miraculum in Hadriano, Rex Franciſcus, quamuis more iuuenum, experiri voluerit, D prohiberet non valuit, quin Hadrianus crapula obrutus, fata ſibi accelerarei vino ſepultus, die 24. Iunii, vel Nouembri, Sal. Anno 1523. in Turonibus, apud Caſtrum Villæ Dei, codicillis conditis, quibus ſepulchrum ſibi delegit in Abbatia Burgidolenſi ante capellam B. Virginis. Legauit Albienſi eccleſiæ pro celebratione quatuor Anniuerſariorum: item Abbatiis Fiſcani, Burgidolenſi, & aliis eccleſiis.

Ciaconius, Panuinius, Garimbertus, Auberii, Frizonius, Claudius Robertus, Vghellus, Io: Chenu de *Ep. Galliæ* Eius memoria *in Beatificatione* ab eo facta, mandante Leone X. Iſabellæ ſororis S. Ludouici Regis.

Scutum de Gouffier aureum ternis bingibus pullis inſtitis exaratum, quadripartitum Montmorancii, nimirum cruce coccinea ſexdecim Aquilulis mutilis expunctum pingunt, ab eo diuerſum, quod antiquitùs Ciaconius aſſignauit.

14. *Morieris in interitu occiſorum.*
*Ezech.* 28.



ANtonium Bohierium in Aruernia Auſtremontius Baro *de Sainct Cierque*, & Beralda de Prato genuere nobiles pauperes & ignoti: genitum ſub inſtituto educauere S. Benedicti in Fiſcanenſi cœnobio SS. Trinitatis. Abbatiæ præfuit Fiſcani, & Rothomagenſi: Neuſtriæ B Cancellarius extitit, matri charus Franciſci Gallorum Regis (nec confundendus cum Antonio Cardinali Prateuſi ſub Clemente VII.) Archiepiſcopus Bituricenſis ſex millia librarum Turonenſium dono dedit eccleſiæ S. Stephani; in cuius memoriã quotidie Miſſam celebrant dictam *la Cardinale*. Aulea eidem donauit eccleſiæ, in quibus ſæpè recurrit ſymbulum, *Virtuti omnia parent*. Preſbiter Cardinalis creatus tit. *S. Anaſtaſiæ* à Leone X. in quartà Cardinalium promotione, Anno 1517. Cal. April. intercedente Reginà matre Franciſci. 1. Hoc eodem Anno, Rothomagi collocationi adfuit corporis D. Mudœni Rothomagenſis C factæ à Georgio Card. Amboſiano, cuius Abbatiæ erat Archimandrita. Diuitijs ille exaltatus, & dignitatibus cucullo relicto (ex Leonis namq. X. priuilegio, veſtes Cardinalitias adinſtar aliorum Cardinalium ſæcularium, in Regno Franciæ, cõtra vſum Cardinalium ex cænobiis deſumptorum) auaritiam non dereliquit ſed tenax vſq. ad obitum coluit (ſi vera profert *Garimbertus*.) Abſq. ſacramentis, & Sacro Viatico interiit; vt inde timerent Eccleſiæ Cardines ſordidum abhorrere quæſtum. Bleſis ſepultus iacet 27. Nouemb. 1519. in naui Metropolitanæ Baſilicæ iuxta ſuggeſtum concionatorium, cum epitaphio in lamina ænea.

*Antonius iacet hic Bohierus, origine quondam*
*Aruerna, eloquio vir meritiſq. grauis.*
*A puero monachis, clauſtris compluribus Abbas*
*Dignus, & hac celebri Præſul in vrbe fuit.*
*Tempore non multo plures ſortitus honores*
*Cardineo tandem ſchemate clarus obit.*

*Cy giſt de bonne memoire Monſieur Antoine Bohier, Cardinal du Sainct Siege, Archeueſque de Bourges, & Abbè de Feſcamp, qui treſpaſſa le 27. Nouemb. l'Annee MDXIX,*

Ibi occurrunt pro inſignibus Leo cæruleus in ſcuto aureo; quibus Cabreram emendes, qui huic tria follia cum nigra faſcia in campo argenteo tribuit, Hæc enim Cardinalis fuere Pratenſis.

Claudius Robertus *in Gallia Chriſtiana*: Frizonius: Io: Chenu *de Ep. Galliæ*: Vghellus: Panuinius,

15. *Beatus homo, quem tu erudieris,*
Pſal. 93.



LVdouicus Borbonius Franciſci Vindocinenſis vltimi Comitis, & Mariæ Luxemburgicæ tertius filius Comitiſsæ S. Pauli (Mater hæc pauperum Annum vnum ſupra 50. vidua caſtitatem ſeruauit) die naſcitur 2. Ian. 1493. Hamo vrbe Picardiæ, frater Caroli Borbonij 1. Ducis Vindocinenſis, clericali donatur tonſura à Georgio de Amboſia Cardinali, in oppido de Faro. Adoleuit poſtea ſub doctoribus Sorboniſtis, magna litterarum fruge Anno 1510. Laudunenſis conſacratus Antiſtes, Trecorenſem etiam Lucionenſem, & Cenomanenſẽ adminiſtrauit, Archimãdrita S. Cornelii Compendienſis, necnon D. Mariæ à Columbis diæceſis Carnotenſis, D. Dionyſii Commendatarius inter Presb. Cardinales aſumitur die 26. Iunii, 1517. *S. Sylueſtri, & Martini in Montibus tit. Equitij*, à Leone X. promotione V. pileum accepit in cænobio S. Vincentij, & Laudunum ingreditur comitantibus Archiepiſcopo Rhemẽſi, Catalaunenſi, Sueſſionenſi, Ambianenſi, Bellouacenſi, & Nouiomenſi Epiſcopis. Conuentui Principũ & Galliæ Magiſtratuum interfuit Lutetiæ celebrato à Rege Franciſco 1. in quo primum obtinuit locum poſt Apoſtolicæ Sedis Legatum, D. Ludouici capſam argenteam, & auream conſtrui voluit, pretioſiſq. ornauit lapillis, & apponi Franciæ Pares. Pariſiis Palatium erexit magnificum Regibus excipiendis opportunum. Præſul tandem Senonenſis, Galliarum Germaniæq. Primas palatium amplificauit Senonenſe. Sorbonicæ Domus Prouiſor declaratus non minùs prudenter, quàm ſanctè reſpondit: *Compos factus ſum uotorum meorum, uiri Theologi: quid habeo aliud Deum immortalem precari, quàm ut hunc conſenſum ueſtrum ad ultimum uſque uitæ diem, mihi perferre liceat.* Magdalenam Valeſiam filiam Franciſcis 1. matrimonio iunxit cum Iacobo V. Scotiæ Rege: baptizauit Franciſcum Henrici II. primogenitum, poſtea Regem, Fontanablæi An. 1546. Exequias celebrauit Franciſci 1. in Baſilica Sandionyſiana Anno 1547, quibus nouem interfuere Cardinales. Coronauit Catharinam Medicæam Reginam Franciæ, 10. Iunii 1549. apud S. Dionyſium, ipſe S. Dionyſii Abbas, etiam S. Leonardi de Ferrariis, S. Faronis Meldenſis, S. Amandi, SS. Sergii, & Bacchi. Ad titulum tranſlatus *S. Sabinæ* à Clemente VII. Archipresbyter præfuit S. R. E. & Ep. *Praeneſtinus* Anno 1550. die 14. Feb, Caſtris præfectus ab Henrico II, An. 1553. ſponſorem egit nomine eiuſdem Regis, in Baptiſmate Henrici Nauarræi tunc Ducis Bellimontis, poſtea Galliarum Regis, huius nominis IV, Bello recrudeſcente cum Hiſpanis, SS. Dionyſii & ſociorum reliquias expoſuit ad implorandam Numinis opem. Purpura quadragennarius diem clauſit Lutetiæ, 11, Martii 1556, corpuſq. delatum in chorum Eccleſiæ Laudunenſis ſine epitaphio; Cor
A verò in templo S. Dionyſii quieuit; vbi effigies Cardinalis flexis genibus ſuper epiſtilium nigri marmoris, columnæ Prophireticæ, cuius baſi cor inſculptum cum inſignibus. Huius in funere latinè perorauit Petrus Gemellus. Requellus in ſymbolis Regum Franciæ, Lauduni extinctum dicit An. 1557. Ludouicum Neſtori Ianus Vitalis comparat canens,

*Neſtor conſiliis, armis pugnabat Achilles;*
*Conſiliis Neſtor plus metuendus erat.*
*Sic Romanus habet merito Lodoice Senatus,*
*Neſtora, res magnas te ſuadente, ſuum.*
B *Et quamuis uirtute uales, & lumine claro.*
*Sanguinis illuſtras nobiliores Auos;*
*Religio tamen inſignes ſuperaddit honores;*
*Teq. uocat Patrem Gallia tota ſuum.*

Humili deuotione Deiparam proſequens, eius laudes quæ M. S. in bibliothecis latebant, typis dari curauit: præcipuè Contemplationem melliſluam ſuper *Salue Regina*, Martini à Magiſtris, Pariſiis An. 1519.

Scripſit epiſtolas plures, quarum aliquas addidit Andreas Sauſsaii *lib. de Myſticis Galliæ Scriptor.*

C Ciaconius. Frizonius. Panuinius. Io: Chenu *de Ep. Laudun.* Auberii. Victorellus. Vghellus. Contelorius. Hilarion de Coſte *in elog.*

16. *Elias dum zelat zelum legis, receptus eſt in Cælum,*
1. Macc. 2.



ERaldus vel Heraldus Germanus natu, Roberti Comitis de la Mark Bullionis filius ex Ioanna de Marbien, pronepos Adolphi, & Engelberti à Marka Leodienſium Epiſcoporum, Anno Sal. 1506. communi omnium conſenſu Epiſcopus Leodienſis 84. poſt Ioannem Hornęum renuntiatus; dum diploma expectatur confirmationis Pontificiæ, ad Carthuſiam ſecedens Montis Dei, vt ibi ſacris initiaretur, Quadrageſimam deuotè exegit, ſpiritualium vacans meditationi, Eò accedentibus Officialibus, aetiumq. Præfectis comædi quoq. acceſsere hiſtriones, mimi, ac ſimiles aulæ heroes, operam offerentes, quam prædeceſſori præſtiterant. At iſtis pro officio laudatis, modeſtèque remiſſis tan-

tanquàm inutilibus; cum vnus eorum petulantiùs
procedendo, leonem veriùs, quam tragædum ſe
prodidiſſet: Præſul ſubiratus ſaceſſere renuentem
fuſte cædi iuſſit: Acceptis poſtea à Roberto Markia-
no Sedani Domino, Ducatorum viginti millibus,
pro neceſſarii peragendis in ſui Pontificatus exor-
dio; præſenti Cardinale Saguntino Patriarcha Hie-
roſolymitano, die 11. Maij conſecratus, & more
Principum per triumphales arcus, acclamante po-
pulo, turba proſequente exulum carceratorum,
quos libertati reſtituit, publico per triduum inſtru-
cto conuiuio Comitibus, Baronibus, viriſque illu-
ſtribus, ac Abbatibus 25. qui ad ſolemnitatem
conuenerant. Hebdomada Pentecoſtem inſequen-
te, plures ipſe ſacris inſigniuit, quamuis ſuffra-
ganeum haberet: Anno ſequenti Templum Fratrum
Minorum Leodii conſecrauit; & collapſam in ce-
lebri S. Huberti monaſterio regularem diſciplinam,
præſcriptis legibus reſtituit. Eccleſiaſticis inten-
tus politiam haud deſerens, Cæſarianos milites
( qui in agro Leodienſi hyberna figere decreue-
rant ) partim miſſis fæcialibus, partim copiarum
apparatu, ditionis ſuæ finibus excedere compu-
lit, Populis Epidemiæ morbo laborantibus ma-
gna charitate, & ſolertia ſuccurrit. Arces Ho-
yenſem, & Francimontenſem, aliaſq. qua vetu-
ſtate, qua bellorum iniuria collabentes inſtaurauit,
Vrbem ipſam Leodii binis turribus à fundamento
marmore extructis auxit: B. Lamberti Ep. Leo-
dienſis caluariem theca incluſit argentea affabrè
celebrata: templum aulæis exornauit pretioſiſſi-
mis. Aurea, & argentea cudit nummiſmata pro-
bati, iuſtique ponderis, quæ mercatoribus ad-
uenis, & indigenis maximo forent adiumento,
Anno 1509. in Blaſphemos pœna ſtatuta, vt
prima vice vnius floreni ſolutione, ſecunda
trium, tertia affixione vnius auriculæ ad palum
in publico foro conſtituta punirentur. Pluri-
bus aliis adiectis pro bono regimine; Feudata-
rios, Beneficiarios omnes Eccleſiæ obſtrictos
Leodienſi ad recognitionem vocauit alti domi-
nii. Anno 1511. Moniales reformauit, immiſ-
ſis præcipuè in cœnobium Ordinis Ciſtercienſis *de
veteri Vinea* dictum, virginibus inculpatis, quæ
lampades offerentes bonorum operum, cæteris
prælucerent. Fœderis particeps Cameracenſis ad-
uersùs Venetos, à Ludouico XII. Gallorum Rege
legatus ad Maximilianum Imperatorem, fideli-
ter cum cauſam promouiſſet fœderatorum, Carno-
tenſi donatus fuit in Galliis Epiſcopatu, quem po-
ſtea reſignauit Guillando Ep. Tornacenſi, du-
catorum 4500. penſione retenta; licet Maximilia-
no defuncto Auſtriaco, Anno 1519. Imperium am-
bientibus Franciſco I. Gallorum Rege, & Carolo
V. Auſtrio; quòd Caroli rem fæliciter promouiſ-
ſet, ita conducere credens eccleſiæ ſuæ Leo-
dienſi; fructibus Carnotenſis Epiſcopatus priua-
tus fuerit, quaſi in crimen violatæ fidei, ac le-
ſæ Maieſtatis, vt Senatus iudicauit Pariſienſis,
Seruino inſtante Regio Aduocato; inſtante ve-
rò Carolo V. Cæſare ( cuius partes ea fide ſe-

quebatur), vt etiam aduersùs Robertum Marka-
num fratrem, qui cum Gallo ſentiebat, vires, &
arma ſuggereret ( inſulis ornatus Cardinalitiis
tit. *S. Chryſogoni*, promotione octaua, iſq. ſolus,
die Veneris, 5. Idus Iunii, 1521. Burgiſq. aſtan-
te Carolo V. pileum recepit coccineum, cum
annulo magni pretii; Valentino etiam apud
Hiſpanos auctus Archiepiſcopatu. Commen-
dabant Erardum præter generis nobilitatem, &
potentiam, eximia indoles, corporis conſtitu-
tio, ingenium acre, ſacrarum, humanarumque
litterarum cognitio non vulgaris, iudicium, elo-
A quentia, animi moderatio, cum affabilitate con-
iuncta. Ad eius promotionem Leonem R. P. ar-
dor etiam fidei Catholicæ, qui in Heraldo, elu-
cebat, impulerat. Leodienſis dictus Epiſcopus,
Lutheri ſcholas, conuenticula non ſolùm prohi-
buit; ſed eorum quemdam, qui Lutheri exemplo
inſaniens, Pontifici, Eccleſiæ, Patribus, Ange-
lis ipſis inſultabat, clauo linguam iuſſit perfodi
maledicam: vt nil mirer, ſi Sleidanus ſcripſerit
( qui Lutheranis veluti Liuius fuit ) *Mortuus
eſt paulò ante Erardus Markanus Cardina-
lis, Epiſcopus Leodinus, quo vix alius doctrina
noua, putà Lutherana cauſa plures afflixit lib.* 13.
B *Com.*

Verè Eleazar in virtute veniens Æliæ, vel alter
Phinees omnes, qui hæreſim tantiſper redolerent
( quamuis neceſſitudine iunctos ) abhorrebat, eo-
rumq. conſuetudinem cane peius, & angue fugie-
bat. Exemplum locuples in Eraſmo, qui cum in
Religione ceſpitaret, & tamen Catholicus ha-
beri vellet, propterea in omnium ſui æui Præſu-
lum gratiam ſe inſinuaret; *Erardum*, qui in-
ter præcipuos Cardinales ſanguine, zelo, do-
ctrina, opibus eminebat, potiſſimum coluit,
eiuſq. vt aucuparetur gratiam, ei ſuam in epi-
ſtolam ad Romanos paraphraſim, multis cum
C laudibus dedicauit; vnde Erardus pro ſua huma-
nitate, non modò Eraſmo viriliter reſcripſit,
verum ad ſe magnis promiſſis inuitauit. Ve-
rum vbi eum Lutheriſare, aut Luthero prælu-
dere agnouit, animo prorsùs auerſo, illum veluti
Ethnicum tractauit & Publicanum.

B. Lamberti M. ſtudioſus feſtum celebrauit
eius tranſlationis Anno 1526. non ſolum Vrba-
no, ſed foraneo Clero aſtante, cum Scabinis
30. & Artium Capitibus, Commiſſariis, cæte-
riſq. Officialibus. Aulam inchoauerat Epiſcopa-
lem, cuius in extructione, Annos duos ſupra trigin-
ta impendit, ſed moriens imperfectam reliquit. In
D Hæreticos legatus à Clemente VII. ſeuerus in corri-
piendo, manſuetus in miſerando, pronus in com-
patiendo, affabilis liberalis non minus Epiſco-
pum egit, quàm Principem. Reſtaurandæ Cle-
ri diſciplinæ intentus, eodem tempore duas in-
ſignes campanas, *Erardi* vnam, *Chryſogoni* alte-
ram nomine nuncupatas miræ magnitudinis, &
pretii, proprio ære fundi curauit. Anno Sal. verten-
te 1537. Reginaldum Polum Card. à Paulo III. in
Anglia deſtinatum, vt Regem Henricum VIII.

ad ſeniora conſilia reuocaret, ab ipſo Henrico ad necem quæſitum, è Gallia in Flandriam profectum, ad ſe Leodium euocauit, atq. ſumma humanitate exceptum per ſex menſes perhonorificè habuit. Interſuit Polus Indulgentiæ plenariæ, quam Erardus auctoritate Pontificia, Leodij publicauit.

Aſſiduam colens mortis meditationem, monumentum ęneum auro affabrè elaboratum, varijſq. cælatum ſculpturis ſibi fieri curauit in choro Cathedrali, Virtutum iconibus ad latera adiectis, duabuſq. alijs ſuperpoſitis, vna *Erardi* qui decuſſatis manibus in genua prouolutus, Morti ſe humi- A
liat cum digito compellantis, futuræ vitæ per hoc ingerens recordationem: quamuis Sleidanus Erardum vanæ ab hominibus quęſitæ gloriæ inſimulet in ſuis peſtiferis commentariis. Sed aliud nouarorem pungebat: nimirum quod ſepulturæ Eccleſiaſticæ laudabiles ritus externa hac pompa, velut argumento ęreo, & perpetuo locuturo probaret. Vnde & Anno Sal. 1590. die 13. Februarij exequias anniuerſarias poſt obitum celebrandas adhuc viuens inſtituit, & teſtamento diſpoſuit. Sub extrema vitæ, Concilium cum deſignaret Epiſcoporum ad 8. Ianuarij, 1538. furente Clero minuto (quòd ei concubinas prohibuiſſet; nec B
mulierum permitteret cohabitationem, niſi quæ eſſent proximo ſanguine iunctæ, & quæ per ętatem, & bonam famam incontinentiæ ſuſpicionem effugerent) aſſequi non valuit.

Chriſtianæ legis promotor, in bello Turcico onera ſemper ſubijt grauiſſima, mutuatis An. 1532. viginti aureorum Imperialium millibus pro milite conſcribendo. Cameracum vocatus Anno 1529. pacem procurauit inter Carolum V. & Franciſcum I. quæ etiam coaluit, Belgium cedente Franciſco, filios Franciſci Cæſare manumittente. Pluribus tandem pro Eccleſia Dei exantlatis laboribus, die 15. Ianuarij, 1538. cum ſub C
cænam oſtream comediſſet, in febrim incidit lethalem, & die 26. Feb. quæ dies Sabbathi fuit inter primam, & ſecundam noctis, Sacramentis ritè ſuſceptis, ſummo ſui deſiderio relicto, ad æternam tranſijt fælicitatem, poſtquàm Annos 32. eccleſiam rexiſſet Leodienſem apud S. Lamberti, medio choro ſepultus. Cor Hoii in templo Cruciferorum, ad dexteram aræ principis eſt collocatum. Epitaphium ſibi viuens poſuit in marmoreo ſarcophago.

*Erardus à MarKa mortem habens præ oculis uiuens poſuit.*

Annus diſticho annuitur chronologico. D

*C QVod neC honos, neC opes, neC gLorIa Vertere CVrsVs*
*AſtroрVM poſſIt PræſVL Erarde VIdes.*

Scripſit epiſtolas plures ad Eraſmum Roterodamum, qui magis diſertus, quàm pius paraphraſim in epiſtolam ad Romanos Erando dedicauit.

De eo lege Claudium Robertum; Io: Chenu. Gaſparem Bruſchium, Frizonium; Ciaconium. Eius vitam fuſius ſcripſit *Ioannes Chapeuilleus* Canon. Leodien.

Aliud Diſtichon Chronologicum.

*SI neget InfleCtI LaChesIs VeL honore, VeL aVro*
*LegI IMVS teſtIs PræſVL HerardVs erIt.*

De eo Ciaconius, Auberii, Chappeauillus in Erardo *de Ep. Leodien.* Frizonius, Ludouicus Donius D'Attichi.

17. *Homo pacis meę, in quo ſperaui.*
Pſal. 40.



IOannes Piccolomineus de Monteſalco Anno natus 1375. die 9. Octob. dnorum Piorum R. P. affinis, eiuis, & Arebicp. Senenſis, nullis precibus exactis, à Leone X. Presb. Card. aſſumitur tit. *S. Sabinæ*, poſtea *S. Balbinæ* die 26. Iunii, 1517. Legatione fungitur in agro Senenſi; item cum Alexandro Card. Cæſarino ad Carolum V. Imper. de Tuneti victoria gratulaturus ſedente Paulo III. Senenſem adminiſtrauit eccleſiam, vſq. ad Annum 1529. eamq. reſeruato ſibi regreſſu, ceſſit Franciſco Bandino. Aquilam adminiſtrauit eccleſiam præſentante Carolo V. à quo ſummè dilectus, & cum ea Vmbriaticenſem. Rexit etiam Albanam, Præneſtinam, Portuenſem, Oſtienſem. Comitiis cum interfuiſſet Hadriani VI. Clementis VII. Pauli III. è viuis abiit Decanus Sacri Collegii, die 21. Nouemb. 1537. in eccleſia ſepultus S. Franciſci, Senis in ſepulcbro maiorum ſuorum; vel vt alii volunt, in eccleſia Cathedrali Senarum.

Vir ingenio grauis, & ſummi conſilii; in omni litterarum genere peritiſſimus, *litteratorum hominum pręſidium* dictus à Stephano Ioanninenſi, Clementi VII. pręcipuus à conſiliis; Senis conſecrationi adfuit eccleſiæ B. Virginis Seruorum, vt ex tabula parieti affixa.

*Solemni pompa non ſatis huius laudata Reip. Senenſis ſub protectrices Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis titulo, eccleſia hæc à D. Hieronymo Piccolomineo Pientiæ Epiſcopo eſt conſecrata; Io. Piccolomineo Card. Archiep. Senarum, ac Prælatis quamplurimis, ac Magiſtrat. ciuitatis præſentibus. Ind. VI. D. XVIII. H. X. Anno MDXXXIV.*

Ciacon. Panuin. Suareſ. *de Ep. Pręneſt.* Victorel. Vghellus. Auberii. Iſidor. Vgurgier. *in pomp. Senen.* Contelor.

18. Io-

*18. Immortalis eſt memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines,*
Sap. 4.



NIcolaus Pādulphinus Ioanozzii filius & Ioannæ de Valoribus Anno natus 1440. Bononiæ litteris educatus, Florentiam rediit Canonicus eius Cathedralis. Clericus Cameræ Apoſtolicæ ſub Pio II. & à Paulo II. Scriptor Apoſtolicus Iulia- A num nepotem Sixti IV. R. P. Cardinalem futurum S. Petri ad Vincula, & Papam Iulium II. educandum ſuſcepit iubente patruo Sixto IV. à quo Piſtorienſi donatus Epiſcopatu, & Beneuenti præfectura vſq. ad Innocentium VIII. cum laude protulit, à quo Abbas dictus Commendatarius S. Zenonis Piſarum. Aſſumpto Iulio II. in familiam aſſumitur Ruueream, Auditor præpoſitus & in ſecretioribus arbiter nil ſibi popoſcit, pauperum ſolumodo patronus & Eccleſiæ ſuæ Piſtorienſis, ei plurima contulit beneficia. Mortuo namq. Iulio II. Piſtorium rediit, vbi extructo Seminario ad puerorum inſtructionem patrimonium aſſigna- B uit. Menſam auxit Archiepiſcopalem, Archidiaconatum erexit, vt Pandulphinæ gentis in iuriſdictione eſſet; Monialium monaſterium S. Nicolai à fundamentis ſtruxit, & *Pater Spiritualis* meritò à Piſtorienſibus appellatus, annuatim iuſta recepit gratitudinis ergo, ex decreto Senatus. Eius tandem exigentibus meritis, à Leone X. R. P. die 26. Iunii, 1517. abſens, & nil tale cogitans Presbyteris adſcribitur Cardinalibus tit. *S. Cæſarei in palatio*. At cum iam effetæ eſſet ætatis; conceptam de eius promotione lætitiam inuida mors rupit; vix enim purpuram attigerat, qua decoraret ſepulchrum. quòd Piſtorii ex hoc ſæculo ad æternam C tranſiit fœlicitatem, die 5. Iulii, vel die 18. Septemb. An. 1518. Cadauer Florentiam relatum, in ſepulchro conditum patrum ſuorum, cum Annos 44. Piſtorienſem rexiſſet eccleſiam, omni ſanctitatis laude, memoria ſemper ſuaui, & rediuiua, vt illius ciuitatis *Antiani* ad eius expiationem annuatim conuenire non ceſſent.

Pandulphinæ familię ne honor auferatur, vel minuatur; *De Caponibus* cum vocare refugias; Pandulphina namq. familia apud Florentinos nobilis, & antiqua nullam aliam denominationem admiſit.

Ciaconius. Panuin. Vghel. Auber. Iacob. Nard. D *hiſtor. Floren.* Scipio Amirat.

*19. Sepultura Aſini ſepelietur,*
Ier. 22.



RAphael Petruccius Senenſis, quem Borgheſio, & Alphonſo Cardinali Petrucio Pandulphi filiis Senarum imperio pulſis, Leo X. R. P. Senenſibus præfecit, ex Ep. Groſſerano, & Arcis S. Angeli præfecto, Presb. Card. tit. *SS. Gabinii & Suſannæ*, die 26. Iunii, 1417. re- A nuntiauit abſentem, propiaq. domo apud portam Vaticanam cum annuis donauit redditibus. *Vt amoris erga te mei* (ſunt litteræ Leonis X.) *atq. beneuolentiæ, & eius curæ, quam in Romana Arce cuſtodienda mihi impendis, fructum aliquem iam nunc percipias; Carrantianam domum meam cum hortis qua, ad portam Vaticanam egreſſis prima omnium ſeſe oſtentant, tibi dono, do, trado, eamque domum cum hortis tuam eſſe volo, ita tamen vt hæredes tuos non ſequatur. Dat. 13. Cal. Aug. An. III. Romæ.* Senis è vita migrauit, in villa Bibbiani, die 17. Decemb. 1522. in æde Prædicatorum ſepultus cum ſequenti epitaphio, re- B ſte Nomenclatore,

*D. O. M.*

*Raphaeli Petruccio Cardinali patruo optimo vita functo,*

*MDXXII.*

*Antonius Maria Ioannis fratris filius ponendum curauit Anno,*

*MDLXX.*

In tabulario eiuſdem eccleſiæ ſequens etiam legitur inſcriptio,

*RR. in Chriſto Pater & DD. Raphael m. S. tit. S. Suſannę S. R. E. P. C. de illuſtri Petrucciorum familia de* C *Senis Epiſcopus Groſſetanus, Suanenſis, & Britinorenſis, nec non perpetuus Cōmendatarius Abbatiæ S. Galgani ordinis Ciſtercienſis, S. Mariæ de Spireto ord. Vallisũbroſę de Sarteano, & S. Michaelis in Podio, S. Donati ciuitatis Senenſis eiuſdem ordinis Vallisũbroſę, habuitq. in Rep. Senenſi per Annos ſeptem, vſque ad tempus ſuæ mortis à toto Senatu, & Collegio Baliæ Senenſis tantam auctoritatem, poteſtatem, & facultatem, quantam habebat totum Magnificum Commune Senenſe, adeò quòd vllo vnquam tempore, in hac ciuitate fuit homo tantæ auctoritatis. Fuit factus Cardinal. à Leone X. P. M. Vixit An....., mortuus eſt 17. Decemb. 1522.*

Trunca, & mutila vtraq. hæc memoria tyranni- D dem ſilens atq. ſuperbiam Raphaelis, ob quam odioſus Senenſi Reip. quę viuo inſultare non valuit, ſoluit defuncto. Cum enim Senas ex villa, in qua obierat, deferretur cadauer, à furenti populo lapidibus obrutum, media in via per diem iacuit inſepultum; donec noctu eleuatum clam terræ datum ab affinibus. Non propterea dicteriis, ſcommatibus ceſſauit populus; Famoſis namq. libellis tumulo affixis iniuriam vindicarunt acceptam: reſte Sigiſmundo Tinto *hiſtor. Senenſi*.

Ciaconius: Panuinius: Bembus *in ep.* Auberij: Iſidorus Vgurg. *pomp. Senen.* Vghellus: Guicciardinus: Contellorius.

20. *Perfecti decoris ego ſum*, Ezech. 17.



ANdreas de Valle natu Romanus, ex Canonico S. Petri, & Regente Apoſtolicæ Cancellariæ, Epiſcopus Miletēſis in Calabria, poſtea Presb. Card. tit. *S. Agnetis in Agone*, mox *S. Priſcæ*, die 26. Iunij, 1517. poſtea Ep. C. Albanus, Prænestinus adminiſtrauit eccleſiam Gallipoletanam, Caiacenſem, Neocaſtrenſem, Vmbriacenſem, Crotonenſem, Valuenſem, ac Sulmonenſem. O ſacrum, & ſemper benedictum Tridentinum Concilium, cuius lege polygamos Epiſcopos non offendimus. Legatus in regno Neapolitano, & S. Mariæ Maioris Archipresb. comitijs adſuit Hadriani VI. & Clementis VII. à quo Protector institutus Ordinis Minorum.

*Dilecto filio N. Andreæ tit. S. Priſcæ Presbytero Cardinali. Dilecte fili, &c. Cum ſacer Ordo Fratrum Minorum, cuius bo. mem. Dominicus Epiſcopus Portuenſis, dum viueret, Protector, Gubernator, & Corrector exiſtebat, per obitum eiuſdem Dominici Epiſcopi, qui apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſoluit, Protectore, Gubernatore, & Correctore careat ad præſens; Nos præfato Ordini vberes in agro Domini fructus aſſiduè offerenti, quem in viſceribus gerimus charitatis, de idoneo, & vtili Protectore, Gubernatore, & Correctore prouidere volentes, ad circumſpectionem tuam, prudentia, & charitate eximia præditam animum noſtrum conuertimus, ſperantes dictum Ordinem ſalubre in Domino ſub tua protectione incrementum ſuſcepturum. Motu igitur proprio te vniuerſi præfati Ordinis Protectorem, Gubernatorem, & Correctorem, cum auctoritate, facultate, poteſtate, honoribus, & emolumentis, alijs Protectoribus dicti Ordinis dari, & concedi ſolitis facimus, & conſtituimus, & deputamus: ac dilectis filijs Generali, & alijs Miniſtris, Guardianis, & Fratribus dicti Ordinis, & quibuſuis alijs, ad quos ſpectat, vt te in eorum, & totius Ordinis prædicti Protectorem. Gubernatorem, & Correctorem recipiant, & tibi tanquam Protectori, Gubernatori, & Correctori pareant, & obediant, & obſequia alijs Protectoribus, Gubernatoribus, & Correctoribus impendi ſolita exhibeant, diſtrictè percipiendo mandamus. Hortantes eandem circumſpectionem tuam, vt præfatum Ordinem, velut cupimus, & ſperamus pro bonitate tua, proque officij debito, ita protegat, gubernet, & corrigat, vt apud Deum bonorum operum retributorem præmium, & apud Nos commendationem mereatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 11. Decembris Pontificatus noſtri Anno primo.*

Cardinalium quæſtor, Anno exacto in hoc munere, ſigillum reſtituit Clem. VII. qui in eodem perſeuerare iuſſit vſq. ad reditum Cardinalis Hipporegienſis. Anno 1426. iuſſus cum alijs duobus Cardinalibus, pecuniam colligere pro tutela Eccleſiæ Romanæ, prouinciam fideliter ſubiit nec ſine laude, & remuneratione, ditiſſima Abbatia donatus SS. Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Saluias, S. Philareti apud Calabros S. Andreæ Meſſanæ. Plura reliquit munimenta pietatis, vnde in vrbe Miletenſi ſtructuram inchoauit palatii Archiepiſcopalis: Parochialis eccleſias Montis Leonis, in populi commodum in ſex claſses diſtribuit; Organa in Cathedrali erexit, donec Sal. An. 1523. hanc dimiſit ec-

A cleſiam cum regreſſu.

Eius memoria in regiſtris Baſilicæ Vaticanæ. *Anno 1527. de commiſſione Reuerendiſſimi Domini Card. de Valle ego Iulius Ceruinus Canonicus S. Petri ſolui ducatos centum auri militibus Germanis, qui reſtituerunt aliqua fragmenta argenti ſimul cum tabernaculo argenteo cum gutture S. Blaſij, & Calice magno argenteo, & Cruce Conſtantini. Item ſolui per manus D. Vincentij Coronati, ac magiſterij Petri Labonæ ſutoris ducatos 35. auri militibus, qui erant in domo bonæ memor. D. Dominici Capoferrei pro recuperandis libris Inſtrumentorum Baſilicæ, quos ſecum extra Vrbem deportabant.*

Nummiſma huius Cardinalis recuſſit Anno cu-

B ſum Iubilei 1525.

Romæ obiit die 4. Auguſti 1533. vel 1534. in S. Maria de Ara Cœli ſepultus, cum epitaphio, teſte Schradero in *monumentis Italiæ*.

*Andreæ de Valle Card. Ep. Præneſtini oſſa hic ſita ſunt.*

*Vixit Annos LXX. Menſ. VIII. Dies V.*
*III. Non. Sextilis eſſe inter nos deſijt.*

*Si tibi par auſis animum natura dediſſet*
*Nacta erat amiſſum Martia Roma decus.*

Ioanninenſis. Ciacon. Panuin. Victorel. Vghel.

C Carolus Carthar. *Sillab. Aduoc. Conſiſtor.* Auberii. Paulus de Angel. *in Baſil. Liber.* Lucas Vvadingus *Annal. Minor.* Bouerius *Annal. Cappucin.* Contelorius.

21. *Tibi Domino Deo noſtro iuſtitia: nobis autem confuſio faciei*, Dan. 9.



BOnifacius Ferrerius, natu Italus, Vercellenſis Ioannis Stephani Cardinalis frater, Sebaſtiani Regii quæſtoris in Gallia Ciſalpina filius, ad quem Leonis X. datæ ſunt litteræ (vt in Petro Bembo) ex Abbate Commendatario SS. Benigni Fructuarienſis; Michaelis Cluſini; S. Stephani Vercellenſis, & S. Stephani Eporidienſis, & Caſalis Vallonis, Epiſcopus Eporedienſis in faucibus vallis Auguſtanæ ad radices Alpium, & Nicienſis adminiſtrator. Permutatione po-

poſtea ſacta cum Ioanne Stephano fratre, Eporedienſi dimiſſa Anno 1528. eccleſiæ præfuit Vercellenſi. Presbyteris tandem Cardinalibus adſcriptus tit. *SS. Nerei & Achillei*, aliàs *Faſerola*, die 26. Iunii 1517. Cardinalis Eporedienſis, ſeù Hipporegienſis, tum de Iurea, tum etiam Bugellenſis eſt nuncupatus. Albanæ etiam præfuit eccleſiæ, Præneſtinæ, Sabinæ, Portuenſi. Concilio adfuit Lateranenſi cum Leone X. poſt cuius obitum cum Romam ad noua Comitia contenderet, Franciſco iubente Mediolani Duce interceptus cuſtodiæ traditur ob ſimultates inter eos ortas de Eccleſiaſtica iuriſdictione. Hinc Cardinales commoti accerſito Ducis Oratori, qui nuper ad Vrbem venerat, denuntiarunt, A ſe in ipſum Ducem pro rei grauitate animaduerſuros, niſi quàm citiſſimè Cardinalis liberaretur; qua de cauſa Conclauis ingreſſum ad dies octo prorogarunt. Dux autem metu perculſus futuri anathematis, Cardinalem dimiſit, qui Romam venit, & Hadriano VI. ſuum contulit ſuffragium. Defuncto Hadriano, comitiis adſuit Clementis VIII. & Pauli III. à quo Vincentiam legatus, vt Concilio ibi celebrando præeſſet vnà cum Simoneta, & Brunduſino Cardinalibus; iterumq. ab eodem legatus Bononiam Anno 1540. Ferreriorum collegium inſtituit pro educatione nobilium paupe- B rum Pedemontanorum, quorum electio, & approbatio ad ſuæ familiæ ſucceſſores ſpectaret. Vercellenſis eccleſiæ ędes ampliauit; Albiani, Padoni, Claueranl caſtra ad Eccleſiam Eporedienſem ſpectantia reſtituità fundamentis ſolam gloriam Dei præ oculis habens.

Romæ obiit, lacrymante populo viri pietatem, die *Martis* 2. Ianuarii, 1543. in eccleſia depoſitus SS. Trinitatis, deinde ad eccleſiam S. Sebaſtiani in oppido Bugellæ diœceſis Vercellenſis, extructam ab eius genitore, ibique humatus: quamuis Ioſeph Maria Suareſius *de Ep. Præneſtinis* quieſcere dicat in S. Maria Maiore, cum epitaphio; quod minimè inuenitur.

De eius pietate teſtimonium habes Leonis X. in epiſtola ſcripta Sebaſtiano patri, vt legitur apud Bembum. *Ciacon. Panuin. Vghel.*

22. *Oſtium apertum eſt in Cælo*,
Apoc. 4.



IOannes Dominicos de Cuppis natu Romanus è Monte Falcon e oriundus, ſumma eruditione clarus, & Iuriſprudentia, Tranenſis creatur Archiepiſcopus à Leone X. An. 1512. & ab eodem Sal. Anno 1517. die 26. Iunii inter Cardinales Presb. adlegitur tit. *S. Ioannis ante portam Latinam*. Annos quatuor ſupra triginta, Tranenſem rexit eccleſiam, quam libens dimiſit iam Sacri Senatus Decanus Anno 1551. Vir quidem pius, ſedes æculi abuſu, & ipſe polygamus eccleſiam adminiſtrauit Adrianenſem, Montis Beluſii, Maceratenſem, Recanatenſem, Camerinenſem, & Neritonenſem. Galliæ Protector, & Baſilicæ Archip. Lateranenſis, Annis ſex ſupra triginta effulſit in purpura, magno Senatus honore, & Eccleſiæ vtilitate, cuius arcana, religione, iuſtitia, integritate peregit: teſte Iano Vitali.

*Varrones hilares Heros aſſurgite.*
*O & Catones nobiles*
*Hic ſacrum meritis, & maieſtate Senatum*
*Auget ſupremis laudibus* A
*Ille & regales oculis grauis afflat honores,*
*Ille & decoram gloriam.*
*Ille prior ſacro numeratur in ordine Patrum;*
*Et prima fert ſuffragia.*
*Paſtorem, & Latium primus dat honore Tiaræ.*
*Chriſti vnicum Vicarium.*
*Moribus ille adeò cultis, adeòque politis,*
*Et comitate præualet.*
*Plerumque vt caris facilis poſtponat amicis*
*Omnes neceſſitudines.*
*Caſibus in dubijs prudenti examine prudens*
*Rebus medetur publicis.*
B *Si populos Annona premat, ſi triſtis egeſtas,*
*Si vaſtitates Vrbium,*
*Rebus opem afflictis, miſerans incommoda noſtra*
*Fert optimus mortalium:*
*Omnibus officijs præſens præſentibus inſtat*
*Frater Pater publicus.*
*Illo nil validum magis eſt, nil fortius illo,*
*Decet parentem vt publicum.*
*Qui legis hæc igitur, dic ſpes tua, maxima Roma.*
*Diu ſuperſit* Cuppius.

Anno Iubilęi 1550. Archipresbyter Lateranenſis fores reſerauit, & Anno clauſit ſequenti, vt ex in- C ſcriptione.

*Iulij III. P. M. auctoritate*

*Portam hanc diebus LXII. Iubilęi An. MDL.*
*Pontificio Interregno impediente elapſis.*
*Io: Dominicus à Cuppis Cardinalis Tranenſis*
*Ep. Oſtienſ. huius Baſilicæ Archipresb.*
*More maiorum, inſtitutoq. aperuit*
*Ac Iubilęo ad diem Epiphaniæ vſque MDLI.*
*Prorogato, exactoque idem clauſit.*

D Naſcentem Loyolæ ſocietatem odio habens, Quirinum Garzonum eruditione celebrem, cuius in ędes, & villam ſæpè diuertebant Patres, non modo familiaritate, ſed & omni prohibuit congreſſu, mandans vt ab eis, veluti facinoroſum contagio abſtineret; quòd Lupi rapaces venientes in veſtimentis ouium, ſuis præſtigiis hominem faſcinarent. Hæc cum ſæpè Cardinalis inculcaſſet, rogatus tandem à Quirino, vt ſemel accerſitum Ignatium coram interroget, atq. à pręſenti vitę

ratio-

rationem expoſcens, hominem non damnaret inauditum. Admiſit Cardinalis, & in intimum Conclaue admiſſo Ignatio, duas horas cum eo inſumpſit; cuius ſermonis grauitate, & ſumma prudentia extemplo mutatus, contemptis ſuæ dignitatis titulis, Ignatii pedibus ſe aduoluit, credulitatis ſuæ veniam petens, abeuntem mox omni officio, ac comitate proſequitur. Ab ea die, certam vini & panis portionem ſingulis hebdomadibus, familiæ aſſignauit, vt apud Oldoinum.

Romæ Alexandrum, & Carolum Farneſios gemellos, Octauii Ducis Parmenſis, & Margaretæ Auſtriacæ, Caroli V. Imperatoris filiæ prolem ſacro abluit in fonte. Comitiis cum adfuiſſet Hadriani VI. Clementis VII. Pauli III. Iulii III. vitam poſuit Romæ, die X. Decemb. 1553. apud S. Auguſtinum in Vrbe ſepultus. Vel cum aliis ad oppidum Montis Falconis in Vmbriam cadauer relatum, in ſepulchro quieſcit parentum ſuorum.

Hircum cyaneum cum vnguibus, cornibus, ſummiſq. labris auratis, in valuulo argenteoli metalli, prout Romę, familiæ damus de Cuppis, teſte Petra Sancta in Teſſeris gentilitiis *p.* 380.

Ciaconius, Panuin. Vghel Famianus Strada *de Bello Belgico*, Victorel. Auber. Contelor Raſponus *de Baſil. Lateran.*

23. *Teipſum caſtum cuſtodi.*
1. Timo. 5.



IOannes Baptiſta Palauicinus, patritius Genuenſis, Cypriani, & Græcæ fæminæ filius, cum enim Ligures nauticę operam darent, vt plurimum ex Græcis amaſiis ſobolem procrearunt, nuptiarum minimè ſolemnitate ſeruata. Natus eſt in mari, dum parentes pro mercimoniis nauigarent. Magna neceſſitudine cum hac familia colligatus Leo X. R.P. ante ætatis Annum trigeſimum, die 26. Iunii, 1517. ex Epiſcopo Cauallicenſi Ioannem Presb. Card. creauit tit. *S. Appollinaris*. Lege litteras Leonis ad Thomam Campeggium Ep. Feltrinorum. *Et magna nobis beneuolentia Cardinalem gerentibus cum Pallauicinorum familia interceſſit; & nunc Dei benignitate, ac munere ampliore loco poſiti eius ipſius gentis erga Nos, Romanoſq. Pontifices egregia promerita memoria repetentes, illud in primis magnoperè confidimus, ad noſtrorum oppidorum Parmæ, Placentiaque conſeruationem, & incolumnitatem eam familiam magno eſſe vſui ſemper poſſe, magnoque ea de cauſa eius familia fidem, & diligentiam Nobis adimento futuras. Itaque Galeatium Pallauicinum in noſtris Nobis militibus placet eſſe, & cataphractis equitibus centum præeſſe; eique ea ſtipendia dari volumus, quibus eum numerum alat, quæ dari noſtris totidem equitum præfectis conſueuerunt. Quos quidem centum equites celeriter ab illo confici magnoperè cupio, vt minus mora ſit, dum ſe vtiliter gerere, Nobiſque præſto eſſe poſſit. Hanc tu illi rem ſignificabis meis verbis, quemadmodum etiam Iulius Medices Archiepiſcopus Florentinorum delegatus, & Bernardus Bibiena Quæſtor Noſter his de rebus diligentius ad te perſcribent. Dat. 4. Kalend. Aprilis* 1513. *Anno primo. Romæ.*

Iuriſprudentia claruiſſe Ioannem Decius teſtatur [quem Patauii habuit præceptorem] in præfatiuncula eius nomini inſcripta, pro explanatione iuris, ad Rubricam Codicis, *Qui admitti ad bonorum poſſeſſionem poſſint*. Scientiarum cognitionem raro quodam naturæ munere, & caſtitatis ornauit obA ſeruantia; quapropter tribus Pontificibus Leoni X. Hadriano VI. Clementi VII. per ſeptennium in maioribus Eccleſiæ arcanis ſemper adhibitus, grauitatem, prudentiam, fidem ſeruauit, vt ad maiora crederetur euocatus, niſi mors inuida vitæ filum intercidiſſet. Cardinalis palatium, cuius ipſe titulum obtinuerat, reſtaurare, & noua acceſſione amplificare cum incœpiſſet (vt nomen ſupero ianuæ limini inſcriptum, & paries protenſus verſus S. Auguſtini ædes, teſtantur) in oppido *Fabricæ* diæceſis Caſtellanę, nouo morbo tentatus, die 13. Auguſti 1524. expirauit, legatis familiæ duobus millibus ducato B rum: S. Mariæ Annunciatæ extra Vrbem quingenris: S. Michaeli de Cluſa, cuius Abbas Commendatarius fuerat inſtitutus ab Hadriano VI. pallium intertexti auri: perficiendo S. Apollinaris palatio, quod viuens incœperat, ſatis pecuniæ legauit. In eadem Eccleſia erigi mandauit vnum Presbyteratum, Canonicatus quatuor, totidem Præbendas, quorum præſentationem hæredibus ſuis commiſit, inſtitutionem verò Cardinali pro tempore titulum habenti S. Apollinaris contiguas extruxerat. Hærede Babilano fratre inſtituto, executores dixit Clementem VII. Laurentium Puccium, & Andream de Valle Car- C dinales. Vltra Abbatiam S. Michaelis, alteram *de Ripalta* in eadem diæceſi Taurinenſi; aliam *S. Mariæ de Marola* dictam in diœceſi Regienſi; quartam *S. Antonij* in vrbe Genua (quam eius frater Babilanus Pallauicinus ampliore cenſu ditauit) titulo Iuriſpatronatus, permittente Leone X. familiæ adiecit Pallauicinæ. Eccleſiam etiam Horaclenſem adminiſtraſſe legitur apud Contelorium.

In ſepulchro quieſcit erecto à Io: Baptiſta Pallauicino vtriuſq. ſignaturæ Referendario ſimul cum Babilano fratre, in loco, quem Cyprianus Pallauicinus Archiep. Genuenſis emerat, cum D epitaphio.

*D. O. M.*

*Io: Baptiſta Pallauicino Genuenſi, S. R. E. tit. S. Apollinaris Card. Cauallicenſi.*

*Antoniotti Card. S. Praxedis ex fratre nepoti*

*Eximia iuris ſcientia, & bonarum litterarum cognitione præſtanti,*

*Per omnes Forenſium dignitatum gradus ad Cardinal. euecto*

*A Leo-*

*A Leone X. Hadriano VI. Clem. VII.*
*Ad ſummas res adhibito, in medio honorum curſu*
*Immatura morte prærepto.*
*Io Bap. vtr. Sign. Refer. & Babilanus Pallauicini fratres Patruo Magno benè de familia merito, memoriæ cauſa poſ.*

*MDXCVI.*

*Vixit Annos XLIIII. Obijt An. Sal. MDXXIIII. Idib. Aug.*

24. *Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.* Pſal. 53.



POmpeius Columna Romanus,
Hieronyi Principis filius,
ptonepos Martini V. R. P. natus
die 12. Maii 1479. ſub Proſperi patrui cura [ vt tradit Iouius *in vita Pompeij Columnæ*, cuius epilogum, veluti in mappa exhibeo breuitatis gratia ] defuncto patre eas coluit litteras, quibus ad humanitatem informamur, ſub erudito, ſed rigido prçceptore, procul ab vrbanis delitiis, in monte Compatrum collium Tuſculanorum. Ingenio acer, viuidus, & ſublimis carmine delectatus, in eo gloriæ auidus M. Antonium patruelem, & in ludo ſocium emulabatur, apertoq. dolore torquebatur, ſi ab eo vinceretur, Aonum agens XIIX. eo ingenium, corporiſque ſtaturam ad militares artus protulerat, vt quamquàm imberbis imperia prçceptoris eluderet, nil tamen de litterarum ſtudio remitteret. Arma tamen tractare, quàm in litteris conſeneſcere aſpirabat. Coorendebant eo tempore inter ſe Columnii, & Vrſini, ignem mira ſimulatione ſubminiſtrante Alexandro VI. vt bello tandem attritos ſine negotio deleret: Deſcendebant à Cruſtuminis vallibus Columnii Proſper, & Fabritius, vt ſecùs Palumbriam in Latium redirent. Vrſini ſub monte Cœlio caſtra poſuerant, Eò euocati Pompeius, & M. Antonius gloriæ cupidi prçlio intereſſe voluerunt. Et ſane, nullo vnquàm certamine, maiore æmulatione, & odio certatum, cum facie noſcerentur, & in prima vtrinque acie criſtis, & voce inſignes ſupra viginti proceres depugnarent, qui omnes euaſere Duces clariſſimi. Ceſſere Columniis Vrſini capto Carolo Vrſino Virginii filio, qui cæteris imperabat: eccidítque apud Columnios Antonius Sabellus omnium pugnaciſſimus. Eo die inſigni militiæ rudimento Pompeius hoſtes conſequutus fugientes, inſignem equum deiecto cataphracto, in caſtra retulit. Die ſeqnenti victores ſub dio epulati, Carolo generosè dimiſſo, arcanis inſidioſi detectis Pontificis, pacem inierunt. Pompeius ad Federicum Regem Neapol. perductus Proſpero interprete, cum forte nobiliſſimi iuuenes triplicato ſaltu decertarent, ſpectante Rege, cçteros ſpectantium plauſu ſuperauit: Alexander interea

Papa, vt Cæſari filio coronam pararet Italiæ, inito cum Gallis fœdere, & Venetis eo pacto, vt Ludouico Sfortia Gallia depulſo Ciſalpina, Veneti Cremona potirentur; Reguli verò omnes ditionis Pontificiæ mulctandi Cæſari Borgiæ traderentur: Columnii procellam metuentes, diſfugere opportunè. Vrſini cum reliquis tyrannis, eorumq. bona, & dignitates Pontifici ceſſerunt in prædam. Non longe poſt Ludouicus, & Ferdinandus Reges in Federicum Arragonum conſpirantes, regnum inter ſe diuiſere nobiliſſimum; breuiq. deſertus Federicus ac proditus in Æoa-
A riam profugit, inde in Galliam. Fabritius, & Proſper Federici improbantes conſilium, nolentes ſalutem ſuam Gallo credere, ad Conſaluum ſe contulere Coſentiæ ſtantem, à quo ſummis honoribus excepti, auctiq. ſtipendiis, Hiſpanorum ſecuri ſunt caſtra aduersùs Gallos quos Conſaluus cunctando depreſſit, Bruma præcipuè rigente caſtrametando, oppida expugnando, in quibus *Rubiam* Columniorum conſilio, & manu expugnatum, oppreſſis ibi duabus Gallorum alis, & Palitia claro duce capto. Suborta demum de virtute inter Italos, & Gallos contentione præclara, prouocante Motta Gallo, qui poſtea à Borbonio occupata
B Roma, prætoris munere functus: Iudicus Lopes Hiſpanus pro Italis recepit, idq. mox ratum habuere Proſper ac Fabritius. vt pro decore nominis Romani, Gallica retunderetur inſolentia. Tredecim ſelecti equites, in quibus adnumerari flagitans Pompeius, fuit patrui ſeueritate repulſus, ei primam lanuginem obiectanris. Obtiouit tamen vt alienæ ſpectator virtutis, armigeri habitu haſtam, caſſidemque Iano Capoccio equiti Romano deferret. Audiui ego (inquit Iouius) memorabile prælium recenſentem, affirmantemq. ſe nunquam poſtea, aut pulchrius ſpectaculum, aut honeſtiorem voluptatem oculis percepiſſe; cum
C Itali ſtratos, vulneratoſq. hoſtes in caſtra traxere captiuos. Adulto vere, ad Gerionem prope Canuſium concurrere acies. Octauius namque Columna Pompeii frater per Hadriaticum lectiſſimas traiecerat Germanorum copias, congeſtoque ab agreſtibus aggere, ibi conſiſtendum duxerat, vt Gallorum impetus obiecto aggere frangeretur. Nec eum feſellit opinio; nam Ludouicus Namurſius Gallorum Imperator, furore actus iuuentutis, quin confligeret, retineri haud potuit, quamuis tota ea die à Fabrio Columna equeſtris leuis armaturæ præfecto, ex itinere laceſſitus, ad magnam ſitim
D & laſſitudinem ſuos perduxiſſet. Inter vtrumque exercitum medius conſtiterat Fabritius tam felici labore, quàm munere functus periculoſo, vt latè diffuſis alis, in quibus Pompeius nauiter operã præſtitit, proſpectum omnem in ea nuda planitie Gallis hoſtibus adimeret; nec cõiectari poſsẽt, quo ordine Conſaluus aciem inſtrueret. Serum diei erat 4. Cal. Maii, cũ appropinquantes Hiſpanos atq. Germanos Proſper intra munitionẽ recepit; quãquã illi ferocia elati munimẽta deſpicerent. Sed in Proſ-

pero

pero ea erat auctoritas, vt facilè paruerint. Superueniente Conſaluo inſtructæ ſunt acies; ipſe mediam, Fabritius, & Proſper cornua tenuere. Dato ſigno tormenta emiſere Galli, hinc Equites, illinc Heluetii, Gallique pedites æquata frõte in hoſtem procurrerunt. Vim irrumpentium non tuliſſent Hiſpani, niſi munitionis iniquitas quamuis exigua, ab ipſo Gallo non explorata eorum impetum non tardaſſet. In ea cunctatione Ludouicus dum alium tentaturus in hoſtes aditum luſtrat, Germana glande traiectus occubuit. Ciandeus dux Heluetiorum cryſtarum ſylua conſpicuus à Germanis, & Hiſpanis, qui cum eius peditatu pugnam exceperant, interficitur; vixq. ſemihoræ ſpatio, tota Gallorum acies proſtrata. Fugientium tergo hæſit Fabritius in multam noctem caſtris potitus ita vt hoſtium cænę omnium cibariorum copia vſq. ad luxum exornatæ, victorum laſſitudinem recrearent. Proſper ingreſſus Ludouici tentorium, omne argentum, quod in abacis expoſitum erat, Põpeio ob nauatam fortiter operam, donauit, quod ipſe liberalis commilitonibus diſtribuit. Pernoctarũt in ipſo interfecti Ducis prętorio Proſper & Pompeius, graui Conſalui ſollicitudine, ipſiuſq. Fabritij, qui quòd ea nocte in caſtra non redierant, ambos cecidiſſe exiſtimabant. Pompeius eo die, ter ſummum vitæ periculum adiit: cum enim in denſatos hoſtes irrumperet, trinis Heluetiorum contis ex equi ſella in ſublime eductus, ita cecidit elabente equo, vt ferè protritus erepſerit. Eo modo deſtitutus cũ vacuũ ſeſſore equum hoſtilem correpto fræno aſcendere conaretur, ab Hiſpanis eius prædæ auidis eſt penè interfectus, ſeruatuſq. beneficio M. Antonii, & Marcelli fratris, qui opportunè ſemiopreſſo opem attulerunt. Exinde hoſtem perſequutus fugientem, cum in nobile Galli Ducis ſcortum magno auri onuſtum pondere incidiſſet, fugato eius comitatu prædam teneret, turma ſuperueniente hoſtili, penè ei ſe ſe explicandi, & ad ſuos refugiendi tempus defuit. Profligatis Gallis, capta Neapoli; Pompeius ad recipiẽdi agri fundani oppida cum ala ſua, & peditum manu miſſus, Caietanæ familiæ Principes inde expulit, vſuſq. victoria, in Hernicis caſtella à Comitum familiæ Regulis occupata recepit. Moritur interim Alex. VI. & Franciſcus Gonzaga, ac Tramulia Gallorum duces cum validis Heluetiorum cohortibus, & ingenti equitatu Romam venerant, vt Neapolim repeterent. Conſaluus Caietę obſidione ſoluta, ad tuendam Lyris ripam in Sueſſanum agrum deſcenderat; in quem Galli ſtrato ponte, patenti in campo confligere decreuerant, fortiores numero, & currum agilitate, æneiſq. tormentis, quibus è ſua ripa ex obliquo, extremum pontis caput, & patentia camporum ſpatia verberabant; ita vt erumpentibus per pontem Gallis, ſine pernicie occurri haud poſſet. Tanto in diſcrimine, ambigente Conſaluo, reformidantibus pleriſque Ducum, Fabritius Columna inqut: *Negotium hoc haud cunctatione & conſilio perficiendum, ſed forti manu, & expedito vigore, cum iam tranſeant; & mox duplicatis turmis inuicti roboris denſatum agmen, cui pares non erimus, circa pontem ſint inducturi*. Exemplo à Conſaluo collaudatus Fabritius, excitatis familiarium promptiſſimis, & vno maximè Pompeio progredi iuſſo, inter volantes Colubrinarum pilas, multoſque milites earum violentia diſcerptos ad pontem peruenit, tanta vi irrumpens, vt pulſi Galli partim cæde, partim flumine abſorpti tranſitum deſperauerint. Eo die Pompeius ab ipſo Conſaluo publicè laudari, inſigniq. equo donari promeruit. Nec multò poſt auaritia Gallorum ducum qui ſtipendia militum, & commeatum ad infamem quæſtum reuocabant, eneruatis turmis, Caietam vrbem Conſaluus deditione recepit.

A Suffectus interim Alexandro Iulius II. Columnenſium amicus, capto Cæſare Borgia, oppida omnia Proſpero, ac Fabritio reſtituit, neptemq. ex ſorore Lucretiam M. Antonio Columnæ in matrimonium locauit dote adiecta Fraſcati oppidi in Tuſculano, percelebri olim Lucii Luculli villa, cum ædibus magnificis ſub Quirinali, quas ipſe in minore fortuna conſtruxerat. Ob id Proſper Pompeium ſacris initiandum exiſtimauit: iam enim Ioannes eius frater Cardinalis è Sicilia redierat, & perampla Sacerdotia nepoti reſignare cogitabat, quibus familiam rediuiuam corroboraret. Pompeius verò bellicæ laudis magis, quàm Sacrę dignita-
B tis auidus conſilium patrui cum abhorreret; per quietem ei apparere viſus eſt Hieronymus pater fronte minaci, ac ſeuera, dextera flagellum quatiens, ni extemplo propinquorum iuſſis obtemperaret. Quo oſtento territus, reluctans, & mæſtus, Protonotarius creatus, apud Ioannem patruum Cardinalem curam familię ſuſcepit repetitis litterarum ſtudiis (quæ in caſtris intermiſerat) ſub viris clariſſimis Tamira Maccarocio, M. Antonio Caſanoua, Phædroq. Volaterrano, & Camillo Portio Romanę profeſſoribus eloquentiæ, quorum familiaritate ingenium ita excoluit, vt ſupremis vitę Annis, grauiter ſcribendo, ingenii oſtenderit fæcunditatẽ. Spi-
C ritus tamen militares non abiecit; vnde ab Hiſcero Hiſpano ob exortam ſimultatem de redditibus Rearini Sacerdotii, ad ſingulare prouocatus certamen, ſtola Sacerdotali ex iracũdiæ feruore dilacerata, pileum in ſolum proiecit, vt in arenam deſcenderet. Inſani tamen propoſiti exitum vetuere propinqui. Ianus Bracallonius eques Romanus controuerſiam ferro finiẽdam cum ſuſcepiſſet; vt Sacerdotem auerteret à duello; Hiſcerus Braçalonium repudiauit, Hiſpano miſſo præcone ad domum Columnam, qui tubæ clangore Pompeium aleam detrectantẽ diffamaret; ſed à ſeruis Pompeij fuit trucidatus, poſtquã illud atrium auſu violaſſet ſuperbo, quod ipſis perfu-
D gis fuerat ſecuritati. Ob id Rogeius Hiſpaniarum Legatus de præconis cæde multo faſtu, vehementiq. oratione apud Pontificem queſtus, cum obnixè peteret, facinus ad publicam nationis iniuriam illatum vindicari; *rectiſſimè factum*, reſpondit Papa; *Quòd ſerui à pedibus Romana ſuperbia Hiſpanam inſolentiam contudiſſet*.

Defuncto Ioanne Cardinali, eius ſacerdotia impetrauit Pompeius, præcipuè Epiſcopatum Reatinum, Sacerdotium D. Scholaſticæ, aliudq. Deipa-

ræ

ræ ad Cryptam Ferratam, quibus cæpit lautiùs viuere, & ardentiùs literis incumbere. Iulius interea Papa dolore cladis ſibi à Triuultio illatæ, & Piſani indicti Conciliabuli, quò veluti PſeudoPontificem citabant concuſſus morti proximus per vrbem vulgabatur. Hac fama excitati Romani, in Capitolio coiuere, depoſitiſq. odiis miro conſenſu de Repub. conſultantes. Horum Principes Pompeius Columna, Robertus Vrſinus, Georgius Cæſarinus, Anthimus Sabellus, qui nobiles opulentaſq. familias, plebem nouarum rerum cupidam ad facinus pertrahebant. Summa conſiliorum erat, veterem A reuocare libertatem fallaciis ereptam Sacerdotum: nec ſe impoſterum per inane iuſiurandum noui Pontificis, & inſidioſas Cardinalium pollicitationes fædè decipi, ac circumſcribi; & indignæ ſeruitutis compedibus vinciri paterentur. Vrbem, & vectigalia, & iuriſdicundi magiſtratus antiquiſſimæ poſſeſſionis iure, ciuium eſſe Romanorum. Porrò ſacrorum curam Sacerdotum, atq. Pontificum iuris eſſe, quorum auguſtæ dignitati æquum eſſet ſummos honores exhibere, & in tota adminiſtratione reipub. Chriſtianæ corū authoritatem ſequi. Cæterum vetere Romani nominis gloria indignum videri, quod paucorum ſacerdotum impotenti auaritia, libidineque cuncta populi commoda interciperentur: illorum enim profecto eſſe emolumenta rerum omnium porrò ipſi veluti ad ſolatium ſenſim inductæ ſeruitutis, veterum tantum honorum imagines eſſe relictas: cum ſenatoris paludati ſceptrum, & triumuiralis magiſtratus conſeruandæ Vrbis, virentes faſces ſpecioſa viſu inſignia inter pompas, & agonales ludos, innanem, & irriſam authoritatem obtineant: & ſi qua ſint quæ pudore ſuperiorum Pontificum minimè abolita videri poſſint, ea tamen prætoris vrbani ſummo, & peracerbo quidem imperio circumſcripta; vt anguſtiſſimis iuriſdicundi finibus incluſi teneantur. Omnium profecto Pontificum id eſſe decretum, quod nemo niſi planè vecors non intelligit, vt exciſa vetere Romani ſanguinis ſtirpe, ſublatiſq. proceribus, tota Vrbs occupanda inquilinis, & ſemibarbaris hominibus concedatur. In eam quoque rationem principes vrbis familias ſolito purpurei galeri honore (*ita Pontificem Columna accuſabat*) quo iam diu orbatæ ſint, pertinaci Pontificum liuore priuati: excludique virtutem ipsā ab aditu Senatus, quem ex aduerſo probroſis hominibus abundè repleuerint, ne vnquam generoſis Romaniſque ingenijs pateat locus, vnde ad faſtigium ſummæ dignitatis eniti poſſint. Quaſi Romanæ ciuitati omninò erubeſcendum ſit, aut Chriſtiano orbi pænitendum, quòd Cæleſtinus Comes, Honorius Sabellus, Nicolaus Vrſinus, & Martinus Columna ſacris, & reipublicæ præfuerint, qui pietate innocentia, virtuteque animi illuſtres, multas ſucceſſoribus tenebras effudiſſe videantur. In his concionibus vt quiſque acerbiſſimè, atque infenſiſſimè de Sacerdotum moribus, dominatuq. prolocutus eſt, is ante alios conſtantiſſimè, & pro di-

*Verba Iouij in vita Pompeij Columnæ.*



gnitate Romanæ libertatis dixiſſe eſt viſus, & publica voce celebratus. In his Pompeius vehementiore eloquentia fuit inſignis, cum libero ore cunctis dicendum, & Cardinalibus per interregnum vi, & manu perſonam omnino detrahendam eſſe peroraſſet. Indignabatur enim, quòd Vrſino, Sabello, Columnę, & Cæſarino nuper defunctis, nemo Romani ſanguinis eſſet ſuffectus, quum Alexander, & Iulius aliquot nouos homines, & ſcelerum infamia notatos in Senatum delegiſſent. Itaq. decretum eſt, vt armati Conclaue in Vaticano circumſiderent: à Cardinalibus ante inita comitia ſingulis ſacramento adactis poſtularent remitti vectigalia, ſaliſq. præſertim: & demum aliarum rerum immunitates per vim antiquatas, abolitaſque reſtitui: Vtque à nouo Pontifice priuſquàm Conclaue excederet, & ad D. Petri aram deferretur, triumuiris antiqua ſpatia iuriſdicundi, & populo creandorum magiſtratuum iura, ędilitatiſque munera redderentur: & vti primo quoq. tempore legeret in Senatum quatuor Romani nominis Cardinales, legēque promulgaret, qua vrbana ſacerdotia veteribus Romanis aut ante patres ciuitate donatis conferrentur. Fuere & qui intemperantiùs vocem efferendo, & in his M. Alberius, & Iulius Stephanuccius (is tum erat triū-B uit) molem Hadriani repetendam, Romanoq. prę-ſidio cuſtodiendam cenſerer; Sed dum Romani in Capitolio horis propè omnibus conſultant. Scipio Lancelotus medicus Pontificem ſtomachi vitio proſtratum, & alimenta repudiantem, oblato perſico pomo, ad certam vitæ ſpem feliciter erexit. Ad eius rei famam diſſoluta extemplo populi conſilia, & dilapſæ cohortes, quæ iam ad ſigna conuenerant. Verum de Capitolinis concionibus nihil omninò à cubiculariis Pontifici fuit delatum, ne in ægrè conualeſcente iracundoq. homine ad eius exitium bilem mouerent. Fortè per eos dies Petrus Vallius Cardinalis Rheginus togatæ C Galliæ præfectus, cum falſo rumore defuncti Pontificis prouincia excitus, Romam mutatis ad celeritatem iumentis ad comitia conuolaret, inuſitato labore, & calore confractus interiit: ambigenteque Iulio quemnam idoneum atque negotio parem ſufficeret, vnus ante omnes Pompeius dilectus eſt, cum in prouincia factioſa bellicoſaque inter Gallicos tumultus, Benciuolorum, & Ferrarenſium armis expoſita viro opus eſſet, qui generis auctoritate, expeditoque conſilio, & militaris ingenii vigore præſtaret. Porrò Pompeius qua de cauſa in Vaticanum vocaretur ignarus, in ancipiti conſilio aliquan-D diu hæſit, vt ipſe vnuſq. ordine ſacerdos eſſet qui turbulentę concionis pęnas daret, quamobrem aduocatis in concilium ex vtraque factione amicorum primoribus, dixit ſe omnino ad Pontificem iturum: ſi verò aliquid ſibi durius accideret, nauiter ad arma conclamarent, & celeriter opem ferrent: ſed Iulius ita eum amicè excepit, vt inde non modo metu liberatus, ſed auctus præfecturæ honore domū reuerteretur: ſuper hæc optima ſpe etiam plenus: nam Iulius dixerat eum è prouincia purpureo galero in-



ſignem

ſignem eſſe redirurum. Sed dum Pompeius iumenta parar, & ſamiliam inſtruit, biduo in prouinciam proſecturus amici Franciſci Mariæ, & in primis Iſabella Gonzaga adoptione marer, quæ rum aderar, metu conſternati, Iulium adeunres docuere eo conſilio nihil eſſe alienius à rationibus Ponrificis, ac ſalute Franciſci. Nam ſi Pompeio deſignato præſidi Togata Gallia traderetur, præberi inde adirum Fabritio Columnæ ad inuadendum Vrbini principarum, cum iſtum validiſſimis inſtructus copijs, aduersùs Gallos bellum gereret: & in propinquo eius rei aggrediendæ occaſionem opperiri videretur. Nam Fabritius ex Agneſiua Guidonis Vbaldi pariter ſorore liberos ſuſtulerar ad quos ex æquo dimidia eius principatus hæreditas perrinerer, adeo vr ad iniuriam Columniç domus, Agneſinæque & liberorum Franciſcum à Guidone adoptatum fuiſſe quereretur: dictaretque ſæpius, ſe aliquando aur iure, aut armis eius hæreditaris controuerſiam finirurum. Addidir & infeſto ſermone mulier itidem periculum deprecata, nequaquam è repub. videri, ſi eum obirer dignitate, exiſtimationeq. auctum, prouinciç toties commora: paratæq. ad ſumeuda arma præficerer, qui dudum in Capirolio priuceps, rurbulenriſſimis conſiliis, & concionibus, Romanos ſpetie recuperandæ libertaris aduersùs ſacerdotes concitaſſer. Ea re Iulius tum primùm audita, extemploq. aduocatis familiaribus ordine recitata, iratus Pompeio ſignificari iuſſir, ne ſe ad irer compararet, quoniam ipſe aliud de præſectura Togaræ Galliæ conſilium deſumpſiſſet. Nec mora Pompeius non tam ſibi meruens, quàm ſeruido ingenio contumeliam non ſerens., Hieronymum Vicum Ferdinandi Regis legatum orauit, vr ſe ad Ponrificem deducerer. Dictutum enim coràm publicam Romanorum omnium cauſam, quæ æquiſſimis poſtularis munira atque deſenſa videretur, priuatiq. officijs ſuis erga ciues neceſſitatem excuſarurum. Cum ea Vico probarentur, deduceretur q. in Variçanum, Pompeius amicos monuir, obſecrauirque vt inſtructi, paratique eſſeur ad deferendam iniuriam, ſi ſibi vis inferretur. Cæterum Ponrifex ad cubiculi fores expectantem, ſruſtra rogantem legarum non admiſir, hoc vnum auſtero ore prolocutus. Nolo ego iracundus cum ſuperbo, & turbido verbis decertare, neque vlla res Pompeio moram arrulit, quin extemplo ab vrbe in Nemorenſem villam proficiſceretur, planè alienatus, & Pontifici ſuturus hoſtis, cum ei ſalutem minimè comittendam exiſtimaret. Nec mulro poſt Petrom Marganum Vrbe profugum ad ſe recepir: is iuuenis, ingenio ferox, opibus, & clientelis potens, Centium cohortis vigilium præſectum in campo Floræ trucidarar, vr veterem contumeliam vindicarer, quod ab eo non multò antea, quod ferro ſuccinctus inambularet, abſq. vllo verborum honore in carcerem eſſer perductus. Prærerat tum Pretorianis equitibus Marganus Pontificis amicitia inſignis, quod eum à ſacro Baptiſmatis fonte, & demum per omnem ętatem in delitiis habuiſset; Sed in Margano nequaquam ranti reuerentia erga Principem, atq. eundem propè patrem, atq. nutritium fuir, vt honeſtiſſimis ſacramenti militaris rationibus vindictę libidinem anteſerrer, Inueterata enim conſuetudine Romani maximè decorum putant, præſectum vigilum interfeciſse, quod eo facinore ſortiret parrato torius iuuenturis, gladiatorumq. omnium gratia, atq. inſigne ſtudium comparentur, confirmaturque ea opinio apud omnes ordines, in Romanis pectoribus non deeſse generoA ſos ſpiritus pro tuenda nominis dignirate, Quanquam ſarali remporum iniuria ſenſim decepti, oppreſſiq. à vetere ſua amplirudine, forrunaq. deciderint. Itaq. Pompeius arque Marganus aduenisse tempus rati, quo arma expedirent, Roberrum Vrſinum in ſocierarem adſiſcunr, cum Marcello, Iulioq. Pompeii ſratribus: iremq. Petro Franeiſeo Columnæ conſilia communicant, decernunrq. in Gallorum partes tranſeundum, vr eorum adiuri pecunia, conſcriptiſq. copiis, ponrificem domeſtico conſlaro bello, ab Hetruria ſimul & è Lario adoriantur. Coniuratione itaq. inira & conſtituris rebus, Marganus, atq. Robertus in vlteriorem Galliam B magnis itineribus contendere. explicatiſq. gerend belli conſiliis, à Gallis ducibus liberaliter ſuſcepri i laudariq. ſupra viginti millia aureorum nummum, ad præbenda militi ſtipendia, per ſyngraphas accepere: eaq. mox pecuniæ ſumma Mediolani, atq. Florentię permenſarios curata eſt. Galli eo tempore cum Venetis ſimul Ponrificeq. & Ferdinando rege bellum gerebant: maximumq. ad maturandam victoriam momentum putabanr, ſi vtriuſq. ſactionis virium acceſſione Iulius, nouo repenrinoq. domi laceſſirus bello, vrbe Roma pellererur. Ferunr Proſperum ab initio non ignarum eius coniurationis, ab honeſto quodam liuore nequaquam diſſimuC lanrer optauiſse, vt Iulii Ferdinandiq. ſpiritus aliquo aduerſo rerum ſucceſsu frangerentur, quod ab his in eo armorum tumulru, ipſe rantus imperator eſset prætermiſsus: cum hic Raimundo Cardonio viro eleganti potiùs quàm belli perito, aut ſorti copiarum imperium derulisset: ille verò ſratris Iulij adoleſcentis opera parum ſęliciter vreretur, cuius ipſe antea imperio parere recuſaſſet, ne graui cum iactura antiquæ exiſtimarionis ſuæ, quæſtui potius quàm antę partę laudi conſulere viderertur, Verum D vbi rem ad extremi diſcriminis aleam omnino deductam vidit, feruidorum iuuenum audaciam ciuili remedio reprimendam ratus, dedit ſedulo operam ſubtracta pecunia, ne milirares copię conſcribi poſſent: prçuidebat enim vir æquè pius, & ſapiens atq. in omni conſilio moderarus, humana, diuinaq. omnia ſædè conturbari, amiciſſimiq. ponrificis conuelli dignitatem, Neapolitanumq. regnum in longè maximum deſcrimen deuocari pro cuius poſſeſſione cum Gallis paulò ante ranro cum periculo & rãta cũ laude dimicaſſent. Itaq. Põpeius, atq. Marganus exuti pecunia, & pręſẽtis Proſperi authoritate, miniſq. deterriti, ſublaqueũ ſe receperũt, oppidoq.

muni-

munitiones addiderunt, quibus ſeſe aduerſus irati Pontificis imperium tuerentur. Interim Robertus Vrſinus, Iordani Vrſini hortatu, qui Pontificis erat gener, & propinquorum omnium precibus, libertateq. item Pontificis expugnatus ad officium rediје. Rheginus in ſpem, & propinquum gradum ſenatoriæ dignitatis creatus eſt: ſed nequaquã Gallis reſtituta pecunia, quòd eam domeſtico cultu, conuictuq. & feſtinata in milites largitione profudiſſet. Conflixerant per eos dies ad Rauennam Gaſtonus atq. Cardonius funeſto vtrinq. euentu, quum ſtratis pari prope clade validioribus vtrinque copiis Gaſtonus memorabilis adoleſcens in ipſa victoria cecidiſſet; Cardonius verò deſerto exercitu fœde proffugiſſet; & Fabritius magiſter equitum, & Nauarrus peditum omnium præfectus, legatuſq. ipſe Ioannes Medices Cardinalis in Gallorum poteſtatem veniſſent. Eius aduerſæ pugnę nuncius adeo Pontificem exterruit, vt mari profugiendum deſerta Vrbe cogitaret, ne ab inteſtinis hoſtibus opprimeretur; quum Pompeii conſilia, repentinumq. imperum magnoperè formidaret. Sed eum concepto metu valdè commotum, neq. tamen deſperantem in ſpem erexit, confirmauitq. Iulius Medices, qui tum Rhodiæ militiæ eques, poſtea Pontifex Clemens VII. appellatus eſt. Is enim omnium primus è Gallorum caſtris in vrbem intento curſu peruenerat, vt pro rediměd̃o fratre Legato, cùm ab ipſo Papa, tũ ab amicis omnibus, opem, atque pecuniã impetraret. Is detecta, & ſigillatim expreſſa Gallorum calamitate, recitatiſq. nominibus eorum ducum, qui in acie cecidiſſent, aut grauiſſimè ſauciati Ferrariam delati eſſent, tantis incommodis debilitatas eſſe hoſtium copias docuit; vt quum Hiſpanos penitus denſato agmine fortiter euaſiſſe diceret, nihil iam ampliùs ſibi timendum Iulius arbitraretur: ſed continuò pecuniam affatim proferret reparandis copijs: mitteretq. ad Heluetios Matthæum eius gentis Cardinalem, vt inde auxilia pararentur. Quibus intra paucos dies euocatis, & adiuncto Venetorum exercitu, Galli ab Atheſis ponte deiectis, pulſiq. demum Ticino vrbe, atq. amiſsa fœdè Italia, vltra alpes continenti curſu profugerunt. Ita Pontifex ex ſummo dolore repentina affectus lætitia, incomparabiliq. victoria potitus, Bononiam recepit: Ioannem Medicem legatum, quem Rainaldus Zactius nobili facinore edito è manibus Gallorum eripuerat, Florentiæ patriæ, paternęq. amplitudini reſtituit, Petro Soderino inde pulſo, quod profugis ad ſe ſeditioſis Cardinalibus, & conſilio demum Piſis ſedem dediſſet. Conuerſus demum contra Pompeium, tametſi eum nequaquam hoſtili animo, armiſq. perſequendum iudicabat, vt eius errata familiæ condonare videretur; ad retinendam tamen ſacroſancti imperii exiſtimationem, vt exemplo cæteros deterreret, ei geſtandi viridis pilei honorem, atq. item ſacerdotia ademit, promulgatis in eum iudicialibus libellis: cæterum ſacerdotiorum reditus M. Antonio largitus eſt: is Iulii ex ſorore neptem Lucretiam in matrimonio habebat, inſigniq. gratia ſupra affinitatem eximiis bello, & pace virtutibus parta apud Iulium florebat. Quas ob res Pompeius conſulendum ſaluti & libertati ratus, ſupra ſublaqueum præalta in rupe, arcem, quam Ceruariam appellabant, ædificare cæpit, vt ſi aduerſum ſe armis Iulius vtendum ſtatueret, loci munitione. Sed M. Antonius lenito Iulio Pompeius, fratreſq. eius omni metu facilè liberauit: nullis tamen præcibus potuit impetrare, vt ei ſacri pilei dignitas redderetur. Igno ſcebat ei pacato animo, iniuriamq. remittebat, ita vt etiam maturè per breuem epiſtolam gratiam, & reditum polliceretur. Sed epiſtolam reiecit Pompeius generoſo, atque indomito prorſus ingenio: quòd A Pontifex Epiſcopi Rheatini titulum in præſcriptione non poſuiſſet, adeo vt præconi, qui eam attulerat, vultu in amarum renidenti, & ſubirato diceret: Alibi eum Pompeium, ad quem Pontifex ſcriberet eſſe requirendum: ipſum certè eſſe Epiſcopum Rheatinum, ad quem minimè ea epiſtola ſcriberetur. Sed eam rem ad excitandum riſum M. Antonius detulit, feſtineq. peruicit, vt in litteris epiſcopi nomen adderetur. Paucis poſt menſibus Iulius diuturno fluentis alui morbo conflictatus, votorum ferè omnium compos, & prolati imperii gloria plenus interiit. Nec moratus eſt Pompeius, quin in Tuſculanum amicos, & propinquos omnes aduocaret: B cogeret copias, & ænea tormenta pararet, quibus irruptione in Vrbem facta Antonii Montani Cardinalis, qui Rheatinum Epiſcopatum ambitioſè potius quàm honeſtè ſuſcepiſſet, & Mariani Cucini, qui fiſco præfectus criminoſum libellum, quo fuerat damnatus, dictauerat, domos bellico more diſturbaret. Hęc parantem tardauit Fabritius, egitq. cum Cardinalibus ad ineunda ſuffragia, vt Pompeio inſignia ſua redderentur idq. facilè impetratum eſt. Effuderant enim ſe omnium ordinum Romani ciues, vt redeuntem viſerent, eiq. ſtudia ſua pollicerentur, adeo vt Tuſculana via euntium, ac redeuntem frequentia percelebris efficeretur. Andreas C quoq. Valteius, qui poſtea Cardinalis eſt effectus, ad eum Senatus nomine legationem ſuſcepit, ſidẽq. publicam interpoſuit, vt egregia omnium voluntate priſtinæ dignitati reſtitueretur, ſi ab armis diſcederet, intraretq. Vrbem eo animi decreto, vt commotæ ad arma Vrbis tumultus compeſceretur, & comitiis publica ſecuritas atq. libertas ipſo ante alios præſidente præſtaretur. Intrauit itaque in Vrbẽ Põpeius, magna omnis generis togatorum & militum frequentia ad veteres ædes deductus: foribus concluſi ad ineunda ſuffragia Senatus præfuit. Nec multò poſt quum Iordanus Vrſinus, Fabritius Columna Iuliuſq. Vrſinus, & Lucas Sabellus ſalubri conſenD ſu erumpentes paſſim tumultus feliciter compreſſiſſent, Ioannes Medices deſumpto Leonis X. nomine Pontifex eſt renuntiatus. Is ſingulari humanitate Pompeium ad oſcula pedum admiſſum, extemplo dignitati, ſacerdotiiſq. omnibus reſtituit, proſecutuſq. eſt inſigni liberalitate Columnios proceres Fabritium in primis, & Proſperum, quum eis peramplas, & tripertitas ædes cum ornatiſſimis hortis daret, quas Iulius in priuata fortuna Columnio in ſolo ad sãctos Apoſtolos ędificarat.

Exinde Pompeius in honore habitus, Vrbem, atq. aulam biennio coluit, ita vt ęſtate ad Sublaqueum, & ſæpius in Tuſeulanum ſeeederet, nihil intermiſſa Romanæ iuuentutis familiaritate, amieitiaq. ſummorum eiuium, & eorum præſertim Cardinalium, qui generis nobilitate, & magnitudine animi præſtarent. Venationibus enim, & aucupijs ſtudebat, ita vt ſæpè ab eo miro appatatu, & exquiſitis ſumptibus publica conuiuia medijs in eampis, & apud ſontes ſumma comitate, atq. hilaritate prębereutur. Erat enim in omni re, quam attingendam, tractandamq. ſuſcepiſſet, & eiuili ſplendore perelegans, & Sacerdotali copia ſumptuoſus, & ſupra A omnes mortales in omni loco, atq. negoeio militari quadam libertate lętiſſimus: vt non ſit mirum plurimos omnium ordinum ciues, atq. externos eius viri authoritatem, & ſtudia alacriter, & conſtanter in vtraque ſortuna fuiſſe ſectatos: quum generoſa admodum ſronte, atque eximio eorporis habitu, cultuq. & erudita, nobiliq. ſacundia, in alloquijs, & in omni diuinatum atq. humanarum rerum actione præcelleret: vtereturq. præſertim munificentia, & comitate, & id quidem ſubtili iudicio erga eos, qui magnorum procerum gratia, & familiaritate florentes, aut optimarum artium, & virtutis laude conſpicui, eius liberalitatis, atq. amieitiæ munera, B & ornamenta præferre, atq. oſtendere poſſe cenſerentur. Propterea dicere ſolebat, Columniam domum, ipſa Vrſinorum familia, quæ opibus, & vetuſtate originis, atq. item honorum præclarè geſtorum dignitate par eſſe videretur, multò nobiliorem euaſiſſe: quòd Vrſini ſub agreſti negligentia, & quodam ſupino litteratorum contemptu, eerta ſeriptorum luee caruerint: Columnij verò, vel vno illuſtri Petrarchę teſtimonio, memoriam apud poſteros cum ſumma virtutis commendatione fuerint conſecuti. Interea pulſis Italia Gallis, & Ludouico rege vita functo, Franciſeus eius gener coacto ingenti exercitu, per Argenturias alpes in Italiam peruaſit, C capto ex itinere Proſpero Columna, qui cum Heluetiorum cohortibus, atq. Italico equitatu ad occupandos Coctiarum ſaltus ſruſtra præceſſerat. Nec multò poſt Rex iuuenis plenus animi, bellieiq. vigoris ad Mediolanum ſtratis Heluetiorum legionibus inſigni victoria potitus eſt; venitq. ſubinde Bononiam ad Pontiſieem ſalutandum. Eò Pompeius properè contenderat, vt patruo in ea calamitate officia præſtaret: apparebat enim Gallos Proſperum tanquam ipſorum nomini vehementer inſenſum, ac ducem omnibus bellis aduerſa ſemper acie ſibi oppoſitum, ęgrè vel ingenti aecepta pecunia dimiſſuros. Sed Pompeius adeundo, orandoque veteres D amicos, taotum labore, ingenio, diligentiaque perfecit, vt Leo qui omnes mortales beneſieentia ſuperare erat ſolitus, id inter multa initæ amieitiæ argumenta prolixè peteret, vt Proſper cuſtodia educeretur. Neque Franciſeus, qui reges omnes magnitudine animi, clementia, & liberalitate ſuperabat, explendo Leonis voto moram attulit; adeo vt benigna etiam manu impoſitę mulctæ onus perſoluta ex fiſco dimidia parte, ſubleuaret. Quatuor enim duces, qui eum ceperant octona aureorum nummum millia depoſeebant. Itaq. Pompeius expedita re nummaria, redeuntem in Gallia regem ſubſecurus, media hyeme trans Alpes contendit, quo itinere ſummum ſe vitæ periculum adijſſe ſępè memorabat, quum ipſo Peninas ſuperante alpes deuoluta ingens è ſummis alpium iugis niuium moles permultos omnis generis mortales, & in his integram Sedunorum legationem paucis ante ſe paſſibus oppreſſiſſet. Abſumptis itaq. in Gallia paucis menſibus Pompeius hoſpitaliter vbiq. receptus, dinumerata pecunia, patruum cuſtodia eduxit, ea tamen conditione, vt per ſyngrapham Proſper promittere eogeretur ſeſe ſub ſignis regijs militaturum, ſi intra certum tempus ipſius opera Franciſeus præbita ſtipendio vti vellet: eo enim tempore rex Gallus, qui dudum Maximiliani Cæſaris, Heluetiorumq. conatus ad Mediolanum Triuultii, atque Borbonii virtute ac ſtudio, & copiis Venetorum egregiè repreſſerat, noua inire conſilia ferebatur, quibus Neapolitanum Regnum repeteret, quum paulò ante Rex Ferdinandus in Hiſpania deceſſiſſet. At proſper vbi Italiam attigit, eum ad cum magni militum coneurſus fierent, lentis admodum itineribus apud Rhegium, Mutinamq. progredi cæpit, ita vt res nouas moliri, & cum Cęſarianis qui Veronæ oppugnabantur, conſentire dieeretur. Ea re ſolicitos, & anxios reddebat Gallos, qui Parmæ Placentiæq. in præſidiis erant, adeo vt Lotrechius Veronam oppugnaturus, de ſyngrapha certior factus Proſperum perfidię compellaret, quòd ingrato, infideliq. ingenio recentis beneficij, & datæ fidei memoriam abieciſſet. Ea Proſper tanquam neceſſitate carceris expreſſa, vt apud Cæſarem Carolumq. nepotem perſpicuè, maturèq. dilueret, ſimulque vt præmia à Ferdinando accepta nouo regis diplomate firmarentur, Pompeium delegit, virtuti eius, induſtrieq. confiſus. Neque is Germanicæ, & Belgicæ legationis munus quanquam plurimi laboris, atq. periculi plenum detrectauit: penè etiam ſubiratus matri, fratribuſque, & amicorum præcipuis, qui crebris patrui litteris euocatum in Vrbe retinebant, quum inutilem, & multis ſubiectam caſibus eius profectionem improbarent. Sed parere patruo certus, & in nocturnis viſis, Genioq. ſimul magnam ſpem reponens ad Proſperum contendit. Nam per quietem viderat, ſibi in paleſtra feſſo, victoriq. pampineam coronam cum Iulianæ vuę racemis à viro gigantea ſpetie certaminis iudice, in ipſa ludorum celebritate a lacriter deferri: neè ſomnio defuit fides, aut ſpem eius Genius feſellit. Acceptis igitur ad Mutinam mandatis Mantuam conceſſit, vt inde aliquo aſtu ad alpes euolaret. Didieerant enim Galli, & Veneti per exploratores Pompeium ſuſcepta legatione Mantuam perueniſſe, propterea diurnis, nocturuiſque ſtationibus itinera omnia diligentor obſeruabaur, ita vt nonniſi ſummo cum periculo ad alpes ſe proripere poſſe videretur. Sed eam hoſtium diligentiam conſilio Sigiſmundi Gonzagæ Cardinalis eluſit, quum agreſtes tramitum omnium peritos, eius itineris duces accepiſſet: quorum fideli, fęliciq.

ope-

Opera in Brixianarum alpium valles inuſitatis callibus perductus ad Ludronios primo regulos, atq. inde in Rhetiam, & Vindeliciam ad Maximilianum peruenit; cum ſuſceptus humaniter à Cæſare regum omnium longè humaniſſimo mandata expoſuiſſet: adhiberetur q. deinde grauiſſimis conſultationibus, tantum quotidianis ſermonibus profecit, vt iam planè familiaris, & multarum horarum comes, in venationibuſq. præſertim inſignem gratiæ locum ſit conſecutus. Pernobilem enim, peritumq. rerum omnium hominem, & partim neceſſitudine ſibi coniunctum nactus Cæſar, adapertis ſenſibus arcana proferre, rationeſq. ſuas effuſius, atq. liberius communicare cœperat. Querebatur enim nepotem Carolum à Ceurio Belga nutricio circumſcriptum, obſeſſumque teneri, alligariq. nouis Gallorum fœderibus: quæ ad minuendam, conuellendamq. Auſtriæ domus dignitatem pertinerent, fallaciſſimas recenſendo artes, quibus Galli paucis ante annis intercepta ipſius vxore, & filia pariter repudiata inexpiabiles iniurias intuliſſent. Itaq. à Pompeio petiit, vt iiſdem de rebus ſuo nomine ad nepotem mandata ferre vellet: daretq. operam ſedulò, vt Caroli adoleſcentis animus ipſius induſtria falſis opinionibus liberatus ab amicitia Gallorum auerteretur: ſecùs ac Ceurius contendebat, cum fœdere vel parum æquo, atq. inſuper ſponſalibus amicitiam firmare properaret. Dicebatq. Cæſar Ceurium non animi iudicio inductum, ſed Gallico corruptum auro aliena à ſalute dignitateque Belgicarum rerum, & apertæ penè perfidiæ plena conſilia protuliſſe. Nec detrectauit id munus Pompeius, cum ſe grauiſſima ea legatione ſuſcepta plurimum honeſtari perſpiceret, arbitrareturq. ampliore, neq. ab ſe quæſita dignitate, patrui negocia opportunè, atq. facillimè confecturum. Per eum modum dimiſſus à Cæſare, & regulis, liberiſq. ciuitatibus, per quorum agros iter erat facturus, per litteras magnoperè commendatus, ad Carolum in extremis Belgarum terris ad Oceanum peruenit. Ibi Pompeius cum magnam partem aulæ ineundum cum Gallis fædus valdè propenſam, & inclinatam comperiſſet: & multi in adulationem prompti decora atq. ſalubria reticere, quam Ceurio parùm ſecundè obſequi mallent, in quo vno ſummæ potentiæ iura, & regni ſceptra viſerentur, officii ſui munus ingenti animo, & libero ore implere conſtituit: honeſtiſſimum enim, atq. pulcherrimum ratus, ſi Cæſarianarum partium decus, quarum Columnii in Italia principes eſſe viderentur, aduerſùs Gallicæ gentis potentiam, quæ Romano nomini infeſta ſemper fuiſſet, à Columnio Romanoq. homine defenderetur. Sed appoſitè diſſerendo, orandoq. Pompeius fruſtra egit, pleriſque proclinatam rem adiuuantibus, qui Ceurii votis in ſpem certiſſimi quæſtus fauebant. Quibus de cauſis Pompeius iam planè Ceurio infenſus, hæc ad Cæſarem ardentiſſimo ſtudio perſcripſit: monuitque, vt ſi flagitioſis corruptorum hominum conſiliis reſiſtendum, nepotiſq. dignitati omninò conſulendum arbitraretur, iter maturè ſuſciperet, veniretq. in Belgium, vt ipſo præſente demonſtranteq. aduerſariorum animi frangerentur. Nec profectionem diſtulit, Cæſar extentiſq. itineribus, Mecliniam peruenit. Cæterum eius aduentu nihil amplius de veteribus conſiliis eſt impeditum, quàm ne Carolus cum Gallis vnà connubii ſponſione iungeretur. Fædus itaq. percuſſum Nouioduni neceſſariis potiùs quàm honeſtis conditionibus: vnde poſtea exortum eſt id bellum, quo Europa omnis per viginti annos deflagrauit. Fuere qui exiſtimarent Maximilianum egentem pecunia, occulta Ceurii largitione, cui ea pecunia ex Gallorum Legatis prodiiſſet, facilè expugnatum, atq. A placatum aſſenſiſſe fæderi: quoniam non prius Carolo in Hiſpaniam ad obtinenda regna nauigandum videretur quam Belgicas ciuitates omni belli ſuſpicione liberaſſe. Nec multo poſt Pompeius cum prolixa Maximiliani auctoritate adiutus Proſperi patrui negocia confeciſſet, eſſetq. adhuc in Sicambris ab vrbe lætiſſimum collati ſibi honoris nuncium accepit. Detecta namq. Alphonſi Petruccii Cardinalis coniuratione, cum reliqui Senatores fermè omnes ea ſceleris atrocitate parum commoueri viderentur, leuioreſq. ſententias dicerent, Leo Pontifex expedito, viriliq. iudicio inſignis, alio Senatu ſibi opus eſſe exiſtimauit: atq. ita Alphonſo in carB cere necato, & conſciis quòd conceptum, auditumq. facinus minimè detuliſſent, pecunia damnatis, vnum, & triginta Cardinales ex lectiſſimo genere hominum vna pronunciatione creauit: inq. eis fuere Romani nominis octo, ipſeq. in primis Pompeius, facile impetrantibus Proſpero, atq. Fabritio, vt ſuus honos Columniæ familiæ redderetur: qui aliquandiu Pontificum callida fruſtratione, aut malignitate, vt tempora tulerunt intermiſſus, continuata ſerie ferè perpetuus eſſe conſueſſet. Nec multo poſt purpureis inſignibus de manu Ludouici Arragonii Cardinalis, qui tum aderat, magna eius diei celebritate, & gratulatione omnis generis hoC minum ſuſceptis, in ſuperiorem Germaniam vrbibus viſendis, cognoſcendiſq. earum gentium moribus aſcendit: ab Auguſtaque Vindelica Cæſaris veſtigia ſubſecutus, poſtquàm vulgabatur eum venandi cupiditate, vagis, atque impeditis itineribus ad Hercyniam vſq. ſyluam penetraſſe, in Italiam rediit, exceptus paſſim inſigni partium ſtudio. Romæ verò publico ei Senatu dato, ſeſſum ſuo ordine inter Patres receptus, breui oſtendit, ſe omnibus naturæ, atq. ingenii dotibus, tanto muneri parem, ac multum antea eius ordinis honore, qui familiæ deberetur, digniſſimum fuiſſe: ſacrorum enim cæremonias, & numeros, ſalutationeſque Sacerdotum D exactiſſimè quidem, & mira celeritate perceperat: nec quiſquam erat vel vetus etiam ſenator, qui eò grauiùs, aut eloquentiùs ſententiam dicere, ſolemnia ſacra præclariùs, atq. decentiùs operari: familiaq. ordine, & comitatu, atq. menſarum elegantia, conuiuarumq. delectu, perſonæ dignitatem luculentius, atq. lautius tueri videretur. His moribus obiter apud Leonem perilluſtrem gratiam, & beneuolentiam quærebat: prommerebatur ſtudia hominum cum grauiſſimis ſuſceptis officiis, lites dirime-

rimeret, veteres componeret ſimultates, miſeris,& afflictis intercedendo, iuuandoq. certum ad ſalutem perfugium præberet. Et id quidem ampliore nominis exiſtimatione, quod Pontificem ad beneficentiam ornandamq. virtutem natum, educatumq. opportunè admodum nactus, cuncta quæ polliceretur, facile præſtare conſueſſet. Secutum eſt demum vixdum exacto triennio, Gallicum bellum, quod ingenti animo coniunctus Carolo Cæſari Leo Pontifex ſuſcepit, vt vrbes Parmam, atq. Placentiam recuperaret, portas antea à Iulio, & ſibi demum erectas, quum Franciſcus in eo victoriæ curſu deſerentibus Pontificijs tanquam ſuas, Mediolanenſiq. adſcriptas imperio recepiſſet. In tanto armorum apparatu, cum Pontifex M. Antonium Columnam, qui pro Gallorum Rege militabat, diuellere, atque traducere in partes, vel militaris imperij pactione nequiuiſſet Hieronymo Columnæ cataphractorum turmas duas liberali ſtipendio ductandas dedit. Is erat Marcello Pompeij fratre genitus: itemq. leuis armaturæ alam Iacobo Zambecario Pompeij vterino fratri attribuit, adeò vt Pontificem nihil non facturum in gratiam Pompeii appareret. M. enim Antonius generoſi pudoris maximè flagitioſum putarat, à beneuolentiſſimo rege in eo erumpentis belli motu, parum honeſta de cauſa diſcedere, à quo auctus eſſet cataphractorum alæ præfectura, ornatuſq. inſigni honore torquati, conſecratiq. ordinis, qui præcipuis tantum amicorum lętiſſimiſq. ducibus, à Galliæ regibus demandari erat ſolitus. Cæterum Gallico bello haud quaquam felicibus initiis cæpto, maturè lætiſſimus finis impoſitus, Mediolanumq. authoritate, & conſilio Proſperi, ingentique virtute Piſcarii, profligato, expulſoq. Lothrechio, captum. Ad cuius victoriæ nuncium Leo Pontifex incredibilem, ſed omnino breuiſſimam lętitiam cæpit. Febribus enim ad Manlianam villam ex peſtilenti aura conceptis, aut certè veneno, vti in eius vita præſcripſimus, quinto die correptus interiit, ſæpè nouiſſimis ſermonibus repetens ſupremæ neceſſitatis caſum, quo ſibi immerenti intempeſtiuè admodum vita eriperetur, ſe vel ob id æquiore animo ferre, quod Parmam, atq. Placentiam Pontificio imperio reddidiſſet. Audita fratris morte Iulius Medices apud exercitum Legatus, magnis confectis itineribus, ad comitia Romam rediit. Is hortatu ſuorum omnium, ſenatorumq. aliquot inſigni vſus ſtudio, prodierat candidatus: ex aduerſo autem plerique ſeniores Pontificatum petebant, quum ætatis honorem, & variarum virtutum, ac litterarum ornamenta præferrent. His magnoperè fauebat Pompeius, oppugnabatq. Iulij partes, cum illum paulò ante prehenſantem ſingulos, & grati animi officia repoſcentem præclarè adiuturus videretur, Nouos ſiquidem Cardinales omnes ferè Iulij iudicio, & commendatione Leo Pontifex in Senatum legerat. Sed multis de cauſis, quas hic referre minimè neceſſarium putamus, Pompeius à Iulio diſcedens, & ſubinde apud ſeniores aduerſarum partium effectus princeps, id vnum vehementiſſimè contendebat, ne exequatis, & mox adauctis ſuffragijs Iulius Pontificatu potiretur, Cui verò ipſe maximè ſuffragaturus eſſet ęgrè poterat reperiri, quum nemo eſſet è ſenioribus, qui alteri quicquam de dignitate concedendum putaret, vel ex merito non ſperaret fore, vt ipſe in tantis comitiorum æſtibus ad Pontificatum eueheretur, At iuniorum globus fide, conſtantiaq. firmiſſimus (ſuffragijs ſcilicet miro conſenſu ad vnius arbitrium reuocatis) nullis omnino artibus, aut machinis diſijci, labefactariq. poterat, Ob id præclarè omnes intelligebant, neminem quem non probaret Iulius, bis tertiam ſuffragiorum partem vti ex lege opus eſſet, eſſe conſecuturum, Sed vbi

A nunciatum eſt Franciſcum Mariam, Vrbino, ac Piſauro potitum, Baleonoſq. fratres Malateſtam, & Horatium, pulſis inde Pontificiis præſidiis, Peruſiæ receptos, validis in vnum coactis copiis Senam, atq. Florentiam petituros, animum deſpondit Iulius, ne ſi ſpes ſuas adipiſcendi Pōtificatum diutius alendas cenſeret, vertente ſe fortuna totius Hetruriæ principatu, & concupito ſimul honore excluderetur. Itaq. fatali quadam inuidia, & inuſitata Patrum obſtinatione Thoma Caietano commendante, & miris attollente laudibus, Hadrianus ex vltima Batauorum inſula, quem nemo vnquam eorum antea vidiſſet, pauci qui vir eſſet, audiſſent, Pontifex eſt

B creatus, ſuffragante Iulio, & Pompeio ſeniores maximè cohortante, qui eundem tradendis litteris, formandiſque moribus Cæſaris magiſtrum, atq. nutritium ex vſu Cluniæ familiæ, & partium neceſſitudine cunctis anteferendum putabat: ac item Iulio maximè probaretur, poſtquam ipſe ex repulſa, quam tulerat, neminem Hadriano rebus ſuis commodiorem, amicioremq. futurum proſpiceret, vt pote qui Cæſaris ſtudia ſecutus, facile ſperare poſſet, vetere nouoq. beneficio obſtrictum, & dignitati ſuæ, & Florentinis rebus Cæſarianæ cauſæ incluſis nunquam defuturum. Cæterum redeuntes è comitio Cardinales, vti hoſtes Italici nominis probro-

C ſis appellationibus, maledictiſq. populus onerauit, adeo vt exſibillando, exprobrandoq. dirum, inſanumq. eorum conſilium vix ab inferenda iniuria temperarint; quod neſaria ambitione, immaniq. liuore corrupti, oblitiq. publici decoris, Pontificem ab vltimo petitum Oceano, multis qui aderant ętate, & virtute conſpicuis prætuliſſent. Erat tum Hadrianus in Hiſpania, quam dudum populari tumultu exorto rebellantem, regulorum adiutus armis cum inſigni virtutus, & Chriſtianæ pietatis laude pacauerat. Itaq. Pompeius in Tuſculanum, ac demum ad Sublaqueum ſeceſſit, Vrbem relinquens orbatam Pontifice, mæſtamq. & ſuborta etiam peſtilentia

D infamen, conſtituerunt Cardinales ex ipſorum ordine, triumuiralis imperii, menſtruam poteſtatem: ſed eam grauis inuidia ſequebatur, cum plerique vel media in Vrbe, tanquam inanem contemnerent, irrideretur que paſſim in prouinciis, quę veterum tyrannorum, exulumq. armis, renouatis factionum nominibus vexabantur, Quibus de cauſis Pontifex frequentibus Collegii litteris, atq. vrbium legationibus accitus Romam, poſt ſeptimum menſem conſcenſis triremibus, in Italiam nauigauit.

uit. Excepere eum Genuæ Hieronymus Adurnius, & ad Liburnum Piſano in Portu Iulius Medices cum ſeptem Cardinalibus, quorum comitatu auctior, ornatiorque Centumcellas peruenit. Ibi à Pompeo, qui cum aliquot Cardinalibus, multiſq. Epiſcopis ad mare deſceoderat, ſalutatus eſt, deductuſq. io templum, vt ante aram Deo, & Superis quòd incolumis aduenifſet, de more Hymni canerentur. Quo in loco Pompeius orationem habuit luculentulam, publico, priuatoq. oomine ei gratias agens, quòd Pontificatum Dei ſummi, Diuorumq. omnium monitu ab optimis ſenatoribus delatum ſuſcepiſſet, aduenifſetq. opportuniſſimo tempore, quo ſeſſis rebus, afflictæq. Vrbi, & tumultuantibus prouinciis opem ferret: ac mores ſalutari cenſura corrigeret, daretq. operam, vt obſeſſæ Rhodo ingentibus Solymaoi copiis auxilia mitterentur. Ad ea Pontifex miti oratiooe, ſed paucis admodum verbis reſpondit, & vultu quidem parum familiari, cum ore, & geſtu Chriſtianæ diſciplinæ ſeueritatem præferret: ſe Dei optimi maximi certiſſimo inſtinctu ſuſcepiſſe Pontificatum, in Italiamq. veniſſe, propterea ſe ſperare, vt reliqua eodem numine gubernata, fæliciſſimè ſuccederent, ita vt nihil Senatorio ordini ſe debere, omiſſa gratiarum actione fateretur. Quum verò inde ad Tyberina oſtia perueniſſet, & ſuborto repente Coro triremes ab importuoſo littore ad Caietæ portum raperentur, Pompeius in ſcapham deſiliens, vt Pontificem ſequeretur, fluctibos penè obrutus magnum vitæ periculum adiit. Nec multo poſt, quum in Vrbe compooendis diuinis pariter, & humanis rebus Pontifici operam præſtaret, in longè maximum ſalutis diſcrimen eſt coniectus, intimis ſcilicet familiarium repentina peſtilentia correptis, adeò vt in Tuſculanum, atq. inde ad Sublaqueum aufugere cogeretur. Eo etiam libentiùs quòd iam euulgatis contagiooe morbis Vrbs ipſa funeribus complebatur, metuq. Pontifex Vaticanis hortis ſe concluſerat, ita vt nec Cardinales niſi maximis de cauſis in colloquium admitteret, vtpote qui eorum ingenia fide, pietateq. vacare æſtimabat, & vix paucorum conſilio vteretur, neceſſitate quadam, vti imperitus Romanarum rerum: ſed nec his quidem ſuprema rerum arcana committeret. Initio autem æſtatis eius anni, qui ſecutus eſt, reſtincta ea morborum lue, Vrbeque demum omnibus diuinis, atq. humanis remediis ſalubritati reſtituta, Pompeius ad Vrbem rediit, quò & Iulius etiam Medices ab Hetruria paulo ante iam venerat, cum quo ſtatim io gratiam rediit, haud dubiè pænitentia ductus, ita vt præteritæ contentionis inſaniam deteſtari, polliceriq. præclarum ſtudium videretur, ſi ſeoi ad inſolitum cælum traducto, & inſalubri quidem æſtate, fata vitæ finem attuliſſent. Renouabant tum Galli ingens bellum, duceque Gulielmo Gofferio, quem à præfectura maris Amirantem vocabant, trayciente alpes Mediolani inita fuerat coniuratio, è qua Bonifacius Vicecomes, Franciſcum Sfortiam illato leui vulnere fruſtra aggreſſus fuerat: & in Hethruria interceptæ Soderioi Cardinalis litteræ, quibus Gallos admonebat, docebatq. quibus modis eſſet enitendum, vt Cæſariani Italia, atq. Sicilia pellerentur. Quibus de cauſis Pontifex Soderinum in carcerem duci iuſſerat, tanquam & infidum ſibi, & partium Cæſarianarum hoſtem. Vnum enim eum opinione ſcieotiæ humani diuinique iuris, & exactæ peritiæ rerum Vrbanarum grauiſſimis cooſultationibus adhibuerat: querebaturq. propterea ſe ab eo tanquam à maligno ſpeculatore fuiſſe deceptum, cui tanquam viro probo atq. beneuolo rationum ſuarum decreta communicaſſet. Suopte etiam ingenio Hadriaous Cæſari alumno, Principiq. ſuo fauendum, atq. omnino A repugnandum Gallis exiſtimabat, ne ſi medius in neutram omnino partem ſtudia, atq. arma inclinarent, Parma demum atque Placentia victori Gallo dederentur. Itaque cum Cæſare, Venetiſq. ac Florentinis aduerſus Gallos fædus renouauit: ſolemniq. feſto Deiparæ Virg. ad Exquillinum templum ſacra fecit, recitatumq. eſt ex Tabulis id fœdus, quo Gallos ab Italiæ finibus arcendos decernebant. Eo die Pompeius Cæſarianarum partium princeps Iulio Medici, atq. item principum, liberarumque ciuitatum Legatis lautiſſimum epulum præbuit, ad ædem Antonianam, quod Pontifex feruidiſſimo die operatis ſacris, ad curandam laſſitudinem, in proximos B Mellini nobilis poetæ hortos tranſierat, vt in priuato, ſecretioreque cænaculo cibum caperet, & deinde cubitaret. Amicitia itaq. illuſtribus argumentis inter Pompeium, & Iulium renouata, Hadrianus leui, ſed tabifica febre, ex eius diei labore concepta, decubuit, adulationeque Medicorum eò perductus eſt, vt penè prius quam venæ tangerentur, nihil præuiſa morte, perierit. Tum verò inter Nouendiales cæremonias, quibus defuncto Pontifici iuxta perſoluuntur, cum Iulius facilem prius omnium, ex profeſſo ipſius ſectæ candidatus prodiret, & prehenſando ſingulos Senatum ſibi conciliaret, reſpondebat ſe initis comitiis illis ſuffragaturum, qui bonus C reip. futurus Pontifex optimorum iudicio cenſeretur: quæ verba parum propenſi, & planè alienati animi inditia præferebant. Ob id Ludouicus à Corduba Cæſaris Legatus ſeuera quadam, & parum familiari atteſtatione vſus à Pompeio poſtulare cæpit, vt ſtudium atq. ſuffragium ſuum in attollendo Iulio conferre vellet, ſi ſecus feciſſet, eum aduersùs Cæſarem facturum, à quo vnus omnium Iulius maximè probaretur. Ad ea Pompeius, arrogantia hominis plurimum offenſus, nihil aliud reſpondit, quàm ſe daturum operam, vt planè intelligeret, nequaquam legatorum iuſſu, ſed liberis Senatorum ſuffragiis Pontifices creari. Inerat enim Pompeio D ea vis ingenii, vt ſi quid ab eo impetrandum foret, demiſſis, ac blandioribus alloquiis, lenienda potiùs quàm vlla ſuperba denunciatione exagitanda videretur. Nemo enim eo ſuperbius arrogantiam elatorum hominum contempſit, atq. irriſit, quum ex aduerſo erga modeſtos, iocundoſq. demiſſè & comiter omnibus humanitatis officiis vteretur, vtpote qui in tota vita humanitate vinci longè turpiſſimum eſſe, dicere conſueſſet. Fuere qui exiſtimarent, Pompeium à Iulio ſtudium ſuum his maximè de-

cau-

cautis, auertiſſe quòd Pontificatum in vna domo, duobuſq. fratribus, contiouari parum ęquum, & maximè ambitioſum putaret: quòd Florentinorum ingenia quæſtui, pæcunięq. dedita, quibus neceſſe eſſet aulam repleri, magnoperè faſtidiret: quòd ſenioribus iure optimo ſuffragandum videretur: quòdque demum valdè dignum cenſeret, cum Chriſtiano orbi, & ſacroſanctis cæremoniis ante omnes patrum iudicio præfici, qui parum certa, neq. pro palam legitima Iuliani patris vxore natus eſſe diceretur. Quamquam eius rei notam, quum ille inter Senatores aſciſceretur, prolixa iuris teſtificatiooe ſacrati iudices aboleuiſſent. Itaque ſumma contentione comitiis initis, in duas partes ſcinditur ſenatus, ſeniorum prætogatiuam Pompeius vehementiſſimè tuetur: iuniores in vnum denſati globum conſtaotiſſimè Iulio fauent: & eo quidem firmius, atq. felicius, quòd nemo eorum ferè eſſet, qui vel occultè ambiret, quum ex aduerſo corpore ſeniorum plerique eſſent, qui flagrantibus animis ad Pontificatum aſpirarent, fiebatque, vt cum obtrectatione atque inuidia alienæ fælicitatis, & dolore ſimul fruſtra ſuſceptæ petitionis augerentur, inter ſe nequaquam ſyncera fide ſuffragia ferreot, colludenteſque ſyngrapharum oominibus rem impedirent, magniſque propterea ęſtibus comitia iactarentur. Adauxere ſeniorum ſpes Galli ſenatores, hiberoo & procelloſo mari, cunctis inopinantibus Romam delati, qui id vnum contendebant, ne Medices Gallici oominis apertus hoſtis pontificatu potiretur. Ij fuere Claramontius, Lotharingus, atque Borbonius; quibuſcum Pompeius frequenter epulabatur. Extractaq. iam erant comitia ad quinquageſimum ferè diem cum inuidia generis humani, & ſummo dolore conſternatæ ad arma Vrbis: adeo vt plerique magoopere timerent, ne dira patrum obſtinatiooe, ſenatus in diuerſa ſecederet, comitii clauſtra frangerentur, creatiſq. inde duobus Pontificibus ſupremam cladem ſacris, & reipublicæ allatam conſpicerent: ſed in ipſos præſertim contentionis authores & principes Iulium, & Pompeium inuidia vertebantur: lacerabaturque amborum fama acerbiſſimè, atq. liberrimè, quum quiſque in periculo publico, priuatim ſaluti ſuæ, fortuniſque metueret: adeò vt quum in maledicentiſſima ciuitate probroſis carminibus vti, laſciuireq. liceret, Crotus è Regio Lepidi, poeta amarulentus, hoc epigramma in foro legendum affixerit.

*Ecce iterum è ſummo deiectam culmine Romam,*
*Pompeij, & Iulij mens furioſa premit:*
*Brute pium, Photine pium nunc ſtringite ferrum,*
*Quid ſeruaſſe iuuat, ſi peritura fuit?*

Neque vati fides defuit, quum paulo poſt ea eorum diſſidio, Vrbs Roma, ſummæ calamitatis cladem penè funditùs euerſa ſubierit. Porrò Iulius ad declinandam inuidiam, ſuperiorum comitiorum euentu doctior, & conſtantior effectus, ſe iturum in ſuffragia dixit: cohortaturumq. amicos ſuos vt idem facerent, ſi quiſquam è ſenioribus, ſupremo honore dignus, virtuteq. animi inſignis nominaretur. Erant dignitate, gratia, atque ętate pares plerique, & in his Fliſcus, Farneſius, Montanus, Craſſus, Soderinus, & Caruaial, qui vel occulto ſuo, vel publico iudicio ſibi neminem pręferrebant: ęquali ambitu ſpes alebant, ita vt conſilia, votaq. variis animi receſſibus implicarent. In eo ęſtu occultarum voluntatum, Pompeius quum Iacobatium nominaſſet, exactæ ætatis ſenatorem, vitę innocentia, & iuriſdicundi laude conſpicuum, illumque minus probari à Gallis, ſenioribuſq. earum partium videret, cum mutata conſilij ratione, ſibi maturè proſpiciendum A eſſe cooſtituit. Nam cum Iacobatium vti Columniæ familiæ clientem, & Cæſarianæ factionis ſtudioſum repudiare viderentur, etiam Claramontius Franciottum Vrſinum vti nobili, & moderato, tractabilique ingenio hominem, cumulata cum laude nomioarat. Quamobrem commotus cæca bile, & eo motu Pompeius ne Vrſinus familię ſuæ, Cæſariſque ex profeſſo hoſtis Pontificatu potiretur, ad Iulium ſe conuertit, quem ſi ei obſtinatius obniteretur, proculdubio Vrſino ſuffragaturum videbat, vti amico veteri, beneficiarioq. & arctiſſima cognatione Mediceæ domui coniuncto: iam enim ex inſolito, tetroq. odore, oonnullos ſenatores inuaſerat B grauis morbus, ſenioreſq. macie deformati, & exangues cupiditati, & reliquę ſpei conſequeodi honoris finem imponere, quàm peſtilentiſſimi carceris tædia ad certum vitæ diſcrimen diutius perpeti malle videbantur. Galli eo tempore compulſis in Vrbem Cæſarianis, & tum ægrè ſuſtinentibus Mediolanum obſidebant, Proſperq. Columna ex morbo, qui ei ſupremus fuit, decumbens, frequentibus litteris Pompeium obteſtabatur, vt pertinaciæ, & contentioni finem faceret, verteretur que totus ad ſubleuandum Iulium, quo vno Pootifice creato propter ampliſſimas Ethruſci imperii facultates, & iosigne C eius ſtudium defendi res Cæſaris, & profligari Gallorum copiæ poſſent. Itaq. Pompeius, vbi ſeniores magna ex parte Gallicæ factionis ſtudioſos eſſe comperit, ſecreto Iulium adiens, an non mihi, inquit, gratiam habebis, ſi te iam ad Pootificatum extulero? At ille, ſi ſerio dicis, ægregiè profecto tecum agam, reſpondit: & vt cum priuatis rebus tuis honeſtè ſeruies, tum publicis, Cæſariq. in primis præclarè atq. opportunè conſulueris. Tum Pompeius altitudine generoſi animi honeſtiſſimam laudem quærens, id vnum enixè poſtulauit, vt Soderino veteri inimico, & pleriſque item Cardinalibus à quibus acerbiſſimè, atque inimiciſſimè fuerat oppu- D gnatus, ſyncera fide parceret, eoſq. omnes in gratiam reciperet. Fore enim, vt ex clementiæ laude, qua nihil eſſet io ſacroſancto Pontifice pręſtantius, inſignem apud omnes Chriſtiani orbis nationes gloriam adſequeretur. Dextram tum Iulius Pompeio dedit, prolixè pollicitus id ſe pręſtaturum: obligauitque ea in re fidem ſuam Clementis VII. nomine deſumpto; qua voa nominis profeſſione, tanquam edicto, inimicos, aduerſarioſque omni metu liberare videretur. Nec mora authore, atq. hortatore Pompeio, quum is nudatis conuerſi animi con-

ſilijs

filiis comitiorum haud dubiè princeps prodiret, illuſtriq. auctoritate quamplurimos adduceret. Cuncti ferè Cardinales Iulium adorarunt, tanta ſeniorum mæſtitia, vt non multos poſt dies, ex ęgritudine animi conceptis morbis, Sodcrinus ipſe, & Craſſus, itemq. Caruaial, & Fliſeus perierint. Nauatæ autem operæ Pompeius præmium tulit, luculentiſſimas ędes à Raphaele Riario regio ſumptu extructas: atque item vice-Cancellarius eſt effectus. Is acta ſenatus perſcribit, eſtq. eius officii dignitas ab inſigni prouentu exercendęq. liberalitatis poteſtate longè omnium ampliſſima. Paucis inde diebus, Pompeius Proſperum patruum audiuit ex diuturno morbo cum ingenti ſeruati ab ſe Mediolani gloria, & luctu totius Gallię Ciſalpinæ, deceſſiſſe: cui mutata veſte, maioribuſque cæremoniis, ſumptuoſiſſimè parentauit. Nouo autem Clementis Pontificatu Cæſarianorum, Venetorumq. armis, virtuteq. maximè Piſcarii ſummi Ducis, Guliermus Amiras, duobus ad Seſithem amnem victus prælijs Italię finibus eſt depulſus. Ab ea victoria tantos ſibi ſpiritus Cęſaris duces deſumpſerunt, vt Borbonio exule concitante, in Galliam penetrarint. Borbonius enim coniuratione detecta, quæ Galliæ imperium affectare credebatur, ad Cæſarianos ſe contulerat. Quibus de cauſis Franciſcus, quum pro ſalute imperii, & totius Galliæ dignitate ingentes copias compacaſſet, hoſteſq. ad oppugnaudam Maſſiliam progreſſos, Prouincia expuliſſet, in Italiam tranſcendit, potituſq. Mediolano, Ticinum obſedit. Formidoloſa iam Cæſaris arma Pontifici, ac Venetis eſſe cæperant; videbatur enim Cæſar immodica animi cupiditate totius Europæ imperium concepiſſe, quum Galliam demum ipſam non contentus Italia, qua Gallos dudum exuerat, protinus inuaſiſſet. Ob id occulto conſternati metu, & de libertate Italiæ valdè ſollicíti, ſtudia erga Cæſarem ſua non modò remiſerant, verum nequaquam tranſmiſſis auxiliis cunctabantur: ex ſocijſq. & fæderatis ſpectatores facti, dabant operam, vt inter Gallos, & Cæſarianos induciæ multorum menſium fierent. Pontifex enim Cæſarianorum imperum retardare, confirmare Gallum Regem, pacem honeſtis conditionibus parare contendebat. Sed dum intempeſtiuè neq. harum, neque illarum partium fautorem ſe ſe oſtendit, Cæſariani Germanorum auxilijs adaucti hærentem Ticino Regem ingenti edita pugna, ſuo atq. equi vulnere tardatum cæperunt. Tum verò Clemens ad tantæ victoriæ nuncium perturbatus, Albanium è Sabino, & Furconenſibus reuocauit. Is enim Clementis conſilio è regiis caſtris cum valida parte copiarum ad Aquilam vſque peruenerat, haud dubiè in Neapolit. regnum nudatum copiis fauente Andegauenſium factione, peruaſurus. Cum itaq. Gallorum auxilia ex Corſis, Italiciſque delectibus conſcripta ad Vrbem reuerterentur, in ea Latini populi Columniæ factionis ad prædam exciti, atque item Cæſariani equites impetum fecerunt, protracto



certamine per Latinam viam vſq. ad D. Pauli templum, Quod vbi in Vrbe auditum eſt, non dubitauere Hiſpani è familia Ludouici à Corduba Cæſaris Legati, atq. item Columnii, in quibus etiam fuit Iacobus Pompeij vterinus frater, quin correptis armis Oſtienſi porta erumperent, atque interclusos hoſtes adoricentur. Horum aduentu Albanianæ cohortes fuſæ profligatæque ſunt, cæſis nonnullis, multis captis, atq. omnibus ferè armis, & veſte exuti. Ad eam enim capti Regis famam Hiſpani, atq. Columnij adeo inſolenter ſuſtulerant animos, vt per ipſam quoq.
A vrbem fugientes Gallos perſequerentur: & Camillus Columna Marcelli filius vti Piſcarij alumnum decuit, ad Iordanem vſque montem, atq. Vrſinas domos penetraret, vtpote qui Clementem contemnerent, nihilque vel ob id irati minas timerent, quod is à Gallis ſtetiſſe videretur. Id facinus Pontificij imperii authoritatem magnoperè conuellit, adeo vt profundè in Clementis pectus deſcenderit, & tot cladibus, quæ mox ſunt ſubſecutæ, initium haud dubiè præbuiſſe cenſeantur. Non multo poſt Clemens multo auro exoluto, cum Cæſarianis ducibus antiquum fœdus renouauit, ea conditione
B vt Regium Lepidi, quod Hadriano mortuo Alphonſus Ateſtinus receperat, à Carolo Lanoio ſponſore fęderis Pontificio imperio redderetur. Celebratum eſt id fœdus Kalendis Maij in templis Apoſtolorum ad Columnias ædes, fecitque ſacra ſolemnia Pompeius, qui etiam Pontifici, Patribuſque, & Principum legatis ſummo apparatu epulum dedit. Verò id fœdus Cęſar nequaquam ratum habuit, quòd Pontificis opes eius vrbis acceſſione adaugeri nolebat: ita vt Lanoius, à quo beneficium Pontifex expectabat, Hiſpanorum cohortes in æſtiua trans Padum mitteret, à quibus Parmenſes, Placentiniq. veluti hoſtili
C quadam populatione tantis affecti ſunt detrimentis, vt ad deprecandam agrorum vaſtationem, crebræ legationes cum lacrymis ad Vrbem mitterentur: ita vt Clemens ſua ſpe deiectus, circumſcriptuſq. pecunia, & tot iniuriis extimulatus, conſilio cum Venetis, Galliſq. proceribus occultè inito Cæſarianos Mediolano exturbare cogitarit. Videbant enim Cæſaris vires in Gallia Ciſalpina confirmari, eoq. ſuorum omnium hortatu conſilia verti, vt expulſo Sfortia, eius imperio potiretur. Præbuerat occaſionem Piſcarius, qui à Lanoio eluſus traductuſq. ex magnis offenſionibus, alienatum à Cæſare ani-
D mum præſerrebat. Nam Lanoius Franciſcum Regem ſecus ac dixerat, repentina nauigatione in Hiſpaniam aduexerat: neque ipſe vti optaſſet potius quàm petiſſet, ex prouentu victoriæ præmia tulerat, cuius ipſe ab inſigni virtute præclarus author fuiſſet. Ei itaque egritudine animi plurimum ęſtuanti Muronus Sfortiæ intimus, fœderatorum nomine Neapolitanum regnum obtulit, quod ſummorum Pontificum eſſet beneficiarium, ſi ipſius

manu, ductuq. Italia omnis externarum gentium
iugo liberata, priſtinæ quieti, dignitatiq. redde-
retur. His conſiliis annuiſſe Piſcarius ab initio
eſt viſus; ſed demum nudata ſimulatione in gra-
tiam Cæſaris, Moronum ſub fide ad ſe vocatum
cœpit, Franciſcumq. Sfortiam perfidiæ inſi-
mulatum, occupatis eius imperii vrbibus, gra-
ui tum morbo laborantem in arce obſedit. Id
Piſcarii facinus Italiæ Pincipes vehementer ex-
terruit, quum publica libertas ſummum omni-
no periculum adire videretur. Et eum quoque
ſubeundæ ſeruitutis metum adauxerat Cæſar di-
miſſo Franciſco Rege, his conditionibus, vt ſex mil-
lia peditum, tria equitum, decemq. roſtratas
naues ſibi auxiliorum ſpecie daret; quibus au-
ctior, atque validior ad deſumendam Auguſta-
lis imperii coronam eadem æſtate in Italiam
tranſiret, vt demum compoſitis ibi rebus,
indictoque ſacro bello in Turcas Chriſtianorum
arma verterentur. Verum Franciſcus eo inito fœ-
dere, celebratiſque nuptiis cum Eleonora Cæſa-
ris ſorore, liberiſque obſidibus traditis, vbi pri-
mum Aquitaniæ fines attigit, vti iam planè
liber, negauit ſe bis conditionum tabulis ſubſcri-
pturum, quòd grauiſſimę, quòd inuſitatæ. quòd
denique vltima carceris neceſſitate expreſsæ
cenſerentur. Nec multo poſt cum Clemen-
te, Venetiſq. ad tuendam Italiæ libertatem, &
Sfortiam obſidione liberandum, amicitiam, fæ-
duſque percuſſit. At Pompeius conſilijs Clemen-
tis diligenter exploratis, & prǽuiſo Cæſariana-
rum rerum periculo, vehementer fluctuaſſe, agi-
taſſeque animo dicitur; an in officio Senatoriæ di-
gnitatis, Pontificiſque amicitia perſeuerandum
foret, pertineretq. ad ipſius, totiuſq; familiæ de-
cus Cæſarem deſerere vndique circumuentum ar-
mis atque inſidiis eorum Principum, qui obtre-
ctatione alienæ felicitatis, ruptis repentè fæderi-
bus fidem feſelliſſent. Sed in generoſo militari-
que ingenio ea ſententia facilè peruicit, vt priuatæ
dignitati publicum decus, quod cum ſalute fa-
miliæ coniunctum videretur, præferret: cum
ab aduerſo Cæſarianorum euentu Columniorum
omnium fortunæ, trahente veluti ruina, peſſum-
dari, atq. verti penitùs iudicarentur. Atque ita
nequaquam occultato animi decreto, ſimulata mo-
leſtiore podagra in Tuſculanum ſe recepit. Inte-
rea Veneti admotis de improuiſo copiis laude Pom-
peia potiti ſunt, introducente Viſtarino, qui pa-
triam acerbiſſima Cæſarianorum militum auaritia,
immanique ingluuie liberandam iudicarat.
Quo ſucceſſu Pontificiæ copiæ Venetis iunctæ
ſunt, ac demum Gallorum, Heluetiorumque
auxilia ab Alpibus deſcendere, vt obſeſſo,
famep. laboranti Franciſco Sfortiæ opem ferrent.
Sed virtute Alphonſi Vaſtii, qui Piſcario pa-
truele morte ſurrepto, pedeſtribus copiis pręe-
rat, induſtriaq. Antonii Leuæ equitum præfe-
cti, adeo egregiè continuata eſt Iouiæ arcis obſi-
dio, vrbſque ipſa Mediolanum vel nudata mu-
ro fortiter defenſa, vt Franciſcus certa pactio-
ne arcem relinqueret, & Feltrius Venetorum
Dux deſperatione potiundæ vrbis adductus à
conſpectu hoſtis caſtra reducere cogeretur. Qui-
bus cognitis rebus, Pompeius aliquid ſuo nomine
auſurus, vt ſtudium ſuum erga Cæſarem edi-
to aliquo facinore præclarius videretur, in
Tuſculano copias parare cœpit. Aderat Lu-
douicus Corduba regulus Sueſſanus, qui lega-
tus apud Pontificem cœpto bello cum Hiſpano-
rum, & Germanorum manu, vrbe exceſſerat.
Hęc cum à Pompeio pararentur, Clemens tria
millia peditum, & quingentos equites præſidii
A causa conſcripſit, quibus Pompeium noctu op-
primere, aut certè copias eius delere potuiſſet,
cohortantibus vt id faceret Stephano Columna
viro impigro, prudentique, & Salamone Siculo
vetere peditum præfecto; quos copiis præfecerat.
Sed Clemens eo animo cum Cæſare gerebat bel-
lum, vt nihil ei planè nocere vellet, cuperetq.
ſolùm vt Gallia Ciſalpina Franciſco Sfortiæ redde-
retur, vti antiquo in fædere diſertè cautum à
Leone fuerat, ad exęquandas ſcilicet in Italia
principum vires, quibus ſinguli ab æquitate qua-
dam, & metu, ſuis contenti imperijs ſtabilem,
& ſecuram pacem tuerentur. Propterea poſtulabat
B à Columniis, vt armatos quos coegiſſent, extra
Pontificij imperii fines educerent, & vti luberet
Neapolitani regni terminos armis defenderent.
Autbore itaq. Valleio Cardinale, Veſpaſianus
Columna Proſperi filius ad Clementem venit,
compoſitęq. res in eum ſunt modum, vt ſuprà dixi-
mus, ſcilicet, vt Columnij Pontificio in ſolo armis
abſtinerent: ſi Cęſari præſtare operam vellent, in-
tra regni fines regrederentur. Gibertus eo tem-
pore in grauiſſimarum rerum conſiliis Clementi in-
timus, id factum vt probaret diuino quodam iudicio
adduci non potuit, vtpote qui Columnios præſen-
tis exercitus metu, nulla verò ęquitate animi,
C aut ſacroſancti Pontificis reſpectu permotos pa-
cem appetiſſe exiſtimabat. Sed ea erat natura
Pontificis, vt bellico ſumptu mirum in modum
angeretur, nihilq. magis cuperet quàm mi-
lites miſſos facere, vt ęrrario parceretur. Im-
probantibus itaq. cunctis, & deteſtantibus, dimiſ-
sę ſunt cohortes, fataliq. ſocordia exutus omni præ-
ſidio Pontifex ſeſe iniuriæ inimicorum, atque adeo
hoſtium opportunum præbuit. Itaq. Pompeius *vbi*
Clementem confiſum nouo fœderi, nudatumq.
omni præſidio conſpicit, patrandæ rei tempus ido-
neum eſſe ratus, cum Vgone Moncata colloquitur,
decernitque ad Vrbem reuocato coactoq. exercitu
D protinus eſſe conuolandum. *Oſtendebat* etiam
litteras Moncata, quibus ex *Hiſpania* monebatur vt
ſedulò operam daret, ne Pontifex commouere ſe
poſſet, vtque ſi Ciſalpinæ Galliæ rebus ſtuderet,
domeſtico bello implicaretur, pelleretur q. Vrbe
Roma; atque etiam vti indignus, & parum le-
gitimus ſacrorum princeps, ipſo bonore ſummo
Pontificatus ex concilij cenſura, ſuffecto altero.
priuaretur. His de cauſis rogauit Aſcanium, ipſumq.
Veſpaſianum nomine Cæſaris, vt ſibi adeſſe vellent,
ſi ſe-

ſi ſecus feciſſent , aduerſus Cæſarem eſſe factu-
ros . Sed dum copias contrahunt , & tormen-
ta eurrulia coaptant , quanquàm ea quàm oc-
cultiſſimè pararentur , & intercifa eſſent , ob-
ſeſſæque enſtodibus viç omnes , quæ è Lario ad
Vrbem ducebant , certior tamen fiebat Clemens
parari arma , atque aliena prorſus à quiete , ſç-
derque conſilia à Pompeio , Columniiſque om-
nibus agitari . Sed de his Veſpaſioneque præſer-
tim , vt quicquam hoſtile crederet , adduci non
poterat , confingique ea à militibus , quos , quòd
ad ſtipendia reuocari cuperent , maiora verò nun-
ciare , aut mentiri penitùs exiſtimabat . Adeo
vt quum iam Pompeium ad Murenæ villam ; Al-
banumq. lacum perueniſſet nunciaretur , vix de-
mum aliquot prætorianos equites emitteret ad ex-
plorandum : qui Cælimontana egreſſi porta , ſegni
excurſione intra ſuburbanas vineas facta , quum
ſigna acieſque aduentantium hoſtium facilè conſpi-
ci poſſent , retro equos verterint , falsò cuncta pa-
cata renunciantes . Dixerat enim decurio nequa-
quam longius eſſe procurrendum poſtquam ea
eſſent Clementis ſtipendia , quibus neque equi
hordeo paſci , neque ipſi vel inedia , ſorde
vitam traducere poſſe viderentur . Armelli-
no enim Clemens auariſſimo quæſtore , & na-
turæ ſimilitudine ſibi coniuncto vſus ita extenua-
rat equitum ſtipendia , vt nemo , ne militia
quidem ne dum corporis atque prætorii custo-
dia dignus conſpiceretur . Ita Pompeius adaper-
ta , nec ab vllo cuſtodita Cælimontana porta ir-
rupit , tanta celeritate , vt cum eius aduentus in
Vaticano à nemine ſentiretur , facilè Pontificem
nihil tale credentem in cubiculo opprimere po-
tuerit , niſi tormenta ægrè connecta bubalo-
rum iugis expectanda cenſuiſſet . Quibus addu-
ctis per mediam Vrbem , armata inſtructaque
ſub ſignis agmina Xyſti ponte , & Septimiana por-
ta ad Vaticanum contenderunt . Tum verò Clemens
ex conſcientiæ pudore , & metu magnoperè conſu-
ſus in arcem profugit fruſtra in auxilium aduocatis
militibus ; quos paulò ante dimiſerat , quum au-
rei nummi etiam profuſa manu in nomina dan-
tes , ridente foro , ſpargerentur , quòd nemo
eſſet vel aſpectu , vel cultu capiendis armis
idoneus , nec vlli mens eſſet Pontificis protegen-
di , cuius nomen veluti ad decipiendos , fallen-
doſque homines ab initio deſumptum eſſe videre-
tur . Eo die turmas , cohorteſque ſuo ordine , &
compoſito quidem incedentes gradu , populus Ro-
manus ocioſè ſpectauit , atque etiam ſalutauit :
ipſique opifices , vti in nullo metu , nec occluſis
quidem tabernis , effuſis in Tyberinam ripam , ſub
Ianiculo tranſeuntes ſpectauere , quum à Pom-
peio præcones in foro , & compita dimiſſi pro-
nunciarent , nemini eſſe timendum , quando nulla
grauiore de cauſa intuliſſent arma , quàm vt Ro-
manorum populum auariſſimi Pontificis tyrannide
liberarēt . Fœdum id omnino , & miſerabile bonis pa-
riter ac malis videri potuit , ſi reputatione , ſacroſan-
ctæ Maieſtatis id facinus pudore aliquo ad Chriſtia-

næ pietatis cenſuram vocaretur . Sed Clemens
alioqui prudentia , & vſu rerum nemini ſe-
cundus , quum fatali adductus auaritia omnes or-
dines afflixiſſet , vſque adeo hominum volun-
tates auerterat , vt miſericordia omnis , in
tanta publicarum rerum deformitate , atque
in tanto principis periculo , inuidia atque odio
vinceretur . Sacerdotes enim inuſitatis decumis
onerarat ; officiorum collegiis reditus auerterat
ſalariaq. in gymnaſio antiquitus ex certo vectiga-
li liberaliter conſtituta liberalium artium profeſ-
ſoribus cum perenni inſamiæ nota ſubtraxerat .
A Irata quoque plebs videbatur , quòd nequaquam
agrorum malignitate , ſed certis conuectionum , at-
que hortorum monopolijs , magno fiſci quæſtu an-
nona ad triplum creuiſſet . Dirutæ etiam funditus ,
aut miſerabilem in modum deformatę fuerant mul-
torum domus , ignobiliumq. præſertim atque egen-
tium , æquandis ſcilicet frontibus , dirigendiſque
ad normam Vrbis regionibus , tanta Duumuiralis
magiſtratus auaritia , ſæuitiaq. vt non maiorem
barbari immanes vaſtitatem attulerint . Et eo
quidem grauiore Clementis inuidia , quòd ne-
quaquam ad reuocandam antiquæ Vrbis elegan-
tiam , quod infelici ſęculo ineptiſſimum videba-
B tur , ſed vt alterum è Duumuiris famoſo nomi-
ne conciliatum , vel iniquo oblato quæſtu expleret
cui etiam magiſtratum contra conſuetudinem im-
potenter continuerat . Commouebant tum ſeſe
Triumuiri conſeruatores in Capitolio , vt opem
ferrent , ſed nulla inerat iuſſis aut cohortatibus eo-
rum authoritas , quod in ijs eſſent Scarſius algen-
ti ingenio , facieque leguleius , & quidam igno-
bilis ſcurra , cui Saccogelato cognomen fuit .
Huic Marius Peruſcus præfectus fiſci , & rerum
capitalium truculentus iudex , Clementi charus ,
indignante populo magiſtratum impetrarat , vt in
eo mitigaret iniuriam quod poſt multa pocula , ſtra-
C gulæ impoſitum ſeruorum lacertis in laquearia
per iocum , ac voluptatem excuſſiſſet . Per hunc
modum Marcello Pompeii fratre peditum du-
ctante ordines , præeunteque eum ala equitum
Hieronymo Sarnenſis comite , qui Marcelli gener
erat , Vgo Moncata , & Veſpaſianus in Leoni-
nam vrbem irruperunt , paucis qui ad portam iuxta
Sancti Spiritus templum conſtiterant , in fugam
coniectis . Ita Vaticana domus momento temporis
occupata , direptaque eſt : neq. prohiberi miles po-
tuit , quin ſacra omnia , & in auguſtiſſimo qui-
dem D. Petri templo ſemper antea inuiolato ne-
fariis manibus attrectaret . Ceſſit & auaritiæ mi-
D litum cum priuatus , tum publicus Pontificiæ
aulæ apparatus , adeo aut aulea etiam ingentia
eximij operis diſciſſa raperentur . Vaſa quoque
nobilia figulini operis , quæ mittit India , ſo-
lo illiſa frangerentur . Aberat inde Pompe-
ius quòd in domo ſua conſtitiſſet . Quibus co-
gnitis , grauiſſimo dolore eſt affectus , quòd
milites Pontificia etiam præda expleti onuſtiq.
à ſacrario demum , templique altaribus arceri nul-
lo ducum imperio potuiſſent . Porrò Clemens vbi

nullum in arce frumentum, nulla cibaria, quæ vel
in paucos dies tolerandæ obſidioni ſufficerent, ea-
dem quæſtoris auaritia eſſe comperit: neque in vrbe
hoſtium armis occupata milites patari, vel è Tuſcia,
Vmbriaque opportunè acciri poſſe videt: Vgonem
ad colloquium magnis precibus aduocauit, miſſis
ad eum obſidibus Innocentio Cybo, & Nicolao Re-
dulpho Cardinalibus, quibus Leo Pontifex auuncu-
lus fuerat. Non grauatur Vgo, nec aduentum ſuum,
differt, vel improbante, & diſentiente Pompeio, qui
de obſidenda oppugnandaque arce cogitabat, vt
Clemente in poteſtatem redacto, è ſententia Cæſa-
ris, bello finis imponeretur; itaque Moncata eum
paucis in arcem receptus, ſalutato Pontifice, ei ſup-
plex lituum paſtoralem argenteum, atque item
gemmatam mitram, inſignia Pontificatus, militi-
bus erepta, reſtituit: officii ſui neceſſitatem excu-
ſat; nefariam militum temeritatem deteſtatur;
orat demum, vt ab oppugnando Cæſare deſiſtere
velit, pro quo Dij, atque homines, nuſquam aduer-
ſante fortuna feliciter propugnarent. Eam verò
inſitam eſſe animo Cæſaris pietatem, iuſtitiam, mo-
derationem, vt non alio arbitro, quàm ipſo Ponti-
fice ſit vſurus in pacanda Italia; cuius imperium
nunquam affectarit, quanquam ad id iure optimo,
vti partum, poſſeſſumq. ab antiqnis Cæſaribus aſpi-
rare poſſe videretur. Ad ea Clemens parum de
Pompeio, & id quidem ironicè, de Veſpaſiano au-
tem plurimum, & vehementer oblocutus, quòd ab
eo impudentiſſimè ſe deceptum, atq. impiè prodi-
tum quereretur, reſpondit ſe omnibus temporibus
Cæſaris dignitati, amplitudinique ſtuduiſſe, neque
in poſterum ſtudia in eum ſua remiſſurum, modò il-
le adulatione, malignitateque conſiliariorum pla-
nè deprauatus ad ingenium ſuum rediret: ſequere-
turque æquitatem, & iura fœderum, quorum tabulæ
vigerent, & Galliam Ciſalpinam ipſi Sfortiæ impo-
tentibus circumuento armis reſtitueret. Decere
enim eum, qui tot auitis regnis adauctus, totq. in-
ſignibus potitus victorijs ad ſummam authoritatem
auguſti imperi ſummamque opum, & virium am-
plitudinem perueniſſet, liberali animo non modo
antiquis poſſeſſoribus ſuas ditiones, ſua iura non
adimere, ſed etiam de integro largiri, atque conce-
dere, ipſumq. Sfortiam per ſummam inuidiam falſi
criminis inſimulatum totius Italiæ precibus condo-
nare. Cæterum poſt multos ſecretioreſque ſermo-
nes res in hunc modum compoſitæ ſunt, vt Pontifex
è Gallia Ciſalpina copias reuocaret: Pompeio, &
Columniis parceret: mitteretur à Clemente Nea-
polim datæ fidei obſes Philippus Strozza vir pecu-
nioſus, cui Petri Medicis eius patruelis filia nupſe-
ra: Vgo ipſe cum omnibus copiis in regnum profi-
ciſceretur: daretque operam, vt quæ ex ſacrariis
ablata eſsent, pertinerentue ad apparatum ſacro-
rum, facta conquiſitione, redderentur. Cautum
quoque eſt, vt Camillus Columna ſine prœtio di-
mitteretur. Is enim paucis ante diebus Senenſi in
pugna dum intemperantius profligatos hoſtes per-
ſequeretur, à Bratio Baleono Florentinorum equi-
tum præfecto captus fuerat. Atque ita Vgo Mon-
cata Vrbe exceſſit, grauiter indignante Pompeio,
atque id factum deteſtante, quod ſub inanibus ſimu-
latæ concordiæ promiſſis interpellari, eripique cer-
tam victoriam videret. Fuere qui exiſtimarent
Vgonem multo corruptum auro Pontificem tanto
periculo liberaſse, eoque maturius atque libentius,
ne eo capto, ac demum aliquo forte caſu, aut Colu-
mniorum inſidiis ſublato, ex ea re Cæſari, qui reli-
gionis, & pietatis laudem quæreret, inexpiabilis
inuidia conflaretur. Ferebant enim Pompeium
adiutore Cæſare paratis iam ſeniorum ſuffragiis,
Pontificatu haud dubiè potiturum, ſi fortuna Cle-
A mentem in eo armorum ſtrepitu, conturbatiſque
rebus abſtuliſset. Interea Clemens præſenti ſolu-
tus metu in ſpem vindicandæ iniuriæ ſuorum omniũ
hortatu vehementer accenditur, in Pompeiumq.
preſertim, & Columnios omnes: reuocat tamen
Mediolano copias, vt initæ concordiæ, præſcriptis
legibus ſtare, pacatoq. animo ab æquitate Cæſaris
pacem ſperare videatur. Nec mora, Heluetiorum
duomillia, & Italicas cohortes ſeptem virtutis exi-
miæ, ex his quibus ad Mediolanum præerat Ioannes
Medices dux ægregiè fortis, atque audax ad Vrbem
acceſſit. Præterea magnam equitatus partem, & in
his Federici Gonzagæ ducentos circiter cataphra-
B ctos: Stephanum etiam Columnam Præneſtinum
à cæteris Columniis diſſentientem, cuius fidei vir-
tutique plurimum fidebat, conſcribere quatuor co-
hortes iubet: atque item Valerium Vrſinum, &
Ioannem Bapt. Sabellum, Ranuciumque Farneſium
magnæ ſpei adoleſcentes ſingulis equitum alis præ-
fecit: negabant enim Pontifici pacem confici poſ-
ſe cum Cæſarianis arma tenentibus, niſi pariter ab
armatis & gerendum bellum inſtructis pax ipſa pe-
teretur. In eo rerum motu Carolus Cæſar conſiliis
atq. armis hoſtium, maiore virium mole occurren-
dum ratus, Lanoium pro-Regem Neapolitanum
cum ſex millibus Hiſpanorum, & triginta onera-
C riarum nauium claſſe in Italiam miſit: ſcripſitque
ad Ferdinandum fratrem, vt Georgins Franiſper-
gus, ſummæ dux authoritatis apud Vindelicos, cum
tribus Germanorum legionibus in Italiam mittere-
tur. Occurrere Lanoio Gallicæ Venetæq. triremes
Cyrneo in mari, ſed nullo conſenſu. Nam cum Lu-
douicus Armerius Venetus præfectus cum dimidia
ſuarum triremium parte ad portum Veneris ſubſti-
tiſſet, ſero admodum Andreas Auria, Petruſq. Na-
uarrus, & Paulus Iuſtinianus ad hoſtes peruenere:
certatumq. eſt tormentis maioribus. *Sed Lanoius*
vna atque altera naue ex ſuis cum milite demerſa,
tribus autem quaſſatis, & cum multa nautarum,
D & militum ſtrage vehementer afflictis, ſuaq. de-
mum prætoria pluribus colubrinarum pilis adeo
perforata, vt penè mergeretur, valido repente ſu-
borto vento, è conſpectu ſe eripuit, tenuitque
Herculis portum, atque inde Caietam incolumis
peruenit. Pari quoque euentu apud Mantuam Cæ-
ſarianis fortuna artiſit, quum Feltrius Veneti dux
exercitus, expugnata iam nauiter Cremona, &
cum eo Ioannes Medices Germanorum legionibus
occurriſſent. Nam cum hi iunctis copijs denſa ra

ince-

incedētium hoſtiū agmina, vt eos Padi tranſitu prohiberent, per expeditos ſclopettarios aliquandiu Proſperè minutis præliis retardaſſent, ad Gubernulum demum vicum Medices, tormento ab vlteriore Mincij ripa in incertum emiſſo, ictus occubuit, non tam priuato ſuo, quàm publico ruituræ mox vrbis Romæ fato ſurreptus: quum nemo eo fortius, atque felicius ab inuſitata virtute, libertatem Italiæ aduerſus externas gentes defenſurus eſſe videretur. Interea Clemens Pompeium reipublicæ, pontificiiq. imperii hoſtem decernit, ſenatu mouet, addit diras, interdicitque aqua & igni, cæteroſq. Columnios eodem crimine damnatos armis perſequitur. Inducto enim in Latium exercitu ad quatuordecim oppida inſigni Pontificiorum acerbitate direpta incenſaque ſunt: adeo, vt magna ſenum, puerorum, & fæminarum agreſtium multitudo, alieni facinoris pænas daret, paucique plecterentur ex his, qui è Vaticano templo altarium ornamenta rapuiſſent. Infecerat tamen ferè omnes is ſacræ pecuniæ, & prædę contactus, ipſamque maximè Neapolim, ita vt in foro ſacræ veſtes ad haſtam propoſitæ ſpectarentur. Cæterum in Sublaqueum proprias Pompeii delitias atrociſſimè ſæuitur: atque iterum ad Genatianum, ſed aliquanto remiſſiore ira, ſcilicet vt elegantioribus Veſpaſiani ędibus, quas Proſper extruxerat, diſſimulanter parceretur. Porrò Pompeius vbi Latina oppida incendiis fumare atque omnem armorum impetum in ipſos Columnios conuerſum videt, poſtulat à Lanoio, vt afflictis familiæ ſuæ rebus maturè opem ferat: hortatur vt productis copiis potius in hoſtili agro quàm propugnando ad regni limites, bellum ruptis iam planè fœderibus cæptum gerat. Concilij quoque indicendi, cuius nomen Clementi maximè terribile fore videbatur, ex formula tabulas conſcribit, noctuque Romæ per clientes ſuos affigendas templorum valuis, publicisque in locis eiulgandas curat, dictante inſtruenteque Philippo Sergardo Senenſe. Per hos libellos Pontifex ad concilium citabatur, quod Cæſar ad Spiram Nemetum vrbem ( ea eſt ad Rhenum ſita ) eſſet habiturus: vt facilè intelligerent homines eum Balthaſſaris Coſsæ exemplo, ſummum dignitatis, & vitæ periculum, inimico Cæſare, & infeſtis Lutheranorum animis aditurum. Nec multo poſt excitis ad id bellum regni proceribus, magno equitatu coacto, additiſq. Germanorum, atque Hiſpanorum cohortibus, ad Fruſinonem caſtra poſuerunt. Quod vbi Clemens cognouit, viditque eos iam nudato planè conſilio, auſpiciis Cæſaris bellum eſſe geſturos, vt grauiore metu iniecto eos deterreret è Gallia Valdemontium regia ſtirpe ortum acceſiuit: hortatuſque eſt, vt in ſpem potiundi regni, Neapolim claſſe inuaderet: vigere enim adhuc toto regno Andegauenſium regum memoriam, & præclarum ſtudium multorum procerum in id nomen: proinde ingenti animo arma capeſſeret, vt virtute, fortunaq. maioribus ſuis æquaretur. Itaque Valdemontius ſingulari alacritate claſſem conſcendit: Campaniæ oram metu complet: Salernum expugnat; ſigna ad ipſam Neapolim vertit: expoſitiſq. cohortibus ad pontem Sebethi amnis, eruſum cum Neapolitana iuuentute Moncatam intra portam compellit. Parte alia Lanoius, atque Pompeius Fruſinonis mænia tormentis quatiebant: ibi præſidium inerat earum cohortium, quæ ob ducis ſui Ioannis interitum, à funeſto vexillorum colore, vulgo Nigræ vocabantur, quarum ea erat conſtantia, & virtus, vt diffracta cadentiaq. mænia, adiectis tumultuariis operibus repente reſarcirent, & ſæpè audacter, atque feliciter eruptione dimicarent. Pompeii mens erat, quum primùm aliqua muri pars concidiſſet, admouere ſtatim cohortes, &
A vera vi, triniſque ſubſidiis ex triplici nationum genere conſtitutis ſupremum oppugnationis caſum experiri. Per ſpeculatores enim didicerat aduentare Pontificios duces, vt obſeſſis opem ferrent: prouidebatque, ſi ſegniter oppugnare pergerent, ancipiti prælio dimicandum fore. Sed Lanoius haud ſanè multum belli peritus, cum variis ſuorum ſententiis diſtraheretur, nec facilè concilium explicaret, potiundi oppidi occaſionem corrupit, adiitque diſcrimen accipiendi grauis incommodi, quum propinquo hoſte mouenda caſtra viderentur. Peruenerant enim Pontificię copię ad Ferentinum, Rentio Cerite, & Vitellio Tiphernate ducibus: aderatq. legatus Cardinalis Auguſtinus Triuultius Clementis
B hortatu ſuopte ingenio nauandę operæ cupidus, quòd ſtudio à maioribus tradito, Gallicę factioni vehementer eſſet addictus. Nec mora Pontificii quadratis agminibus Ferentino egreſſi patentibus in campis ſuorum pariter, atque hoſtium oculis diſpari animorum habitu ſpectaculum præbuerunt. Erat enim è collibus, ipſaq. oppidi ſumma arce in ſubiectos campos deſpectus, ita vt peditum, & equitum magna agmina diſtinctis, & præfulgentibus vexillis terga vertere, adeò vt perturbata magna parte exercitus, ſola Germanorum phalanx immobilis imperterritaq. conſtiterit, quòd nigrę cohortes
C conſpicatæ auctis ſpe victoriæ animis, audacter eruperunt. Ita patefacto aditu, commeatus affatim intromiſsus, præſidiumq, nouo cohortium aduentu renouatum, abſtinuit prælio Rentius cum victoria in manibus eſse videretur, ſatis ſuperq. actum ratus, quod ſine ſuorum vulnere concluſos obſidione, atque periculo liberaſset. Ea quæ ſecuta eſt nocte Pompeius Lanoio in re aduerſa repentinaq. perturbato, reducendi exercitus munus ſuſcepit, itaut ipſe maiora tormenta, ſuiſmet humeris atque lacertis impelleret: minora enim ſingulis ducibus reducenda attribuerat: cuius implendæ operę ſpecimen, atque exemplum dabat, ne tale dedecus admitteretur, vt tormenta in poteſtatem hoſtium deuenirent.
D Ita ſingulari Pompeii cura, laboreque, & diligentia exercitus incolumis in pacatum tutumq. locum eſt receptus: nullo quippe per noctem tenebris, atque terroribus importunam accepto incommodo, nullo maiore, minoreue tormento, vel in ſumma viarum aſperitate deſerto, nulliſque poſtremo amiſſis impedimentis, cum hoſtis viribus, animis, loco, atque eius diei fortuna ſuperior, abeuntium tergis inſtare, & non mediocrem omnino cladem afferre potue-

Digitized by Google

euerit. Ea benè gerendæ rei facultas, Pompeii celeritate, & vigilantia Pontificiis erepta, magnam Rentio atque Vitellio, ipſius Triuultii legati, & minorum ducum teſtimonio, conflauit inuidiam, vt qui vacare quæſtui, delectari imperio, odiſſeq. belli finem, & pericula vniuerſę pugnę deuitare vel malignitate, vel ignauia dicerentur. Cęterum cognito Cęſarianorum diſceſſu, promouere ſerò caſtra, multoſq. dies nulla memorabili re geſta, circa Poſſium atque Cęcanum conſedere. Ex aduerſo Lanoius, atque Pompeius ad oppidum Caſtrum conſtiterat. Verum conſumpto in his locis omni frumento, cum ſame vterque exercitus laboraret, & equi deficiente pabulo, quòd nullum gelida adhuc hyeme gramen erumperet, inędia, & macie conficerentur; applicuit ex Hiſpania, Franciſcus Angelius cucullatus D. Franciſci ſectæ princeps. Is opinione religionis Cęſarem nudato omni ſimulatione animo arcana crimina Chriſtiano more confitentem audire, expiareque ſolitus mandato Cæſaris de pace ad Pontificem afferebat. Eius viri hortatu, cum ſingula ad religionem reuocaret, & ſumma omnia de lenitate æquitateq. Cæſaris polliceretur, Clemens ad pacem inclinauit, quod ærarium ſumptu, animum verò cura, & moleſtia bellicarum rerum leuare percuperet, indignareturque pulcherrimam omnino occaſionem potiundæ victoriæ, aſtuta, aut ignobili certè ducum ſuorum cunctatione fuiſſe prætermiſſam annonamq. demum non modò creuiſſe, ſed in caſtris, totoq. Latio tantùm non conſumptam eſſe conſpiceret, & Borbonius maximè formidandus videretur; qui ingentibus lectiſſimiſq. instructus copiis, togatę Gallię, & Ethruriæ vrbes, Romanęq. vrbis opes in prædam militi ſe concedere prædicabat. Itaque Romam accitus eſt etiam Cæſar Feramuſca Campanus Cæſaris familiaris, qui dudum ab Hiſpania venerat, attuleratque ad Pontificem à Cæſare humaniores literas, quibus ſe pacem expetere, odiſſe arma, & Pontificiam maieſtatem religioſè colere ſignificabant, teſtabaturque Deos immortales ſe regnis ſuis eſſe contentum, & ab ſe cuncta facilè poſse iuſtis precibus impetrari, ſed minimè paſsurum vt ſibi à quoquam in his, quæ iuris, atq. arbitrii ſui ſint, arrogãter perſcriberetur. Non eſſe enim ex dignitate Auguſti, longè maximi principis leges accipere, miniſq. terreri, ab his maximè, qui imperio ſuo ſubiecti, & dijudicatæ fortuna, toties bello victi, ingratique demum grauiore pæna digni cenſerentur. Itaque idib. Martiis, qui dies ſummarum calamitatum Vrbi, atq. Italiæ initium fuit, inita rerum pax eſt, conſcriptęq. renouati fœderis leges, ea conditione, vt Lanoius ad Vrbem veniret, ſcilicet præclara adſtipulatione tabulis ritè confectis, grata omnium animis ea cõcordia ſacris ſolemnibus celebraretur. Nec multo poſt Lanoius recepto prius Cæſariana in caſtra Triuultio legato, vt fidei obſes eſset ad Clementem venit, notatuſq. eſt haud dubiè Deorum monitu aduentus eius, vt lugubris, & maximè funeſtus Vrbi futurus, cum ea pars Vaticanæ domus, qua ipſe fuerat hoſpitio exceptus, terribili vagoq. fulmine icta tremuiſset. Ab ea autem pace maximè auerſus erat Pompeius, dixeratq. diſcedenti Lanoio, nè magnoperè laboraret, vt Pontifici conciliaretur, Se enim acta Clementis, quibus galeri ſibi honos adeptus eſse videretur, breui reſciſsurum; quod ille nequaquam legitimus, ſed vitio creatus Pontifex, dignitatis ſuæ decus eripere nequiuerit: quod Leo X. diuini atq. humani iuris ſciens, veręq. virtutis amantiſſimus, ſibi abſenti, ex ſenatus conſulto detuliſset. Solebat ille elato contemptioreq. animo Clementis ingenium, nomen fortunamq. deſpicere, cum haud dubiè commoda,
A omnia rerum ſuarum. & dignitatis ornamenta, ex amicitia, & liberalitate Cæſaris expectaret. At Clemens confirmata pace cum Lanoio, vt Florentinis, quibus maximè timebat, opportunè caueret, ab eo poſtulauit, vt in Ethruriam proficiſceretur, præſentiq, auctoritate, atq. imperii iure, Borbonii conſiliis obuiam iret, impediretq. iter, quod ab eo per Pontificios fines, infeſta vbique populatione ſuſceptum eſſet, ſcilicet vt tot coactæ in vnum audaciſſimarum gentium legationes, audito pacis nomine ſoluerentur: quum ipſe Lanoius, ad quem ſumma militaris imperii reſpiceret, vti belli, & pacis arbiter, prę-
B clara ante omnes auctoritate, perſuadere militi, atque ipſo demum iure ſupremæ poteſtatis Borbonio perſcribere facilè poſſe videretur. Sed milites in ſpem diripiendæ vrbis Romæ, conſociatis animis tantos ſpiritus ex felicitate rerum geſtarum deſumpſerant, vt cum ſuperbia licentiaque corrupti Borbonium Lanoiumque contemnerent, neminemq. eſſe in terris, qui ipſis reſiſtere poſſet, exiſtimarent publico tantum & tumultuario conſilio regerentur. Quin & per eos, quum in Bononienſi euaſtatis agris fame laborarent, noctu in Borbonii domum irruperant, tanto ipſius periculo, vt vix ignobili latebra, quin interficeretur, ſit ſeruatus: quæſito ta-
C men & pacatis animis iuſſo, vt prodiret; honoris nomen reſtituerunt, vt aliqua ducis imagine ad diſciplinæ ſpeciem vterentur, moreque militiæ auſpiciis eius, atque imperiis parere velle ſimularent. Irridebant enim eum Hiſpani vt ſtolidum, & exulem, quòd ambitioſè expetitis Heleonoræ nuptiis intercipiente demum Franciſco Rege, deluſus repulſam tuliſſet, & ad Galliæ Ciſalpinæ imperium aſpiraret. Germani vero eum egentem exutumq. omnibus fortunis, & proditorem gentis ſuæ vocitabant. Itaq. Cęſariani ab Alphonſo Ferrarienſi commeatu omnis generis abundè adiuti, recreatiq. euaſtatoq. demum, atque incenſo Bononienſi agro, egreſſi Hibernis per
D Flaminiam viam nullo hoſtium occurrente, ad Appeninum ſupra Fauentiam contenderunt, Feltrio Venetorum duce, & Michaelo Salaſſo regulo, qui Gallicis præerat auxiliis, in aciem prodire non auſis, quamquam his magnæ adeſsent copię, tormentorum apparatu, atque vrbium opportunitate ſuperiores. Borbonio ab Amandula oppido ſubeunte ea Alpium iuga, quæ Aretinos deſpectant campos, Feltrius, atq. Salaſſus per Petrammalam breuiore itinere in Hetrutiam tranſcenderunt, rati hoſtem

(vti

(vti euulgatum fuerat) Florentiam continenti curſu petiturum. Sed is læuorſum in Senenſium agros deflexit, vix tantiſper moratus, dum ex inſigni illorum ſtudio, ac liberalitate exercitus duorum dierum cibaria acciperet. Edicebatur enim toto agmine cunctis eſſe feſtinandum, cum percepta animis victoria, ſpeſque omnis vbertimæ prędæ in vna celeritate poſita videretur. Præbuerat ſpem Borbonius Florentinorum Legatis ineundę concordiæ, ſi ipſorum ſumptu ſtipendia militi ſoluerentur. Sed in immenſum augebat in dies eam petitę pecuniæ ſummam, nec inſtitutum tamen iter vlla in parte remittebat, vt iniecta ſpe pacis, ab apparatu belli A hoſtes auerteret, quos imparatos, & nec oppinantes inuadendos eſſe cenſebat. Lanoius quoque, qui ad Aretinas alpes occurrerat, ludubrio habitus, cum Borbonium ex itinere monuiſſet, vt retentare agmen vellet, idoneoque ad colloquendum loco ſubſiſtere: poſtquam Romæ pace celebrata ex ſententia Cæſaris fœdus cum Pontifice eſſet renouatum. Sed Borbonius militeſque, cum Lanoium ipſum tum etiam pacis nomen impensè oderant: adeo vt irriſus atque repulſus non mediocre vitę periculum adiret, cum in ſubalpinos agreſtes incidiſſet. Porrò Borbonius ęnea tormenta à Senenſibus oblata parataq. minimè ſecum aduehenda iudicans, B vt inſtituta celeritate vteretur in opprimendo Pontifice, anteuertendiſque hoſtibus, qui iiſdem veſtigiis ſecuturi viderentur, ad Pompeium ſcripſit, vt ſibi aduentanti tormenta muralia, & commeatum affatim apud Romam pararet: ſe enim ſecretiora à Cæſare mandata nuper habuiſſe, quibus iuberetur, vt ſtrenuam operam daret, vt occupata Vrbe Cæſariani nominis hoſtes delerentur. Paruit Pompeius, è Fundanoq. agro ad Pallianum profectus præſtitit officium in his rebus vti opus erat maximè liberaliter, ac diligenter. Cæterum tanta fuit in Cæſariano milite, duceq. celeritas in ſuperandis prealtis fluminibus, conficiendoq. itinere, vel per imbres C maximè lutulento, vt aliquanto citius quàm opinione hominum expectari poſſent, ad mænia Vaticana peruenerint. Tum verò Clemens repentino inſtantis periculi metu conſternatus, ſummæq. rerum & ſaluti plurimum diffidens, diuerſa perturbato animo conſilia volutare, modò conſtanter, modò trepidè à Patribus, & à Romanis, ducibuſque ſuis opem, conſilium atq. operam poſtulare, ambigere an ad mare, vbi triremes erant, ſe ſe proripere præſtaret, an deſerto Vaticano interciſiſq. pontibus intra Vrbem ſe recipere, operiri ſuorum auxilia, cum Borbonioq. aliqua pactione, oblata magna vi pecuniæ, pacem mercari, vt qui ſe omni alia ſpe deſtitutum videret. D Paucis enim ante diebus Heluetiorum duo millia, atque item mirificas ad tuendam Vrbem nigras cohortes, deprecantibus cunctis, ne id faceret, atq. reclamantibus, importunè dimiſerat, vt ęrrario parceretur. Etenim animo eius tanto rerum vſu, tantiſq. exactæ prudentię, pręſidiis inſtructo ad elidendam virtutis aciem, auaritia fatalis inhęſerat, vt cuncta, quæ publico omnium iudicio timebantur, ipſe vnus nequaquam timeret, fideretque his maximè in quibus nullam omninò ſpem reponendam, ſummi pariter, atq. infimi homines exiſtimarent. Extruxerat Rentius Ceres dux patriæ ſuę admodum funeſtus tumultuariam munitionem in ipſo Vaticani dorſo, irridendam hoſti, nobis autem ſummo cum dolore, & lacrymis ſpectandam. Armauerat item imbelles tribus, & paucos collegerat milites ex his, qui nuper dimiſſi, diuenditis armis in Vrbe remanſerant: profitebaturque ſe Leoninã vrbem, ipſamq. Romani, vnum atq. alterum diem egregiè defenſurum. Putabat enim Clemens Feltrium ipſumque pręſertim Guidonem Rãgonum, magnis ſibi obſtrictum beneficijs, per Flaminiam viam vitata Caſſia, qua hoſtis intenderat ad Vrbem cum expeditis copijs aduolaturos; ſed Borbonius anteceſſit, Vrbemque Romam ſubiectam oculis, è monte Mario militibus oſtendens, vbi ex pręda multo opulentiore, quàm opinione auiditateq. ipſorum concepiſſent, perpetuo ditarentur, edixit vt corpora tanti itineris labore feſſa, & enecta fame paululum curarent, ſolitaq. celeritate murum ſubirent. Erat enim ab ea præſertim parte, qua in meridiem obuertitur, vetuſtate conſumptus, atque humilis. Inuaſere itaq. loca nequaquam munita ſub auroram pridie nonas Maias, dimicatumq. eſt vtrinque acriter minoribus tormentis: cum pauci veterani, & prætoria Heluetiorum cohors conſtanter irruentes, conſcendenteſq. repuliſſent. In ea parte qua Obeliſcum reſpicit, Borbonius dum cohortatur ſuos, & ſcalam conſcendit, in inguine plumbea glande traiectus occubuit: multiq. ingentis tormenti pila è ſummis collibus in latera denſiſſimi agminis emiſſa diſcerpti ſunt: raptaque in pręalta mænium parte duo Hiſpanorum vexilla ſigniferis è muro præcipitatis. Sed repentè nebula craſſior paluſtri exorta campo, ita hoſtium aciem intexit, vt tormentorum vſus dirigendis ictibus fatali noſtrorum incommodo penitùs eriperetur. Irrupere itaque facilè Hiſpani per coniunctas muro ignobiles caſas, vbi Borbonius amiſſa voce defecerat: Diis haud dubiè concepto ſceleri pænam maturantibus, ne vir perfidioſus atque impius, direptæ atque euaſtatæ ſacroſanctæ Vrbis ſpectaculo lætaretur. Parte alia Germani munitione in colle tranſcenderunt, circumuentamque in medio Romanam plebem, quæ ſub vexillis regionum intra Turrioniam portam conſtiterat, tanta ſæuitia, immanitateque trucidarunt: vt imbelles homines proiectis ad terram armis, ſuppliciter vitam deprecantes, crudeliſſimè cæderentur. Nunquam enim ab vlla memoria, maiore truculentia vel in barbaros, qui Mahomettis ſectam colerent, vel in perpetuos hoſtes, atque inimicos, vindictæ libidine ſæuitum eſt, Nemini enim fuga patuit, cum refugientes non in ipſo tantum celeberrimo templo, ſed in adytis, ante ſacroſanctam aram inermes trucidarentur: quibus antea immanes ex vltima barbarie Totilas Gothus, & Genſericus Vandalus religioſè peperciſſent. In eo ſtrepitu Clemens fruſtra auerſos Deos precibus ad aram fatigans, audito hoſtium clamore, citato gradu per oblongam duplicis muri munitionem è Vaticano in arcem

con-

confugit gemens, & crebrò ſe ab omnibus proditum querens: ita vt toto eo itinere è feneſtellis miſerabilem noſtrorum fugam, & cruenti maximè tumultus faciem, barbarorumq. furentium haſtas, & ſecures impreſſas fugientium tergis deſpectaret, Clementi autem plenis paſſibus euadenti proximus aderat Paulus Iouius, qui hęc conſcripſit, ſuſtuleratque ei ab tergo talaris togæ ſinus, vt expeditius iter conficeret, ſuumq. item violaceo colore pallium, & pileum capiti atq. humeris iniecerat, ne Pontifex à candore veſtis agnitus, dum aperto demum & ligneo ponte in arcem trāſiret, à barbaris accuratiore fortè glandis ictu ſterneretur. Peruaſere intra pontis portam, cum incuria & trepidatione noſtrorum cataracta dimitti nequiuiſſet, ſigniferi duo Hiſpani tanta audacia vt petiti vndique tormentis, nihil mortis metu terrerentur, quin per pontem in forum proximum excurrerent: conatuſque eſt pari temeritate Falcius centurio Hiſpanus portæ arcis valuas propellere, vbi cum paucis eſt interfectus. Tota itaq. Leonina vrbe, quam ſuburbium vocant, Pontificiiſque ędibus, & ſacroſancto auguſtiſſimoq. templo incredibili immanitate cruentatis, atque direptis, ad Septimianam portam ſigna vertere, primiq. omnium Itali Duce Ludouico Gonzaga, cui ab inſita virium ferocia, iactantiaq. Rodomonti cognomen fuit, tranſcendere eum murum, qui ab Aurelia porta per decliues Ianiculi vineas ad Septimianam protenditur, paruo admodum negotio depulſis defenſoribus, & occupato Xyſtino ponte, ita edita fugientium multa cæde, ſeptem millibus hominum trucidatis ſupra quadraginta millia hoſtium in Vrbem irruerunt. Nam ad Germanicas legiones tres, ſex millia Hiſpanorum Ioanne Dorbino duce, atque item Italicæ cohortes acceſſerant ex itinere paſſim latronum, & damnatorum concurſu adauctæ, quas ductabant Fabritius Maramaldus, Sarra Columna, & is, quem diximus, Rodomontes, veteranos quoq. equites non exigua leuis armaturæ equitum manus ex vario nationum genere, ſine vexillis in ſpem ingentis prædæ ſequebatur. His pręerat Ferdinandus Gonzaga, & Philibertus Autantius Belga, qui Borbonio interfecto, à militibus imperator eſt appellatus. Ea nocte nihil vnquam lugubrius aut funeſtius fuit Romanis pariter, & inquilinis. Editæ enim omnibus in locis ad ſacietatem nihil tale meritos inuſitatæ cædes, nobiliſſimi ſenes pariter ac iuuenes tormentis excruciati, violatum vbique matronarum, & virginum decus: Veſtales in ipſis templis conſtupratæ: Cardinalium porrò, Principumque domus, tanta furentium rabie, ferro, atque ignibus expugnatæ, vt nec Regum Legatis parceretur: nemoque demum ex his: qui latebra gladios effugerint, ſit ſaluatus, niſi vitam, ac libertatem vniuerſa bonorum ſubſtantia redemerit. Feritate, & truculentia terribilis erat Germanus, ſed à primo impetu, quo armatos deleuerat, à gladiis temperabat, vſq. adeo remiſſa animi ferocia, vt exiguo facile pretio libertatem captiuis daret, & præſentibus tantum ſpoliis & compotationibus lætaretur, verteretque demum furorem in templa, & antiqui operis ſtatuas, deformando cuncta, atq. euertendo, quod pleriq. eorum irriſis Pontificum legibus, Lutherana dogmata ſequerentur. *Hiſpani* autem aſtuta, & implacabili crudelitate acerbiores, vt abdita arcanaq. familiarium eruerent, tormentis atq. ſupplicijs in nobiliſſima corpora graſſabantur: tanta auri cupiditate, vt Iulii Pontificis cadauer, multa exeſum carie eruere, & annulo ſpoliare non dubitarint. Sed eius etiam gentis facinora, Itali, Brutijque præſertim decerptis vitiis, nec vllis omnino admixtis virtutibus facilè ęquabant: & eo grauiore cum inuidia, quòd in A obſequium barbarorum longè promptiſſimi, ęmulatione ſcelerum ab amore charitateque communis patriæ diſceſſiſſent. Obſidendæ verò arcis circumuallandæq. perducta in gyrum foſſa Philippus Cerbellio, & Mendanius Hiſpani, negotium ſuſceperunt, tanta acerbitate, vt vetulam in arcis foſſam lactucas deferentem, quæ expetenti Pontifici dono darentur laqueo immaniter ſtrangulatam, in conſpectu arcis ſuſpenderint: pueroſq. item, qui olera funiculis extrahenda alligabant, ſclopettis interfecerint. Biduo poſt affuit Pompeius Clementis quidem incommodo, periculoq. lætatus; ſed cum plena omnia cadaueribus, luctuq. conſpiceret, multoq. B mulierum, & puerorum eiulatu, atq. inſignium ciuium, Sacerdotumq. in tormentis fruſtra opem implorantium, regiones, & domus omnes miſerabili gemitu complerentur, lacrymas tenere non potuit; eo etiam vehementiore dolore perculſus, quod cadente patria, elapſoque ſecus atq. ipſe optaſſet, incolumiq. Pontifice, qui tantæ cladis cauſam præbuiſſe videretur, ad inſontes tantum ac miſeros, ſummæ calamitatis pœna recidiſſet. Itaq. vti generoſum, & ſacratum virum decebat, inſigni pietate, & miſericordia addactus domum ſuam afflictis, & miſeris aperuit: & quanta maximè valebat authoritate apud duces, & milites operam dedit, vt C inuiolatum decus fœminis ſeruaretur: cruciatui eriperentur ciues, & de redimendis captiuis, tolerabili conditione leges ferrentur. In his rebus humanitate, diligentia, & liberalitate tanta fuit, vt ſuperiora cænacula ad ſummas contignationes honeſtiſſimis matronis, atq. virginibus cōplerentur, Cardinales plures ad eum confugientes veſtiret, atq. aleret: cōtrouerſias inter captiuos & milites ſua pecunia diſſolueret: cunctiſque vitæ periculo circumuentis, vadem ſe præberet; ita vt in ea fortunæ acerbitate captæ & euerſæ vrbi nihil Pompeii aduentu opportunius fuerit aut melius; nemo enim miſer ab eo fruſtra opem implorauit; nemo autem militum D metu, aut inædia compulſus, ſalutaris atque hoſpitalis domus foribus eiectus fuit. *Singulari* quoque animi magnitudine ſimultatum, & contentionum oblitus, non aduerſæ modo factionis nomine, aut peculiari ex cauſa veteres inimicos præſenti ope adiuuit: ſed Sanctacrucia etiam familia, à qua Hieronymum ipſius patrem interfectum diximus, nobilem matronam, eiuſq. filiam conſpicuæ formæ virginem ad ſe recepit, atque auro redemit. Vna in re tantum vindictæ libidinem effudiſſe eſt viſus,

quum

quum Clementis villam, ſub monte Mario, contra Miluium pontem incendi iuſſit, adeo vt Clemens ab ſumma arce fumantem ſpectans, ſenatoribus diceret, ſatis ęquo iure ſecum agere Pompeium, quòd eodem igne talionem redderet, quo Latina oppida deflagraſſent. Nec multis inde diebus Clemens conſumpto commeatu, ita vt aſinina etiam carne inuitatis quoq. quaſi ad ſolemnes epulas Patribus auidiſſimè veſceretur, deſperatiſq. omnibus effugijs, deditionem fecit: ea conditione, vt cuncta, quæ imperaſſet Cæſar, ſe facturum polliceretur, à quo dignas eius pietate, fideq. litteras expectaret: quibus ſtipendio militi perſoluto, ſibi ſacroſanctum Vrbis imperium cum libertate redderetur. Fruſtrà iam Feltrium, & Salaſſum atque Rangonum expectarat, vt admoto exercitu, expugnatiſq. munitionibus ipſe & Senatus arce eriperetur. Sed hi poſitis ad ſeptimum lapidem caſtris in iuga montis Marij excurrendo ſe tantum oſtentarant: atq. ita vt imperitis & miſeris, id vnum in ſupremo ſalutis diſcrimine facile cupientibus, iamiamque deſcenſuri, & munitiones aggreſſuri viderentur. Sed ea mente in conſpectum ſe dederant, vt quid hoſtes occupati præda, & in tanta rerum copia vino, libidine, ſomnoq. molliti facturi eſſent, proſpectarent: nec tamen periculoſi prę-lii aleam ſubirent. Quid enim ſtultius videri poterat ſanis & peritis ducibus, quàm iniquum in locum ſe demittere, & cum inuito hoſte, viribuſque haud dubiè, & loco atque animis ſuperiore, recentiq. præſertim victoria præferoci, collatis ſignis, in nullam ſpem proſperi euentus, de ſalute, libertateq. Italiæ dimicare? Itaque Feltrius ſalubri potius quàm honeſto conſilio, retro in Vmbriam iter flexit. Conflauit verò Clemens argentum omne, & aurea vaſa ſacrificijs dicata, vt inde diuidenda pecunia militibus cuderetur. Quæ quum ſatis eſſe non poſſet Cæſarianis ducibus, purpurei galeri tres conceſſi, vt illis licitantibus qui fœda ambitione corrupti, ad ſenatoriam dignitatem aſpirabant, aurum proferrent. Eo modo ad haſtam propoſitis, emptores non deſuere. Sed miles expleri non poterat, quum non menſtrua, ſed annorum aliquot ſtipendia, turbidi, inſolentes, & veſana feritate ducibus etiam terribiles flagitaret. Quum his difficultatibus angeretur, anguſtoq. arcis loco concluſus Pontifex, oborta & manante in familiares peſtilentia, de ſua ſalute dubitaret, Pompeius ad eum venit, inuitatus ab amicis ſenatoribus, depoſcenteq. præſertim Pontifice, quum is diceret, deſperatis auxiliis, ab vna Achillea cuſpide opem expectandam: Pompeium pręclarò deſignans, qui certiora remedia eſſet allaturus, poſtquam tantis cladibus initia præbuiſſe videretur. Erat Pompeius in aduerſis peruicax & indomitus; in ſecundis verò adeò tener, & flexibilis, vt commutatæ voluntatis gloria magnoperè gauderet, oblectareturque mirum in modum, vbi decus emineret, alterna elatione, depreſſioneq. familiarium ſuorum. Aliquo enim merito in gratiam aſcitos inductis demum ſuſpicionibus, extemplo repudiare, & corrupta propria libertate, odio perſequi erat ſolitus. Sed in his ęquiſſimo iure venit excuſandus, quum nonnulli ab eo ſacerdotiis, variis beneficiis liberaliter honeſtati, ingrati demum animo vti pecunia corrupti, in amore ac fide turpiſſimè defeciſſent. Suſceptus eſt à Clemente vultu ad hilaritatem maximè compoſito, nec ficto quidem, quum periculi magnitudo, & concepta ſpes ingens libertatis omnem penitus ſimulationem excluderent. Deplorauere tum veriſſimis lacry-
A mis euerſę vrbis calamitatem, ſacerdotalis dignitatis amiſſum decus, & denique communem inſaniam, cui pertinacius quàm ſacratis hominibus expediret, vſque ad conturbationem diuinarum atque humanarum rerum ſeruiuiſſent. Interea peſtilens morbus ex fętore cadauerum, & fame inęqualique cæli temperie ſubortus, multos Hiſpanorum abſumpſerat, & in his Antonium Gamboum, à quo templum Virginis Deiparæ ad Mineruam excruciatis fœdè Sacerdotibus fuerat direptum. Sed Germanicas legiones multiplicatis funeribus maximè deuaſtabat: allatumque erat Gallos Odetto Lotrechio duce tranſiiſſe alpes eo conſilio, vt vin-
B dicantis iniuriis, ſacroſanctum Pontificem, abrupta fide deceptum & proditum in libertatem aſſererent. Rex enim Franciſcus ſuopte ingenio maximè pius & generoſus pro dignitate Chriſtiani nominis, cuius ipſe titulum præferret, valde pulchrum & decorum exiſtimabat cuſtodia & carcere ſacroſanctum Pontificem eripere, atque impios, & execrabiles latrones, vti militum nomine indignos armis perſequi, qui ſceleratis manibus, templa, aras, ipſa denique ſanctiſſimorum Pontificum ſepulchra violaſſent. Implorauerat enim vndique opē Clemens demiſſiſſimis precibus à Franciſco Rege per Saluiatum Cardinalem Legatum atque item ab
C Henrico Britanniæ rege, ad quem Vbertum Gambaram miſerat: accendebat etiam Heluetios vehementer Ennius Philonardus antiſtes Verulanus, vetus apud eam gentem legatus; vel vno maximè argumento, quòd Iulius ſecundus ab inſigni beneficij accepti memoria eos honeſtiſſimi nominis titulo Pontificiæ libertatis defenſores appellaſſet. Nam Clemens ſatis ſuperque explorata Cęſaris voluntate, cū ſe in poteſtate barbarorum eſſe conſpiceret, neque ipſius ſalus atque libertas ad arbitriū Cęſaris reuocaretur, aliūde ſibi auxilium quęrebat. Per litteras namque, & nuncios propenſo Cæſaris animo vtebatur, ſed milites Germanique pręſertim
D minacibus oculis truces, efferiq. ſtipendia atque aurum depoſcebant. Quibus Cæſar non obſcurè indulgendum arbitrabatur, poſtquam tantis rebus geſtis, ſua præmia merebantur: putabat quoque ex conſcientiæ pudore Clementem vti grauiſſimis affectum iniuriis, vbi primùm cuſtodia libertatis euolaret, in omnem vindictæ libidinem ſeſe effuſurum, ita vt tantis adiunctis ſociorum præſidiis reſumpturus arma, & ad Chriſtianas imprecationes, di-

diraſque aduerſam ſe ſe deſcenſorus eſſe videretur. In his rei nummariæ difficultatibus coactus eſt Pontifex obſides dare, quos ipſi milites delegiſſent. Ii fuere Cardinalium propinqui, virique maximè pecunioſi Ioannes Marius Montanus Sipontinus, Honofrius Bartholinus Piſanus Archiepiſcopi, Antoniuſque Pucius Piſtorienſis, & Ioannes Matthæus Gibertus Veronenſis Epiſcopi: itemque Iacobus Saluiatus Cardinalis pater, & Laurentius Ridolphus Nicolai Cardinalis Germanus frater. Horum ſacratis manibus ferreæ catenæ ſtatim iniectæ, vinctique in Pompeiana domo cuſtoditi. Hos Pompeius videre aut alloqui humanitate ſua indignum putauit, ne cum præſtantes viros familiaritate ſuperioribus temporibus ſibi coniunctos, in libertatem vindicare non poſſet ad non dubiam inuidiam, eorum calamitate lętari videretur. Verùm per familiares ſuos id benignè & liberaliter præſtabat, vt nihil quod ad ſubleuanda prędure captiuitatis incommoda, triſtitiamque minuendam pertineret, omnino deſiderarent. Quum verò à Barbaris aurum immaniter ſupplicii metu iniecto exprimere properantibus, in Floræ campum ad furcas catenati latronum more traherentur, biſque ſenteotijs de eorum ſupplicio in corona militum graui, & infeſto concionis fremitu eſſet diſputatum: adeò Pompeius eo atroci illuſtrium ſacerdotum periculo, & Germanorum feritate commotus eſt, vt non multò poſt, ipſo commiſerante, & prorſus conniuente, per vaponarium foci tubum ſubleuati, extractique funeribus euaſerint, quum Germanos cuſtodes opipera in cæna, multo falerno conſopitos egregiè fefelliſſent. Tranſierat paulò ante Pompeius in Alphonſi Vaſtij domum, vt eius doli ſuſpicionem ab ſe penitus auerteret, & deceptorum & furentium impetum ſuà abſentia ſtultraretur. Horum fuga Clementem incredibili affecit voluptate, libertatemque eius magnoperè maturauit. Nam Germani ad nouas pactiones deſcenderunt, vt pecunia certius, & facilius expediretur. Audiebant enim Lotrechium properare, vt liberati ab ſe Pontificis gloria potiretur. Is ad Boſcum oppidum expugnatis Germanorum cohortibus Alexandria vrbe in poteſtatem redacta, & Ticino demum terribili tormentorum apparatu capto, direptoque Padum tranſierat t Parmæ atque Bononiæ aliquandiu ſubſtiterat, vt Heluetias, & Germanicas legiones expectaret: quibus receptis, per Togatam Galliam ad Truentum amnem contendebat. Aderant ei Venetorum copiæ: acceſſerant magni roboris auxilia Florentinorum. Ii enim ad famam capti Pontificis exciti ad arma, Mediceis adoleſcentibus Hippolyto, atque Alexandro Florentia eiectis, ſe ſe in libertatem vindicarant. Andreas quoque Auria Gallicę præfectus claſſis, ad Delphini portum Hiſpanicas triremes oppreſſerat, eiectiſque Adurnijs Genuenſes Gallorum imperium acceperant. Quibus de cauſis Cæſariani duces in propinquum ſummæ rerum diſcrimen adducti relinquendam omnino vrbem Romam, & hoſti obuiam eundum cenſebant. Id maximè cupiebat Pompeius quum patriam à barbaris funditus euerti conſpiceret, deformatis paſſim edificijs atque omni laquearium & tectorum exuſta materia collabentem, Sed negabant milites, Germanique præſertim, ſe ab Vrbe, Pontificiſque cuſtodia diſceſſuros, niſi ſtipendia ſoluerentur. Id verò ſe præſtare non poſſe aiebat Clemens, niſi cuſtodia A educeretur: capto enim ſibi atque alieni iuris facto, non credi à menſariis & publicanis, libero autem & ſuę dignitati reſtituto præclaram fidem rediuiua poteſtatis exiſtimatione confeſtim affuturam. Porrò Cæſar ab Hiſpania perplexè reſcripſerat, ſibi æquum videri vt Pontifex cuſtodia educeretur: ſed darent ipſi operam, vt aliunde militi ſtipendia præberentur, cauerentque, ne Pontifex ex captiuo liber, & hoſtis factus, ſi id vellet, partium conſiliis multum noceret. Interpretandis autem litteris, diuerſæ ſententiæ à ducibus dicebantur: Aurantius, Alarcon, Vereius B atque Moronus cautiores videri volebant. Pompeius verò, & Columnii omnes cohortantur, vt per honeſtam pactionem ſacroſanctum Pontificem carcere, ipſum verò Cæſarem infamia liberarent. Aduenerat Franciſcus Angelius præclarum de Cęſaris conſcientia, voluntateque teſtimonium ferens. Itaque Clemens mirificè adiuuante Pompeio, pecuniam à cupediariis ditibus impetrauit mutuam per Bernardum Sanctium Reatinum iuriſconſultum, Vrbis prætorem. Hunc Pompeius Anoierio Mottę Gallo collegam addiderat, vt miſeris ciuibus de vita & fortunis cum milite litigantibus præſi- C dio eſſet, atrocitatemque publicæ calamitatis humani iuris artibus emolliret. Franciſco demum Angelio inſigni adipiſcendæ libertatis authori purpureum galerum eſt pollicitus: itemque Moroni filio Epiſcopatum Mutinenſem dedit: conceſſit & ipſi quoque Pompeio Piceni legationem, omneſque promiſſis aut præſentibus donis, qui authoritate valerent, ſibi conciliauit. Præterea vt milites, ampliore pecunia mitigaret, Grimanum & Cornelium Venetos, Sanſuerinum, Caraffam, & Palmerinum Neapolitanos, Cardoniumque Hiſpanum, pretio legerat in Senatum: vt quæ ſan- D ctiùs, atque ſynceriùs Cæſari fidem obligaret, quinque Cardinales obſides dedit, è quibus Triuultius, Piſanus, & Gaddius Neapolim ſunt perducti. Vrſinum autem, & Cæſium ipſe Pompeius vadem pro his generosè admodum ſe præbens, ad Sublaqueanos receſſus perduxit, atque mature ingentibus munificentiæ atque humanitatis officiis obſtrictos dimiſit. Quum verò Pontifex amici pacatique animi data fide, atque ea tabu-

lis

lis confectis confirmata, exceſſurus arce, &
Orbitum Tuſciæ oppidum, comitante parte
exercitus, petiturus eſſet, Pompeius ei dono
dedit nobilem Turcam equum, itemq. inſignes
ſarcinarios mulos, & niuei coloris aſturconem, quo
ſacra arculę purpureæ incluſa cum perpetuo igne
Pontificibus maximis præferri ſolita veherētur. Sed
Pontifex mutato habitu, ita vt vnus ex familiæ
pręfecti familiaribus videretur, intempeſta nocte ex
arce, atque Vrbe exiuit, veritus ſi lucem expectaret
Vgonis Moncatę ſententiam, qui Lanoio peſtilentia
abſumpto Neapolitano regno pręerat, virque ab in-
genita ſubtili calliditate verſutus & varius, ab A
his facilè diſſentiebat, qui Pōtificē militum manibus
ereptum volebant, & Cæſaris inuidiam honeſtiore
decreto lenire cupiebant. Ludouicus autem Gōzaga
educendi Pontificis negotium ſuſcepit, feliciterque
perfecit, fruſtrà petente Aurantio, vt in itinere
ſubſiſteret, quum is è Galeria oppido vbi erat in
hybernis, tranſuerſo itinere ſalutaturus incertus
an retenturus cum ala equitum aduentaret. Pon-
tifice poſt ſeptimum menſem libertati reſtituto, Pō-
peius Neapolim contendit, vt bellicis partium cōſi-
liis intereſſet. Iam enim Lotrechius ferè totam Ita-
liæ longitudinem emenſus in Apuliam peruenerat.
Quo rerum periculo adducti Cęſariani, obteſtante, B
educenteq. Alphonſo Vaſtio, vrbē abſumptis omniū
fortunis, domibuſq. fœda tectorū ſtrage, deuaſtatā
reliquere. Diſceſſerat è caſtris Vaſtius ab initio
priuſquam Roma caperetur, nè ſceleratis militum
conciliis intereſſet: veneratq. deinde in Vrbem, vt
ſuo veteris imperii iure vteretur, frænataq. militum
licentia, vigiliiſque & ſingulis militiæ muneribus
ad diſciplinam reuocatis, in hoſtes legiones educe-
ret. Certatum ſubinde eſt equeſtri prælio ad Luce-
riam ſuperantibus Gallis, quo Martius Columna
adoleſcens alacriter pugnans, & ardentius excur-
rens eſt interceptus. Hunc Pompeius ex Octauiano
fratre genitum confeſtim mille aureis redemit, ſcri- C
pſitque ad eum, vt nihil ab eo incommodo innatæ
virtutis impetum remitteret, ſed etiam atque etiam
intrepidè progrederetur, aurum in promptu ſemper
futurum modò vti ea familia, & eo patre natum
deceret, ad parandam laudem & militare decus
eniteretur. Oſtentauit demum copias Lutre-
chius, & diſploſis in aduerſos tormentis, ſub
Troiæ vrbis colle pugnandi poteſtatem fecit. Sed
Aurantius & Vaſtius, Dorbino comprobante, ex
æquiſſimo loco in equam planitiem minimè diſcen-
dendum putauerunt. Nec accliuem locum Gallus
ſubiit Hetruſcorum auxilia expectans, quæ de
aduentu ſuo ſuper Apennini colles interdiu fumo D
& noctu ignibus ſignificabant. Cæterum in Cæ-
ſariano milite multum refrixerat vetus ardor,
illeque impetus celeritate audaciaque ſemper fe-
lix. Tanta enim ditati præda, & voluptatibus,
atque delitiis emolliti pauere vulnera, pręlii caſum
defugere, & præter cōſuetudinē nimia vitę cupidita-
te diſtineri videbantur. Vertere itaq. ſigna Nea-
polim, ſilentio motis caſtris per noctem profe-
cti. Nec Lotrechius abeuntium veſtigiis inſti-
tit, ſuadente Nauarro, vt Melphiam vrbem
valido firmatam præſidio prius expugnaret, quàm
hoſtes inſequeretur, ne obſeſſis demum itineri-
bus, commeatus eriperetur, qui Neapolim
oppugnaturis è Samnio foret expectandus. Dum
itaque Galli Melphiam magnis viribus expugnant
atque diripiunt, Cæſariani Neapolim conceſſe-
re: Lotrechiuſque demum in Vrbem vallatis ca-
ſtris conſedit, longa admodum inſtituto obſidio-
ne, nec intermiſſis quotidianis incurſionibus,
quibus ab initio aduerſus erumpentes adeò profe-
cit, vt interfecto Vereio Belga, qui liberandi
Pontificis decretum improbarat, Germani Hi-
ſpaniq. tumultuariis victi pręlis magnoperè terre-
rentur: nam primò ad Diui Antonii templum, ite-
rùmque ad Sebethi amnis munitiones, & demum ad
Pauſilippi montis cryptam quum interclusi fuiſſent
amiſſis multis equitibus, & duobus Germanicis ve-
xillis, intra Vrbē trepidè refugerāt. Acciuerat quoq.
Lotrechius è Liguria claſſem, Philippo Auria pręfe-
cto, vt hoſtes, ipſaq. Neap. terra mariq. obſiderentur
Nec dubitauere Moncata, & Vaſtius quin roſtratas
ſuas completas veterano milite ad pugnam educe-
rent. Concurrere terribili, & maximè cruento inito
certamine ad Vrſium promontorium, citra Salernū,
Cæſarianiſq. Ligurū virtute & nauali peritia ſupe-
ratis, Vgo Mōcata eſt interfectus: Vaſtius ipſe, & Aſ-
canius Columna equitū magiſter, in prætoria capti.
Cecidit & Cæſar Ferramuſca, qui perfidioſæ pacis
cum Pontifice author fuerat, & cum eo Hiſpano-
rum promptiſſimi. Deuenit & in poteſtatem hoſtiū
Camillus Columna Martelli filius, quē Pōpeius pe-
cunia maturè è manibus Ligurū redemit. Eo tēpore
Pōpeius Caietā ſe cōtulerat, vt inde cōmeatum ex-
pediret, Vrbē portūq. tueretur, & bellū in Mintur-
nenſi & Fundano aduerſùs Caietanos regulos admi-
niſtraret: multi enim regni proceres in Samnio, Lu-
cania, Brutiiſque, & Salentinis, Hiſpanorum odio, &
præſentis exercitus metu cōmutata volūtate defece-
rant, & caſtra Gallica ſequabātur, vt ſtudio Andega-
uenſis factionis alacriter oſtentato, in parāda victo-
ria Lotrechii gratiā promererētur. Per eos etiā dies
Pompeius ad ea belli detrimēta domeſtico vulnere
ictus, inſēſę Fortunæ acerbitatem ſenſit. Scipio enim
Colūna Marcelli fratris filius, cui Epiſcop. Reatinū
detulerat, quū iuuenili ardore exuta ſtriata ſtola, nō
cōtēnēdas copias ex amicis & clientibus cōparaſſet,
& in Marſorū finibus cum Neapoleone Vrſino, ętate
audacia, atque opibus pari collatis ſignis dimicaſſet,
in prima acie ceciderat. Sed eum dolorem adeò con-
ſtanter tulit, vt eum, poſtquam ita in fatis fuiſſet,
nequaquā honeſtius mortē opetere poſſe diceret cū,
aduerſus publicos, & priuatos hoſtes fortiter pugnā-
do pro Cæſare, & Columniæ familiæ dignitate ceci-
diſſet. Auctus ſubinde eſt Epiſcop. Auerſano, Clemē-
te proclinata iā fortuna belli, eum concedente, quo
Fabium Octauiano fratre genitum, tunc iuris ciui-
lis ſciōtię operam dantem honeſtauit. Interea graui
iam autumno lethalis morbus Gallorum copias in-

uaſerat, ex paluſtri nebula, & tetro caſtrorum odore haud dubiè conceptus, adeo multiplicatis funeribus, vt ipſe Lotrechius, & Valdemontius, qui ſuperiore bello dux fuerat, atque item nobiliſſimi alarum duces, & præfecti legionum, paucis diebus interierint. Exiere demum obſeſſi, tentatiſque prealtis hoſtium munitionibus, quum eas nemo armatus defenderet, in languentes, & lurida macie deformatos impetum fecere, perſecutique demum reliquias eorum via manibus atque humeris arma geſtantes ad Auerſam bello finem impoſuere. Capto Petro Nauarro, & Michaele Salaſio in A deditionem accepto, qui paucos poſt dies eodem morbo, ſimul & dolore animi, hic in libera cuſtodia, ille in carcere perierunt. Andreas quoque Auria quibuſdam offenſionibus inductus, mutata fide à Gallis ad Cæſarianos ſe contulerat, perſecutuſq. Gallicas triremes earum partem cepit: ingreſſuſq. Genuæ portum eiectis Gallis, veterem libertatem patriæ reſtituit. Fortuna itaque pro Cæſare vbique feliciter depugnante, Pompeius Neapolim venit, in conſilium grauiſſimarum rerum aſcitus ab Aurangio. Hunc enim Cæſar in Regni præfectura Vgoni Moncatæ ſuffecerat: querebaturque acerbiſ- B ſimè in eos, qui ſpe victoriæ partium Andegauenſium decepti, fluxa fide ad Gallos intempeſtiuè defeciſſent, ita vt damnatorum regulorum ingens numerus, publicatis eorum bonis atque oppidis fiſcum repleret, & plerique viri nobiles capitali ſupplicio punirentur: multi verò afflati ſuſpicione criminis, metu auariſſimorum iudicum in exilium abierint, quorum omnium oppida ad haſtam vendebantur: in his addicendis Aurangio plurimùm liberali, qui ſpectatam virtutem militum, donatiui nomine, ingentibus præmiis vel caſtigante Cæſare, ornandam ſuſceperat. In his Federicus Caietanus Honora- C ti filius, cum à Cæſare defeciſſet, vt paterna oppida à Columnijs poſſeſſa repeteret, Minturnenſibuſque arma intulerat, In foro ſecuri percuſſus eſt, Murconio eius patruo Pompeij precibus haud dubiè conſeruato, qui eandem damnationem ſubierat, & penè productus ad ſupplicij locum, ſimilem vitæ exitum expectabat. Attulit hanc gratiam miſero ſeni, ex veteris beneficij memoria, quòd vir generoſus viginti annorum ſpatio nunquam obliuione deleuerat. Quum enim iuuenis in Volſcorum ſyluis quotidiana conſuetudine venaretur, ab Honorati equitibus ex inſidiis captus, & Fundana in arce in imum turris D carcerem detruſus inſigni demum Marconii pietate mortem effugerat: quum Honoratus frater eum vti iuuenem præferocem, & Caietanæ familiæ infeſtum veneno tollere decreuiſſet. Seruum enim ſuum Murconius fideli obſequio facilè parentem, ſed confiſto damnatum crimine, in eundem carcerem demitti iuſſerat, vt Pompeium moneret, ne alio vteretur cibo, quàm eo qui ſibi ſportula demiſſus foret, humaniter interpoſita ſalutari mora, donec Honorati conſilia lenirentur. Nec multo poſt Pompeius ex morte Cardinalis Cardonii, Montis regalis in Sicilia inſigni ſacerdotio ditatus eſt, facilè id ingentibus ipſius meritis tribuente Cæſare. Eodemque anno quum aliquandiu in Brutiis, & deinde in Apulia cum Venetis, atque reliquiis Gallorum vario euentu eſſet dimicatum, pax inter Gallum & Cæſarem inita eſt: ex cuius legibus exceſſere Galli, & Veneti omnibus Apuliæ oppidis, & Rex Gallus liberos obſides, vicies centennis millibus aureorum perſolutis cum incredibili totius Galliæ lętitia incolumes recepit. Ea quoque ęſtate, inter Clementem, & Cæſarem amicitia renouata eſt, iis conditionibus vt Cæſar Margaretam filiam in cęlibatu ſuſceptam, Alexandro Medici iunioris Laurentii filio deſponderet: bellum aduersùs Florentinos ſuſciperet, vt Mediceis vetus in patria dominatus redderetur. Florentini enim natura Gallici nominis ſtudioſiſſimi, eiectis ſtatim Mediceis Lotrechio adheſerant: miſerant ad eum Neapolim auxilia validiſſimarum cohortium; profeſſique Gallorum amicitiam Cęſarianos cunctis opibus oppugnabant, nunquam futurum exiſtimantes, vt Pontifex tantis affectus detrimentis, & tantis iniuriis exacerbatus, animum ad Cæſaris amicitiam reuocaret. Venit inde in Italiam Cæſar triremibus ab Auria Genuam deuectus. Nec multò poſt Cæſar Bononiæ à Clemente ſuſceptus coronatuſque eſt ſolemni pompa, ipſo natalis ſui die, quum precibus Pontificis, Venetorumque, Franciſcum Sfortiam in complexum & gratiam recepiſſet, reddito ei Galliæ Ciſalpinæ imperio, de quo tantis inuectis cladibus, omni deuaſtata Italia dimicarant. Venerat per eos dies Solymanus ad Viennam oppugnandam, innumerabiles copias ducens. Sed ea Vrbe fruſtra, vtpote ſine tormentis muralibus oppugnata, & deuaſtato demum Norico, Pannonięque agro Byzantium redierat: ita vt Germanis, & Ferdinando Cæſaris fratri, qui Pannoniæ regnum armis petebat, grauiore fama quàm exitu formidinem incuſſiſſe videretur. His enim de cauſis Cæſar moderato animo victoria vſus, quòd ab armatis eripi nequiuerat, ęquitati & precibus ab eximia magnitudine animi conceſſit. Profectus eſt demum in Germaniam, tribuitque ſummam poteſtatem apud Neapolim Pompeio, quum Aurantius exercitibus in Ethruria pręeſſet. Integrum verò annum Florentini libertatem ſuam conſtantiſſimè defenderunt, bellum adminiſtrante Malateſta Baleone, callido, & forti duce, atque item Stephano Columna, viro vigilanti atque impigro; qui Gallię regis nutum atque imperiũ ſequi dicebatur. Binis caſtris vrbem obſidebant, à citeriore parte Aurantius, ab vlteriore verò Vaſtius, interfluente Arno. Erantque his in caſtris pręter Aſcanium, & Sarram ętate maiores,

Ca-

Camilli duo, & Martius Columnii iuuenes cohortium alarumque præfecti, tanta militati cum laude, vt Pompeius ea ſobole iam planè adulta, & ſtrenuè exercitata in caſtris, magnoperè lætaretur, Cæterum vertente ſe anno, Florentini ſame domiti deditionem ſecerunt, cum ipſorum auxilia, quæ ad opem ſerendam Piſis aduentabant, Aurantius in agro Piſtorienſi profligaſſet, Sed in ea tamen victoria ipſe dux cecidit, vacuamq. & liberam præfecturam regni Neapolitani Pompeio reliquerat, Itaque biennium in adminiſtratione rerum publicarum verſatus, cum in reddendo iure, recreandaq. prouincia, & pecuniis exigendis iuſtitiæ, humanitatis, & temperantiæ modum tenuit, vt cum ſeueritatem facilitate miſceret, & recentium cladium incommoda reſarcitet, publicæque ægeſtatis, & ærarii pariter cauſam tueretur; ſingularis ei apud omnes ordines laus pararetur. Exhauſerat enim Cæſar frequentibus tributis totius regni vrbes, Gallico etiam bello afflictas: ipſamq. Neapolim, quæ multo grauiora ab Hiſpanis & Germanis quàm ab ipſis Gallis hoſtibus detrimenta acceperat. Nec tamen deerant è Neapolitanis qui priuatam gratiam bono publico præferrent, & inuſitata rapacitate cogendæ pecuniæ rationes inueniret, vt ea barbari milites explerentur: qui & aliquot Campaniæ vrbes, inſigniaque opida auarè, & crudeliter diripuiſſent, Sed Pompeius vultu, ſermone, ſententia, expeditoq. conſilio ſupra quàm dici poſſit admirabilis, ſingulis rebus remedia celeriter afferebat; caſtigabat acriter Hiſpanorum arrogantiam: Neapolitanorum iuuenum inſolentiam frænabat: Procerum ſuperbiam ſeueritate præſentis imperij ita contundebat, vt ex magiſtratus poteſtate maximè timeretur: cum priuatus in colloquio, loco, venatione, conuiuio cæteros mortales exquiſita, & nobili morum iucunditate ſuperaret. Inerat enim ingenio eius faſtus planè regius, cum inſolenter vrgeretur: ex aduerſo autem ſiquid molliter poſtulares, ciuilis humanitas, adeò vt is omnium ſeueriſſimus ſimul atque leniſſimus haberetur, Mirificam etiam dignitatem rariſſimo quodam naturæ munere, in omni negotio actioneque ſemper afferebat. Erat enim amplo corpore, atque eo quidem animi ſimilitudine ad decus plurimum erecto, ſerena fronte, viuacibus oculis, pleniore ore, eloquentia verò tanta, vt in eo, cum expediret, Senatoria grauitas, libertas militaris, vrbana comitas optimarum litterarum, & veterum exemplorum conſperſa floribus ad admirationem eminerent. Sed eo irato nihil tumidius, aut truculentius: cui tamen amici & familiares ſemihoræ ſilentio feliciter occurrebant, adeò vt ipſe deferueſcente ſenſim iracundia, ſeſe ratione contineri, conſutarique æquo animo pateretur. Sed vbi negotium poteſtatis ac imperii decus reſpiceret, erat egregiè conſtans & inexorabilis, cum iuſtiſſimi regis perſonam omnino repræſentandam omnino arbitraretur. Adeo vt Ioannem Contumacium, qui populi Tribunus fuerat, falſi & peculatus reum, in foro prealta in furca ſuſpendi iuſſerit, cum ille ad mitiorem pænam haud dubiè in cuſtodia ſeruatus, crebrò, & impudenter, vt ſibi ius redderetur tanquam inſons, & iniquè detentus flagitaret. Comminatus quoque eſt Salernitano principi ſumma familiaritate ſibi coniuncto, tanquam reo leſe maieſtatis, ſupremi imperii vim, niſi extemplo maleficum hominem ad car-

A cerem ſtatuiſſet, qui è manibus præfecti vigilum elapſus, tanquam ad aſylum in domum eius perfugerat, Annibalem quoque militem Formianum, ignis pæna ſeuerè admodum affecit, quum impotenter, & graui quidem cum iniuria, adoleſcentuli pudicitiæ vim intuliſſet, quanquam in huiuſmodi flagitio, ſi vis abeſſet, ſepiſſimè conniuendum exiſtimaret, & eum non amatorem, ſed violatorem ingenui corporis ſe punire profiteretur. Detruncari etiam iuſſit læuam manum, dextra ægrè impetrata, honeſtiſſimo equiti Neapolitano, & qui tum in ala Camilli fratris filii militabat, cum ex iurgio gladium in atriis do-

B mus in altercantis caput ſine vulnere diſtrinxiſſet: idque vnum pænam deprecantibus amicorum præcipuis reſpondit: Ni ita feciſſet, veluti alita, auctaq. audacia quę Neapolitanorum animis inſita videretur, non defuturum qui cubiculo ipſius ferrum inferre, & ad cædem enudare minimè dubitaret. Seruauit tamen plurimos, cum ex ſeueritate legum capitis pænam meritos, ad triremes relegare eſſet ſolitus: egeſtati, iracundiæ, & corrupti etiam ſæculi licentiæ, plura omnino condonanda, militibuſque præſertim clementer indulgendum exiſtimans. Villam non lon-

C ge à maris littore qua in occaſum plaga illa hortorum amænitate pernobilis ad Cocceii cryptam extenditur, citriorum ſylua & marmoreis fontibus exornarat: in eaq. adeò multus erat, vt ſua manu agriculturæ periciſſimus, & ſemper purpuratus arbuſculas inſereret, ſpectanteq. populo, cum Neapolitanis hortorum amænitati impensè ſtudentibus, de vario ſeminum genere, deq. olerum nobilium, & peregrinorum florum plantatione diſſereret. Cæteras horas, ſobrinſque præſertim Muſis dabat, quibus adeò oblectabatur, vt & ſtilum feliciter exerceret. Compoſuit enim lepidis argumentis aliquot mi-

D nuta poëmata, in quibus Iſabellæ Villamarinæ Salernitani principis vxoris formas atque delitias elegantiſſimè depinxit. Hanc enim ſtudioſè colebat, atque ea ingenii libertate, vt nihil vnquam turpe à caſtiſſima fæmina cupiuiſſe teſtaretur. Scripſit demum grauiore conſilio, laboreque iuſtum volumen de laudibus mulierum à multis priſcæ virtutis exemplis atque orationis iucunditate eruditorum lectione digniſſimum: quòd ſe in honorem Victoriæ Columnæ

mnæ gentilis ſuæ compoſuiſſe dicebat : cui & non pari ſtudio , ob excelſam nobiliſſimi , eruditiſſimiq. ingenij virtutem, eximiamq. Chriſtiaoi animi pietatem ſeptem libros de vita & rebus geſtis Piſcarij mariti ipſius inuictiſſimi ducis dicauimus . Quum in publico negotio , priuatoque otio , intermiſſa repetitaq. ex occaſione clariſſimorum hoſpitum, venationum , aucupiorumq. & piſcationum voluptate lliberaliter frueretur ; ſeq. inuidiæ procerum ex ampliſſima regij imperii poteſtate expoſitum conſpiceret ( nam multi ex Hiſpanis & Belgis , ambitione , & ſpe quæſtus ad eius præſecturæ munus aſpirabant ) à Clemente poſtulauit , vt ſibi in Tuſculano ruſticati liceret . Reſpondebat Pontiſex ſe ſyncera fide erga ipſum poſt tantas clades in amicitiam receptum , dum vita ſuppeteret , inter præcipuos habiturum , modò Vrbem potiùs quàm rura colere , & ſenatoriis muneribus intereſſe vellet . Sed Pompeius nullam ſulpicionem de ſalute ſuperfluam ratus , nullis pignoribus ; aut vadibus adduci potuit , vt ad Vrbem regrederetur. Nec multò poſt Cæſare è Germania ad Pannoniæ fines properante aduerſus Solymanum , vt vniuerſis copijs cum rege Barbaro dimicaret , Pompeius Camillum & Martium fratrum filios cum delectis peditum cohortibus in Germaniam miſit , duce Vaſtio, qui veteranos Hilpanos, & legiones Italicas ad Cæſarem perducebat. Inciditq. paucos poſt dies in morbum ab initio contemnendum, ſed qui mox occultis inſidiis lethalis atque ſupremus fuit . Vtebatur à prandio ſtatim æſtate pariter atque hyeme, frigidę potu ardente ſcilicet ſtomacho, qui à multo calore vel prædura cibaria perficere ſolitus erat , Sed vinum ineunte ſtatim ętate niue è Samniis mõtibus quæſita affatim miſcebat, fruſtra damnaotibus medicis, quorum placita ſerio & ioco , vti ancipitia atque incerta ſæpiſſimè reſellebat . Comederat & biferas ficus indulgenter. Itaquę vixdum paratis remediis , permeante ad præcordia ſeruidæ ſebris veneno ad 4. Kal. Iulias , integerrimis ſenſibus è vita diſceſſit : ita vt in eo feſtinatæ mortis curſu , vitæ exitum intrepidus ſentiret, commendaretque animum ſuperis: nec vlla ſe grauiore moleſtia affici diceret, quàm quòd aore diem exactæ ętatis , præoccupante fato , familiaribus gratus eſſe nequiuiſſet ; cogeretur que diſcedere inuitus ex eo eruditorum , iocundiſſimorumq. amicorum cætu, quo ſe tum maximè incomparabili percepta voluptate plurimum oblectare cœpiſſet . Aderat enim expiranti Auguſtinus Niphus Sueſſanus è ſecta Ariſtotelis Philoſophorum ætatis noſtræ celeberrimus, & pleriquealii viri graues in liberalibus diſciplinis cum laude verſati, qui morientem, vti patronum inexhauſtæ liberalitatis , parentemq. omnium veriſſimis lacrymis luxerunt. Intempeſtiuus enim videbatur interritus quòd nondum quinquageſimum tertium ætatis annum expleuiſſet. Nec defuere qui veneno ſublatum ſuſpicarentur perfidia Philippi Galli , qui ab ætatis flore , & muſicę artis peritia domino charus, epularum demum ſtructor euaſerat, & à Pontifice patrati ſceleris pręmia expectiſſe dicebatur . Sed tum medici, & pollinctores, exenterati viſcera nullo veneni inditio notata retulerunt . Nec ad mortis nuncium Clemens vllum omnino lætitiæ ſignum vultu prætulit, quamquam à ſacerdotio valdè opulento , inſignique inter Senatores officio adornandum Hippolytum Medicem ei perampla hæreditas obueniret . Verùm ſeuerè contraxit frontem, vel ob id quòd Pompeius eodem anno meoſeque , quo ipſe natus immaturè atque hominum opinione celeriùs è vita diſceſſiſſet , cum prælertim tanta vis ſpiritus, & ea quidem aduerſus

A morbos indomita , robuſto in corpore vigere videretur . Magnoperè enim Clemens ex alienis fatis omine concepto, mortem timebat, cum alioqui nihil ſaluti molliter indulgendo , vitam contemneret. Prorupit tamen in longos ſermones de Pompeii moribus ex animo iudicium ferens, cum honeſtiſſimi viri, qui tum aderant , amore vel odio mortui famam diuerſis ſententiis excuterent ; & ipſe ante omnes Pompeium ab eximiis ingenii , naturęque dotibus verè magnum fuiſſe teſtaretur, ſed aculeatè ſubiungeret, Pæni Annibalis exemplo, vel maximas eius viri virtutes, ingentibus vitiis adęquari . Appellarant enim eum nonnulli ingenio repenti-

B num, & inconſtantem, natura factioſum, & tumidum, conſilioq. maximè vaſtum, & libidine adeò intemperantem, vt cum liberos ſuſcepiſſet , illicitis etiam amoribus deſeruiret . Ego certè qui fortè ſermonibus intereram, multa ex his ad calumniam ſupra ęquum adaucta ab inimicis arbitrabar, reuocabam item ad memoriam ferè omnia quæ vir ille ab ineunte ętate , in lorica pariter, & purpura, ad extremum vſque vitæ actum ſtrenuè atque magnificè peregiſſet, ita vt ab incomparabili maximarum virtutum concurſu memorabile poſteris eius nomen futurum putem : cum nemo hodie in toto diuinarum, atque humanarum rerum officio, laudan-

C dum , admirandumque ſe offerat, vel magnitudine animi, vel perſonæ dignitate , vel authoritate nominis, vel deniq. diſciplina, ſplendore, fortunaq. Pompeio maior & illuſtrior, modò odium faceſſat, decedat inuidia virtutis comes, omniſque ſimultas humaniter ipſo ſaltem vitæ exitu terminetur.

Ad purpuram reſtitutus vltima die Auguſti 1529. à Clemente VII. qui 21. Nouemb. 1426. eum ſpoliauerat ; præfuit Epiſcopus eccleſiis Reatinæ, Interamnenſi in Vmbria, Catanenſi ac *Montis* Regalis in Sicilia, Acerrenſi. Roſſanenſi, *Aquila*næ, Potentinæ, Auerſanæ, & Montis Marrani in regno Neapolitano , ac Sarſinenſi ſub *Archiepiſco*-

D po Rauennate . Iouius qui eius vitam à nobis tranſcriptam deſcripſit, in Elogiis, de *hoc* Cardinali ita iudicium abſoluit . *Ambiguam* equidem famoſi nominis ſui laudem .

25. *Vidi*

25. *Vidi ſeruos in equis; & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.*
Eccleſ. 10,



SCaramutia Triuultius, nobilis Mediolanenſis, Comitis Ioannis Triuultii, & Maghinæ ſeu Margaritę ex Comitibus Valpergiæ filius, Iuriſconſultorum ſui ſæculi Princeps in Ticinenſi gymnaſio, Legum diſciplinam ea laude docuit, vel in Patauino Lyceo (teſte *Garimberto*) vt à Ludouico XII. Gallorum rege in regni Conſiliarium aſcitus ſapientiam non minùs, quàm integritatem in præclaro munere Regi teſtatam reddidit; vnde eius ſtudio Sacerdotium S. Stephani à Cornu, & Comenſem adeptus eccleſiam, poſſeſſionem ſubijt 7. Idus Septemb. 1509. comitantibus quamplurimis Mediolanenſium nobilibus apparatu honorifico, cum Antonio fratre Epiſcopo Aſtenſi, & poſtridie Deiparæ natali ſacra, in eccleſia maiori, magno mortalium cætu, ſacris operatus veniam delictorum omnium, adſtantibus indulſit ex diplomate Iulij II. P. M. Ibi cum eſſet moribus facilis, ſtatura procera ſed gracili, oreque macilento, ab omnibus adiri permittebat, nemini occluſis ianuis, allocutores ſedere volebat, benignè ſapienterque audiens. Solus nunquàm comedit, ſed ad menſam optimos quoque ordinis laici, vel Eccleſiaſtici, popularis etiam è Comenſibus habere voluit, conuiuia lautè & opiparè inſtruens more Gallico. In menſa quemlibet loqui permittebat; & ſi quid bonarum litterarum in medium adduceretur, totis auribus admittebat, ſententiam ſuam proferebat; vel id ex Theologicis peteretur, vel ex Hiſtoria, aut Legibus ipſis, aut Mathematicis diſciplinis, ſeu etiam linguarum varietate; quare viros doctrina claros frequentes ſemper habebat. Iuriſprudentiam tanti fecit, vt quamuis ex primaria Mediolanenſium familia natus, poſteros ſuos ne aliis itineribus, quibus ipſe ad ſummam ſcientiæ gloriam peruenerat, ſe committerent, erudiuit voluitque Triuultiorum familiam non minus Legum ſcientia, quàm armorum gloria cohoneſtari. Poſt aliquod tempus, Como in Galliam reuerſus, carus Ludouico Regi ob diuini, & humani iuris ſcientiam, mores optimos, & vitæ integritatem, quam publicè & priuatim præferebat. In Iulium II. R. P. conflato ſciſmate, Piſanum conciliabulum ipſo indicente Rege Ludouico, Papa vocante Romam venit Cardinalibus transfugis alienus Concilio adſuit Lateranenſi etiam ſub Leone X. in cuius monumentis Scaramutia Comanus ſæpiùs appellatur. Ab eodem Leone X. Referendarius dictus Apoſtolicus, poſtea Cardinalium promotione quinta, die 26. Iunij 1517. Card. Presb. tit. *S. Cyriaci in Thermis*, nullo Principum intercedente, ſed ſola virtute & dicendi libertate, ob quam à Leone X. ſine rubore præteriri non potuit. Cum enim Auguſtinus Triuultius Scaramuciæ agnatus Cardinalis deſignatus fuiſſet die poſtera publicandus, Scaramuciam certiorem fieri voluit ex odio magis & æmulatione, quàm ſanguinis vinculo. Propterea Scaramutia iniuriam graui ſale rependens, reſpondit: *eam ſibi ſuæ promotionis eſſe lætitiam, quòd in teſtimonium gaudij, libros omnes volebat comburere*. Eodem tempore virtutem à Pontifice accuſans præteritam; & ſi-
A mulationis redarguens Auguſtinum. Quod cum Pontifici innotuiſſet, qui triginta Cardinales creandos deſignauerat, adiecto etiam Scaramucia, vnum ſupra triginta publicauit. Ludouicus ipſe Francorum Rex verecundia ſuffuſus Auguſtinum præterito Scaramutia, ſuis litteris commendaſſe, regni Protectorem declarauit, errorem corrigens. Quo in munere pariter Scaramutia laudis punctum tulit. Rexit Epiſcopus præter Comenſem, etiam Viennenſem, & Placentinam eccleſiam, quam poſt tres Annos Catalano Triuultio ex fratre nepoti reſignauit. Pulſis ex Italia Gallis, Scaramutia Romæ agens, à Franciſco Sfor-
B tia Mediolani duce redditibus ſpoliatus ſuorum Sacerdotiorum, eos longo tempore deſiderauit. Capto namq. Rege Franciſco in obſidione Papienſi; Hiſpani occupato Mediolanenſi ducatu, redditus reſtituere recuſarunt. Anno verò 1527. bello furente inter Carolum V. & Clementem VII. R. P. dux Borbonij, qui à Gallo deſecerat, Germanorum & Hiſpanorum copijs Romam Mediolano mouens, rerum futurarum præſagiens Scaramutia, venia impetrata Pontificis, collectis ſarcinis in agrum ſeceſſit Veronenſem; vbi in cænobio, quod vulgo *Maguzani*, vel *Magenzani* appellatur; deceſſit die 9. Auguſti 1527. ibidemq. ſepultus ſine
C vllo epitaphio.

Ciacon. Garimb. Panuin. Sanſouin. *de Nobil. Italia*. Cabrera. Victorel. Vghel. Ioanninen *in Monarchia Medicea*. Auberij. Contelor.

26. *Et Mundus eum non cognouit.*
Io: Cap. 1.

HAdrianus Florentinus, natu Belga, patria Traiectenſis, ex Epiſcopo Dertuſenſi Presb. Card. *SS. Io: & Pauli*, die 26. Iunii, 1517. Papa futurus nomine *Hadria-*
D *ni VI.*

27. Diſſi-

Scipio Amirat. Panuinius, Paris de Graſſis *in Diarijs*,

*27. Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.* Luc. 15.



ALoyſius Roſſius, vel de Rubeis Florentinus ex Leoneto equite nobili, & Clariſſimo ciue, nepos ex ſorore naturali non legitima Leonis X. R. P. Florentiæ natus teſte Ciaconio, An. 1479. cum alijs 1474. A Eius parens cum pecunia decoxiſſet Bancalem, vel collybiſticam, quam Medicei in Gallia ſub eius directione expoſuerant, Florentiæ tanquàm decoctor carceri traditus ibidem detentus iacuit vſque ad obitum Laurentii Medicei. Hoc tempore Aloyſius tanquàm collactaneus Ioannis Cardinalis Medicei cum educaretur, huius fauore plures redditus occupauit eccleſiaſticos, quos omnes aleis inſumpſit luxurioſè viuendo odioſus omnibus & irriſus etiam ab eodem Cardinali, qui ob vitam inhoneſtam ſæpè eum redargueret, ſed ſemper incaſſum. Veruntamen Fato tanto altiùs premouente, quanto deiectiùs vitia deprimebant; in Papam aſſumptus Mediceus in eam populoſam Cardinalium promotionem, qua vnum ſupra triginta purpura cohoneſtauit, etiam Aloyſium protecit; qui libertinus de vita nihil remittens incontinenti, & infami, in cœno mori voluit, vitio abſumptus, quod ipſe inſumere non valuit, vel non voluit. Romæ obiit in palatio Apoſtolico, Presb. Card. tit. *S. Clementis*, ac Datariæ Præfectus, die Veneris 20. Augusti; 1519. cum annum ageret 45. & ad S. Petrum ſine vlla funebri pompa ſepultus, cum inſcriptione ſequenti ab eodem Leone X. R. P. poſita,

*Aloyſio vetuſtiſſima ac nobiliſſima Roſſiorum Florentia familia orto, ob eius in Mediceam familiam affinitatem, fidem, & obſeruantiam Leoni X. P. M. apprimè grato, ob eius ingentes animi, corporiſque dotes in Cardineum Senatum adſcito; & mox cum totius Romana Curiæ luctu immaturè perempto, idem Leo X. P. M. temporaneum monumentum, donec in patriam ſepulchro tanto viro digno tumulandus portaretur, fieri fecit,* C

*Obijt An. Dom. MDXIX. Menſ. Aug. die XX.*

Corpus Florentiam relatum, & in eccleſia S. Felicis à gentilibus tumulo extructo marmoreo ſepultum ſequens habuit epitaphium,

*D. O. M.*

*Aloyſio Roſſio Cardinali*
*Pij Gentiles hoc meritis nec ſatis poſuere*
*Vixit An. XLV. Obijt An. D. MDXIX.*

Ciaconius, Vghellus, Garimbertus, Contelorius, Iacob. Nardi *hiſtor. Florent.* Auber.

*28. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ*, Pſal. 127.



FRanciſcus de Comitibus natu Romanus familia illuſtri Iacobi, ſeu Vallimontonis filius, & Eliſabethæ Caraffæ, in ciuilibus rebus apprimè verſatus, ex Archiep. Compſano Presb. Card. *S. Vitalis, tit. Veſtinæ* die 26. Iulii 1517. Collegii Cardinalium ſigilli cuſtodiam accepit, & in compenſationem pecuniæ, quam ei debebat Camera Apoſtolica, penſiones quas ratione ſalis ſoluere tenebātur Communitates Carpineti, Gurgæ, Gauignani, Poli, & Rocchę de Maſſimo. Incontinentes liberos procreauit naturales Octauium, Camillum, Martium, Ioannem, quibus vt ſecurè prouideret, hæredem ſuum inſtituit callidè Leonem X. R. P. eique filios ſuos commendauit naturales, cum nepotes ex fratre legitimos haberet Marium, & Euandrum. Leo verò caſtra Carpineti, Turriculæ, Gurgæ, Prunonis, Gauignani, ac Teuimentum Villæ magnæ portionem paternæ hæreditatis filiis donauit naturalibus eiuſdem Cardinalis, ac ſucceſſoribus maſculis in perpetuum. Obiit Franciſcus in oppido Turrichii, diæceſis Veliternę, die Lunæ, 5. Iunii, 1521. Corpus Romam delatum in eccleſia quieſcit S. Vitalis.

Ciacon. Panuin. Victorel. Auber. Contelorius.

*29. Conſtituit eum dominum domus ſuæ: & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Pſal. 104.



DOminicus Iacobatius, patritius Romanus, Chriſtophori Iacobatii de Faceſchis filius tres habuit fratres, & ſex ſorores. Ex fratre Iacobo tres ei nepotes & hæredes, quorum vnus Chriſtophorus: ex ſorore verò Hieronymos Verallus nepos à Paulo III. Cardinales creati. Ex ſorore Maria neptem habuit matrem Ioannis D Baptiſtæ Caſtanei, futuri Pontificis nomine *Vrbani VII.* Ingenii Dominicus præſtantiſſimi diſcēdi ardorem minimè à pietate ſecernens, in Cæſarei, & Pontificii iuris ſcientia longè proceſſit. Aulæ aduocatus Conſiſtorialis An. Sal. 1485. dictus ab Innocentio VII. deinde Rotæ Auditor Romanę ab eodē renuntiatus Anno 1493. die poſtea 6. Iulii 1498. ab Alexandro VI. tanquàm Auditorum Princeps vnà cum Dominico Brigantio eiuſdem Rotæ Auditore delega-

legatus pro pœnitentia iniungenda Maranis Romam ex Luſitania profectis reſipiſcentibus; & ad ſcelera caſtiganda Pauli Monilię Magiſtri Sacri Palatii, nec non Vrbani Præfecti ſcelera ſponte confitentium, iuſtè munus impleuit ſibi commiſſum. Anno verò 1503. Canonicus Vaticanæ Baſilicæ, mox Epiſcopus Lucerinus Synodo adfuit Lateranenſi ſub Iulio II. & Leone X. cuius occaſione ſcripſit; vel occaſione Piſani Conciliabuli.

*De Concilio*
*De Loco Concilij*
*Ad quem ſpectet congregare Concilium*
*Quando Concilium ſit congregandum*
*Quales debeant interuenire Concilio*
*An Papa authoritatem habeat à Concilijs generalibus; & an Cōcilium poſſit reſtringere Papę authoritatem.*
*An Cardinales, qui diſceſſerunt à Papa poſſint congregare Concilium.*
*An Papa poſſit accuſari de hæreſi*
*Ex quibus cauſis, & quomodo poſſit Papa deponi*
*De appellatione à Papa ad Concilium*
*De Donatione Conſtantini Imperatoris*
*De Vtroque gladio in Eccleſia.*

Romani prætor gymnaſii, & Pontificis in Vrbe Vicarius eximiis animi ornamentis emicuit, religioni addictus, pudicus, caſtus, iuſtus, prudens, ocii oſor, litteratorum amicus, Apoſtolicæ auctoritatis cultor, in cibo potuque frugalis, in omnes ſed præcipuè in pauperes munificus, litterarum decus & pręſidium ſeueritatem cum hilaritate, grauitatem cum ſimplicitate, maieſtatem cum humanitate coniunxit tanquam virtutum concentum harmonicum, qui poſteris exemplum eſſet & documentum. Principes tantę virtutis fama illecti, rerum ſuarum curam apud Pontificem illi fidebant, eorum Legati ſæpiſſimè eundem adibant, quem C ingenio, eloquentia, doctrina, puritate, iuſtitia, auctoritate, ardore benefaciendi præditum cognoſcebant; diem namq. perdidiſſe, cum aliquem ſibi beneficio non deuinxiſſet, diceret, ianuam omnibus apertam voluit etiam hominibus infimæ ſortis, quos omnes hilari excipiebat vultu, neminem dimittebat triſtem; priſcum generis ſplendorem eruditione, hanc morum candore, omnia inſigni modeſtia quaſi laurea coronauit. Quare *Iulius Simon* in triumpho Muſarum apud Victorellum Dominicum inter doctos Patres nobiliſſimum, inter nobiles doctiſſimum, inter vtroſq. optimum, inter omnes modeſtiſſimum, *Sanctiſſimum* appellauit. D Cænans, prudens lectione animum recreabat, viros doctos admittebat, enigmata proponebat, explicantes præmio afficiebat. Hunc Leo X. in Cardinalium electione facta die 26. Iunij, 1517. cum ſine rubore præterire haud poſſet, Presb. Card. adlegit tit. *S. Laurentij in pane & perna*, teſte Ciaconio; vel *S. Bartholomæi in Inſula* cum Contelorio, quo relicto *S. Clementis*, poſtea *S. Apolinaris* obtinuit.

Præter Lucerinam, Maſſanæ, Groſſetanæ in Hetruria, Caſſanæ in Calabria adminiſtrauit eccleſias. Leo Roma diſcedens Vicarium conſtituit Dominicum in Vrbe, vt ex Leonis epiſtola ad Iacobatium data. Comitiis adfuit Hadriani VI. Clementis VII. in quibus Pompeius Card. Columna conatus eſt Iacobatium in Pontificem exaltare. Romæ obijt plenus meritis, die 2. Iulij 1527. vel cum Ciaconio, menſe Ianuario 1528. ſepultus in ęde S. Euſtachij, in principe tribunæ loco, vbi adhuc inſignia conſpiciuntur Iacobatia. Carolus verò Cartharius in eccleſia S. Triphonis ſepultum A fuiſſe contendit, vt idem iuſſerat in ſuo teſtamento, eo in ſepulchro, in quo oſſa genitoris iacebant. In tabulario tamen Vaticanæ Baſilicæ hæc leguntur: *Dominicus Iacobatius Rom. à Pio III. per obitum Io: Bap. de Glande Canonicus S. Petri factus die 16. Octob. 1503. poſſeſſionem eſt adeptus, & tenuit Canonicatum An. 13. Menſ. 8. dies 15. A Leone X. ob inſignem iuriſprudentiam & vitæ integritatem ex Ep. Lucerino, Rotæ Aud. & Can. S. Petri Cardinalis factus tit. S. Laur. in Pane & Perna: Andreæ & Chriſtophoro Iacobatijs in eadem Baſilica Canonicis, alteri paulò ante Cardinalatum Lucerinam eccleſiam dimiſit; alteri verò Canonicatum S. Petri poſt adeptum pileum. Obijt ſub Clem. VII. Anno* B 1528. *clariſſimis doctrinæ ſuæ relictis monumentis, ſepultus in eccleſia S. Euſebij.*

Ciacon. Panuin. Vghel. Victorel. Auber. Franc. Maria Turrig. *de crypt. Vatican.* Contelor. Ludouic. Donius d'Attichii.

30. *Dixit Moyſes: Faſciculum hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumq. poſtem: nullus veſtrum egrediatur domum ſuam. Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumq. viderit ſanguinem in ſu-* C *perliminari, tranſcendet oſtium domus veſtræ.* Exod. 12.



LAurentius Campegius nobilis Bononienſis in Italia, Ioannis filius die naſcitur ſeptima Nouembris 1472. virtutis, atq. integritatis legitima proles patris Ioannis, & aui Bartholomæi, qui cum Canetulorum factionis haberetur, quæ tunc cum Bentiuolis de primatu certabat, à Canetulis interfecto Annibale Bentiuolo, etiam ab hoſtibus laude dignus eſt iudicatus: ſiquidem à Bentiuolæ factionis hominibus cęde Baptiſtæ Canetuli, morte Annibalis vindicata, cum victores per vrbem diſcurrerent, & domos inſpicerent hoſtiles, ad domum peruenere Bartholomæi abſentis, ad quam deprædandam cum ſignifer ſubſtitiſſet; cæteri repentè acclamarunt: *Vir probus eſt, neminem læſit; ſalua eius domo ad*

*alias tranſeamus* . Ex hoc Bartholomęo naſcitur Ioannes Campegius , qui Bononiæ ſub Alexandro Imolenſis , deinde Piſis ſub Franciſco Aretino , iuri operam dedit , tantique nominis euaſit , vt nondum Doctoris inſulis inſignitus ad ius docendum à Papienſibus poſtularetur ; apud quos annis decem leges maxima Auditorum frequentia profeſſus , eius perecelebri ſama adducti Veneti ſtipendio longè maiori Patauium conduxerunt , In Vrbem venienti occurrerunt Magiſtratus ( teſte Guido Pancirolo *de Claris legum Interpret.* ) quod niſi Regibus , & ſummis Pontificibus dari conſueuerat ; vt nulla hominum memoria profeſſorem honorificentiùs Patauium acceptum viderit , teſte Sabellico *lib. 7. Exemplorum c. 5.* Ibi per decennium Ius Cęſareum tanta apud omnes gratia & exiſtimatione docuit , vt præſtantiſſimos I. C. Bartholomęum Socinum , & Iaſonem Maynum maiores natu , & nominis celebritate ac honorario ęquaret , Iaſoni tandem cùm Veneri maiora quàm Ioanni ſtipendia conſtituiſſent , ipſe qui ſuperiorem ferre non poterat Bononiam diſceſſit , quò cum magnus auditorum numerus ſe contuliſſet , & qui Patauii remanſerant , ingenti eius deſiderio tenerentur , Veneros non auxiſſe ſalarium pænituit , Quare eodem , quod Iaſoni , qui iam ab ipſis diſceſſerat , ſtipendio præſtito Patauium reuocarunt . Poſt Annos quinq. ſtipendium , quod octingentorum aureorum erat , ad mille adauctum eſt , quod ei primum conceſſum , & Iaſoni negatum fuerat .

Ex tanto genitore Laurentius paternæ hæres virtutis , & ipſe annos tantum natus nouemdecim Patauii , & Bononiæ ius Cæſareum incredibili auditorum admiratione docuit . Bononiæ poſtea vxorem duxit , ex qua liberos quinque legitimè procreauit Laurentius , inter quos Alexandrum nomine Cardinalem S. R. E. futurum ſub Iulio III. Fratrem habuit Thomam Campegium Epiſcopum Feltrenſem , qui Concilio adfuit Tridentino , ea prudentiæ , & ſcientiæ laude , vt poſt obitum Pauli IV. quaſi Pontifex crearetur Romanus .

Laurentius porrò defuncta coniuge , adminiſtratis patriæ ſuæ omnibus Magiſtratibus , vniuerſo populi plauſu ob ſuam integritatem , & iuſtitiam , Bononiam reſtituit Iulio II. cuius ſanè leges non recepiſſent , quamuis Franciſcus Marchio Mantuanus , & Cardinalis de Fois eò miſſi , vt reconciliationem Bononienſibus ſuaderent , omnem mouiſſent lapidem , vt voti compos Iulius fieret . Hinc gratitudinis ergo ab eodem Iulio Auditor creatus Rotæ Romanæ , & poſt ſex menſes ad Maximilianum legatus Imperatorem , vt à Piſano Conciliabulo ſuos reuocaret Legatos , & Romam mitteret ad Lateranenſe Concilium ; poſt graues repulſas , & inauditus ianuam Cæſaris pulſaſſet , reuocationem impetraui tandem , fœdere non obſtante inito inter Maximilianum , & Ludouicum XII. Gallorum Regem , vnàq. miſſionem Gurcenſis Epiſcopi , qui cum Laurentio Romam venit , vbi expeditis arcanis ſuæ legationis , vitam cum meditaretur priuatam , Epiſcopus electus Feltrenſis die 12. Nouemb. 1512. iterumq. legatus ad Maximilianum Sfortiam Mediolani ducem , cognita dum ibi ſubſiſteret Iulii II. morte , cum occupatione Parmæ ac Placentiæ ab Hiſpanis facta , ducis Inſubris nomine ; Laurentius ( ita mandante Leone X. nouo Pontifice ) reſtitutionem vrbium poſtulauit , ſuaq. prudentia obtinuit magna populorum lætitia , quibus præfectus iuſtitia , & annona gubernauit , donec ſecundò ad Maximilianum legatus imperatorem

A pro ineunda Italię pace , per quadriennium Germaniam cum ipſo Cæſare peragrauit omnium particips arcanorum , ea nominis exiſtimatione , vt in promotione Cardinalium à Leone X. facienda die 26. Iunij , 1517. eodem poſtulante Maximiliano Imperatore , prælatus fuerit Franciſco Sfortiæ Barenſi Duci , & tit. *S. Thomæ in Parione* Presbyteris Cardinalibus adiectus ; quo titulo relicto , illum *S. Anaſtaſiæ* , mox *S. Mariæ Transtyberim* obtinuit Anno ſequenti , cum arma mouere in Turcas Papa decerneret , ad excitandos Anglos Laurentium miſit . Ibi Cleri prolapſos errores ex Legati cenſura corrigere tentans , magnam eo

B nomine apud Regem collegit gratiam , ita vt Abaco donatus aureo , & argenteo , cum palatio , quod Romæ iam extruxerat Cardinalis Cornetanus , Saresberienſis promoueretur Epiſcopus , Romamq. reuerſus , Signaturæ gratię præſerretur ab Hadriano VI. donec tertio à Clemente VII. in Germaniam miſſus contra Lutherum ad conuentum Norimbergenſem , & Bononienſi honeſtatus Archiepiſcopatu , Bononiam adiit prid. Idus Februarii , 1524. ſolemni pompa vrbem ingrediens : inde 16. Kal. Martii prima ſacra in Baſilica fecit Cathedrali ; tum ad ſepulchrum progreſſus D. Dominici reliquias veneratus , indulgentiis inſi-

C gnitas reliquit . Demum ad conuentum profectus Norimbergenſem obuiam habuit omnes ferè Principes , ipſumq. Ferdinandum Archiducem Cæſaris abſentis fratrem , qui Laurentium rogarunt , ne ſolitis ac ſolemnibus Legatorum cæremoniis vrbem ingrederetur , quòd populus maiori ex parte Lutheri errores amplexus , ab eo contumelia potiùs , quàm reuerentia excipi poſſet ; inſignibus ergo depoſitis , veſtitu communi ingredi paſſus , quòd etiam Auguſtæ Vindelicorum turmam offendiſſet puerorum demonis larua , qui imaginem Cardinalis per compita trahebant . Cum autem in conſeſſu perorаſſet contra ſectam Luthe-

D ranam , Hiſpano plaudente Oratore , ac poſtulante vt ſententia Leonis X. ac Cęſaris decretum Vvormatiæ editum executioni daretur ; diſtractis iam Principum animis in diuerſas Religionis opiniones , nil aliud factum , quàm agendum cum Pontifice , vt citius in Germania liberum congregaretur Concilium ; cuius auctoritate ortæ de Religone decidcrētur difficultates . Solutis comitiis ; Ferdinādus Archidux , & Campegius operæ pretium rati , ſi cum Principibus conuenirent Catholicis , conuētu Ratiſbonæ

bonæ habito circa feſtum S. Io: Baptiſtæ, An. 1524. cui præter Ferdinandum, & Campegium adſuere Cardinalis Archiep. Satzburgenſis, Ducis Bauariæ fratres, Epiſcopi Ratisbonenſis, & Tridentinus cum quorundam aliorum legatis, initoque fœdere, die 6. Iulij, executionem decreuere Vvormatienſis edicti, conſeruationem ritus Catholici in adminiſtratione Sacramentorum, & eorum deportationem, qui in Hæreticorum ſtudijs, litteris operam darent cum priuatione beneficiorum. Vtque acceptior foret ille Conuentus, nonis Iulij promulgauit Campegius comprobantibus cæteris articulos 37. pro reformatione Cleri Germani, quibus ſpes etiam eſſet proxima reformatio curiæ Romanæ. Inter illos articulos ad laicorum ſubſidium, *quintus præcipuè plurimas exactiones ſuſtulit Parochorum aduersùs plebem. Septimus, vt intra ſex menſes, locorum Ordinarij, adhibito conſilio Principum, controuerſias componerent inter ſubditos, & Paſtores animarum de re pecuniaria. IX. ne pro abſolutione à criminibus reſeruatis aliquid Sacerdotes reciperent. 16. Omnes ſuſtulit abuſus inuentos à quæſtoribus Indulgentiarum. 18. adminiſtrationem præſcripſit pecuniæ per fideles oblatæ in eccleſiarum reparationem. 19. pecuniam exigi prohibet pro eccleſia, vel altaris conſecratione. 23. ſucceſſionem ſuſtulit Epiſcoporum in bonis clericorum decedentium ab inteſtato. 24. Annatam prohibet Epiſcopi in promotione Beneficiorum, quorum redditus exigui, & inſufficientes ad alimoniam Beneficiati*. His publicatis Romam redijt, vbi triennio poſt vrbe à Cæſarianis capta, ipſe quoq. in arce cum Clemente obſeſſus, communi bellantium pacto cautum, vt Roma diſcedente Pontifice, Campegius vt Vicarius in Vrbe ſubſiſteret. Anno tandem 1528. in Angliam iterum Legatus ad concordiam procurandam inter Regem & Reginam, in itinere Bononiam diuertit, vbi ſorores S. Mariæ ad Puliolas ſub regula indecorè viuentes S. Auguſtini remouit, earumq. loco puellas locauit S. Marthæ, ac legibus aſtrinxit S. Claræ. Nonis Octobris 1528. Londinum ingreſſus, à Rege benignè receptus cum eum à concordia alienum repetiiſſet, per occultos Nuntios Reginam hortatus, vt aliquam Religionem ingrederetur: vitæ ſaltem tuendæ cauſa; illam intrepidè reſpondentem habuit, *matrimonium legitimum iudicatum ab Eccleſia Romana velle tueri; nec eos recipere iudices, qui per aperta mendacia à Rege extorti, Regem magis timerent, quàm legem*. Reuera dilationes, & effugia cum Legatus ſulummodo quæreret, ne Regem offenderet ad octo ferè menſes, tandem à cauſę cognitione ceſſauit. Quo in loco corrigendus Guicciardinus aſſerens Bullam ſecretò Legato datam, qua matrimonium nullũ declarabatur, ea tamen conditione datam, vt eam occulte Regi oſtenderet. Id feciſſe Campegium, poſtea in ignem Bullam proieciſſe, req. infecta Romam rediſſe. Quomodo enim Bullam Legatus oſtendere valuiſſet Regi, & non tradere, abſq. Regis iniuria, quam effugere in extremitatibus terræ nullo modo poterat, cum tamen de hac bulla Regi tam vtili, Rex ipſe nullum vnquam verbum fecerit. Scribit oppidò Garimbertus in partes Reginæ deſcendiſſe Campegium, in eiuſq. fauorem exaraſſe ſententiam, ſed reclamante Cardinali Eboracenſi, re infecta in Italiam rediiſſe odioſum Regi, cuius iram non ſine diſcrimine vix potuit declinare, in Galliam iter arripiens, vnde diſcedens Bononiam venit eo tempore, quo Carolus V. à Clemente VII. coronatus, ducto ſecum Campeggio, Ratisbonam abiit ad comitia cum Lutheranis, indeque in caſtra, vt irruenti Solimano Turcarum Regi ſe obyceret. Veruntamen cum Carolum ſequi prohiberetur podagra irretitus, Romam rediit, adſuitque comitiis Pauli III. a quo Vicentiam legatus pro Concilio celebrando Æcumenico: quò cum nullus accederet Epiſcoporum, Romam rediit Epiſcopus dictus Prænestinus, vbi die 8. Kalend. Aug. 1539. ætatis ſuæ 65. diem clauſit, in æde ſepultus S. Mariæ Tranſtyberim cum ſequenti epitaphio.

*Laurentij tit. S. Mariæ Tranſtyberim Patris Et Alexandri S. Luciæ in Silice filij ex legitimo matrimonio ante Sacerdotium ſuſcepti, ex nobili Campeggiorum Bononienſium familia, S. R. E. Cardinalium oſſa ex eminenti loco. Anno Sal. MDLXXI. huc tranſlata in vnum requieſcunt.*

Oſſa Laurentii in patriam relata refert inſcriptio ſequens poſita in eccleſia S. S. Bernardini, & Marthæ quam à fundamentis erexerat.

D. O. M.

*Laurentius Campegius huius ciuitatis Antiſtes, S. R. E. Ep. Card. Sacris Virginibus SS. Bernardini, & Marthæ, ſacras has ædes cultu conceſſit, & inſtaurauit, An. D. 1526.*

Scripſit Laurentius, teſte Sandero, aduersùs *ſui temporis Hæreticos*.

*Reformationem Cleri Germaniæ tomo 5. inſertam Conciliorum.*

*Epiſtolas ad diuerſos, quarum viginti in lucem editæ.*

*Inter Sadoleti litteras nonnullæ ſunt ad Laurentium datæ.*

Vnum ei vitium Garimbertus impinxit; quòd ætate iam ſenex, & tantis dignitatibus fulgens, alearum ludo delectaretur, non ſine tamen excuſatione; quia chiragra oppreſſus non aliter animum relaxare daretur tantis curis intentum.

Eius in ſtemmate Anchoras habes argenteas ex hoſtium ſpoliis confectas, quas primus ſibi

arrogauit Vgolinus Campegius Piſanæ Claſſis Imperator, ob mare pacatum eiectis piratis Ethnicis, qui Mare infeſtabant.

Ciacon. Garimb. Panuin. Spondan. Sander. *in elogijs*: & *de ſeiſmate*. Sigonius *de Ep. Bonon.* Victorel. Auberij. Carolus Carthar. *de Aduoc. Conſiſtor.* Ioſeph Maria Soares *de Ep. Praneſt.* Conrelor. Pomp. Vizanus *hiſtor. Bonon.*

31. *Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.* Eccleſ. 5.



FErdinandus Ponzettus, ſeu Poccettus, vel Pueccttus, quem Florentini ſibi vindicant apud Vghellum ex *libro Reformationum* Florentiæ ſtante, & *Brigrilla* dicto, in quo legitur, *Leo X. 31. Cardinales vna promotione elegit; inter quos fuerunt ciues infraſcripti omnes, D. Nicolaus de Pandulphinis Ep. Piſtorienſis. D. Nicolaus de Ridolphis. D. Ferdinandus de Ponzettis Ep. Melphiten: & D. Syluius de Cortonio S. D. P. Datarius.*

Patrem habuit Ferdinandus Franciſcum Lippi filium qui ſuæ gentis è Neapoli primus Florentiæ natus Anno 1444. ibidem ſuam protraxit familiam; vt ex monumento Romæ poſito in eccleſia S. Mariæ de Pace, poſitum ab ipſo Ferdinando.

D. O. M.

*Vetuſtiſſima Ponzettarum familia Parthenope, Roma obitura Ferdinandus quieti animarum proſpiciens, hic monumentum poſuit, ſolemneſq. luſtrationes inſtituit. An. Sal. MDVIII.*

& ibidem

D. O. M.

*Beatrici, & Lauinia Ponzetis indolis feſtiuitatiſque admiranda, quas Neapolis tulit, Roma probè educauit Peſtilentia, qua deſuſſe ferebatur vna die abſumpſit. Vixere hac vt illa An. VIII. Ferdinandus patruus Apoſtolici Fiſci VII. Vir Decanus magno ſolatio, ſpeque orbatus delitys, animaliſq. ſui mærens poſuit. V. K. Decemb. MDV.*

Ferdinandus itaque ingenio, & philoſophandi præeminentia celebris, & in euoluendis omni genere profeſſionis auctoribus peritiſſimus, à puero Medicinæ incubuit, & vſque in ſenium magno congeſto auro, Romæ, pluribus experimentis profecit tumidus, rapax & auarus. Fiſci namq. Apoſtolici Septemuir pretio creatus, inde ſolutis Leoni X. ſexaginta millibus aureorum, Clericus Cameræ Apoſtolicæ Præſidens, & Decanus, tum Theſaurarius, ac Epiſcopus, non Amalphitanus, ſed Melphitenſis, demum annum ætatis agens 80. die 26. Iunij, 1517. Presb. Card. tit. *S. Pancratij*, Groſſetanam in Hetruria adminiſtrauit eccleſiam poſt cædem Raphaelis Petruccij: eumq. Leo X. ibiara redimitus ad Vaticanum pergeret, congiarium Ferdinandus ſparſit in populum. Plura eius ſordidæ auaritiæ refert Garimbertus *p.* 477. præcipuè, quòd ſolutis ſexaginta millibus aureorum Pontifici, quamuis magna pars auri ei ſupereſſet in numerata pecunia, vltra redditus prædiuites beneficiorum ſub nomine nepotum, & cathedram Melphitenſem, vnam ex ditioribus regni Neapolitani, ſuam dietim fingebat
A egeſtatem, atque miſeriam; verè miſeriam, Auarus namq. vt argentum congregaret cibo abſtinebat & potu, non ſine quotidiana irriſione inter aulicos. Cum enim eius obſonator duorum Carlinorum pretio ei piſcem paraſſet; renuit Cardinalis ſupputationi ſubſcribere: quare obſonator cum famulitio conueniens communi pecunia, piſcem vnà comedere, aſſarunt. Cuius odore illectus Cardinalis inſtetit apud ſeruos in ſocietatem admitti; non ſine dignitatis iniuria, quæ dietim ad aures perueniebant Pontificis. Rubeo bireto cum ſeruum ſuum vi-
B diſſet coopertum, more illius ſæculi, ſatis lato & amplo; interogauit; quanti emiſſet? caro pretio, duobus ſcilicet aureis reſpondente ſeruo; repoſuit Cardinalis, *Quid mirum; cum ego biretum meum ſexaginta millibus emerim aureorum, quamuis bireto tuo tertia parte decedat*. Abiecti quidem animi argumentum præcipuè cum ex feneſtris ruſticos aduocaret ligna adferentes in vrbem, cum ipſis per horam altercando pro vno, vel duobus Teruncijs. Sub hoc Epiſcopo ciuitas Melphitenſis ab Odetto de Fois, Lautrechio nuncupato Gallorum Duce, ingenti ci-
C uium ſuorum ſtrage deuaſtata iacuit. Inuidioſas opes, quas animo irrequieto congeſſerat, in communi Romana clade ſub Borbonio amiſit, quum aſino impoſitus à militibus, ac circumuentus purpuratæ dignitatis ludibrio non eſt dimiſſus donec Zoagria, & lytro ſolutis, mercedem impendit prædiuitem carnifici, qui eum flagellauerat. Hinc ex mœrore deceſſit die 2. Septemb. 1527. humili funere ſepultus in eccleſia S. Mariæ de Pace, in quo ſacellum extruxerat S. Brigittæ, cum epitaphio.

*Depoſitum viri omnium diſciplinarum, omniumque actionum humanarum, qua ſingularem experti, & ani-*
D *mi veram felicitatem mortalibus parere ſolent, refertiſſimi*, Ferdinandi Ponzetti *S. R. E. Presb. Card. tit. S. Pancratij, qui die II. Septemb. MDXXVII. obijt; Victurus ſcilicet vitam homi...., CXX. Annorum, ni ſacram direptionem vidiſſet.*

*Iacobus Ponzettus Ep. Melphitanus nepos lacrymans poſuit.*

In eccleſia S. Mariæ de Pace, vbi ſacellum erexerat in honorem S. Br igittæ, notæ aureæ exaratę leguntur.

Fer-

*Ferdinandus Ponzetus Cam. Ap. Praſidens, & Decanus.*

*D. Brigitta Neritia.*

Scripſit. *De Sacramentis ad Hadrianum VI. R.P.*
*De Venenis ad Auguſtinum Niphum libros 3.*
*De Phyſica volumen vnum*
*De Origine Anima*
*De Philoſophia naturali libros ſex, quos Roma edidit Iacobus Mazochius An.* 1520.

Garimbertus. Ciaconius. Panuinius. Guicciardinus *lib.* 18. Victorellus. Vghellus. Nomenclator. Scipio Amirat. *hiſtor. Florent.* Stephanus Ioanninen. *Monar. Medicea*. Lazar. Catal. *de Ep. Melphiten*. Auberij.

32. *Putaui aurum robur meum: & obrizo dixi fiducia mea Latatus ſum ſuper multis diuitijs meis: & quia plurima reperit manus mea; Latatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Hac eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum Altiſſimum.* Iob. 31.



FRanciſcus Armellinus, natu Italus Peruſinus, vel ex oppido Foſſato diœceſis Nucerinę, Beouenuti Pantaliſſi, ac N. Armellinæ filius, in Mediceam familiam adſcitus à Leone X. dictus eſt *Franciſcus Armellinus Medices* Ponzeto auaritia æqualis, & forſan maior, rapacitatem cum natalibns forbuit. Eius namque patens Benuenutus qui Theſaurarii munere ſungebatur, ficta bonorum ceſſione, vt filium ditaret ad Inferos ſponte deſcendit ære ditatus alieno. Romam cum veniſſet Franciſcus mercator ſimul & Cauſidicus lites procurauit in foro, eodemque tempore telonia, gabellas conduxit, quibos tantum auri congeſſit, vt breui Protonotarius dictus Apoſtolicus, Clericatu Cameræ Apoſtolicæ pecunia comparato cum quæſtura Apoſtolica, tandem Cardinalis *tit. Calixti* die 26. Iunij 1517. centum, & quinquaginta aureorum millia Leoni X. numeraſſe dicitur à Garimberto. Tantam pecuniam breui etiam redemiſſe refertur, rapinis, extorſionibus, impoſitionibus aduersùs ſubditos Eccleſiæ Romanæ, ea acerba nominis diffamatione, quòd in Conſiſtorio coacto pro colligenda pecunia in ſubſidium Eccleſię, gabella agitaretur ab Armellino propoſita; Pompeius Cardinalis Columna libero ore rediſgueret, *expeditiorem viam congregandi aurum, & argentum fore, ſi excoriato Cardinali Armellino, eius pellis circumduceretur per vrbes, & oppida, ſoliis terunciy pretio exſoluendo ab eam inſpicere volentibus*. Vnicum cum eſſet Armellino votum, per fas & nefas opes congregare eoſq. expoliare, quos futuros deſignabat hæredes, carnales nempe ſorores; permiſit Deus, quòd anno expugnatę Romæ à Borbonio, in arce includeretur S. Angeli, cum Clemente VII. ex cuius pinnaculis cum inſpiceret diuitias ſuas tanta rapacitate, & vili mercimonio congeſtas, ſcopas etiam in domo coaceruando Cardinalitia, animalia immunda, ſuilia congregando cum eſſet Picenorum Legatus, cum Iudęis, cum bubulcis, cum paſtoribus, cum birronibus ſe immiſcendo, vt lucrum faceret, mærore contabuit in eadem arce, coram Pontifice menſe Octobri, Anno 1527. ętatis 58. Cadauer priuato funere humatum in ęde S. Mariæ Tranſtyberim ne publicum funus vitam redargueret, quam ſemper vilis &
A abiectus traduxerat. Epitaphium etiam ei poſitum.

*Franciſco Armellino Peruſino tit. S. Marci, poſt S. Calliſti Presb. Card. S. R. E. Camerario, Marchia Legato, viro indefeſſo, & ingenij ſupra hominem aerit. Qui vixit Annos LVII. Menſ. III. Dies XII. Obijt Menſe Octob. MDXXVII.*

Viuens ſibi ſepulchrum in eadem eccleſia erexerat, cui poſtea adiecta eſt inſcriptio.

*Franciſcus Armellinus Medices Peruſinus, tit. S. Calliſti, & S. Maria Tranſtyberim Cardinalis, S. R. E. Camerarius, Piceni Legatus, Peruſia, Vmbria Prolegatus; ac Hieracen. & Oppiden. Ep. ac Tarentin. Archiep.*
B *Leonis X. & Clem. VII. Pont. Mediceorum fratrum munificentia, fortunis, & dignitatum titulis auctus, fluxam vita mortalium imbecillitatem & rerum incertus vices intuitus; ne non parato Dominus ſuperueniret; Viuens, & vigilans domum hanc ſibi muniuit. Anno MDII.*

Eius bona, quæ erant extra Vrbem, 200. aureorum millibus ęſtimata, Clementis iuſſu, ſpolij nomine, ærario ceſſere Apoſtolico.

Garimbertus, Ciaconius, Auberij, Panuinius, Victorel. Vghel. Nomenclator, Guicciardinus.

33. *Quaſi ſtella matutina in medio nebula: & quaſi Luna plena in diebus ſuis luxit, & quaſi Sol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei.*
C Eccl. 50.



THomas Viorum, ſeu de Vio (familia non ignobilis Caietæ in Latij oppido) vir fuit (teſte Sandero) facie ſubnigra ſed honeſta, ſtatura puſilla, ingenti animo, feliciſſima memoria, & maximo ingenio, adeo vt inter omnes ſui temporis litterarum proceres heros maximus cenſeretur. Adoleſcens togam ſumpſit Prędicatorum, in quorum ritu ſic ad virtutem, & litte-
D ras adoleſcentiam contulit, vt vaticinium genitori dictum impleuerit abundè. *Iſabetta* namq. *de Sicco* mater dum infantem geſtaret in vtero; audiuit in ſomnis *Franciſcus* pater, *Naſcetur tibi filius, cui Iacob nomen erit: hic erit magnus in Eccleſia Dei.* Hunc quoque à D. Thoma Aquinate edoceri, & in Cælum ferri Eliſabeth mater in ſomnium vidit, teſte Io: Bap. Flauio in eius vita metro deſcripta.

*Qui*

*Quæ viſa in ſomnis mater .....*
*Diuus adeſſe Thomas in ſomnis viſus Aquinas,*
*Qui puero rudimenta daret, moreſque doceret,*
*Et tandem in Cælum ſanctis geſtaret in vlnis.*

Puer igitur Angelici Doctoris veſtigia ſectatus, voto ſe adſtrinxit virginitatis, cænobioq. Caietæ incluſus, inuitis parentibus, Neapolim poſtea clam miſſus, vbi aliquot commoratus Annis, poſtea Patauium, Ticinum, aliaq. ſtudiorum loca peragrauit, vt Annum agens 22. doctiſſimus in Philoſophiæ ac Theologiæ diſciplinis euaſerit, tantiq; ingenij, vt omnes ſuæ ętatis viros doctos, diſceptando ſuperaret. Mediolani cum eſſet [ vt legitur in *hiſtoria Federici Card. Borromæi* ] Ludouicus Sfortia cognomento *Morus* Dux Mediolani, Dominicanæ familiæ Patronus cum ad eorum cænobium diuertiſſet, & Thomam inter alios vidiſſet hominem modicum, conuerſus ad Antiſtitem, *Quare*, inquit, *ſimiles alis homunculos?* Præſens Thomas reſpondit placidè, *Ipſe* (Ludouice) *fecit nos, non ipſi nos*. Cognita poſtea Thomæ doctrina, pluris ſolum Thomam, quàm reliquos omnes fecit. Iuuenis adhuc, dum Fratres Prædicatores comitia Ferrariæ de more celebrarent, in publica litterarum concertatione, cum Pico Mirandulano homine doctiſſimo congreſſus, ſpectantibus Ferrariæ Duce, totoq. Ferrarienſium Senatu, magno cum omnium applauſu, ipſoque Pico poſtulante, palam inſignibus, & titulo Doctoris inſignitus fuit; deinde ab Oliuerio Cardinali Caraffa Ordinis protectore Romam accerſitus ad profitendam publicè Philoſophiam, & ab eodem totius Ordinis Procurator Generalis, & Vicarius declaratus, in Romano Gymnaſio ſacris litteris enodandis Præfectus, cum ad 38. ętatis Annum perueniſſet, toti Ordini Prædicatorum Præfectus, poſtulante Iulio II. R. P. qua tempeſtate à Ludouico XII. Galliæ Rege Piſanum Conciliabulum indictum fuerat, Caietanus ſcripto libro, *de poteſtate Pontificis*, contra illud Conciliabulum, Pontificem excitauit Concilium celebrare Lateranenſe. Generalis Magiſter Ordinem decennio rexit charitate, religione, ſanctitate, iuſtitia, vt Dominicus ſurrexiſſe diceretur. Iulius II. cum Caietanum purpuræ deſtinaſſet, morte præuentus, hanc ſucceſſori laudem reliquit. In tantis negotiorum vndis, ſtudiorum otium quantum poterat, complectebatur: nec vnquam deſeruit eum libris contubernium. Lucerna fulgentiſſima nè diu lateret ſub modio, die 26. Iunij, 1517. ętatis ſuæ 49. à Leone X. Presb. Card. dictus tit. *S. Sixti*, mox *S. Praxedis* præter illius expectationem, vt ipſe de ſeipſo teſtatur, priorem viuendi rationem, ob dignitatis faſtigium minimè mutauit. Eo namq. ſemper fuit animo, vir integer, pauperem viuere, pauperem mori. In menſa cibis vſus vulgaribus, atq. his ipſis parciſſimè: adeoq. frugalis erat victus, vt prope nullus eſſet. Syncerus erga pietatem, & Chriſtianam religionem, quam ſemper ſummo ſtudio, nulloq. ſupercilio docuit, & præſtitit. Defuncto Maximiliano Cæſare cum Electores Anno 1519. Francofordiæ conuenirent pro Cæſaris electione, legatus eò deſtinatur, vbi ea vſus eſt prudentia, vt cum Lutheranorum factio litteris & armis totam perturbat Eccleſiam Carolus eligeretur Imperator, qui gladio fidē fulciuit nutantem. A Clemente VII. iterum in Germaniam legatus An. 1523. vt ſua doctrina furorem Lutheri reprimeret, Martinum accerſiri iuſſit. Acceſſit ille furenti ſimilis, cum Legati maieſtas, & ſcelerum conſcientia conſternaret, ſidem primo à Cæſare ſibi dari poſtulauit regreſſus. Cum veniſſet, flexis poplitibus ad pedes conſtitit

A Legati, qui eum humaniſſimè excepit, tria ab eo requirens: 1. *Articulos retractaret erroneos*. 2. *Amplius non proferret*. 3. *Doctrina abſtineret Eccleſia aliena Romana*. Neganti Luthero vllum vſque in eam diem protuliſſe articulum Eccleſiæ contrarium; duos Legatus obiecit. 1. *In Eccleſiæ theſauro non haberi Chriſti, & Sanctorum merita*. 2. *Quòd ad conſequendum effectum Sacramenti, opus eſſet certa fide credere ſe illum conſecuturum*. Primum Clementis VI. conſtitutione damnatur. Secundum ſacræ paginæ apertè repugnat; in qua apparet neminem eſſe de ſua ſalute ſecurum. Replicauit Lutherus conſtitutionem illam in pluribus diſſonare Scripturæ ſanctæ. Ponti-

B ficum auctoritatem non eſſe infallibilem, imò Concilijs ſubiectam. Circa ſecundum; varios adduxit ſcripturæ Sacræ textus. quibus iubemur in Dei confidere miſericordia: vel Deum credere bonorum operum remuneratorem: Fidem cum Spe confundens; & vniuerſalem certitudinem Diuinæ iuſtitię, cum particulari notitia noſtrorum operum, quæ ſecutos nos faciat Diuinæ iuſtificationis. Legatus indecorum ducens cum eo decertare, qui in Iudicem Romanam non admittebat Eccleſiam, ad officia conuerſus, miſcens vtile dulci, ſuaui monuit oratione ad reſipiſcentiam reuocans; quibus monitis nulla facta cōtradictione receſſit humilis, ſpe gran-

C di Legati, pęnituiſſe Lutherum. Die ſequenti, vel potentium aura fretus, vel impiorum deceptus conſilijs, ſtipatus ſatellitibus rediens, & tabellione, vnà & Staupizio Generali per Germaniam, Ordinis Auguſtiniani Vicario, ſcripturam obtulit manu Notarii, qua proteſtabatur, nūquàm ſe aduerſaturū Eccleſiæ Romanæ, cuius cenſuræ dicta, dicenda ſubiiciebat. Veruntamen propoſitiones ſuas vſque modò prolatas, cum veras crederet; eaſque propugnare paratus, iudicem eligebat veritatis, Friburgenſem, Baſileenſem, Louanienſem Accademias, Pariſinam tandem. Hæc omnia in ſpeciem; cum poſtea Pariſinis Theologis ſubſcribentibus conde-

D mnationi à Pontifice latæ, tam ferociter inſultauerit. Iterum ergo monitus à Legato, & reprehenſus, elleboro non curandus diſceſſit, & appellationem ad Pontificem interiecit, quam poſt clandeſtinum Auguſta receſſum, in compitis viarum affigi curauit, ad concitandam in populo maiorem inuidiam Legato. Eodem tempore litteras Cardinali miſit humaniſſimas, gratias agens de exhibita in ſe clementia, prouocandi excuſans neceſſitatem, ſuamq. fatendo nimiæ vehementiæ culpam, & irreueren-

riç

tiç in Pontificem, eiuſq. Legatum. Apud alios verò callidus, & verſipellis, verbis ſcriptis in Cardinalem debacchando, tyrtanum, ſuperbum, infidelem, & ignauum accuſabat; omnemque culpam datis ad Pontificem litteris in Legatum refundens, ob cuius tyrannidem, & imprudentiam, tranquillitas non reſtitueretur; & cauſa, quæ optimo erat loco, peior fieret: vnde incommoda omnia futura vni forent imputanda Legato; qui re infecta Romam rediit, à Pontifice donatus palatio S. Mariæ in Via lara, & Archiepiſcopatu Panormitano, cuius tamen poſſeſſionem nunquàm adeptus, quòd Regii Patronatus eſſe illum Archiepiſcopatum contenderet Siculus Senatus. A Carolo verò V. Epiſcopus nominatus Caietanus, vt ciuium animabus incumberet. Mortuo Leone X. cum Pontificis differetur electio, Hadrianum Florentium Belgam, Caietani hortatu, in Pontificem elegere Patres, teſte Flauio.

*Inde Vrbem redyt, Leo Maximus atra ſubiuit:*
*Mutatus rerum facies, coguntq. Senatum,*
*Diſceptantq. Patres; vicit ſententia Sixti,*
*Pontificemq. creant, cui tradidit Hadria nomen.*

Nouus Papa vt Ludouicum adoleſcentem Pannoniæ Regem in bello Turcico, ſua prudentia, & auctoritate iuuaret, Caietanum in Pannoniam legauit; at vix eos fines attigerat Cardinalis, cum Rex temere collatis ſignis, omnibus ſuis ad vnum amiſſis, ipſe cæno inuolutus miſerè periit. Iuſtis Regi perſolutis, quòd ſe ibi nil profuturum ſperaret, rediit in Italiam pauper, ſed in paupertate ditiſſimus, conſcientiæ candore, & moribus ornatus ſanctiſſimis, Clementi charus, & conſilio vtilis atq. fidelis. In diſputatione de validitate matrimonii Cattarinæ Auſtriacæ cum Henrico VIII. Angliæ Rege, iuſſu Clementis, rem perpendit, illudq. vetum, legitimum pronuntiauit, ſpreto auro, quod ei Henricus Rex Angliæ offerebat. In tumultibus Italiæ, Roma ipſa vexata, irruente in Vrbem Borbonio, commorabatur Caietanus Caprauicę, certior ibi factus de clade Romana, in domo ſe abdidit cuiuſdam amici, quam Germani iam fuerant depopulati: ideoque tutius ibi eſſe arbitrabatur. At cum Hiſpanus quidam reſciſſet Cardinalem ibi degere, collecto militum manipulo, impetu in domum facto, Cardinalem traxit captiuum, zoagria impoſita quinque aureorum millium pro redemptione. Clemens Pontifex, qui ex turri S. Angeli ruinam proſpiciebat, & in ea Caietanum à militibus indignè tractari, exclamauit, *Cauete ne extinguatis lumen Eccleſia*. Mulctam vt ſolueret, omnia vendidit, eòq. miſeriæ peruenit, vt ſi à Garzia Manriquez veſtem non accepiſſet, inter homines minimè verſari potuiſſet. In hoc armorum ſtrepitu, bellorum tumultu, hominum crudeliſſimorum furore omnia perfringente, Caietanus in pace, & otio (teſte Sadoleto *ep. ad Caietanum lib.* 2.) ad ſacras litteras animum conuertens ita incubuit, vt vtrumq. inſtrumentum noſtræ Fidei interpretando ſuſceperit, totumq. penè abſoluerit; nec illum aut periculi ſui metus, aut alienorum incommodorum dolor ab ea cura, & intentione animi reuocare potuerit: nonnè hoc nouum, & admirabile? Inſolita iſta virtus, & incredibilis quædam animi altitudo fuit, quæ effecit, vt in tantis communibus miſeriis ſolus & paratus, & beatus eſſet. Non multò poſt Clemens Papa in grauiſſimam, & à medicis deploratam ęgritudinem cum incidiſſet; Caietanus quoque grauiſſimè ęgrotare cępit, quaſi imminenti Pontificatus oneri ſurripere vellet, ad quod communi omnium expectatione, votiſque vocabatur, ac morte ſua, Pontificis mortem præuenit. Anno qui mortalis vitæ finem præceſſit, hilaris de morte loquens, in ęternæ vitę cognitione, & ſpe defixus, ad eam ſe comparauit, familiaribuſque prędixit. Humile ſupulchrū in templo S. Mariæ ſuper Mineruam veſtibulo ad ſcalas, veterum morem cadauera extra templum ſepeliendi laudans, elegit. Nulla mortis cogitatione territus, oculis, manibuſque ſemper in Cælum ſubiatis, aiebat, *Tu ſcis Domine, tu ſcis ſuppellectilem exiguam pauperibus dari*. Corpus ſine pompa funeris, noctu humari, teſtamento præcepit. Sacro Viatico animum erecturus, ſemimortuus in genua procubuit, verbis miram pietatem, & animi ardorem ſpirantibus eam primò venerando. Moriens pauperes hęredes inſtituit. Vitam deſeruit mortalem Anno ętatis 65. Chriſti 1534. die X. Aug. vel 9. Septemb. Lapidem ſepulchralem ſolo nomine, & dignitate notari voluit.

*Thomas de Vio Caietanus Card. S. Sixti Sacri Ord. Prędicat.*

Vltra ſcribi prohibuit, ſciens viros magnos ſibi nomen eſſe pro elogio. Amici tamen ſequens poſuere epitaphium.

*Hac anteriori foſſula, quam Lector inſpicis*
*Felicis memoria Thoma de Vio Ordinis Pradicatorum*
*Cardinalis Caietani conſeruantur oſſa;*
*Qui dum vixit, ita moribus, atq. omni doctrina*
*Humano generi profuit, vt pro tanto beneficio*
*Deo gratias agere, ac pro eius anima praces fundere*
*teneamur.*
*Hic quorundam aliorum inanem declinans faſtum,*
*Humili hoc ſe condi iuſſit tumulo*
*Vixit Annos LXV. Dies XXIX.*
*Obijt Anno Chriſti MDXXXIV. die IX. Septemb.*

Eius vitam deſcripſit carmine Io: Bap. Flauius, qui ei à ſecretis erat, hortatuſq. eſt Cardinales, vt virum doctrina, & ſanctitate nobilem inter Cęlites decreto referri curarent Pontificio; tumuloq. ſequentia addidit.

*Ponite virtutes alij de marmore fictas*
*Vel Pario, aut multo auro alys ornate ſepulchra.*
*Exiguo hoc tumulo quicquid virtutis vbique*
*Inter mortales vnquam fuit, aut erit vnquam*
*Conditur; hunc vera virtutes, veraque Pallas*
*Circumſtant, & verę ornant monumenta Mineruæ.*

*Item*

*Vir-*

*Virtutem & mores ſi ſpectem, hominem eſſe negabo,*
*Eſſe hominem vt fatear, mors tua Sixte facit.*
*Infra mortales fuerat tibi debile corpus*
*Supra mortales vix fuit ingenij*
*Ergo nulla fuit varij tibi cura ſepulchri;*
*Aſtra petis, nullum pulchrius eſſe poteſt,*

Scripſit; *In Vniuerſalia Porphyrij.*
*De Anima.*
*De Cal, & Mundo.*
*In Pentateuchum Moyſis,*
*In libros Hiſtoriales Bibliorum.*
*In libros Sapientiales Bibliorum,*
*In Pſalmos Dauidis.*
*In tria Capita Iſaia,*
*In Nouum Teſtamentum.*
*In quatuor Euangelia.*
*In Acta Apoſtolorum,*
*In omnes epiſtolas Pauli, & Apoſtol.*
*In librum D. Thomę de Ente, Eſſentia,*
*In Summam D. Thoma Commentaria,*
*Summulam de Peccatis.*
*De Poteſtatę Papa & Concilij.*
*Apologiam pro eodem Opuſculo,*

*De Cambijs,*
*De Maleficijs,*
*De Votis,*
*De Circumſtantia diei feſti,*
*De Vſura.*
*De Eleemoſina.*
*De Conceptu Entis,*
*De Infinitate Dei,*
*De Collatione ſacri Ordinis,*
*De celatione Confeſſoris.*
*De Nominum Analogia.*
*De ſubiecto naturali Philoſophia*
*De Potentia neutra.*
*De vſu Spiritualium rerum in peccata mortali,*
*De Pontificatus inſtitutione Diuina.*
*De Simonia.*
*De Caſtitate,*
*De Matrimonio.*
*De Calo & Mundo, & Senſu agente,*
*De Vnione Verbi Dei.*
*De Immortalitate Animorum.*
*Quomodo Spiritus patiantur ab igne.*
*De Synodorum differentia.*
*De Spaſmo Virginis.*
*In Lutherum de Fide & Operibus,*
*De Communione.*
*De Satisfactione.*
*De Confeſſione.*
*De Inuocatione Sanctorum,*
*Orationes coram Alex. VI. & Iulio II,*
*De vita Diuini cultus,*
*De Cauſa mali,*
*Litteras ad Leonem X. inter litteras Principum inuenies,*

De ſe humiliter ſentiens, cum publicè eſſet verba facturus, pro fœlici ſucceſſu, precibus primo, & votis primo ad B. Viginem ſupplex ibat.

Plures licet habuerit Thomas laudatores; cum tamen *Prateolus*, & *Alphonſus de Caſtro*, nec non *Ambroſius Catharinus* Archiep. Compſanus Ordinis Prędicat. tam aduersùs prædicta ſcripturarum Commentaria, quàm aduersùs cætera huius viri opuſcula, iſte Annotationum, ſiue Inuectiuarum libros ſex; ille inter hæreticos eum adſcribere non dubitarunt, non aduertentes eum ſingulas ſuas opiniones iudicio ſubiecisse Eccle-
A ſiæ Romanæ, paratum ſe retractare omnia, ad nutum Sedis Apoſtolicæ. Quæ cautio ab omni hæreſis ſuſpicione ſcribentem liberat ex doctrina D. Auguſtini, ac totius Eccleſiæ docentis hæreticum eſſe, non qui falſa quædam docet, ſed eum qui correctus reſiſtit. Vnde autem tantum audaciæ Prateolo fuerit, & Alphonſo de Caſtro, hęreticum appellandi *magiſtrum Eccleſia*, qui tot annis aduersùs hæreſes propugnator veritatis conſenuit? ignoro. Flauius Beatum Caietanum titulis *doctiſſimi*, *Sanctiſſimi* exornauit tam in eius vita, quàm in oratione, qua ei in funere parentauit,

B *Non vnquam flecti precibus, pretioq. minisq.*
*Hic potuit, tantum rectum, iuſtumq. colebat;*
*Atq. animi motus mira virtute repreſſit;*
*Nec regnare illos paſſus, ſeruire cogebat,*
*Nec ſimulare vnquam, nec diſſimulare ſciebat.*
*Cuncta in aperto, eadem in corde, atq. in fronte gerebat*
*Diuitias contempſit inops, ſed ditior ipſo*
*Pauper erat Creſo, atq. Mida, Craſſoq. ſuperbis,*
*Non opibus, gemmiſq. aut fului ditior auro,*
*Sed modicis contentus erat fictilibus vſus,*
*Et tenui menſa, qualem natura popoſcit,*
*Virtutum omnium erat ſpecimen, morumq. magiſter*
*Quid mihi Fabritium narras, aut fortè Catonem?*
C *Aut illos ſeptem, quos iactat Gracia mendax?*
*Et quoſcumq. alios, quos eſt venerata vetuſtas,*
*Hos facilè ęquauit, vel ſi fas dicere, vicit.*
*Artibus his tandem Cælum conſcendit, & aſtra,*
*His igitur montes bus virtus tradidit alas.*
*Ha vires, hęc tandem admota eſt machina Calo*
*Religio, ſancti mores, & caſta per omnem*
*Etatem vita acta, pij durique labores*
*Ad ſuperos peperere viam, Caloq. locarunt.*
*Felix, ò nimium felix, nimiumque beatus*
*Mortalem exutus vitam, nunc deniq. viuet,*
*Et fructum vita innocuę ſine fine fruetur.*
*Ergo inter Diuos, meritis poſcentibus vltrò*
D *Aſcitus, veniam miſeris mortalibus ora.*

Anno Salutis 1547, in Tridentino Concilio cum ageretur de Reformatione doctrinę Baptiſmi, plura expoſuere Theologi condemnanda ex libris hęreticorum decerpta; quibus adiecere doctrinam Caietani ſuadentis, *Poſſe cautè conſulere infantibus decedentibus in vtero matris, ſi in nomine SS. Trinitatis ei daretur benedictio; quaſtione ſalutis Deo remiſſa, cuius miſericordia forſan ingratus non eſſet talis Baptiſ-*
*mum*

Digitized by Google

*mus in voto parentum collatus, quando non iniuria, vel negligentia, ſed impoſſibilitas executionem ſuſtulit Sacramenti.* Sententiam hanc, vt cenſuris ſubtraheret Cardinalis Seripandus, pluribus rationibus cohoneſtauit; quibus licet non arrideret Concilium, noluit tamen eam ootare anathematè; quòd ad rem non eſſet eurrentis Reformationis. *Sfortia Pallauic. lib. 9. Hiſtor. Triden. Concilij.* Dominicus tamen Soro, quamuis eiusdem Ordinis Predic. hunc articulum tanquam hæreticalem redarguit; & Pius V. R. P. quamuis eiuſdem profeſſionis, articulum hunc detrahi mandauit operibus tanti Doctoris.

Oratio de vita Sanctiſſimi viri D. Thomę Caietani, auctore Io: Bap. Flauio Aquilano, eiuſdem à ſecretis legitur apud Ludouicum Donium d'Attichij *to. 3.* A

Garimbertus, Ciacon. Auber. Sander. Victorel. Panuin. Spondan. Bzouius, Marracinus *in purp. Mariana*, Vghel. Chron. Dominican. Sixtus Senenſis in *Biblioth.* Antonius Poſſeuin. *Appaatu Sacro.* Guicciardinus. Contelorius. Ludouicus Donius d'Attichij.

34. *Omnes videntes me deriſerunt me: locati ſunt labijs, & mouerunt caput.*
Pſal. 21. B



CHriſtophorus Numalius natu Italus Foroliuienſis, à teneris Annis, litteris imbutus humanioribus, Bononiæ, Philoſophię, & Theologiæ incubuit. Inde ſuadente matre pia fœmina, S. Franciſci inſtitutum amplexus, ad maiora ſtudia in Galliam miſſus, ſtudia ibi abſoluit Theologica, laureaq. donatus alios laudabiliter docuit non minùs verbo, quàm ſanctiſſimæ vitę exemplo. Hinc Comiſſarius in Curia inſtitutus Romana, poſt duos annos Generalis Vicarius, demum in comitijs generalibus, omnium votis, Miniſter electus Generalis die 1. Iunij 1517. Gallorum Reginæ à Confeſſionibus fuit. Huius ſanctitate, prudentia, ſcientia, obſeruantia excitatus Leo X. (poſt menſem ſolumodò eius aſſumptionis in Generalem) R. P. die 26. Iunij, 1517. nil tale opinantem, Card. Presb. tit. S. *Bartholomæi in Inſula*, poſtea *S. Mariæ in Aracœlli* appellauit. Oblatam dignitatem humilitatis profeſſione neglexit, Cardinalem nominari minimè paſſus, donec Leone iubente, non ſolum Cardinalis dignitatem, ſed Iſernienſem, Matrinenſem, ac Regienſem ecclesias regere coactus fuit, vitam ducens ſanctiſſimam, quæ purpuræ decus erat & ornamentum, ſub Leone X. Hadriano VI. Clemente VII. quorum duorum comitiis interfuit, vſq. ad Vrbis depopulationem, in qua ipſe Hæreticis cecidit in ſpolium, aſinoq. impoſitus per vrbem ductus, innumeriſq. laceſſitus iniurijs, verè Martyr (vt ait *Garimbertus*) omnia æquo pertulit animo. Liberata vrbe, ex Vrbeueteri litteras à Clemente VII. recepit, à D Franciſco Gallorum, & Henrico Anglorum Regibus conſolatorias. Inde Anconam ſe recipiens in ſua paupertate ditiſſimus, & Deum quærens, die 21. Martij 1528. vita exceſſit. Cadauer Romam tranſlatum Aracæli ſuſcepit.

Ciaconius, Garimbertus, Auberij, Panuinius, Contelorius, Lucas Vvadingus *Annal. Minor.* Toſſinianus *Hiſtor Seraph.* Vghellus, Iongellinus in *elog.* Leander Alber. *deſcript. Italiæ.* Stephanus Ioanninus. Petrus Rodulphus. Periander *par. 7. Sapientia Franciſcana.*



35. *Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſuggentes vbera.*
Ioel. 2.



ÆGidius Viterbienſis, pauperimis, ſed honeſtis parentibus natus Antonioi filius, vnde *Antonini* cognomē obtinuit, Fratribus Eremitis S. Auguſtini à puerocum nomen dediſſet, ſub diſciplina Mariani Genezanenſis tantum in litteris profecit, vt Magiſtrum non tam æquarit, quàm ſuperarit. Audi Iouium: *Non eſt cur te prætercam Ægidi humili quidem loco, verum maximè illuſtri fato, Viterbij nate. Chriſtiani ſcilicet oratoris in ſacra pergula, primum, atque vltimum decus merite; quamquam egregia illa ex arcanis Moſcos deprompta ſublimis ingenij monumenta tenebris adhuc impiè ſupprimantur. Præſtantiſſimum enim præceptorum faclè ſuperaſti Marianum ſcilicet Genezanenſem Pontani, & Politiani admiratione, eruditoq. præconio inclytum, huius enim extat in epiſtolis laudatio floreutiſſima, illius verò nobile carmen, quod in Ægidio Dialogo tale legitur.* C

*Qualis Alphei liquidos ad amnes*
*Siue Meandri viridante ripa*
*Concinit ſerum moriens in ipſo.*
*Funere Cygnus.*

*Talis ad plectrum ad Thyaſos Deorum*
*Ludit in Cœlo Marianus, ipſa*
*Morte victurus Marianus, ipſo*
*Funere fœlix.*

*Ipſe ſis fœlix, faueaſque nobis*
*Ipſe ades fſſis Mariane rebus*
*Tu preces audi miſerorum, & iras*
*Siſte Tonantis.*

* *Cæterum Marianus, Ægidius comparatione ad optimè, glorioſèq. dicendum nequaquam tanta ex Græcis noui; & veteris Teſtamenti enarratoribus præſidia comparaiat, neq. penetrarat ad Chaldæos, vt admiranda noſtræ legis fundamenta reuelaret; neq. concionibus prædulce illud, & nobile porticam mellos inſtillarat; vt ſuſpenſos arrectis auri-*

*bus animos ſuauitate carminum ad colendam pietatem renocaret. Sed Ægidius quum in ſuggeſtu verè admirabilis æquo iudicio per omnes vrbes oratoriæ facultatis lauream mereretur, etiam domi lepidiſſimis ſermonibus nouam laudem ferebat. Erat enim eius ingenium exquiſito omnium litterarum delectu grauiter inſtructum ſic, vt in omnes exemplorum caſus peramplas opes alacris, & expedita memoria ſuppeditaret. Facundia porrò tanta diſſimulatis illecebris audientes ſemper exhilarant, atq. demulcens, vt ipſo concionante, vel maxima templa complerentur. Ante autem id tempus, quo totius Eremitani Ordinis præfecturam à Iulio conſecutus eſt, nonnunquam accidit, vt Patauij optimis litteris operam nauans, factitata ab ſe lepida carmina ad lyram elegantiſſimè decantaret.* Ab eodem Iulio II, ad Venetos, ad Regem Neapolitanum legatus, deinde Peruſiam iam eccleſiæ reſtitutam Romanæ, accitus vt populum, ipſo audiente Pontifice, mooeret, ſedatis Italiæ rebus, in Turcas ioferenda ſigna, vt Hieruſalem ſanctam ex impijs Turcarum manibus liberarent: Chriſtianus orator lectis verbis, ſententiis optimis, eloquentiæ torrente quaſi præcipiti auditores doctos, indoctos, fæminas, mares, ſenes, pueros, Principes, plebem ita demulſit, quòd veluti in procinctu ad ſacram protinùs expeditionem occurriſſent. Leo X. R. P. quaoti eum faceret, ex ſequeotibus accipe.

*Ægidio Viterbienſi Auguſtinianorum Eremitarũ Magiſtro in Ciminios. Mihi verò, & quod ordinem, familiamq. tuam tantoperè commendas, eſt gratum: lætor enim cum uideo tibi eos, quibus præes, eſſe chariſſimos; & illud ipſum, de quo me admones, ualdè probatur, Itaque faciam, quod te velle intelligo; nam id mihi ſatis eſt ſcire me, ſcilicet velle te à me aliquid impetrare, qui omnino nihil potes, iam aut velle ipſe, quod pulchrum, aut honeſtum non ſit; aut ab altero petere, quod non ſit petendum. Sed de eo etiam loquemur inter nos, cum una erimus; erimus autem, antequam dies poſtulati tui ueniat. Quod autem cupis non inuideri tibi illos exoptatiſſimos dies, latebraſq. iſtas, equidem illud præſtabo, ut te non interpellem;* C *ut tibi non inuideam, facere non poſſum, tantis præſertim caloribus urbanis, qui iam incubuerunt. An tu cum hoc æſtu in ſyluam illam denſam, atque horridam te abdideris, in qua frigus opaciſſimum, uel meridianis horis ſentias, putas fieri poſſe, ut tibi non inuideatur? Ego autem ſubinuideo cum multa tum illud, quod ait, tua te ſtudia, tuaſque litterulas audiſſimè reuertentem mirabiliter iuuare iſtâ loci, atque ſyluæ taciturnitate, & ſolitudine; in qua nihil, quod nolis, videas, nihil tuis auribus obſtrepet præter auicularum cantus, qui te etiam magnoperè delectent. Quod cum ita ſit, effice, vt extet fructus ocij tui, ſcribe aliquid te dignum, quod profectò facis, remque publicam, quam mehercule tot annos ſermone quidem* D *plurimùm, concionibuſque iuuiſti tuis, etiam ſcriptis iuua; ſocioſque tuos, quibus domum iſtam cum fano tua impenſa exædificaſti, quam ſylua maxima circumfuſa undique quaſi tuetur, ne adiri temerè poſſit, ſic tuis præceptis inſtitue, ut quemadmodum tu optimè omnium feciſti, ſic illi ſua ſtudia in communem utilitatem aliquando conferant. Quod tamen iam multi multis in locis faciunt, quos audio etiam Ægidianos uocari; de quo tibi gratulor; ſed hæc hactenus. Tu uelim, quod commodo tuo fiat, dum iſtic eris, ſcribas ad me quàm ſæpiſſimè; nam cum me omnes tuæ litteræ magnoperè ſemper delectent, omnino ut Ciminienſibus ita detineor, nihil ut mihi videatur fieri poſſe delectabilius. Itaque admirabilis illa tua ſuauitas orationis incredibiliſque facundia ad me iſtinc etiam amabilior proficiſcitur, ut loco ipſo augeri uideatur. Dat. 9. Iunij, An. 5.*

At ſequeotibus literis melius, quanti Ægidium Leo faceret, oſtenditur.

*Ægidio Viterbienſi Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro. Cum mihi Cornelius benignus tuus, quem ego ualdè diligo; ſcio enim & te ab illo mirabiliter amari, & illum abs te, et ſi iure quidem; eſt enim optimis, & pere-* A *legantibus, & moribus, & litteris: eius etiam ſermo & grauis, & prudens, & planè Romanus me mirificè delectat: Sed cum is mihi dixiſſet, uelle ſe ad te proficiſci, peteretque ſi quid uellem, hanc epiſtolam conſcripſi, non tam quidem ocioſus; nam id perrarò accidit, quàm cupidus legendi tuas litteras, eaſque præſertim, quæ iſtinc ueniunt. Olere enim mihi propemodum uidentur ſyluam illam tuam, & eſculorum umbram, qua ſcribens tegeris, & amænitatem loci. His autem litteris pro meo in te amore hoc intelliges, cogitare me Senatum cogere, ut illum Ordinem augeam, aſciſcamque eo in Collegio aliquot, qui mihi ualdè probantur, aliquot etiam, quos Reipublicæ neceſſitas poſtulat. Puto autem te cognoſcere cuiuſmodi ea neceſſitas* B *ſit, de eo uelim cogites, reſcribaſque mihi quid ſentias; nondum enim ſtatas quo die; quòd cum erit, faciam te de eo meis litteris certiorem 13. Kal. Quintil. An. 5. Romæ.*

Reſcripſit Ægidius ſumma prudentia, & probauit Leonis conſilium; Leo verò has illi tertiò dedit litteras.

*Ægidio Viterbienſi Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro. Scripſeram ad te proximis litteris cogitare me Senatum vocare Cardinalium creandorum cauſa; neque tamen ſtatutum mihi eſſe quo ait; ſed cum ſtatuiſſem, tibi ſignificaturum. Eas ad te litteras tantummodò mihi reſcripſiſti, probare te conſilium meum ſcire enim, nihil me,* C *niſi quòd è Republica ſit, eſſe facturum. Ego verò inſcripſeram, vt elicerem abs te, cuperesne ipſe in Cardinalium Collegium cooptari; id quoniam reticuiſti, vel pudore tuo, atque modeſtia, qua ſemper magnoperè abundas, uel quod eius rei nulla te cupiditas teneat. Vtrumlibet lætor, uel pudentem eſſe te, uel ambitione carere præſertim earum rerum, quarum adipiſcendarum deſiderio plerique ita ducuntur, ut etiam inſaniant. Itaque confirmaſti tu quidem mihi tuo ſilentio conſilium meum; perdiu enim eſt, cum te legere in Cardinalium Ordinem cogito; cum ut tuorum laborum magna cum Republica utilitate triginta totos annos ſuſceptorum hanc quaſi mercedem tibi perſoluam, quàm poſſum maximam & ampliſſimam, tum vt Reſpublica* D *te ſic utatur, ut ex te fructus ubberrimos capere poſſit. Puto autem Reipublicæ maiori & uſui, & honori fore dignitatem tuam, quàm tibi ipſi: maior enim atque illuſtrior iam eſt uirtus tua, quàm magiſtratu illa egeat. Ordo uerò ipſe talibus uiris, ut tu es, egere mihi quidem, magnoperè uidetur quare plus tu Ordini, quàm tibi Ordo ornamenti afferet. Efficiam igitur id nunc, quod dudum, vt dixi, meditur, teque cum reliquis, qui a me creandi ſunt, Cardinalem nominabo: id erit Kalend. Quintilibus: quem ad diem mando tibi, ut Romæ ſis, ut te ſtatim uidere, atque amplecti poſſim.*

*Dat.*

*Dat. 8. Kal. Quintil. Anno quinto. Romæ.*

Nuncium cum ideo Leo miſiſſet ad Cæſarem, & ad Ducem Vrbinatem, virtutem omnem [ ait Iouius ] liberaliter exornare ſolitus, honorem detulit Galeti purpurei tit. *S. Matthei*, poſtea *S. Marcelli*; quum Petruciana coniuratione, & Vmbrico bello circumuentus, Senatum aut malignè, aut ſegniter Principe iniuriuram ferentem ſupplere cogeretur. Exinde functus eſt legatione in Hiſpaniam, quum Selymo poſt debellatos Perſas, & duos Memphyticos Reges interfectos nobis arma comminante, Chriſtianæ gentes ad ſacrum bellum concitandæ viderentur. Sexageſimo ętatis anno, ſubita oppreſſus pituita. Romæ, interijt, cum Clemens Carolum Cæſarem Bononiæ iterum excepiſſet; deſtinatus, optatuſque à multis ad Pontificatum tanquàm par ſummo oneri. Sed non deerant qui præclari nominis famam, verbis eleuarent; quòd pallorem oris ſumpto cumino, & ſuffitu vdæ paleę mentiretur, variaſq. libidines cenſoria ſeueritate contegeret, quas demùm malignus potiùs rumor, quàm vlla certi veſtigij relicta proles detexit. Fit enim quadam naturæ minimè benigna ſorte, vt nulla abſolutæ virtutis præclara facies enitere poſſit, niſi aliquem turpem vitij nęuum ad eludendam felicitatem oſtendat.

Humum ſubijt in eccleſia S. Auguſtini ante aram principem eum epitaphio.

*D. O. M.*

*Ægidio Viterbienſi Cardinali Gabriel Venetus Generalis poſuit.*

*MDXXXVI.*

*Ante ſacroſanctos cineres bona verba Viator*
*Dicito, diuinus hic iacet Ægidius:*
*Qui potuit lingua humanas inflectere mentes*
*Et trahere hærentes feruidus ad ſe animos.*
*Quicquid pandit Arabs diuinum quicquid Erembus*
*Diues Abramei occulit in tabulis.*
*Explicuit populis, & ſi quid ſpiritus vltra*
*Sentit, adhuc ſanctum quod meditetur, habet.*

Iani Vitalis.

Eius in funere parentauit Laurentius Granius Ep. Signinus.

Plura ſcripſit, & Romæ ſeruantur in Bibliotheca S. Auguſtini M. SS.

*In triapriora capita Geneſeos*

*Commentaria in quoſdam Pſalmos ad Leonem X.*

*De Eccleſiæ Incremento*; de quo Ambroſius Calepinus in ep. dedicatoria ad eundem Ægidium. *Quis librum de Eccleſiæ Incremento à te conſcriptum, & diuini Pontificis voluntate laudatum non admiretur?*

*Dialogorum librum*

*De Viris illuſtribus, & Sanctitate inſignibus Conuentus Ilicerani.*

*Hiſtoriam XX. ſæculorum*

*Tom. II.*

*In primum Sententiarum vſq. diſtinctionem XVII. ad mentem Platonis.*

*Epiſtolas familiares ad Gabrielem Venetum*

*Epiſtolas diuerſorum*

*Eclogas ſacras tres*

*Dictionarium, ſiue librum Radicum &c.*

*In Taghin I. latinitate donatum.*

*Orationem in Lateranenſi Concilio*, quam ſummis laudibus extollit Sadoletus ep. ad Bembum.

*Oden in laudem Ægidij Romani.*

*Alia proſa, carmine* vernacula, latinaq. lingua
A exarata.

Eius memoria in templo S. Matthęi, quod laqueari exornauit, vt ex inſcriptione.

*Ne templo, cui præerat, ornando omnino negligens, neue Leonis X. & Clem. VII. memoriæ ingratus videretur Ægidius Card. Patriar. Conſtant.*

In Cingulo Marchiæ Anconitanæ oppido, cui præfuit, Palatium ornauit, vt indicat inſcriptio.

*Ægidius Card. Viterb. Patriar. Conſtant. ad commodum atq. ornamentum Reipublicæ Cingulanæ. An. D. M.D.XXXIV.*

Eccleſiæ cum pręeſſet Byzantinæ Patriarcha Plures rexit Epiſcopus eccleſias Viterbienſem ſcili-
B cet, Caſtrenſem, Lancianenſem, Sutrinam, Nepeſinam, & Iadranſem.

Leonem X. & Clementem VII. R. P. Viterbij ſplendidè excepit. Clemens enim ad euitandos Vrbis tumultus excitatos à Borbonij militibus per totum menſem Septemb. ibi conſedit chronographus, & laudator Ægidij. Lege litteras, quas ad eius nominis gloriam Archiuium ſeruat Romanum.

*Dilecto filio noſtro Ægidio tit. S. Matthæi S. R. E. Presbytero Card. Clemens Papa VII. Dilecte fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum nuper, apud Nos doctis quibuſdam aſtantibus, ſermo de tua circumſpe-*
*ctione incidiſſet, ille quidem pro Noſtra in te beneuolen-*
C *tia, tuiſque præclaris meritis ſemper iucundus, & gratus; in quo cum multis commemoratis noſtri ſæculi præſtantibus in doctrina uiris, illam ſingularem laudem circumſpectioni tuæ tribuiſſent, quod veterum doctorum exemplo ad doctrinam etiam eloquentiam, ad Latinas etiam Grecas, & præterea Hebræas, Chaldæaſq. litteras adieciſſes; quaſque alij facultates tum ſcientiarum, tum linguarum ſinguli ſingulas, tu unus omnes mirabiliter comprehendiſſes. Tum fuere ex his nonnulli, qui quò magis tuam uirtutem admirabantur, eò plus dolerent, magnam in tua modeſtia fieri ſtudioſum iacturam, quod multorum annorum pios, & ſanctos labores in ſtudijs ſacrarum litterarum inſumptos, nec ſcriptis mandare, nec mandatos ede-*
D *re audes, interiori, atque abdito contentus fructu, qui ex ſtudijs decerpitur, publicum, & communem haud ſatis magni faciens. Quod fili Noſter, ſi ad gloriam tuam referres, non ad diuinam; aut ſi in eo non publicæ utilitati, ſed propriæ tantum laudi conſuleres, eſſet quod indulgeremus huic ceſſationi tuæ. Verùm iubente paſſim Domino, oues paſcendas, docendos impios, ſalutem annunciandam, talentum non abſcondendum, ſed in lucem dandum, euangelizandum, prædicandum; ubi illud prędicationis, & ſacrarum*

*concionum munus, prӕter cӕtera legationum huius ſanctӕ Sedis munera tam prӕclarè abſoluiſti, reſtat alterum, vt voci eloquentiſſimӕ, parte ſcripta ſuccedant, & delectatis huius ſӕculi auribus, poſteritatis oculos, atque animos ſacra lectione oblectent, vt habeant poſteri Ægidij ſcripta, qui voce caruerunt. Quamobrem Nos, qui erga te ob hӕc tanta animi tui ornamenta, quibus Nos, noſtraque tempora exornas, ſingulari, ac debito ſumus amore incenſi cum tui ſӕpius fruendi; & coram alloquendi copiam Nobis tua, vel ſenectus, vel valetudo interdicat, ſtatuimus his litteris id exequi tecum officium, quod Nobis Paſtoralis perſona imponit, vt diuino honori, vt animarum ſaluti, vt publicӕ vtilitati in te adſeribendum adhortando conſulamus. Quod ſi eſſes in doctrina tantus, quantus certè es, careres autem ſtyli ornatu, quem non adeo multi cum doctrina coniunxerunt, aut ſi ſacroſanctas Scripturas ex Latinorum tantùm riuis, non etiam ex Grӕcorum, & Hebrӕorum fontibus hauſiſſes, digna eſſet cum res ipſa, tum perſona tua, quӕ pios ſtimulos noſtrӕ adhortationis exciperet. Nunc autem cum Dei eximio munere tot ignes cœleſtis doni in te vnum, & doctrina, & eloquentia, & humanarum & diuinarum litterarum, & multiplicium prӕterea linguarum coierint, quid dubitas fili Deo te gratum reddere in his, quӕ ab eo accepiſti? & tanquam terra optima non ſolùm ſexageſimo, ſed etiam centeſimo fructu in Dei gloriam exuberare? Scimus Nos quidem te ſi ad vnius hominis munus te metiaris, ita in agro Domini, & laborioſè, & laudabiliter hactenus eſſe verſatum, vt prӕteritorum conſcientia, & recordatione facilè contentus eſſe poſſis; ſed tamen maiorem commouiſti de te expectationem, quàm vt tibi liceat in prӕteritis conquieſcere, cum quò magis per hos annos ſiluiſti, & magis ſperetur ex tuis abditis ſtudijs lux eruptura, quӕ ſacrӕ litterӕ illuſtrentur. Proinde fili, dum ſuppetit vita, actum eius vltimum pari, quo anteriores curſus concludas laude, ſeraſque ſcribendo ſemen bonum, quod alteri etiam ſӕculo proſit, noſtrumque pariter iuuet, & oblectet, prӕſertim cum id tibi facile factu ſit. Decurſis tandiu à te Scripturarum campis, Grӕcorumque, & Hebrӕorum hauſtis fontibus, animum longa lectione, meditationeque expletum ad ſcribendum conuertere, & quaſi pio agricolӕ ſemen Scripturarum animo obrutum ad fructum perducere. Idque nunc magis caneſcente iam, & matura, ſiquando vnquam fuit, tua eloquentia, & doctrina; quamquam ſperare nobis liceat, idque etiam ad Nos erat perlatum, in animo te habere ſuſcipere id ipſum, quod cupimus. Sed veremur tibi obſtare modeſtiam tuam; ac ne quos veterum, ſi qua illi aut Grӕca parum periti, aut aliorum ingenijs non ita adiuti, aut Hebrӕӕ linguӕ omnino expertes, aliter fortè ac tu nunc inueniris, ſcriptum tradiderunt, offendere; aut ijs, & ſanctitate, & doctrina inſignibus contradicere videaris. Cum tamen multa liceat vel diſputare, vel ſcribere, quӕ non alij ſentiant, dummodò aliena à veritate, & ſanctӕ Eccleſiӕ vniuerſali traditione prauè non ſentiantur, atque è Scripturis ſacris ſenſus potius fuerit relatus, quàm ablatus. Nec enim reſpectus vllus humanus à nauando Deo operam debet auocare; quia quod quis ſtudioſè indagauit, piè ac ſincerè proferat, dum prolatum non contumaciter aſſerat, ſed Eccleſiӕ iudicio ſemper ſubijciat. Quamobrem cum ea facultate ſis, ut poſſis, pietate autem, & velle debeas plurimis ad animarum ſalutem proficere; idq. à te Cardinalatus dignitas, religionis profeſſio; continens litterarum ſtudium, vitӕque tuӕ perpetua conſuetudo exigat, adijces etiam fili his tot rationibus ſtimulum charitatis Noſtrӕ, quem te ſperamus pro Noſtra in te beneuolentia non poſtremum eſſe habiturum; expectauimuſque cupidè Noſtro in te amore, tuaq. in Nos obſeruantia freti, ut in Dei qui tibi in hoc aderit, & in Noſtram gratiam, commune fidelium vtilitati ſcribendo proſis, ſanctamque Eccleſiam tuarum prolatione vigiliarum illuſtres. A quo nis enim rem ſacram excoli Nobis iucundum; à te verò huius ſanctӕ Sedis honorificentiſſimo membro, Nobiſque in amore prӕcipuo etiam lӕtiſſimum erit. Dat. Romӕ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 22. Iulij, 1530. Pontific. Noſtri anno ſeptimo.*

Eumdem Ægidium encomio non diſſimili exornauit Sadoletus,

*Iacobus Sadoletus Epiſc. Carpen. Ægidio Card. S. P. D. Si quantum ex tuis litteris accepi voluptatis, tantum ipſe meis litteris exprimere poſſe confiderem; nihil aliud agerem profectò hoc tempore, quàm tibi miram quandam ex eis animi mei lӕtitiam, iucunditatemque perſcriberem; per quam intelligeres, laboris tui fructum egregiè tibi conſtitiſſe, cum amiciſſimo tuo, eidemque tibi deditiſſimo, & vtilitatis tantum, & delectationis attuliſſes. Sed quoniam eo onere me oppreſſum iri planè video, ſi ſuſpicere nitar, quod perferre non queam, ignoſces mihi, ſiue conabor quidem id aggredi, quod perficere poſſe deſperem; illud tantum ſcito, tuis mihi litteris nihil accidere potuiſſe optatius; nec ſolum ex ea parte, qua ad ea quӕ quӕſiueram, & doctiſſimè ſimul, & humaniſſimè reſpondes; ſed etiam ex eo, quod videor, in illis omnem expreſſam imaginem amoris erga me tui: tanta in illis ſuauitas, tantum ſtudium ſatisfaciendi mihi: tantus, & verborum, quӕ ad eam rem faciant, & optimarum, electiſſimarumque ſententiarum ineſt lepor. Itaque intelligo nunc quidem, atque experior, meum de tua prӕſtanti, eximiaque virtute, ſapientia, bonitate, veriſſimum ſemper certiſſimumque fuiſſe iudicium. Nec quod antea vnquam dubitarim, ſed quia dies, res, euentus quotidiè id magis comprobat. Nam ſi à mediocri viro, & mediocri dignitate prӕdito, hӕc amicitiӕ officia prӕſtarentur, laudandus ille vtique quicumque eſſet, & in paucorum numero reponendus. Rem enim vulgò haud ita multum vſitatam in ſe ipſo oſtenderet. Ab homine verò ampliſſimo, & omnibus ingenij, eloquentiӕ, honoriſque ornamentis cumulatiſſimo, retineri hӕc officia fidelis amicitiӕ, & in abſentem amicum nil beneuolentiӕ, humanitatiſque prӕtermitti, hoc eſt mi Ægidij vir maxime, atque ornatiſſime quod in te habet laudis admirationem,*

non

*non cum aliorum laudibus comparandam. Quantum enim te exuquas inferioribus amicis manſuetudine, beneuolentia, familiaritate, tantum altitudinem animi tui, virtutis gloria exaggeras. Sed hæc hactenus, ſunt enim maioribus theatris propoſita. Quod ad eu attinet, de quibus te conſuluerum, ſatis omnino abs te mihi eſt factum; doleo tamen te tua in eo genere ſcripta deſiderare, quorum venuſtatem, & elegantiam, vel ex hoc conyecere poſſemus cuiuſmodi fuerit, quod illa barbaris idonea viſa ſunt, qua diſceerentur. Illud & optarim ſcire, poſtquam adeiſcant Moyſis libros Mahumettani, num & Prophetas ſuſcipiant, multumque in veteri lege aſperſam eſſe exiſtiment futurarum rerum prædicationem; & an ipſi quoque Meſſiam aliquem expectent. Nam vſum quidem vini cur interdixerunt, cum tantum vxoribus complurıbus ducendis, pellicibuſque habendis, libidini ab illis ſit tributum? Si modò hæc vera ſunt, de quibus cupio à te fieri certior, Ego, ſi mihi Deus optata conceſſerit, efficiam profectò, vt ne te pæniteat aliquantum h[illegible] laboris mea cauſa cæpiſſe. Sin autem, vt humana ſunt, mea ſpes me fortè fruſtrata fuerit. Tu tamen virtutis tua, & officij fructum tecum afferes. Certè quod in obſeruantia, omnique amore & meritorum tuorum memoria, præſtari à me tibi, nomini, laudi; honorique tuo uſpiam poterit, largè enimuerò id prolixè preſtabitur. Valle. Carpenctorati.*

De eodem cecinit Io: Bap. Pius.

*Diua Beatifico cum te colat agmine uirtus*
*Inuideas nulli fulua metalla Mide.*

Inſignia cum Ægidio non eſſent gentilitia, à cænobio ipſe mutuauit S. Saluatoris de Fultignano, deinde Sylua lacus, nunc de Ilıceto in Tuſcia erecto. Crucem enim cænobium illud, & duas Ilices ſupra tres montes gerit. Ægidius loco Ilicum, Cruces appoſuit. teſte eodem Ægidio. *Accepi montes Ilicum ueſtrarum impoſui illis Cruces tres, ut tria miſeria-mea monumenta ſemper ante oculos obuerſentur: meus amiſſorum ſtudiorum Crucem adhibendam ſentiet, quæ me præcipuo uulnere ladit, atq. ob has ipſas illud iterabitur, ſemperq. in ore uerſabitur: amaritudo mea amariſſima.*

Ciacouius. Victorel. Panuinius. Sander. Auber. Vghellus. Petrus Coterin, *in Ep. Viterbienſi*. Contelorius.

*36. Cum ſancto ſanctus eris: cum viro innocente innocens eris.*
Pſal. 17.



GVillelmus Raymſidus Vich, natu Hiſpanus, patria D Valentinus, Aloyſii filius, & Hieronymi frater, ſub quorum Sancta tutela educatus, cum Hiſpani Oratoris ad Concilium Lateranenſe, & in curia Romana per Annos XX. laudabili munere functus eſſet, tanquam Hiſpanici ſplendoris decus, ac pietatis exemplum in Presbyterum Cardinalem aſſumitur die 26. Iunii, 1517. tit. *S. Marcelli*, vir ſanè non tam ſtemmate clarus, quàm accerrimi iudicii, & exacti conſilii, æquè à Romanis, & Hiſpanis habitus. Eadem in Cardinalem aſſumptionis die, Epiſcopus etiam Cephaledenſis in Sicilia Eccleſiam illam adminiſtrauit vſque ad Annum 1525. quo eam reſignauit Franciſco de Arragonia, paulo poſt Barchinonenſi donatus Epiſcopatu. Eo ſedente in cathedra Cephaledenſi, Cænobium Prædicatorum ſub titulo S. Blaſii, quod olim extra mænia, intra vrbem transfertur. Comitiis cum adſuiſ-
A ſet Hadriani VI. & Clementis VII. die 8. Kalend. Aug. 1555. diem clauſit extremum in Monaſterio Caſæmarii, Ordinis Ciſtercienſis. Cadauer Romam relatum quieſcit in æde S. Crucis in Hieruſalem.

Ciacon. Panuin. Vghel. Contelor. Balthaſſar Porreg. *elog. Card. Hiſpan.* Rocchus Pirrh. *in notis Eccleſ. Sicil.*

*37. Iudas mercator peſſimus oſculo petijt Dominum.*
Eccleſia Feria in Paraſceue.

B 

SYluius Paſſerinus natu Italus, patria Cortonenſis, in famulitio à ſua cum fuiſſet iuuentute, Io: Medicei Cardinalis, poſtea Pontificis fuit ab eodem gratiſſimo principe protonotarius dictus Apoſtolicus, & Datarius tanta Syluii lætitia, & admiratione, cum merita ei deficerent, vt penè ſtupidus nec verbum proferre valuerit vt gratias ageret, ſtupore obrutus, & ſepultus. Ad diuitias congregandas illico animum adiecit (teſte Garimberto) æmu-
C luſque Franciſci Armellini; auaritia & rapacitate certauit brutorum more, quæ cibo paſcuntur communi, mugiens & rugiens, in eo ſolùm aduerſus; quòd Armellinus callidus, & verſipellis; Syluius inutilis, & ignauus quæſtum fæneratitium celare neſciret. Hunc Leo Medices factus Papa ex Protonotario, die 26. Iunii, 1517. Cardinalem Presbyterum creauit *S. Petri ad Vincula, tit. Eudoxiæ*. Clemens verò VII. cuius adſuerat comitiis, & pro eo fuerat ſuffragatus Legatum Vmbriæ, rebuſque adminiſtrandis Reipub. Florentinæ præfecit, patriæ Epiſcopum renuntiauit, Sarnenſem, & Aſſiſienſem eccle-
D ſias adminiſtrandas tradidit, vnà cum Epiſcopatu Barchinonenſi die 15. Iulii, 1525. vt cum ſibi deuinceret, cuius fidei & tutelę Hippolytum, & Alexandrum Mediceos crediderat cuſtodiendos. Hos autem ita curauit, quòd audita Florentini Clementis VII. captiuitate, Cardinalem Cortonenſem Florentia eiecerint cum Mediceis, quorum domos diripuerunt non tam tyrannidem perſequentes Mediceam, quàm rapacitatem Cardinalis, qui ob ſolam auari-

auaritiam ſuæ tenax pecuniæ, audito Romano ſpolio, regimine Florentinis illico reſtituto Piſas ſeceſſit; teſte *Guicciardino lib.* 18. inde Romam vbi Anno ſecundo, ſalutis 1529. die 12. Kal. Maii, ſepultus odioſus Pontifici, & Curiæ Romanæ, ſola venalitate, rapacitate, crudelitate memorabilis, Tipherni obiit, non Romæ, ex epitaphio.

Sepultus iacet in templo S. Laurentii in Lucina, lapide decoratus cum ſequenti epitaphio, & effigie coloribus expreſſa.

*Syluio Paſſerino tit S. Laurentij in Lucina P. C. Cortonenſi ampliſſimo, qui ob ſingulares eius virtutes à Leone X. cuius Datarius fuerat, Cardinalis creatus, dum Tuſcia, Peruſia, totiusq. Vmbriæ ſub Clemente VII. ſumma Prouincialium, omniumque commendatione Legatione fungeretur, ac acerrimum in ea libertatis Eccleſiaſticæ ſe vindicem praberet, Sexagenarius Tiphernis à viuis cunctorum mœrore exceſſit. Anno Dom. MDXXIV. 12. Cal. Maij, in hancq. ſacram Tit. ſui Ædem, quam viuens excoluerat, transferri ſe, & condi Teſtamento iuſſit.*

*Syluius Paſſerinus Archiepiſcopus Coſentinus ipſius Cardinalis ex Nicolao Paſſerino, & Franciſca Hieronimi Borbonij Marchionis Montis S. Mariæ filia Contagibus, Pronepos Patruo magno benemerenti, atque ſibi adhuc viuens, ac de morte cogitans fac. cur. An. Dom. MD.LXXXVIII.*

Ciaconius. Vghellus. Garimbertus. Guicciardinus. Auberij. Contelor. Panuin. Iacobus Nardi & Scipio Amirat. *Hiſtor. Florent.* Stephanus Ioanninen. *Monarchia Medicea.* Nomenclator.

38. *Nonnè qui oderunt te Domine oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Perfectò odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.*
Pſal. 138.



ALbertus, vel Adelbertus Marchio Brandegurgenſis, Ioannis Marchionis Electoris S. R. I. filius, & Ioachimi Electoris frater, natu Germanus, ex Canonico Moguntino ac Treuirenſi Archiepiſcopus primo Magdeburgenſis, & Germaniæ primas, deinde Archiepiſcopus Moguntinus die 9. Martij, 1514. duabus ſedibus Archiepiſcopalibus eodem temporo præfuit, Leone X. indulgente Pontifice; quod nulli vnquam Principi contigerat vſque in hodiernam diem, Adminiſtrauit etiam Alberſtatenſem Epiſcopatum. Hunc Leo X. die 24. Martii, 1518. Presbyterum Cardinalem declarauit tit. *S. Chryſogoni*, poſtea *S. Petri ad Vincula*: vel *SS. Petri*, & *Pauli*, vt in Actis Vaticanis appellatur: *Albertus*, (teſte Trithemio) *cultor & amator, & venerator Sanctorum Dei cum maximus eſſet, reliquias, & ſacra baſtæ eorum, ſumma cum veneratione ſemper vbi liceat, inquiſiuit, de puluere cum honore leuauit, auro, & argento veſtiuit; honorem quoque debitum ſingulis exhibuit, & annuem memoriam feſtiuè celebrauit. Mox enim vt ſummi Pontificatus duplicem apud Germanos, Domino prouidente apicem ſuſcepit, totum ſe Chriſtianæ religioni mancipauit; actus Epiſcopales præter multorum conſuetudinem Præſulum, in perſona frequenter propria deuotiſſimè miniſtrauit. Ordines contulit; Miſſas ad Altare ſolemniter ſæpius decantauit, conſecrauit Eccleſias, benedixit Abbates; habitum publicè deferebat Epiſcopalem locis, & temporibus ſuis, & nihil*

A *omiſit eorum, quæ ad Chriſtiani Antiſtitis ſacri ſacrum videbantur pertinere officium. Summa eius delectatio ſemper in obſequio Diuino, in celebrandis ad altare Sacroſanctis Myſterijs, in ornandis quoque & venerandis magnificè Reliquijs Sanctorum.* Egregium hunc (teſte Scrario *hiſtor. Mogunt.*) toto retinuit vitæ ſuæ tempore, teſtatumque reliquit pretioſis muneribus oblatis in eccleſia præcipuè Moguntina. Frequens ei cum eſſet adagium, *Domine dilexi decorem domus tuæ*, viuens adimpleuit, & moriens, plurimis ex Teſtamento legatis ad pias cauſas. Templum ac cænobium S. Petri ad Viocula ab eo inſtauratum inter opera ſurgit ab eo patrata; vt ex mo-

B nimento in eodem cænobio.

*Auxit hoc monaſterium, & ornauit mirificè* Templum *RR. & Illuſtriſs. Cardinalis Albertus Marchio Brandeburgen. Archiep. Moguntinus & Magdeburgenſis, Primas Germaniæ, adminiſtrator Halberſtatenſis.*

Is ille, qui mortuo Maximiliano I. Imperatore, cum ad Franciſcum I. Galliæ Regem nonnulli Germaniæ Principum inclinarent ſ: ſua induſtria, & eloquentia erga Domum reuocauit Auſtriacam, Caroli V. vrgens electionem in Imperatorem, eiuſque fratris Ferdinandi in Cæſarem. Aſſumptus Leo Mediceus in ſedem Petri, cum Indulgentiarum Theſaurum euulgandum de-

C creuiſſet in Orbem; Alberto Brandeburgico Moguntino executionem per Germaniam commiſit; à quo delegatus Ioannes Tetzelius Domicanus excluſis Auguſtinianis, qui Luthero Principe horrendum illud excitarunt Religionis incendium, quo totus penè Septentrio conflagrauit. Alberti imperio flamma exuſtis Lutheri libris publicè Moguntiæ; eiuſque exemplo Treuiris, Miſnæ, & Halbeſtadii; furentem Martini veſaniam ſi omnino coercere non valuit; inhibuit tamen aliquantulum, & retardauit, litteris, exhortationibus ad meliorem frugem ſæpè ſæpiùs reuocare conatus. Veruntamen Lutherus cædis vn-

D dique ſpirans atq. minarum, cum ejus condemnatio Alberto ingrueret promouente in comitiis Vuormatienſibus; epiſtolas abſq. ſubſcriptione vulgari curauit, qua vindictam minabatur, & mortem eis, qui Lutheri damnationi ſubſcriberent; hoſque voto quadrigentos viros nobiles gladio accinctos eſſe in procinctu ad facinus glorioſè exercendum. Hiſce minis Albertus exterritus cum abſtinere propoſuiſſet à Lutheri cōdemnatione; Carolus V. verè Cæſar Mogūtino iam perterrito vires adiddit inquiens:

Qua-

*Quadringenti iſti ad vindictam parati erant forſan, vti trecenti Mathij quorum tamen vnus & ſolus fuit* ; vnde in eiſdem comitiis , auctore Cæſare Lutherus fuit condemnatus ; quamuis imperterritus, carnis illecebris non dubitauerit ad Apoſtaſiam excitare omnes Germaniæ Principes , & etiam expugnare Albertum Cruciſerorum Equitum Magiſtrum in Pruſſia, Brandeburgenſis familię Principem , qui Dorotheam Regis Daniæ filiam in vxorem duxit voto violato caſtitatis . Huius exemplo tentauit Lutherus Albertum etiam Cardinalem Brandeburgenſem , Archiepiſcopum Moguntinum , & Magdeburgenſem , vt in Principatus ſæculares A commutatis Archiepiſcopatibus , vxorem duceret , ſecurus quòd multos homines lucraretur ; *Celſitudini veſtræ* ( aiebat Lutherus ) *id ſolum ſufficiat , quòd à Deo mas creatus ſit* . Argutio ſanè inſipida . Mas fuit Elias , Eliſęus , Ioannes Baptiſta , S. Paulus , Chriſtus Ieſus . An contra Dei præceptum commiſerunt , quia fæminas non cognouerunt ? Hanc Lutheri epiſtolam adeo contempſit Albertus ; vt ſpretus Lutherus dixerit indignabundus : *Roma inſtitutus Albertus doctrinæ noſtrę incapax iacet* . Quantum enim in Alberto ob ſenectutem deferueſcebat ſanguis ; tanto magis efferueſcebat Religio . Moguntiæ deceſ- B ſit columna Religionis, & petra Fidei, die 8. Kal. Octob. 1545. in ęde primaria , ſub lapido rubri marmoris , in quo hæc ter inciſa nunquam è memoria delenda vox Germanica ALLE KRENACH ; ideſt *omnes poſt* , eoque inferiores ſequentur . Ad latus Chori in quadam tabula eius imago conſpicitur , cum ſequentibus carminibus .

*Albertus iacet hoc loco ſepultus*
*Qui de ſanguine Regio creatus*
*Lumen Cardinei fuit Senatus ;*
*Qui virtute, potentiaq. rexit*
*Magni Saxonicas Othonis vrbes ;*
*Et Moguntiaci fluenta Rheni ,*
*Nil Germania maius hoc habebat ;*
*Nam de litibus, arduiſque rebus*
*Conuentus vbi Principes agebant*
*Verbis promptus, & eleganti lingua*
*Totam conſilio ſuo Senatum*
*. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .*
*Ac totis diſſidijs vbiq. motis*
*Terrarum benè conſalebat Orbi*
*Pacis ſuaſor erat , quieta pacis*
*Semi ocia præferrebat armis .*
*Quin & Iuſtitię tenax , & ęqui*
*Dignas ſontibus irrogare pęnas ;*
*Complectiq. bonos , & innocentes*
*Mitis non ſecus , ac parcus ſolebat .*
*Nec fuluum ſibi congregabat aurum ,*
*Doctos munera conferens in omnes*
*Diſpenſabat ope , manuq. larga*
*Sacras Pieridum fouebat artes .*
*Hunc lugubria tectus ora velo*
*Albis, Rhenus, Hauelus hunc peremptum*
*Fontis Pegaſei cohors, & omnis*
*Eſt Reſpublica proſecuta fletu .*

Alberti Nummiſma tenet in fronte Cardinalis nomen ; in altera : *Dominus mihi auditor, quem timebo?*

Ciacon. Panuin. Henricus Albi *in elogijs Cardinal.* Spondan. Auber. Contelor. Vghel. Victorel. Bruſ- B chius *de Archiep. Mogunt.* Genebrardus . Cochlęus . Sfortia Pallauicin. *Hiſtoria Triden. Concilij* , Lauren. Schrader. *in monum. Italię* .

39. INter Cardinales S. R. E. aſſumptus dicitur à Leone X. Antonius S. Seuerini abſens , ſed non publicatus : confirmatus poſtea à Clemente VII. die 21. Nouemb. 1527.

40. PEtrus Quirinus Senator Venetæ Reipub. deinde Ordinis Camaldulenſium profeſ- C ſor , Anno Sal. 1512. Cardinalis aſſumitur, ſed non declaratur . *Victorel.*

41. IOannes de Aurelia Archiep. Toloſanus Cardinalis dicitur.

## Diaconi Cardinales.

42. IVlius Medices Florentinus , Leonis X. R. P. frater patruelis, D. C. *S. Marię in Dominica* , Papa futurus nomine *Clementis VII.* Lege eius vitam .

43. *In fortitudine illius repentè Maria congregata ſunt ; & prudentia eius percuſſit ſuperbum.*
Iob. 26.

EX Tarlatorum familia nobili apud Aretinos [ quæ ingruentes vt declinaret inimicos ; Bibienam vicinum oppidum commigrauit , vbi aliquandiu cum vixiſſent, *Tarlatorum* in *Diuitiorum* cognomē mutarunt, caritatis occaſione, quæ frumenti inopia pręmebat oppidanos. Vnus enim è Tarlatis magnam frumenti copiam in horreis cum aſſeruaret, popularium miſertus calamitatem , apertis horreis, frumētum populo fame D



conſumpto gratis diuiſit. Hinc illi *Diuitij* nomen impoſitum, qui omiſſis vetuſtis familiæ inſignibus, frumenti ſpicas in vnum collectas cæpit impoſterum , pro inſignibus vſurpare ] *Bernardus* naſcitur Bibie-

nę,

næ, 4. Non. Aug. 1470. Decimum agens annum Florentiam miſſus ad Petrum fratrem, virum celebrem, vt litteris inſtrueretur, eam indolem oſtēdit, vt iam qualis futurus eſſet, appareret. Annum cum attigiſſet XVII. epiſtolam perſcripſit elegantem, & carmina condidit. Quare in domum Mediceam à Petro fratre introductus, & Laurentio Mediceo inſinuatus, inter alios ab epiſtolis admiſſus, breui adeò profecit, vt ſecretioribus admitteretur arcanis, ea Laurentij opinione, quòd cum ab Innocentio VI.R.P. Ioannes Laurentii filius adhuc adoleſcens in Cardinalium Collegium adſcitus eſſet; huic Bernardum aſſignauit, vt dictandis præeſſet epiſtolis, & ſi quid grauioris negotii ingrueret, in promptu Cardinalis haberet, quem conſuleret. Defuncto Laurentio, huius fratres magna charitate Bibienam proſequentes, ad Alphonſum legarunt Siciliæ Regem, vt ob regnum adeptum Mediceorum nomine gratularetur, & fœdera renouaret pro Italica libertate; talemq. ſe præbuit, vt à Rege magnis laudibus extolleretur. Petro è viuis ſublato Mediceo, apud Ioannem Cardinalem, & Iulianum fratres annis degens pluribus, pericula multa, labores innumeros pro Medicea familia inuictus ſemper obiuit. Romæ ſtantem adortus Iulius II. eiuſq. cognita in peragendis negotiis dexteritate, in plurimis, arduiſque rebus vſus Eccleſiæ, magnum virum futurum, Alberto Pio Carpenſi Principi prædixit, & verus vates fuit: *In multa enim & varia rerum commutatione, diuturnoq. vſu grauiſſimarum actionum peracutus, efficax. & quod vnum in aula maximè conducit* [ teſte Iouio in elog. Viror. Clariſs. ] *iucundus veterator euaſerat; ita vt cum Leo rerum potitus inter propinquos maturato honore legerit in Senatum, magno ſiquidem adiumento fuiſſe conſtabat in comitijs ad promerandas ſuffragatorum voluntates, quum antea nobiliſſimis Cardinalium hero conciliatis, ad petendum Pontificatum, expeditam viam, aſtuta quadam Vrbanitate muniaſſet. Conuiuia enim, in quibus erudita luxu certabatur, miris facetijs condiee, ſeria iocis miſcere, adulari, reſq. arduas diſſimulanter conficere ſolitus, ingenium nuſquam abſurdum, aut ineptum, in otio pariter, atq. negotio feliciter afferebat: Scripſit admirabili lepore Comœdiam Calandram, quæ acta eſt in Vaticana, ludis lupercalibus per nobiles comœdas Romanæ iuuentutis, in gratiam Iſabellæ Mantuani Principis vxoris, vſq. adeò decenti apparatu, vt nihil ad elegantiam theatralem, ab eximio Poeta Comico doctius, atq. facetius compoſitum, aut magnificentius in ſcęna editum, confiteri liceat; niſi tam cæteris patribus ſacra purpura pudorem expreſſiſſet; quum tamen à minùs ſeueris dignitatem attuliſſe putaretur: Abdicauit in ea numeros primus, ut vernaculos ſales dulciùs, atq. liquidius fœminarum auribus infunderet: quo multi riſus, hilarior voluptas excitaretur. Id enim vnum peti, quarique debere à non inſulſa poeta diſſerebat, quod in Terentiana Scęna, Verecundi Sales prudentium admirari quidem, non ſatis poſſint ſpectatores, ridere certè nequeant, quòd nullam, vel eruditæ fabulæ ineſſe gratiam putaret, niſi ab excitato populo, mixtus cachinno plauſus redderetur,* Elogium planè celebri dignum comœdia, non Cardinali: cuius ad opprobrium acutius ſcribere Iouius non valebat. Prima itaq. aſſumpti Leonis X. die, Protonotarius Apoſtolicus electus, altera ærario Præfectus Pontificio, Magiſtratum ita geſſit diligenter, vt ſexto Pontificatus menſe, nil tale cogitantem Leo inter Patres aſciuerit, die 23. Septemb. 1513. Diaconum Card. S. *Mariæ in Portica*. Adminiſtrauit Epiſcopus eccleſias plures, Conſtantienſem ſcilicet in Normannia, Caurienſem in Hiſpania, Puteolanam in Italia. Legationem geſſit

A Sedis Apoſtolicæ, in prælio contra Franciſcum Mariam Vrbini Ducem. Pro ineunda pace inter principes Chriſtianos legatus abiit ad Regem Galliæ. Legatione functus in Vmbria, & apud Maximilianum Imperatorem in Italiam venientem, Mutinam occurrit, vbi ſubſtitit, cum Cæſaris in ipſo victoriæ curſu receſſum audiſſet. Concilio interfuit Lateranenſi. domum protexit Lauretanam: Eccleſiam S. Mariæ in Porticu prope collabentem reſtaurauit, vt ex inſcriptione marmorea.

*Bernardus Diuitius S. M. in porticu Diac. Card. vetuſtate collabentem inſtaurauit, An. Sal. MDXIV. ſedente Leone X. P. M.*

B Mortem deſcribit Iouius loco citato, ſequentibus.

*Diem obijt extremum non planè ſenex, quum è Gallica legatione in Vrbem reduſſe intempeſtiua ambitione ad Pontificatum aſpirans, ſi Leo vti in fatis erat, vita excederet, quod ei Rex Franciſcus, ex prolixa pollicitatione ſuffragaturus crederetur, id multo iunior, habitaq. viuacior Leo, in imbecilla ſene adeò indignanter tuliſſe fertur, vt ipſe Bibienna, tabifico veneno ex frixis ouis, de manu in menſa porrectis, ſe petitum ſuſpicioſius, quàm decebat, exiſtimaret, inani certè argumento, quòd inſignitum medicorum vel iterata, exquiſitaq. remedia minimè profeciſſent.*

C Cadauer in ęde ſepultum S. Mariæ de Ara Cæli, poſtea ad domum redactum Lauretanam iuxta tabulas Teſtamenti, & in ſacello Virginis repoſitum; Epitaphium in Ara Cęli.

*Bernardo Diuitio Cardinali*

*Viro plurimis, maximiſq. virtutibus.*

*Ac Leonis X. P. M. veteri familiaritate, & beneuolentia inſigni, ampliſſimis muneribus, & Legationibus probè functo; Fratrum filii mœſtiſſimi patruo B. M. qui eis cuncta paterna beneficia praſtitit, Arcam ſepulchralem, dum quò iuſſit, inferatur, poſuere.*

D Laudatur in funere à Latino Iuuenali Baſilicæ Vaticanæ Canonico, cuius orationem M. S. ſe legiſſe teſtatur Vghellus *in addition. ad Ciaconium*; apud Marium Mileſium. Eius in obitu carmine luſit Boccarinus Aretinus.

*Trunca fides, lugent Charites; periere lepores,*
*Deſipuere Sales, deſipuere ioci;*
*Livida nimirum mors, quæ Vrbi inuidit, & Orbi*
Diuitium *immites funere corripuit,*

*Par-*

*Purpureos meruit titulos, Roma occidit, ortus*
*Eſt Bibiena, hoc te ſcire ſat hoſpes erat.*

Sic Ioan. Latomus,

*Omnia captiui, nec ſegniter omnia capi,*
*Eſt mea præcipuus præda galerus honos.*
*Prauius ac tandem captans, nec vt ante Leonem*
*Venator perij caſſibus ipſe meis,*

Huius Cardinalis memoria in litteris Angeli Diuitii, quæ in lucem datæ cum alijs virorum Illuſtrium,

Ciacon. Panuin. Garimb. Antonius Sander *in elog. Card.* Auber. Iacobus Nardi, & Scipio Amirat. A *hiſtor. Florent.* Turſellinus *in Hiſtor.* Hippolyt. Marrac. *purp. Mar.*

44. *Viriliter agite, confortamini: nolite timere, nec paueatis ad conſpectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipſe eſt Ductor tuus.* Deut. 31. n. 6,



INnocentius Cybus Genuenſis Leonis R. P. ex ſorore Magdalena nepos, Franciſci Auguillariæ Comitis filius, & frater Laurentij, qui in vxorem duxit Riccardam Malaſpinam, hæredem Principatus Maſsæ in Liguria, eodem Leone teſte (cui tanquàm Pontifici non eſt reſtagandum, *ep. ad Regem Hiſpaniæ Ferdinandum* apud Bembũ) optimis moribus, litteriſq. inſtructus adoleſcens, Anno ætatis 22. ex Apoſtolico Protonotario, ab auunculo Papa Diaconus Card. *SS. Coſmæ & Damiani*, ac S. R. E. Camerarius, Fabrianiq. Dominus renunciatur, die 23. Septemb. 1513. verbis illis, in promotione prolatis, *Quod ab Innocentio accepi, Innocentio reſtituo*, Diaconiam namq. Cardinalitiam Leo ab Innocentio VIII. receptam, Innocentio reſtituebat nepoti ſuo. Mutauit poſtea Diaconiam Innocentius; Diaconus Card. factus *S. Mariæ in Dominica*; præſuit etiam *S. Mariæ in Via Lata*. Epiſcopus eccleſias rexit Maſſilienſem in Gallia, Taurinenſem, Saonenſem in Italia; Marianenſem, & Alerienſem in Corſica; & S. Andreæ in Scotia. Pluribus præſuit vrbibus, Archiepiſcopus Meſſanenſis in Sicilia Ianuenſis in Italia, Bituricenſis in Gallia. Legatione functus Bononiæ, & in Romandiola, comitiis adfuit Hadriani VI. Clementis VII. ſub quo in Hadriani mole degente, omnem mouit lapidem pro eius libertate, & vrbium tutela, vt ex litteris D eiuſdem Innocentii ad Cardinalem Saluiatum, die 27. Iulij, 1525. *vol. 2. epiſt. Principum*, Papam mutuata pecunia iuuit, accepitque gratitudinis teſtimonio Vetrallam. Cum autem maxima Cardinalium pars Placentiam veniſſent, vt in arena conſilium ſumerent, ac de relinquenda Italia, & Sede Auenionem transferenda Pontificia cogitarent; Innocentius rei ſama agitatus, accurrens, abiectoſq. metu patres erigens, à conſilio degeneri & Eccleſiæ execrabili Romanæ, oratione reuocauit præclara, quam lemmate clauſit ſuper petram Petri inſcripto, *Non mouebor*.

Propterea ne iterum in ſeruitutem Petri Sedes rediret, vni Innocentio Italia debitrix, vota ſua carminibus conſacrauit. Alterum magni animi documentum reliquit (teſte *Folieta in elog. Ligurum*) quum interfecto Laurentio Mediceo oblatum ſuæ familiæ Principatum Florentiæ, grandi animo recuſauit, ad ſeditionem inclinatum populum pacauit, & in Medicea familia firmauit imperium, *lib. 3. epiſt. Principum*,

*Salue Heros Romani olim pars magna Senatus*
*Circum humeros Tyrio cinctus qui murice ſacro*
*Haud vnquam es paſſus transferri ſceptra Quiritum*
*Vltra Alpes, Latij ſolus non immemor ipſe*
*Imperia ecce tibi Tybrim poſita inter & Arnum*
*Accepta aſſeruata refert prudentia, & aſtu*
*Multorum extincta capitum abſte funditus Hydra:*
*Maximus ille Ducum Medices pars maxima terræ*
*Auſoniæ in ſolio reſidens nunc Coſmus auito.*
*Quo facto æternum gaudet Florentia, teque*
*Principe læta ſuo tollit ſuper æthera laude.*
*Ioannes Caſanoua.*

Caducitatem humanæ dignitatis expertus ad nauB ſeam, maiorem vitæ partem egit ſemotus ab aula. Vltra Hadrianum VI. & Clementem VII. promouit etiam Paulum III. & Iulium III. Sub quo diẽ clauſit extremũ die XII. April. hora octaua noctis antecedentis Sal. Anno 1550. ætatis ſuæ 59. in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam cum epitaphio ſepultus.

*D. O. M.*

*Innocentio Cybo Ianuenſi, Diac. Card. Bonifacij IX. Tomacelli P. M. agnato, Innocentij VIII. P. M. nepoti, Leo*C*nis X. P. M. ſororis germanæ filio, Clementis VII. P. M. ſororis patruelis filio. Vixit Annos LVIII. Menſ. 7. dies XIX. Cardinalis XXXVII. Ann. fuit Deceſſit Idib. April. An. MDL. ſui poſuere. Viuite vt morituri.*

Plures ad hunc Cardinalem reccurrunt epiſtolæ putà Henrici Anglorum Regis; Gori Gherij, Franciſci Barletani, Laurentij Puccij, Io: Saluiati Nicolai Rodulphi; Nicolai Gaddi Cardinalium; quæ omnes in *libris Epiſtol. Principum*. Eius diuitias collige ex hoſpitio bis præſtito in paterna domo, Carolo V. Imperatori, & ſemel Paulo IIJ. R. P.

Ciaconius. Panuinius. Vghellus. Auberii, Victorellus. Cabrera. Vizanus *hiſtor. Bonon.* Iacob. Nard. D & Amirat. *hiſtor. Florent.* Valerius *hiſtor. Pedemon.* Zazzera *de nobil. Italia.*

45. Hi

*45. Hi in curribus, & hi in equis,*
Pſal. 19.



FRanciſcus Franciottus Vrſinus Romæ natus, conſanguineus Leonis X. Florentiæ educatus, ad purpuram aſſumitur ſanguinis merito, & affinitatis. Arma à puero tractauit ſub Laurentio Medicco, vt ex litteris ad eum datis ab Angelo Politiano *Reſtat vt te laudem Fran-* A *ciotte, quòd ſtudium tuum adhibeas comparandis equis bellatoribus, & alendis, ſic vt libros etiam diligenter, quibus ipſorum cura continetur, & exquiras, & euoluas, ac peritos id eſt veterinarios conſulas, quorum ſcilicet ope vocabula quadam deſita, ne doctiſſimis quidem viris intellecta conſequaris, Decet hoc te bellicis laudibus inhiantem, veſtigijſq. maiorum, gentiliumq. tuorum fortiter inſiſtentem, qui vt ſemper in armis incredibili gloria floruerunt, & nunc cum maximè florent: ſic vt familia Vrſina nihil eſſe aliud poſſit, quàm militum fortiſſimorum, Ducumq. magnanimorum quoddam quaſi ſeminarium*. Vxorem habuit Franciſcus, è qua filium procreauit, Ea defuncta ab armata, ad togatam militiam tran- B ſijt Protonotarius Apoſtolicus; poſtea die 26. Iunij, 1517. Diaconus Card. *S. Georgij in Velabro*, qua relicta *S. Mariæ in Coſmedin* renunciatus: inde Epiſcopus initiatus eccleſias rexit Bouianenſem, & Ariminenſem, ac Vaticanæ Baſilicæ præfuit Archipresbyter, In comitiis Hadriani VI. nunquam adduci potuit ei ſuffragari, quòd hominem Belgam, & ignotum Eccleſiæ inutilem crederet. Defuncto Hadriano plures eum in Pontificem euocabant, ſed Pompeio reclamante Columna, clauum tenere non valuit, Romæ ſubſtitit etiam in ſpolio ſub Borbonio, & obſes datus à Clemente VII. militibus Germanis. Ibidem viuere deſiit 4. Idus Ia- C nuarii 1533. ſepultus in Baſilica Vaticana cum ſequenti inſcriptione,

*Franciſco Cardinali Vrſino*
*Leonis X. P. M. amitino, qui dum Annum prope LXI. ageret, diem clauſit extremum 4. Idus Ianuarij, MDXXXIII.*
*Octauius Vrſinus Patri optimo poſuit.*

Eius memoria in epiſtola Politiani ad Franciottum data de ponderibus, & menſuris in quibus *Gerum tibi morem, ſed & libenter mi Franciotte: nam cum tu Petri Medicis alumni, patronſq. mei ſis amitinus, iiſdem cum ipſo laribus educatus, excellentis & indolis, &* D *virtutis, & ingenij iuuenis, idemq. ſingularis erga me humanitatis, nihil eſt vtiq. quod magis ex animo faciam, quàm quod eſſe tibi quàm gratiſſimum ſentiam.*

Iuuenis cum arma tractaret, *Muſcam* aſſumpſit in Symbolum cum flabello, quo eas abijciebat, inimicos redarguens, quos ſpernere ſignificabat.

Ciaconius. Sanſouinus *de familia Vrſina*. Auberii. Panuinius. Contelorius. Victorellus, Vghellus. Franciſcus M. Turrigius *de Cryptis Vaticanis*.

*46. Cum eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit populum & enarrauit quæ fecit, & inueſtigans compoſuit parabolas multas; quæ ſunt verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos ac ueritate plenos.*
Eccl. 12.



PAulus Æmilius de Cęſis Romanus, vel [cum Bzouio Sal. An. 1523. n. 14.] Aquitanus in Vmbrię patriis ditionibus natus, die 11. Martij, 1487. ex Angelo, & Franciſchina Cardula, *Paulus Æmilius* à patre litteratiſſimo dictus, vel quia Romanæ ſtudioſo antiquitatis Pauli Æmilii hiſtoria ei eſſet in delitiis; vel omine certè diuino tantam in aduerſa fortuna patientiam adhiberet, quantam ille olim cum maxima laude in perpetuis difficultatibus retinuerat. Scholis traditus in humanioribus mirè profecit, vtriuſque iuris lauream conſecutus cæpit in Romana Curia ver-
B ſari ab Alexandro VI. R. P. Annum agens XVI. titulo decoratus, quem à ſecretis appellant, aliiſq. officiis, quæ vel nominibus carent Latinis, vel opibus magis, quàm virtuti ſolent diſtribui. Iulius verò II. Clericum Collegii creauit ampliſſimi, deinde Apoſtolicum Protonotarium, honorarium tamen, futurum participem ſub Leone X. Munera namque omnia honoraria, & laborioſa Curiæ percurrit vſque ad Regentem Cancellariæ, tanta cum vigilantia & comitate, vt in eum nulla vnquam exierit querimonia. Hiſce curis implicitus ſtudia minimè deſeruit, vltra namq. ciuiles, & Pontificii iuris diſciplinam, cognitionem officiorum
C omnium, & Magiſtratuum in vrbe, litteraſq. humanas, & optimorum Poetarum carmina, quæ ſemper in ore habebat, ita ſcribebat, quaſi in Rhethorum campis ambularet; ita monumentis delectabatur antiquis, vt in Vrbe, & extra Vrbem in omnibus Italiæ; & Europæ oppidis lapides omnes quæſitos ac notatos, ſigna, nummiſmata collecta intelligeret: ita ſacras, profanaſque callebat hiſtorias, vt nihil eum falleret: nemo opportunius exemplorum meminiſſet, quæ præſertim ad Pontificem, ſacrumque Senatum pertinerent. Hæc ſupramodum grata genio Leonis X. cum de inſtaurando Cardinalium Senatu ob Petrucia-
D nam coniurationem decreuiſſet, in iis Paulum Æmilium Annos agentem vnum, & triginta Diaconum Card. *S. Nicolai inter Imagines* poſtea *S. Euſtachij*, aſſumpſitque ad Curiam reformandam, & mores perſcrutandum, promouendorum præcipuè Epiſcoporum, quo in munere, ita apud Senatum, & Pontificem promeruit, vt pronis auribus, eius relatio exquireretur, eoq. incõſulto nulla fieret beneficiorum collatio. Eius in aulam cum prætee Epiſcopos multitudo confluxiſſet, clictum, fortuna te-

tenues, & egeni , quos ipſe non diu lactandos cum
ſuſcepiſſet , iuuit quantum potuit ; vt in rationi-
bus domeſticis Cardinalis manu adnotatum legitur,
*Quatuor aureorum millia quotannis ſubleuandis familia-
ribus*, addito verbo vulgari *fallitis ſoluta*: quamuis
ex eccleſiaſticis prouentibus non tantum percipe-
ret, & Carolus V. initio imperij ſui litteris ad Pau-
lum datis facultatem concederet, vt in regnis Sicu-
lo, & Neapolitano redditum perciperet (tum vſus
recurreret) trium millium aureorum. Nil tamen in
eis regnis percepiſſe ſcimus. Leo X. vt optime me-
renti conſuleret, die 6. Februarij 1520. Landēſi Ar-
chiepiſcopatu ornauit . Primas iſte & Legatus in
regno Daciæ ad Oceanum Germanicum ; quem ta-
men in virum optimum tranſtulit , quingentorum
aureorum penſione contentus, quam ſemel , aut
iterum recepit, bello coorto ob tyrranidem Regis
Chriſtierni . Leone defuncto, curam Conclauis
ſuſcepit, in quo creatus Hadrianus VI. cauſam iu-
dicandam ſuſcepit Cardinalis Volaterrani, qui tur-
batæ pacis, læſę Maieſtatis, parricidii accuſatus in
arce ſeruabatur S. Angeli ; factaq. inquiſitione
cum pronuntiaſſet inſontem , Hadriano placuit ,
atque Collegio, ob purpuræ immunitatem , Sedu-
ſiorum propterea cathedra auctus, plaudente Sena-
tu, auctior tamen minimè factus, quòd pagi Sedu-
num conuenientes , duce *Georgio Supraſaxo* ( quem
multis iniurijs Matthęus Cardinalis, & Sedunenſis
Antiſtes affecerat) iuraſſent nullum vnquam in An-
tiſtitem externum admittere, vel Cardinalem; &
Canonici vi coacti Philippum Plateam ex eorum
corpore delegiſſent . Gemini itaque Epiſcopatus
fruſtratus redditibus, neq. à Leone X, neq. ab Ha-
driano VI. tantos redditus accepit, qui quatuorcen-
tum aureorum ſummam attingerent . Clareual-
lis Monaſterium apud Inſubres cum habuiſſet
à Clemente VII. commendatum, ſed tantis graua-
tum penſionibus , vt annuatim Paulus 200. aureos
de ſuo impenderet, & paulatim ſumptus cum reddi-
tibus compenſationem recepit non diſſimilem ſu-
per eccleſię Tuletanę fructibus, quàm Archiepiſco-
po ſoluere recuſante, quòd Regij patronatus eſſet,
Paulus, vt contentio quieſceret , ius ſuum omne re-
miſit, plures reperies Paulo collatas eccleſias Nar-
nienſem, Ortanam, Tudertinam, Ceruienſem, To-
lonenſem, quibus cum præſens vacare non permit-
teretur , nec vnam retinuit , Narnienſem Bartho-
lomęo patruo Eccleſiæ Canonico , Ortanam , &
Caſtellanam Auditori ſuo; Tudertinam Federico
fratri, Ceruienſem Octauio fratri, eoq. mortuo,
Ioanni Andreę patrueli; Tolonenſem Triuultio re-
liquit: Lucanam, Agennenſem promptiſſimè , vel
ignotis ceſſit, neq. vnquam tanto onere ſe premi ſu-
ſtinuit. In his verò, quas ſimul obtinuit, certas inſti-
tuit eleemoſynas, quibus fiebat , vt non modò fru-
ctum nullum perciperet , ſed etiam de ſuo multum
adderet, intelligi volens; non ad amicos comparan-
dos, aut inanem laudem quærendam, ſed ex officio,
& religione huiuſmodi largitionem fieri : propte-
rea ſeorſim poni volebat, quod propinquis impen-
debatur, & amicis ab eo , quod in eleemoſynis di-
ſtribuebatur . Extant frequentes litteræ , quibus
mandat nullo caſu intermittendas eſſe eleemoſy-
nas, *mallens ſe carere , atque inopia opprimi , quàm eas
imminui . Si lautiſſimè agitare non potero , in illarum
vna humillimè viuam : non erunt tam multa veſtes; con-
tentus ero paucioribus; alam minorem familiam , omnia
faciam, priuſquàm iſta deſerantur*. Permulta quoque
iuſſit ſacella ędificari. Minora Sacerdotia in eadem
perſona non cumulabat, odio perſequens abuſum,
quo ſexcenta quandoq. Sacerdotia vni homini con-
ferebantur. Iuxta canonicas ſanctiones, nolens in
duabus eccleſiis hominem preſcribi , inter viros
A optimos, doctiſſimos diſtribuebat tanta celeritate,
vt metuere videretur non inuenire, qui acciperet.
In omnibus Regum cauſis delegatus Anglicanum
inquiſiuit diuortium à Rege expetitum . Aduerſus
Ferrariæ Ducem Triumuir. Signandis Iuſtitiæ, &
Gratiæ libellis præfectus ; tum ſi quid Cæſari aut
Regibus reſpondendum fuit, hoc ei onus impoſuere
Pontifices, vt ex eius archetipa manu ſcriptis , &
emendatis, Quicquid ex Legum , & Iuriſperitia
ſtatui oportuit, ex vna ipſius domo prolatum . De
re pecuniaria deliberantibus præfuit . Nemo ex
collegis plures accepit à Principibus litteras; An-
gliæ, & Hiberniæ Regni Protector abſente Campe-
B gio per Germaniam Legato, Protector Ducis Allo-
brogum, Ordinis Camaldulenſis, Heremitarum Pi-
ſanæ ſocietatis, & quaſi Cenſor, mandante Paulo
III. Ejus ſumma eruditio occaſio fuit; vt nemo cre-
briùs de dandis Eccleſiis, & minoribus Sacerdotiis
conferendis ad Senatum, & ad Pontificem referret.
Germanicas multas propoſuit , plures Gallicas,
& Anglicas , Hiſpanicas , exteraſq. quas In-
fidelium . Tanta rerum cognitione ac prudentia
præditum cum Patres probè ſcirent, onus ei impo-
ſuerunt, vt ſuo arbitratu epiſtolis reſponderet, quæ
ad Cardinalium Collegium mittebantur eo tempo-
re , quo Carolus V. tempus quærens , vt interim
C commodiùs à ſuis Ducibus bellum gereretur, litte-
ras dederat ad Senatum, quibus teſtatum volebat,
ſe eſſe pacis cupidum, iniuſtè ſibi bellum inferri, Pa-
pam malè profundere Eccleſiæ theſauros ; obdor-
miente Papa Patres Concilium indicerent , &c.
Æmilius reſpondit ; *ſi Cæſar pacem peteret , cur eius
duces tam ſegniter incumberent in occupanda Italia bello
iam deuaſtata ? iuſtam fore Cæſaris poſtulationem de Ec-
cleſia theſauris, ſi per eius duces vi ablata reſtituerentur :
quòd ad Concilium, neminem poſſe , præter Chriſti Vica-
rium , conuocare ; iamq. eo rogante indictum, cuius po-
teſtati meminiſſet Carolus ipſum primo fore obnoxium ,
cuius Dux Vgo Moncada tantum cōflaſſet incendium, qua
D cum Cæſaris ęterna infamia , SS. Eucharistia, SS. Apo-
ſtolorum domicilia euerſa, diuina omnia , atque humana
conflagrarant*.

Quanta porrò familiaritas Paulo Æmilio cum
Clem. VII. P. M. intercesserit? incredibile dictu .
Nil tamen arroganter agens, ſi quid priuatim opta-
ret, id ab aliquo ex aſſiduis Cardinalibus peti cu-
rabat : neque Pontifex nepotem vllus magis ama-
uit, quàm ille veterem amicum Paulum dilexit .
Quanti eum faceret Clemens? ab vno diſce omnia.

Inter Cardinales cum aliquot adſcribi poſcerent tāquàm in Arce S. Angeli, à Clemente creati, hacque fide magnam ſoluiſſent pecuniæ partem, graui tamen infamiæ periculo aduersùs Pontificem; quòd inuitus in ea trepidatione, rerum & pecuniæ egentiſſimus alios creaſſet, alios nominaſſet, nec ſatis conſtaret, quiuam ij eſſent: in tam arduo negotio, petitores ad Paulum remiſit, *Agite* [inquit] *cum Paulo Æmilio. Conſulat ille; quod æquum iudicarit, ratum eſto.* Capta vrbe, cum ciues, atq. incolę Romani ſpoliarentur, fame, gladio, peſte, carcere; tantam & ipſe cladem ſubijt, quantam memorare non licet, paternis non ſolùm direptis ędibus, ſed A Cæſiorum omnium argento, veſte, ſuppellectile amiſſa, æger, inops cum Angelo patre, & Octauio fratre in arcem Hadrianam confugit cum Papa; fratrem L. Veſpaſianum vix triduò ante captam vrbem extrudere in Picænum potuerat: ſibi enim, & patri non videbatur triſtiſſimo illo tempore Pontifex deſerendus, cum quo ſeptem Menſes in arce partim obſeſſus, partim cuſtoditus, neceſſe habuit fratrem Ioannem ab hoſte captum redimere, eiuſdemq. temerè factis mederi, coactus interim Sacerdotia ſua imminuere; vt promiſſa militi ſolueret pro ſua, patris, honeſtorumque ciuium Romanorum Raymundi Capitis Ferrei, Ricchardi Marracoſti, alio- B rumq. libertate. Duabus ſororibus captis, Moniali vna, coniugata altera, & ad Interramnates deductis ſuccurrere. Subleuandus Federicus frater, qui in Gallijs rerum omnium egenus, peregrinus agebat; vaſtatis agris, vænales fructus nec emptorem haberent. Fames tanta, vt fœdiſſimorum animalium carne veſcerentur. In tantis erumnis fide conſtans abſq. vllo quæſtu Pontificis latera ſemper ſtipabat: cuius modeſtiam admiratus Paulus, Sacerdotia aliquot tunc vacantia in eum contulit; eiuſq. patri Ceruiæ Epiſcopatum, filio Peruſinum, Valliſpontis monaſterium, quod Armellini fuerat. In tanta miſeria ſolus litterarum cuſtos, poſt Vrbis cladem, C cum adhuc in Hadriani arce cuſtodiretur; eiuſq. bona in incerto eſſent, & de ſalute deſperaret, nihil antiquius habuit, quàm antiquas curare Inſcriptiones, inquirere, an tabulæ à militibus perderentur; teſte Iano Vitali.

*Si genitorem humeris quod poſt euerſa taliſſet*
*Pergama Tros, iterotrs dicitur eſſe prius.*
*Quæ tibi ſpes patria lux, & clariſſima* Cæſi
*Debentur meritis nomina digna tuis.*
*Tu legis .... lacrymoſa cadauera Romæ,*
*Et facis ęterna poſteritate frui.*
*Tu reparas quicquid caries abſumit, & ignis*
*& quicquid duro tempora dente tenent.*
*Viua tibi ſpirant Romanæ robora molis*
*Imperij quorum vix ſatis Orbis erat.*
*Macte animo illuſtri qui fracta, atq. ore repulſa*
*Iſta tua patria non ſinis oſſa mori.*

Poſt ſeptimum demum menſem ex arce Papa eductus, inter vades Cæſium tradidit, quem Pompeius Columna non paſſus tam longè in hoſtium poteſtatē abſtrahi, fideiuſſorem iis ſe prębens in Tuſculanū perduxit. Obitu poſtea grauatus genitoris, Roma Bononiam deſcendit cum Clemente Pontifice, ad reconciliandos Bononienſes, miſſo Octauio fratre cum Cæſarianis Legionibus Florentiam Mediceo nomine recipiendam. Paulus verò Hippolythum Cardinalem Mediceum Iuliani filium, & in demortui Pompeii Columnæ locum V. Cancellarium S. R. E. factum, rerum omnium imperitum formandum, imbuendumq. iubente Papa ſuſcepit, omniq. ſtudio adimpleuit; quamuis immatura morte ſublatus adoleſcens gemino vulnere ſeipſum, & præceptorem confecerit.

Vitam Paulus deſeruit mortalem die 5. Auguſti, hora ſeptima noctis, Salutis Anno 1537. ętatis 52. vel 56. Eius cadauer in Baſilica Liberiana, ſepulchro exceptum maiorum quieſcit cum epitaphio.

*D. O. M.*

*Paulo Æmilio Caſio S. Euſtachij Diac. Card. à Leone X. electo, Libellis Gratiæ ſignandis præfecto, à Clem. VII. ad præcipuas res gerendas adhibito, Baſilicæ huius Archipresbytero, Federic. Card. Fratri benèmerenti pos.*
B *Vixit Annos 56. Obijt An. Sal. 1537. quinto Non. Auguſti.*

Super eodem ſarcophago, Angeli, & Franciſchinæ coniugis viſuntur ſimulacra, in quorum marmoreis baſibus ſculptum legitur.

*D. O. M.*

*Angelo Caſio Petri iterum Senatoris Vrbis filio, Aduocato Conſiſtoriali primario, Pauli, & Federici Cardinalium Patri, Federicus filius Cardinalis poſuit.*
*Vixit Annos LVI. Menſ. IV. dies IX. Obijt S. A. 1528. die 6. Feb.*

C E conſpectu ſtat coniugis monumentum cum ſepulchrali inſcriptione.

*D. O. M.*

*Franciſcinæ Cardulæ Angeli Caſij vxori, Catamelatæ Venetorum exercitus Imperatoris nepti, Cardinalium matri Federicus filius Card. poſuit. Vixit Annos 57. Menſes II. dies XI.*

*Obijt Sal. An. MDXVIII. Die XV. April.*

Bzouius, Vghellus, Panuinius, Contelorius, Nomenclator, Ciaconius, Paulus de Angel. *De Liber. Baſilica*. Carolus Carthar. *De Aduoc. Conſiſto-*
D *rial.*

*47. Qui fuerat Romæ obſes,*

1. Maccab. 1.



ALexander Cæſarinus, Italus Romanus ex Apoſtolico Protonotario Diaconus Card. *SS. Sergij & Bacchi* aſſumptus à Leone X. die 26. Iunii, Anno 1517. poſtea à Clemente VII. *S. Mariæ in Via Lata*. Epiſcopus eccleſias rexit *Albanam*, *Præneſtinam*, Pampilonenſem, Conchenſem, Hieracenſem, Oppidenſem, Alexienſem, Hidruntinenſem, & Brixienlem (de Brixienſi tamen nulla mentio apud Vghellum) Electo in Pontificem Hadriano VI. Cæſarinum Cæſarauguſtam miſere Patres, vt nouum Pontificem Romam inuitaret, Vrbe à Cæſarianis direpta obſes datus militibus, donec lytrum ſolueret Papa promiſſum, Sub Paulo III. legatus ad Carolum V. victoriam congratulatur expugnati Tuneti: iterumq. Sal. An. 1537. eodem iubente Paulo ad Reges legatus pro pace ineunda Chriſtianæ Reipublicæ, poſtea Officialium cenſuræ præfectus ditionis Eccleſiaſticæ; tandem ad Concilium œcumenicè celebrandum miſſus, cum comitiis interfuiſſet Hadriani VI. Clementis VII. Pauli III. vitam ſoluit mortalem die 13. Februarii 1542. ſepultus ad Aram Cæli, in gentilitio ſepulchro, luctu Reipublicæ litterariæ, quæ pullata longo tempore patronum planxit amiſſum, De illius doctrina egregium habes Pauli Manutii teſtimonium, *Qui maiorem* (ait ille) *aut iuris ciuilis, aut ſacrarum litterarum cognitionem ſit conſecutus? neminem conſtat*, Aliud habes in Iacobo Cardinali Sadoleto, cuius ad Cæſarinum ſunt ſequentes epiſtolæ:

*Iacobus Sadoletus Cardinalis, Alexandro Cæſarino S. R. E. Cardinali S. P. D. Non ſum auſus dare ad te ante hac quicquam litterarum, quòd cum res non eſſet ulla digna, quæ ſcriberetur, inanem ſermonem litterarum tibi iniucundum fore putaui. Etſi me quidem ad ſcribendum ſæpius ſtimulabat cùm mea inſignis erga te obſeruantia, ſimul, & beneuolentia, tum illud iudicium, quod ego de tuis eximijs virtutibus præclarum iampridem feci; poſtea quàm cognoſcere cæpi in Senatu tuis audiendis, notandiſque ſententijs, quæ tua eſſet in Chriſtiana Rep. mens, quàm rectus ſenſus, vt prudens, & apta conſilijs explicandis, ex tuo ore maneret oratio. Verùm, vt dixi, veritus occupationem, & grauitatem tuam, nihil adhuc ad te ſcripſi. Nunc cum & magna res mea agatur, ſiquidem nihil mihi ab his populis, qui in fide mea ſunt, eſſe diſiunctum poteſt, & in tua non ſolùm auctoritate, & gratia, quam ego permagni facio, verùm humanitate etiam, & bonitate, magnam mihi ſpem habeam propoſitam, ea conſequendi, quæ huic prouinciæ ſalutaria eſſe poſſint; conſtitui ſcribere ad te, & tibi in primis cauſam populorum meorum commendare; omni te animi ſtudio deprecans, vt quamquam mea erga te merita nulla admodum ſint, quæ cuperem equidem permulta eſſe, quo meum erga te ſtudium, & animum cognoſcere potuiſſes: tu tamen nobilitate, & liberalitate natura tua adductus ſuſcipias horum patrocinium populorum, atque in eis rebus obtinendis, quas ipſi iuſtas, honeſtaſque petierint, fautorem illis, & patronum apud ſummum Pontificem præbeas. In quo non mihi ſolùm rem gratiſſimam feceris; hancque tibi gentem in perpetuum obligaris; ſed conſules etiam officio, & dignitati tuæ; nam & nobilitatis eſt plurimos homines beneficio comprehendere; &* A *horum populorum in iſtam ſanctam Apoſtolicam Sedem ea eſt fides tam inſignis, conſtanſq. obedientia, vt non videam, qui illis in hoc genere virtutis, & fidelitatis pares habendi ſint; itaq. quicquid illis datur, id Sedi Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ auctoritati datur: Quapropter eos tuæ etiam atq. etiam fidei, benignitati, ſapientiæq. commendo; quid poſtulent, & quas querimonias deferant, ipſi te per Legatum, & ſuarum actorem edocebunt. Nec tamen grauiore malo premuntur, quàm Iudæorum, qui incredibile eſt, quantis, & quàm varijs hanc totam prouinciam damnis, iniurijſq. afficiant; quos ita ferre, vel ita fouere potiùs non ſolùm his plebibus perniſioſum eſt, ſed nomini etiam noſtro apud tranſalpinas nationes turpe: verùm* B *tu hæc melius pro tua ſumma prudentia conſiderabis. Ego pro officio meo, & quòd hos populos verè paterna charitate complector tantam capio, de commodis, & rebus eorum omnibus, curam, vt maiorem de meis capere non poſſim. Quo etiam maius tuum erga me hoc beneficium futurum eſt, quàm ſi pro meipſo aliquid laboraſſes: cum horum hominum ſuſceperis defenſionem, quorum mihi ſalus, & tranquillitas in intimo corde penitus infixa eſt. De hac eadem re dedi ad ſacrum Collegium noſtrum litteras; quas tecum iuſſi antea communicari, ut cum iudicaſſes reddendas, tum redderentur, Vale ampliſſime Cæſarine, & mei abſentis, tibique deditiſſimi res, vt tuam præcipuè decet nobilitatem, tibi habe commendatas:* C *iterum, & ſæpiùs vale, Carpentoracti ipridie Non. Octob. 1539.*

Poſt has ſcripſit alias tenoris ſequentis.

*Iacobus Sadoletus Cardinalis, Alexandro Cæſarino S. R. E. Cardinali S. P. D. Quâta in virtute, qua auctoritate, & conſtantia cauſam horum populorum in Vrbe tutatus eſſes, fuerat mihi quidem à meis ſcriptum; in primiſque à Carolo Gualteruccio, qui & mihi amiciſſimus eſt, & tuæ amplitudinis, ut multis ex rebus cognoui, ſtudioſiſſimus, Sed nouiſſime Legatus prouinciæ huc reuerſus, apertiùs omnia, & certius explanauit, idemq. demonſtrauit ciuibus ſuis, quod uetera iura, & beneficia Romanorum Pontificum,* D *quæ huic nationi, pro ſingulari eius erga iſtam Sanctam ſedem fide, & obedientia ſæpiùs conceſſa, tributaq. ſunt, noua Pontificis approbatione firmata fuerint, tua id potiſſimum auctoritate, & gratia fuiſſe effectum. Quam Legati orationem, commemorationemque maximi abs te accepti beneficij ſumma ab his populis laus, & ſumma beneuolentia conſecuta eſt; itaq. nomen hic tuum in magna nunc gratia, & gloria eſt. Nos autem cogitabamus, vt primùm eſſet meſſis facta, conuocare totius prouinciæ Concilium, facereq. omnes etiam rerum, quæ in*

*Vrbe eſſent geſta, participes. Quod cum ſit, ſi benè ego horum hominum animos perſpectos habeam, non commiſſuros puto, vt in ingratos tantum tuum donum collatum eſſe videatur; nec tamen vltrà progredientur, quàm vt de fructibus prouinciæ aliquid in iſtam Vrbem mittant, quo patronis, & defenſoribus ſuis optimum ſuum animum poſſint declarare, Sed hæc, quæ alienæ poteſtatis ſunt, parcius à me ſunt prædicāda. Quod autem propriè ad me ipſum pertinet, cum intelligam te in hoc patrocinio populis mei præſtando, magnam honoris mei habuiſſe rationem; & ad tuam præſtantem, beneficamq. naturam aliquid momenti, & ponderis addidiſſe eam beneuolentiam, qua me proſequeris; vellem equidem, ſed non inuenio apta verba, quibus tibi agam meritas gratias. Sed tamen quas oratione exponere non poſſum, vt tibi aliquando rebus ipſis referam, omni amore, fide, ſtudio, diligentiaq. curabo; quapropter hoc officium in tempus aliud magis commodum reijciamus. Ego quod ſemper maximoperè optaui, poſteaquam ſum tua bonitate conſecutus, vt in fidem tuam, clientelamq. reciperer, te rogo, atq. oro Cæſarinæ præſtantiſſime, vt eodem erga me animo eſſe perſeueres. Principia mei abſentis tuendi, atq. fouendi à tua nunc libera voluntate profecta ſunt; fuerunt enim tota humanitatis, & liberalitatis tuæ, nunc legem tibi ipſe benignitatis, conſtantiæque tuliſti, qua quidem lege ſummi viri, & nobiles,* B *& magnitudine animi præcellentes adſtringi ſolent. Quorum tu ſimilis, & par, etiam hoc genere virtutis, atq. officij nemini futurus es ſecundus; vt qui ſe tibi ſemel addixerint, eos tu ſemper tua gratia, auctoritateq. protegas. Ego quæ meę erunt partes, operam aſſiduè dabo, vt neq. de tua erga me beneuolentia, neq. de mea in te obſeruantia labore vnquam vllo afficiare. Vale. Carpenctorati pridie Nonas Iulij. 1540.*

Ciaconius. Panuin. Victorel. Vghel. Auber. Contel. Ioannineſchus *Monar. Medic.* Martinel. *de Diac. S. Mariæ in via lata.*

48. *Ego ſum illa mulier, quæ ſteti coram te orans, ad Dominum. Pro puero iſto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam: ideircò & ego commendaui eam Domino, cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino.* 1. Reg. 1. C



HErcules de Rāgonibus Comes, Italus Mutinenſis, Nicolai Comitis bello clari filius ex Blanca Bentiuola, cuius pietate, & educatione ad altaria adoleuit. Sub Lælio Gyraldo ſtudiis imbutus humanioribus, Ioanni Mediceo Cardinali nomen dedit, futuro Leoni X. qui in Rauennate clade Gallorum captiuus Bononiam ductus vnà, cum Hercule, ibidemq. exſybillatus, exceptis Bentiuolis, Mutinam venit non tamen intromiſſus ne in libertatem vindicaretur, honoratus tamen ornamentis ad cultum neceſſariis à Blanca Herculis matre, ad Padum tractus, vt inde obtorto collo in Galliam aſcenderet, Herculem dimiſit ad matrem, quem Matrona magnanima ſocium dederat captiuitatis. Ibi ruptis vinculis, cum ſe in libertatem vindicaſſet Mediceus Placentiam profugit, inde Mantuam vbique liberaliter exceptus opera Blancę Herculis matris. Hinc Ioannes grati animi ergo Pontifex dictus, Herculem cubiculariorum ſuorum principem inſtituit, & Protonotarium Apoſtolicum, deinde die 26. Iunii, 1517. Diaconum nominauit Cardinalem *S. Agathæ.* Epiſcopus pręfuit eccleſiis Cauenſi, Mutinenſi, Adolenſi, & Nazarjenſi in regno Neapolitano, Cardinalis dictus, à Ciuibus Mutinenſibus malluccio, & lagena argentea valoris aureorum 100. Co- A
mitiis adfuit Hadriani VI. Clementis VII. Ordinis Senatorii decus, amor, deliciæ. Vir perpetuæ laudis, virtutis, & eruditionis, in Romano ſpolio vitam amiſit, menſe Auguſto 1530. Romæ, in arce S. Angeli ex peſtilentia; vel vſu Aquæ callidæ, quam Medicus obtulerat imperitus. Sepultus quieſcit in ęde S. Agathæ, quam cum hortis magnificè viuens inſtauraueraт, imagine erecta S. Agathæ, carmine exornata ſequenti.

*Diua tibi Rango dedicat effigiem.*

Lęlius Gregorius Gyraldus, quo Hercules ma-
B giſtro vſus fuerat, eius obitum ſequentibus defleuit.

*Vnus præterea fera ſolatia vitæ*
*Reſtabat Rango, Rango clariſſimus inter*
*Purpureos Patres iuuenis, Sanctumq. Senatum,*
*Quem mihi iampridem puerum mandarat alendum*
*Mater, nunc iuuenem ſenior comes aſq. ſequebar.*
*Me iubet ille bono eſſe animo, citoq. affore tempus,*
*Quo lateris, ait, mutataq. fata videbis.*
*His me nequidquam dictis ſolabar amicis.*
*Neſcius, ah, iuuenem quàm triſtia fata manerent,*
*Ecce autem ardentes torret cum Sirius agros*
C *Cucis egea vrit ſenſim præcordia febris*
*Ignibus, interiuſq. ardens depaſcitur artus,*
*Occidis in media Rango ſurrepte iuuenta,*
*Occidis ò Patrum magnum Pater ornamentum:*
*O uanas hominum ſpes, ò hominum irrita vota.*
*Otia quę modò ſpondebas, melioraq. vitę*
*Tempora, nunc lacrymas tantùm, & ſuſpiria linquis*
*Rango mihi, & ſera tantùm diſpendia vitę,*
*Æternum verò ſalue mihi maxime Rango,*
*Æternumq. uale, prohibet ſors plura daturum.*

Ciaconius. Panuin. Garimber. Sanſouin. Auberij. Contel. Victorel, Vghel. Ludouicus Vedrianus
D *de Cardinal. Mutinen.* Petrus Bembus. Chriſtophor. Bronzinus *de nobilitate Mulierum, p.* 102.

49. *Et dabo pueros principes eorum : & effeminati dominabuntur eis*. Eſai. 3.



GVillemus Iacobus, vel Io: Guillelmus Groij, vel Croia familia apud Belgas illuſtriſſima natus, Henrici Porciani in Campania Gallica Comitis, & Principis d'Arſchot, & Catharinæ Caſtrobrianicæ filius, ex electo Epiſcopo Cameracenſi, & Abbate S, Petri, intercedente Carolo V. Imperatore, iuuenis, ac penè puer, Diaconus dicitur Card, *S. Mariæ in Aquiro*, Cal, April. 1517. & ab eodem Leone X. Toletanæ Adminiſtrator aſſumptus eccleſiæ, duabus tamen ex quatuor partibus reddituum demptis (quas Papa duabus Cathedralibus erigendis aſſignauit) paulo poſt venatum profectus, equo delapſus generoſo venam diſrupit, vitaq. exceſſit, non viſa Hiſpania, die 31, Decemb. 1523. vel pridie Non. Ian. 1521. ętatis 23. Deo ſuos inſtruente Vicarios, ne pueris committant eccleſiam, Io cænobio conditus Cæleſtinorum, *Heuerle* dicto, in pomerijs Louanienſis Accademiæ, parentum ſumptibus ędificato, Templo auguſto, cenſu addito, arce adiecta: quæ omnia Anno huius ſæculi, 1605. inſtaurata viſuntur, montibus etiam in planitiem deductis à Carolo Arſchotano Duce, inſtaurato cum epitaphio,

*Guillelmo Croio*
*Card. S, Mariæ in Aquiro, Archiep. Toletano, Hiſpaniæ Primati & Caſtellæ Regni Cancel. Epiſcopo Cameracēſi, Imperij Principi Cambreſii Comiti, Abbati Affligemenſi; obijt Vuormaciæ, Carolo V.*

Eius memoria in epiſtola typis data ad Ludouicum Viuem Valentinum, qui D, Auguſtini libros de Ciuitate Dei eſt commentatus, & in huius Cardinali famulitio fuit.

Ciaconius, Panuinius, Contelorius, Victorellus, Auberii, Sanderus *in elog.*

50. *Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam*, Pſal. 100.



IOannes de Lorraine Lotharingus Renati Regis Hieruſalem & Siciliæ, Ducis Lotharingi, & Calabrię tertio genitus ex Philippa Gueldria, quæ poſtea profeſſa eſt ordinem S. Claræ, Barri naſcitur die 9. Aprilis 1498, Claudij frater primi Ducis Guiſiæ, & Ludouici Epiſcopi Metenſis. Quadrimus Coadiutor electus ab Alexandro VI. R. P. Metenſis Epiſcopatus (res noua, & portentoſa plena ſcandali in Eccleſia Dei) Anno 1501. permittente Alexandro VI. Plurimorum Epiſcopatuum ſacerdotia ſubiit, vt Tulleoſe, Anno 1517. Morinenſe Anno ſequenti, Narboenſe Anno 20. Virdunenſe 23. Lucionenſe 24. Valentinenſe Anno 33. Archiep. Rhemenſem eodem Anno, Lugdunenſem 36. eodemq. Anno Albienſem, è quibus tria opima retinuit Tullenſe, Albienſe, & Narbonenſe, Abbas etiam cænobiorum Gorgienſis, Fiſcanenſis, Cluniacenſis, & Maioris Monaſterii, quorum Sacerdotiorum maiorem partem Ioanni Lotharingo reſignauit frater Ludouicus IV. Renati filius. Cardinalis Diaconus *S. Onuphrij* aſſumitur à Leone X. quinto Cal. Iunii 1518. promotione ſeptima, ipſe ſolus. Laudatur ab Andrea Victorello tanquàm vir religione, morum integritate, humanitate laudabilis; adiicite vos dignitatibus, & muneribus inſatiabilis: quæ tamen ad eius extinguendam ſitim non ſufficiant, ita volente Deo. Hinc vrbes dominii Metenſis Ramberuillęam, de Moyenuic, & de Baccarat, Antonio oppignorauit fratri ſuo Duci Lothareno, die 5. Ian. 1521. (teſte *Meurſſe hiſtor. eccleſ. Meten. & Frizonio*) conſentiente Capitulo: quòd Ioanni Romam profecturo magnæ erant impenſę faciendæ. Anno 1527. eidem fratri ſuo poſſeſſionem conceſſit feudi & Comitatus de Saruerden, mortuo vltimo Comite Io: Iacobo de Moers, & de Saruerden; ea enim conditione datus fuerat ante Annos centum, Friderico de Moers primo Comiti de Saruerden; vt ſi abſq. maſculis huius familiæ proceres decederent, ad Epiſcopatum reuerteretur, An. 1529. Epiſcopatum Metenſem nepoti ſuo quinquenni Nicolao ceſſit, retentis fructibus, & regreſſu; quod poſtea Tridentinum Concilium *Seſſ.* 15. c. 7. prohibuit, Ioanne viuente; Annos viginti cum attigiſſet Nicolaus, Metenſis Antiſtes eſt nuncupatus; verùm cum ad ſæculum rediiſſet An. 1548. ad Epiſcopatum Ioannes rediit. Tanta verò perſonarum mutatione audita Carolus V. in eccleſia Metenſi, inquiri mãdauit, veritate autem cognita, quieuit. Legatus à latere in tribus Epiſcopatibus Tullēſi, Virdunenſi, Metenſi plures accepit epiſtolas à Iacobo Sadoleto Cardinali; à Marino Salmonio in libris hymnorum, *Regum potentium progenies* dictus, ita Franciſco I. charus, vt nunquàm repulſam paſſus legatur. Legatus ad Carolum V. Imperatorem Anno 1536. ad pacem firmandam; pluribus adfuit comitiis pro Religionis tutela, coactis Vormatiæ, & Eſlingii. Non deſunt Hiſtorici grauiſſimi, inter quos Iacob Thuanus *lib. 6*. qui breui periodo famam huius Cardinalis obnubilent. *Roma redierat Ioannes poſt creationē Iulij III. & in itinere 6. Idus Maij*, 1550. *Nouiani ad Ligerim vico cum cænarent, apopleſia correptus, ſolo voluptatum miniſterio, & ſtolida libertate Franciſco charus, quibus iuſtam Regis indignationem erga Claudium fratrem conceptam olim mitigauerat.*

Neuiaci mortuus, Ionuillæ primùm, Nanceii deinde ſepultus apud Franciſcanos, pompa funeris deſcripta ab Edmundo Lotharingo.

Nummiſma recurrit huius Cardinalia cum effigie mulieris virtutem exprimentis in prima facie; in altera legitur, *Sic itur ad aſtra*.

Ciacon. Frizon. Claud. Rober. *Gallia Chriſtiana* Io. Chenu *de Ep. Galliæ*. Vghel. Cootelor. Auber. Victorel. Martinus Marier. *Biblioth. Cluniac.* Eius memoria apud Lazarum Bayſium, qui ei opus inſcripſit *de Re Veſtiaria*: & tractatum *de Iuſtitia* Hieronymus Perboni Marchio Inciſæ, & Ouiarum Dominus.

51. *Notam feciſti in populis virtutem tuam.* 76. Pſal. 15.



IOannes Saluiatus Italus, Florentinus, Iacobi filius, & Leonis X. R. P. nepos ex ſorore Lucretia Medicea, natus die 24. Martii, 1490. Annum agens vigeſimum ſextum ætatis, ex Protonotario Apoſtolico, Diacon. Card. aſſumitur *SS. Coſmæ, & Damiani*, die 26. Iunii, 1517. primus qui familiam ſuam ornaret purpura, fratrique Bernardo gradus, vt & ipſe ſub Pio IV. purpura ornaretur. Plures adminiſtrauit eccleſias ex ſeculi abuſu, Firmanã in Piceno, Volaterranam in Hetruria, Trancenſem in Apulia, S. Seuerinæ in Calabria, Fanenſem in Vmbria Maritima, Theanenſem in Campania Felici, Bitectenſem in Barrenſi Ducatu, B Albanam, Sabinam, Portuenſem in agro Romano; nec ſatur (ſecundum nonnullorum teſtimonia) Biterrenſem, Olorenſem. Vaſionenſem in Gallia; Francorum proponente Rege Franciſco I. cui vnicè charus erat. Magni Coſmi primi Hetruriæ Ducis patruus, Henrici II. Gallorum Regis affinis plurimis legationibus magnam ſibi conciliauit gloriam, ſub Clemente VII. Parmæ, & Placentiæ Legatus Apoſtolicus, inde in Galliam, mox ad Cæſarem in Hiſpaniam, iterumq. in Galliam, tempore direptæ vrbis à Borboio, vt Rex Pontificem vindicaret. Pro pace iterum in Hiſpaniam, ad Cæſarem miſſus Senatus conſenſu, conſulto renuit, ne ipſe cum aliis C eccleſiæ Cardinalibus, in Cęſaris poteſtatem vltro pergeret. Ab hoc Cardinali Legato Toleti degente priuilegium recepit Confraternitas Conceptionis Crucem publicè deferendi. Sub Iulio III. Anno Iubilęi, portam Sanctam D. Pauli aperuit, vt ex pummiſmate. Prudentia inſignis, virtutis ſplendore percelebris, omni ſcientiarum genere ornatiſſimus domum ſuam veluti litterarum aſyllum, benemeritis patere voluit. Baptiſtam Pignam, Gaium, Arioſtum, Lelium Gyraldum habuit in partibus. Librum *de Catholicę eccleſię extructione*, ei dicauit Sadoletus; Cõmẽtarium in Pſal. 93. eidem miſit, vt corrigeret, & probaret: eidẽ plures dedit epiſtolas, quas habes D in eodem Sadoleto. Tereſia etiam Foſcaria dicauit ei D. Franciſci Vmbrigenæ geſta carmine heroico, ſequentibus ita præfando.

*Auguſte Antiſtes, quo hoſpite Romula ſedes,*
*Inclyta honoratum tollit in aſtra caput*
*Ne vana interdum pertentent otia mentem,*
*Ingeniumque grauis torpeat inde ſita.*
*Accipe quæ facili tam luſimus alta camœna,*
*Carmina non animo diſplicitura tuo.*
*Hic artem, hic mores, & grandia facta videbis,*
*Vmbrigenæ cecinit quæ mea Muſa tibi.*
*At ſi quid doctas erratum offenderit aures,*
*Corrige, nam vt placeam, diſplicuiſſe dolet*

Inter litteras Principum vnam Henrici VIII. Angliæ Regis inuenies ad Saluiatum, aliam Catharinæ Cibo Camerini Ducisſæ; nec non Cardinalis Lotharingi. Aliam Cardinalis Corteſii, inter eiuſdem Corteſii epiſtolas Venetiis editas Anno 1573. Comitiis cum interfuiſſet Hadriani VI. Clementis VII. Pauli III. poſt huius obitum, clauum tenuiſſet eccleſiæ vniuerſæ, ni Carolo V. ſuſpectus ob affini- A tatem cum Henrico II. Gallorum Rege: vnde Iulium III. ſubrogarunt.

Picturà cum delectaretur, Franciſcum *Cecchinum* puerum Florentinum cælebrem illius æui pictorem, in familiam aſsumpſit, eiq. inſignia indulſit; propterea Cecchinus *Saluiatus* appelletur.

Rauennæ lucem amiſit 5. Cal. Nouemb. 1553. cum Roma ad oppidum Gualdum perueniſſet, ibi correptus appoplexia, Rauennam delatus in cænobium Portuenſe, Sacramentis ritè procuratus diſceſſit. Cadauer Ferrariam relatum quieſcit in templo maximo. Eius laudes Ianus Vitalis contexuit

*Culmine qui viget in ſummo virtutis, & æqui*
*Et Sanctitatis gloria.*
*Cui decus eloquij, cui Cœli ac culta pateſcunt*
*Deiq. pia qualitas:*
*Cui cauſas natura ſuas pateſecit abundè*
*Et clara fecit omnia*
*Quem genuit flos Italię Florentia mater*
*Hic Saluiatus eſt pater.*
*Non dolus externus, non illi iniuria præſens*
*Accendit iracundiam*
*Illius in ſancto fas ſemper pectore viuit*
*Et nuda ſemper veritas*
*Ingenue magnas res tractat, docet honeſtum*
*Et eſſe ſummam gloriam,*
*Nil conſcire ſibi nulla pallescere culpa*
*O mniq. abeſſe crimine*
*Macte animo illuſtri, & pietate inſignis, habebit*
*Decet quod iſta ſanctitas.*

Ciacon. Panuin. Vghellus. Auberii, Nicolaus Sanmartan in *Gallia Chriſtiana*. Hieron. Rubeus *hiſtor. Rauen.* Guicciardin. Victorel. Hippolyt. Marrac. *Pur. Mariana.* Cootelor. Scipio Amirat. *Hiſtor. Florent.*

52. *Cogitaui dies antiquos, & Annos æternos in mente habui.* Pſal. 76.



NIcolaus Rodulphus Flotinus, Leonis X. R. P. ex ſorore nepos, nobiliſſimæ proſapiæ, quæ in omni virtutum genere viros protulit admirandos. Pronepotes habuit Octauium Cardinalem Rodulphum Agrigentinum Epiſcopum in Sicilia, eiuſq. fratrem Nicolaum

laum Genetalem totius Ordinis Prædicatotum. Vix Annos pubertatis egreſſus Rodulphus cum petuenit ad purpuram, adeo nobiliſiodolis, ſiue doctrinam ſpectes, ſine etuditionem, vt illius ſæculi ſplendor à Stephano Ioanninefco appelletur. Die 26. Iunii, 1517. ex Apoſtolico Protonotario Diaconus Cardinalis *SS. Viti, & Modeſti in Macello Martyrum*, qua Diaconia relicta, *S. Maria in Coſmedin*, poſtea *S. Maria in Via Lata* obtinuit. Huius aſſumptionis cum grates Leoni egiſſet Rodulphorum familia, reſpondit Leo.

*Familia Rodulphoram Florentiam. Quas mibi Ialianus Rodulphus gratias egit veſtris verbis, quòd in veſtram familiam Cardinalatum intuliſſem, Nicolaum Rodulphum ſororis mea filium in Cardinalium Collegium aſciſcendo, eamibi grata, atqae iucundà fuerunt; veſtramque id officium, atque ea animorum declaratio, quam tamen multa antea perſpectam habebamus, magna enim, & preclara documenta veſtri erga Nos amoris, & pietatis, ſummaqae obſeruantia ſapè dediſtis iucundiorem mibi eam ipſam meam nominationem, atque iudicium fecit; qaemadmodum ab ipſo Ialiano intelligetis; quo cum ſuis prolixiùs his de rebus locatus, Vndecimo Kal. Sextil, Anno quinto. Roma*

Epiſcopus plures texit eccleſias Vrbeuetanam, Viceutinam, Florentinam (quam ei Clemens VII. ad Pontificatum euectus ſibi commendatam huic Cardinali reſignauit) Foroliuienſem, Imolenſem, Viterbienſem, Salernitanam eo tempore, quo ad Salerni vaſtationem venit Ariadenus Barbatoſſa Turca, qui Euangeliſtæ Matthæi miraculo fugatus, cum ſereno Cælo magna orta repentè tempeſtas claſſem confregit: cuius memoriam grata ciuitas vſque in hodiernũ diem ſolemniter proſequitur die 27. Iunii, Deo gratias agendo. Paulum III. R. P. Viterbii, Carolum V. Imperatorem Salerni excepit; eumque repetito hoſpitio in ſua Metropolitana Florentiæ ſuſcepit Idibus Maij, 1536. Florentino ſe abdicauit Archiepiſcopatu in gratiam Andreę Bondelmontii cum regreſſu tamen, vnde mortuo Bondelmontio Florentinam iterum adminiſtrauit eccleſiam Anno 1543. vſque ad Annum 1548. quo iterum Florentinam Eccleſiam in Antonium tranſtulit Altouitum. Geminam Legationem ſubiit in Patrimonio D. Petri, & Romæ, abſente Paulo III. Eccleſias, quibus præfuit ædificiis ornauit: Balneoregii prope Viterbium, nobile extruxit palatium cum fonte de quo M. Antonius Flaminius.

*Quod ſolitus ſylais liquido pede currere in altis*
*Nunc celebro augusta regia tecta domus*
*Gratia magna tibi* Rodulphi *magne, meam in*
*Perduri montis viſcera ducis aquam.*
*Vt qui vix fueram pecori benè cognitus ante,*
*Nunc Regum Lymphis ora, manuſq. lauem.*

Palatium quoque Epiſcopale Eccleſiæ Vicentinæ, quam Annis 16. rexerat abſens, à fundamentis reſtaurauit, ornauit. Poſt eius obitum, Vicentini Canonici ad retinendum ius dignitatis antiquum, ad electionem proceſſerunt noui Epiſcopi, exciſique in partes; vna Paulum Portum, altera Simonem de Portu delegere reclamante Iulio III. qui irrita declarata electione, Angelo Bragadino Eccleſiam contulit. Vaſtata Roma à Borboniis militibus, obſes datus à Clemente VII. Hugoni Moncadæ, donec lytrum ſolueretur promiſſum. Sub Paulo III. Cancellariæ præfuit Apoſtolicæ in meliorem ſtatum redigendæ. Comitiis adfuit Hadriani VI. Clementis VII. Pauli III. quo defuncto, cum comitiis adeſſet futuri Pontificis, apoplexia correptus repentè obiit ea die, qua à concordi Senatu io ſummum Pontificem deſignatus, regnare credebat: præmonitus enim fuerat ipſe Alexander Card. Farneſius à prædefuncto Paulo III. Rodulphi procurare aſſumptionem. Humum ſubiit die 1. Februarii, 1500. in eccleſia S. Auguſtini de Vrbe.

Eius memoria inter epiſtolas Principũ, in dedicatoria Bernardini Rutilii *de Vitis I. Conſultorum*, ad Cardinalem Rodulphum: in epiſtola Sadoleti ad eundem.

Ciacon. Panuin. Vghel. Victorel. P. Manutius *in*
B *vita Coſmi*. Coatelor. Borginius *de Pp. Florent.* Petrus Corctin. *de Ep. Viterb.* Muſca *de Præſul. Salernitan.* Auber. Ioanninen. *Menar. Medicea* Florauan. Mattinel. *de Diacon S. Marię in Via lata.*

53. *Non litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna.* Eccl. 8.

C 

AVguſtinus Triuultius, patritius Mediolan. Ioannis filius Abbas B. Marię Montis Frigidi, frater duorum Archiepiſcoporum Rhegii, & Raguſiæ, huic præfuit Philippus, illi Petrus fratres. Ex cubiculario Iulii II. Protonotarius Apoſtolicus, mox Diacon. Card. *S. Hadriani* die 26. Iunii, 1517. poſtea *S. Nicolai in Carcere Tulliano* æmulus Scaramutiæ Triuultij, & agnatus, Cardinalis deſignatus à Leone X. in promotione 30. Cardinalium, certiorem fecit Scaramuciam verè vt æmulo inſultaret ſuę inſtantis promotionis nũcio à quo redargutus velle ignes excitare feſtiuos
D incendio ſuæ bibliothecæ, didicit magnos animos non eſſe prouocandos. Quamuis enim moribus, ingenio, litteris non vuulgaris, cum Scaramutia tamen Triuultio agnato ſuo, litteratum Principe certare non poterat. Ioannis Antonii Cardinalis Comenſis ex fratre nepos, Iulio II. a cubiculis gratiam inuenit coram Pontifice; à quo inter Cardinales fuiſſet aſſumptus, niſi ab obſequio Pontificis receſſiſſet propter bellum, quod gerebat Io: Iacubus

bus Triuultius nomine Lodouici XII. Gallorum Regis aduersùs Iulium; quo deſuncto, deprecante Io: Iacobo Triuultio, Leonis X. R.P. datus à cubiculis, tandem Cardinalis quamuis Pontifici, patria, ſamilia alienus, ſolo familiæ ſuæ nomine, quæ eodem tempere plures nutriebat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Abbates, Equites, caſtrorum. Præſectos, duos Cardinales, duoſque Imperatores, Gallici vnum exercitus, Veneti alterū: quorum maior pars mortem ſubiit Gallorum in caſtris, quorum in obſequium familia Triuultia non ſemel patriam, bona, domum dignitates amiſit, ſemper tamen fide conſtans, & nunquàm aliena odium ſubijt diuerſorum Principum, Leonis X. precipuè, bello indicto aduersùs Gallos; Hadriani VI. qui Augustinum carceri tradere decreuerat vnà cum Sod. Cardinali; & Clementis VII. cuius promotioni acriter Triulteius obſtiterat, vt Gallorum tunc temporis inimici. Propterea in Romanæ Vrbis ſpolio, tanquàm Gallicæ ſactioni addictus Triuultius, in obſidem expetitus ab Hiſpanis, & datus, cum Cardinalibus Piſano Veneto, & Gaddo Florentino, Neapolim ductus in carcerem; eam tenuit dignitatis maieſtatem, qua Romæ liber excellere ſolebat, malè habitus à cuſtode, & Caſtellano malens ęrumnas ſubire, quàm gradu, vel precis verbo deſcendere. Eadem ratione Paulum III. R.P. prouocauit, ingratum arguens, & ſuæ promotionis immemorem opera abſolutæ Triuultij. Hinc carceri deſtinatus in arce Hadriani, diſcrimen euaſit, in Italiam deſcendente Gallorum Rege, cuius timore Papa decreri executionem diſtulit, nō ſuſtulit. Zelotypia propterea correptus indignationis Pontificię cępit ęgrotare, Diuitiis namq. & dignitatibus impinguatus Eccleſiæ, ac Gallicæ coronæ mortuo Cardinali Comenſi, Galliæ protector declaratus ſuerat à Franciſco I, ſub Clemente VII. Campaniæ Legatus, ordinis Protector Ciſtercienſis; ſub Paulo III, Gallica legatione donatus, vltra Epiſcopatus, quos ſubierat ad ſaturitatem, Tolonenſem ſcilicet, Petragoricenſem, Maſſilienſem, Vaurenſem in Gallia; Bobienſem, Aſtenſem, Nouarienſem in agro Mediolanenſi; Rhegienſem in Calabria; Brugnatenſem in Liguria (& ſi aliquibus fides) Archiepiſcopus Mediolanenſis, Baiocenſis in Italia, regia ſchedula nominatus à Franciſco I. Compendii data, die 17. Septemb. 1531. paulo poſt eiuſdem eccleſiæ Adminiſtrator, vt ex diplomate Clementis VII.) ęgre deſcendebat.

*Clemens Papa VII. Chariſſimo in Chriſto filio Noſtro ſalutem, & Apoſtol. bened. Cum nuper Eccleſia Baiocenſis per obitum bonæ mem. Petri Epiſcopi Baiocenſis extra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtituta, ta vigore Concordatorum inter Maieſtatem tuam, & ſedem Apoſtolicam initorum, dilectum filium Noſtrum Auguſtinum S. Hadriani Diacon. Card. ad Eccleſiam ipſam, vt præfertur, uacantem, per tuas litteras nominaueris, Noſq. ad nominationem huiuſmodi eundem Auguſtinum Cardinalem, quoad uiueret, Adminiſtratorem dictę eccleſię, vt præfertur, vacantis, in ſpiritualibus, & temporalibus ... committendo, prout in eiſdem bis plenius continetur. Nos ne ſi forſan ipſum Auguſtinum Cardinalem extra regnum Franciæ, & loca tuo temporali dominio ſubiecta, & apud Sedem eandem decedere contingat, quo minus ad ipſam Eccleſiam aliam perſonam tibi gratam liberè nominare poſſis, impediri valeas, opportunè prouidere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia Maieſtati tuæ, ut ad Eccleſiam ipſam cum adminiſtratione ipſa per deſceſſum ipſius Auguſtini Cardinalis, extra Regnum, & loca tua prædicta, & apud ſedem huiuſmodi ceſſante uacare contigerit, aliam perſonam idoneam nobis, aut Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, & dictæ ſedi alium iuxta Concordata prædicta nominare*

A *liberè, & licitè valeas; perinde ac ſi idem Auguſtinus in regno, aut dominijs prædictis deceſſiſſet, authoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, plenamque, & liberam facultatem concedimus, prouiſiones, & quaſuis diſpoſitiones de dicta Eccleſia, ut præfertur, vacante, abſq. nominatione tua quomodolibet factas, nullas, & inualidas exiſtere, nulliuſque roboris, vel momenti eſſe decernentes, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non concordatis prædictis, quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alijs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque. Datum Romę, apud*

B *S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 13. Octobris 1531. Pontificatus Noſtri Anno Octauo.*

Tantis ſuffultus diuitijs, & dignitatibus etiam ad Papatum animum adiecit, Pauli III. perpenſa ſenectute, cuius poſt mortem iam imminentem, de Gallorum votis ſecurus, nonnullis etiam Hiſpanorum, Italorumq. ſibi munere, pecunia mutua, beneficiis, officio ſibi conciliatis, iam ſine competitore ſperabat aſcendere cathedram Petri; donec Romam adueniente Cardinali Lotharingo, nomine Henrici II, pro ſędere ineundo, & ab eodem certior ſactus, prohibente Papa, arcana ei minimè communicanda, nouo peritus morbo, ex animi do-

C lore contabuit, præſertim cum cognouit Gallos in futuro Conclaui, ei non eſſe ſuffragaturos, inutilem Galliæ recenſentes Triuultii promotionem, eiq. damnoſam; quòd ob eius ſenectutem ſi aſſumeretur, in Galliam vix reſtituti, Romam illicò cogerentur redire. Morti proximus, agnatis quaſi cogentibus, ſignauit tabulas Teſtamenti, ſed inutiliter; eius namque diuitiæ in ſpolium ceſſere Pontificis ęmulo, & ſibi odioſo, cuius mortem tantoperè concupierat, quaſi de Regno ſecurus. Eccleſias ſuas rogatus ab affinibus reſignare & amicis, ſemper recuſauerat ſperans, earum eſca, ad ſe trahere pauperes Cardinales: quamuis ęqui bonique ſpetie

D reſponderet; nolle eos diuitijs perdere; cum vexatio det intellectum; & ſemita virtutis ſit paupertas. Morienti ſpes etiam commortua remunerationis erga familiam, anguſtijs, & paupertate afflictam: eam namque neq. Eccleſia, neq. Gallica Corona amplios reſpexit. Vitam deſeruit pridie Kal. April. vel 13. Cal. April. 1548. Romæ, in ęde ſepultus S. Mariæ de Populo ad portam Flaminiam, ſepulchro humili, & incongruo tanti nominis Cardinali.

*Magnus Patruis*
*Ioanni Antonio Ab Alexandro VI.*
*Auguſtino à Leone X,*
*Card. Ampliſſ,*
*Theodorus Card. Triuultius MDCLIV,*

Ex ditiſſimis ſpolijs, quæ Paulus III. occupauit, aulęa pretioſa circa Annum 1620. adhuc in Vaticano conſpiciebantur.

Cæterum Cardinalis humanitate excellens ſingulari, ſapientia, prudentia, grauitate, eloquentia inter Patres ita refulſit, vt adhue eius dicta inter Monita recurrant Politica, Excitatus à familiari, ambienti Pontificatum opus eſſe, pauperes palpare Cardinales, reſpondit; *Iſti in ſuffragationem deſcendunt Aquarum innundatione, & veluti riuuli flumine innundante maiore.* (ita Garimb, p. 284.) eorum ſcilicet exemplo, qui gregem dirigunt. Plura de eodem leges apud eundem. Amicos habuit laudatores Bembum, Sadoletum, Io: Bap. Flauium, qui ei vitam dicauit clariſſimi Cardinalis Thomæ de Vio. Inquire litteras ad eum datas à Bembo, & Sadoleto; Ioanne Guidieciono, Franciſco Guicciardino, Io: Matthæo Giberto Datario,

Hiſtoriam ſcripſit Romanorum Pontificum, & Cardinalium, quam morte præuentus typis dare non valuit. *Omnium* (inquit Panuinius) *qui in hac parte deſudarunt, ſine controuerſia princeps fuit Auguſtinus Triuultius Mediolanenſis, Diac. Card. S. Hadriani, qui indefatigabili propemodum ſtudio per uniuerſas Italię, Galliarum, Hiſpanię, & Germaniæ urbes diligentiſſime omnia, quæ ad hiſtoriam Romanorum Pontificum, & Cardinalium pertinent, conquiſiuit, & magnis propoſitis præmijs conquiri fecit; cuius in eam rem egregio & laudabili labore præcipuus, & perpetuus comes extitit Antonius Lelius, eius ni fallor Secretarius; quorum lucubrationibus, & uigilijs præcipuè uſus ſum in ea Romanorum Pontif. & Cardinalium parte, quæ eſt ab Vrbano VI. ad Paulum IV.*

Ciaconius, Panuinius, Contelorius, Franciſcus Aug. *hiſtor. Pedem*, Vghellus, Victorellus, Ludouic. Iacob à S. Carolo *in Biblioth. Pontif.* Nomenclator.

50. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Pſal. 18.



FRanciſcus Piſanus patritius Venetus Franciſci Aloyſij D. Marci Procuratoris filius, vir natura diſertus, pius, integer, litteris etiam ſufficienter ornatus, inſtante Leonardo Lauredano eiuſdem Reipub. Principe, ex Apoſtolico Protonotario abſens Diaconus Card. aſſumitur *S. Theodori*, die 26. Iunii, 1517. poſtea *S. Agatha*, inde *S. Marię in Coſmedin*, demum *S. Mariæ in Porticu*, mox Presb. Card. tit. *S. Marci*. Epiſcopus plures rexit Eccleſias Albanam, Tuſculanam, Portuenſem, Oſtienſem, Patauinam, Taruiſinam, Ciuitatis Nouæ ſeu Æmonenſem. Patauii, magna ex parte Cathedralem opere ſumptuoſo refecit, exornauitq. Epiſcopatum, volens etiam eccleſiam totam abſoluere, quod non fecit morte præuentus. Plura de eius laudibus contexuit Antonius Porcellinus doctor, & eques orationibus, quas habuit coram eo in aula Pontificum, Patauii, Clementi VII. in Hadriani mole obſeſſo, fidus Achates, & comes tribulationis perpetuus, pro eodem obſes in arce Neapolitana annum exegit cum dimidio. Patriæ ſuę dilectiſſimus filius, eum armis Turcarum vidit impetitam leuauit, quantum valuit donatis quatuor millibus Aureorum. Die natalis ſui conuiuium cum exhibuiſſet Cardinalibus Collegis, in ędibus S. Marci, Syluius interfuit Antonius Annum agens ętatis vndecimum, & octonis verſibus Italicis, ſingulorum Cardinalium laudes perſtringens, Ioanni Angelo Mediceo Cardinali Triregnum vaticinio nunciauit. Archiepiſcopus Narbonenſis, & Primus Concilium celebrauit in prouincia Narbonenſi, menſe Decembri, An. 1551. Præſide Alexandro de Zerbinetis, impreſſumq. legitur Anno 1646: Pariſijs, opera Ludouici Odeſpum.

De hoc Cardinali refert Vghellus *in Ep. Patauinis*, callido quodam conſilio Apoſtolicam penè ad ſedem promotum fuiſſe. Cum enim Aloyſius Cardinalis nepos in Conclaui, pro nouo creando Pontifice coacto, ſingulos Cardinales ſeorſim, ac clanculum præhenſaſſet, exoraſſetq. vt honoris ergo, & ad lætitiam quamdam effęti ſenis, eo die vellent conferre ſuffragium, minime repulſus abiens, tot ſuffragia fide obtrinxerat, quot viderentur electioni ſufficere. Res proculdubie vt in votis, eueniſſet; niſi eiuſdem Aloyſii nimis anhela ſolertia conſilium diſcuſſiſſet. Ab vno enim primum, & altero, mox à pluribus, ita in omnibus mirabili celeritate præcurrit; vt ad fraudem ſimul omnes torpere, ſimulq. omnes calliditatem riſu excipere viderentur.

Ætate grandęuus; morbo laborans articulari, nuncio de Aloyſii Cardinalis nepotis morte recepto, animi dolore confectus, die Lunæ, 3. Cal. Iulii, 1570. Romæ occubuit, in ædibus S. Marci, ad maiorem portam, nobiliſſimo exceptus ſepulchro, cum inſcriptione,

*D. O. M.*

*Franciſco Piſano Card. Ep. Oſtienſi, uiro antiquæ probitatis, ac innocentia Heredes poſuere ex teſtamento Vixit An. LXXVI. Obijt 3. Cal. Iulij* 1570.

De eo Ianus Vitalis.

*Ille uides, grauitas cui plurima regnat in ore*
*Cui frons eſt mentis perpes imago ſuæ,*
*Poſtremò primus; qui lenis in ordine Patrum*
*Oſtentat Veneta nobilitatis opes.*
*Ille eſt, cui multum ueneranda modeſtia debet,*
*Cui multum Charites, ingenuuſq. pudor.*
*Pontificem ille etiam ſummum dat honore Tiaræ,*
*Et lateri aſſiſtit ſedulus ante alios.*
*Et quamuis Piſęa domus nitet alta trophæis*
*Nuſquam ullum tanto Principe maius habet.*

Cia-

Ciaconius. Panuin. Vghel. Victorellus. Conrelorius. P. Bembus. Auberii. Aretinus *in litteris*. Io: Chænu. *de Ep. Gallia*. Claud. Rober.

55. *Perde pecuniam propter & amicum tuum: & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.* Eccl. 19.



ALphonſus Infans Portugalliæ, Emanuelis Regis, ex Maria Ferdinandi Regis Caſtellæ filia ſextogenitus, die 23 April. 1509. octauo ætatis ſuæ Anno, à Leone X. die 26. Iunij, 1517. abſens Diaconus Cardinalis dicitur *S. Luciæ in Septiſolio*, poſtea *S. Blaſij*, ea conditione, vt Cardinalis non haberetur, niſi ad Annum ætatis XIV. perueniſſet. Eius pater Emmanuel tropha Indiæ à ſe ſubactæ Leoni miſit R. P. inter quæ Elephantem turrito inſignem ephippio, aureaq. ſtragula homines ferentem, paſſus ad tibiarum ſonum moderantem, ac Principem geſtu quodam venerantem.

Fuit Alphonſus Princeps religioſiſſimus, litterarum, litteratorumq. omnium maximè fautor, & Mecenas, qui magnanimitate, clementia, munificentia certauit cum omnibus Terræ Principibus. Ab eo triſtis nemo vnquam diſceſſit. Auctoritatem augens famulitii nobilitate, cultu domus, miſericordia in pauperes, verè *Rex hominum, Phœbique Sacerdos* inter Epiſcopos optimus, inter Reges clariſſimus D quæſiuit ſollicitus Religionis augmentum, & obſeruantiam ſine ſtrepitu, abſq. gladio, ſolo verbo, & exemplo. Illius inuentum fuit, Chriſtianam doctrinam quotidie pueris in eccleſia tradere: & eorum nomina, qui ſacro fonte lauantur, eorum etiam, qui ſuſcepiſſent, libro inſcribi. Antiſtitis officium tanti fecit; vt ipſe ſacerdotii munera exerceret aſſiduè,
A ſacri Baptiſmatis fonte pueros ipſemet lauando, pænitentium expiationes frequenter audiēdo; Euchariſtiæ ſacramentum ægrotis per vrbem miniſtrando. Cardinalis Bembus Nonis Aprilis 1540. epiſtola eum ſollicitauit eleganti Romam aſcendere; quòd in Cardinalium Senatum adſcitus, viginti iam Annos abſens fuiſſet; eiuſdemq. deſiderio maximo tenerentur Pontifex, & Cardinales. Epiſcopus plures
B rexit eccleſias in Luſitania Vlyſſiponenſem, Tangitanam, quam Anno obtinuit ætatis ſuæ 24. Viuenſem, Eborenſem, Equinatenſem. Abbas præfuit cœnobio Alcobatienſi ordinis Ciſtercienſis, Obiit Vlyſſipone, die 21. April. 1540. ætatis ſuæ trigeſimo primo, ſepultus in fano Bethlemitico ab eius genitore constructo; vel in eccleſia principe Vlyſſiponenſi, in ſacello S. Vincentii.
C Habuit pro Symbolo apud Iacobum Typotium, pedum, vel ſcipionem certo loco fixum; ſub lemmate, *Vt nihil iuuat*. Quis ille? Spes in Deum, hinc enim vt cætera deficiant, facit quæ rogatur, imò ſupplicia ſæpè noſtra placabilitate, & gratia anteuertit: ſi ex re noſtra eſt, cuius cauſa & nos ipſi, & alios fatigamus.

Ciaconius. Panuin. Genebrardus. Auberii. Morellius. Gaſpar Iongel. *in purpura D. Bernardi*, Conrelorius. Victorel. Io: Caramuel *in Philippo Prud.*

## Vice Cancellarij S. R. E.

SIxtus Gara de Ruuere P. C. tit. S. Petri ad Vincula ab Anno 1. vſque ad 4.

IVlius Medices P. C. tit. S. Clementis ab Anno quarto, vſq. ad finem Pontificatus.

HADRIA-

# HADRIANVS VI. R. P. CCXX.

HAdrianus VI. Electus die 5. Idus Ianuarii An. 1521. Obiit Idibus Septemb. 1523. Eius adfuere comitijs.

## Epiſcopi Cardinales ex Alex. VI. & Iul. II.

1. Bernardinus Caruaial Hiſpanus Patriar. Hieroſolymitanus, & Oſtienſis, Decanus Epiſcop. Card. S. Crucis.
2. Dominicus Grimanus Venetus, Ep. C. Portuenſis, Patriar. Aquileienſis, Card. S. Marci.
3. Franciſcus Soderinu, Florentin; Ep. Volaterran. Ep. Card. Præneſt. dictus Volaterranus.
4. Nicolaus de Fliſco Genuenſis, Archiep. Rauennas, Ep. Card. Sabinus.

A 5. Alexander de Farneſio Romanus, Epiſc. Parmenſis, Ep. Tuſculanus.

Ex Iul. II. & Leone X.

6. Antonius de Monte Sancti Sabini, Aretinus, Tuſcus, Ep. Card. Albanus.

## Presbyteri Cardinales ex Iulio II.

7. Matthęus Sciener Heluetius, Epiſc. Sedunenſis, P. C. S. Pudentianæ, tit. Paſtoris.
8. Petrus de Accoltis Aretinus, Epiſc. Anconitan. P. C. tit. S. Euſebij.
9. Achilles de Craſſis Bononien. Epiſc. Bononienſis P. C. tit. S. Mariæ Tranſtyberim.

Ex Leone X.

10. Laurentius Puccius Florentin. Epiſc. Piſtorienſis, P. C. tit. SS. Quatuor Coronat. Maior Pænitentiarius.
11. Iulius Medices, ciuis, & electus Archiep. Florentin. P. C. tit. S. Lauren. in Damaſo V. Cancellarius.
12. Ioannes Piccolomineus ciuis, & Archiep. Senenſis P. C. tit. S. Balbinæ.
13. Ioannes Dominicus de Cupis Romanus, Archiep. Tranen. P. C. tit. S. Ioannis ante Portam Latinam.
14. Raphael Petruccius Senen. Epiſc. Groſſetanus, P. C. tit. SS. Gabinij, & Suſannæ.
15. Andreas de Valle Romanus, Epiſc. Militenſis, P. C. tit. SS. Aquilæ, & Priſcæ.
16. Bonifacius Ferrarius Vercellen. Epiſc. Eporedien. P. C. tit. SS. Nerei, & Achillei.
17. Io: Bap. Pallauicinus Genuen. Epiſc. Cauallicen. P. C. tit. S. Appollinar.

B 18. Scaramucia Triuultius Mediolan. Epiſc. Comenſis P. C. tit. S. Cyriaci in Thermis.

19. Pompeius Columna Domicellus Rom. Epiſc. Reatinus P. C. tit. SS. XII. Apoſtolor.
20. Dominicus Iacobatius Rom. Epiſc. Nucerin. P. C. tit. S. Clementis.
21. Laurentius Campegius Bonon. Epiſc. Feltrens. P. C. tit. S. Anaſtaſiæ.
22. Ferdinandus Ponzettus Neapolit. Epiſc. Melphiten. P. C. tit. S. Pancratij.

C 23. Guillelmus Raymundus de Vicos, Hiſpan. Valent. P. C. tit. S. Marcelli.

24. Syluius Paſſerinus Cortonen. P. C. tit. S. Laurentii in Lucina.
25. Franciſcus Armellinus Peruſinus P. C. tit. S Calliſti Camerarius.
26. Fr. Thomas de Vio Caietan. Ordin. Prædicat. Archiep. Salernitan. P. C. tit. S. Sixti.
27. Fr. Chriſtophorus Humalius, Ord. Minor. Archiep..... P. C. tit. S. Mariæ de Aracęli Foroliuienſis.

D 28. Fr. Ægidius Viterbienſis Ord. Eremitar. Epiſc. Viterbien. P. C. tit. S. Matthęi.

## Diaconi Cardinales.

Ex Alex. VI.

29. Marcus Cornelius Venetus, Diac. Card. S. Mariæ in Via Lata, electus Ep. Veronen. S. R. E. Archidiac.

Ex Iulio II.

30. Sigiſmundus Gonzaga, ciuis, & electus Epiſc. Mantuan. D. C. S. Mariæ Nouæ.

Ex Leone X.

31. Innocentius Cybo Genuen. D. C.S. Marię Virginis in Dominica.
32. Franciortus Vrſinus Rom. Domicellus, D. C. S. Mariæ in Coſmedin.
33. Paulus de Cæſis Rom. D. C. S. Euſtachij, iuxta templum Agrippæ.
34. Alexander Cæſarinus Romanus D. C. SS. Sergij, & Bacchi.
35. Ioannes Saluiatus Florentin. D. C. SS. Coſmę, & Damiani.
36. Nicolaus Rodulphus Florentin. D. C. SS. Viti, & Modeſti in macello Mar.
37. Hercules Comes de Rangonibus Mutinen. D. C. S. Agathæ in Suburra.
38. Auguſtinus Triuultius Mediolanen. D. C. S. Chriſti Martyris Hadriani.
39. Franciſcus de Piſanis Venetus, electus Epiſc. Patauin. D. C. S. Theodori.

## Cardinales in hac electione abſentes.

Ex Iulio II.

40. Franciſcus Gulielmus de Claromonte, Gallus, Archiep. Narbonen. P. C. tit. S. Stephani in Cœlio Monte.
41. Matthęus Langius Germanus electus Gureen. & Coadiutor Salzburgenſis D. C. S. Angeli.

Ex Leone X.

42. Hadrianus Boiſiuius, Epiſc. Conſtantien. Gallus P. C. tit. SS. Petri, & Marcellini.

A

43. Hadrianus Florentii Traiecten. Germanus Epiſc. Dertuſen. P. C. tit. SS. Io: & Pauli. Papa fururus.
44. Ludouicus de Borbonio Gallus, Epiſc. Laudonien. P. C. S. Silueſtri in Campo Martio.
45. Albertus Brandeburgen. German. Archiep. Moguntin. P. C. tit. S. Petri ad Vincula.
46. Heradus Marcha, Epiſc. Leodien. German. P. C. tit. S. Chryſogoni.
47. Alphonſus Infans Portugalliæ Regis filius, D. C. S. Luciæ in Septiſollio.
48. Thomas Vulcer, Anglus Archiep. Eboracen. Presb. Card. S. Cæciliæ.

B

## Cardinales ab eo creati.

1. *Et poſuit eum in monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus erat.* Io: 11.



Vilhelmus Enckenuoirtius Brabārinus patria Traiectenſis vel Sylnæducenſis, Hadriani VI. R. P. comes indiuiduus, ex Canonico Sylųęducenſi Datarius, & Epiſcopus Dertuſenſis, quem ipſe rexerat Hadrianus, Presbyteris Cardinalibus adſcribitur die Iouis X. Septemb. 1523. Romę, in Vaticano *tit. SS. Io: & Pauli*, aliàs *Pammachij* cum Hadrianus graui morbo correptus, vocatis in Congregationem Cardinalibus, Vvilhelmum de ſe, de Chriſtiana meritum Rep. eodem titulo, quo ipſe fuerat inſignitus, Cardinalem publicauit; quem poſtea Clemens VII. Traiectenſem in inferioris Germaniæ Epiſcopum promouit; vnde Cardinalis *Traiectenſis* eſt appellatus. Mortuo Hadriano, curauit Vvilhelmus grati animi liberalitate ſepulchrum Pontifici erigi ſignis marmoreis, quod in eccleſia S. Mariæ de Anima, ad Circum Flaminium inter vrbis ornamenta alta mole ſupereminet. Sua etiā auctoritate Paulum Iouium impulit ad ſcribendam Hadriani vitam, quam Iouius eidem Cardinali ſequentibus dicauit. *Mouit me praeclara quadam ęmulatione gratiſſimi animi tui ſtudium Vuilhelme Cardin. ampliſſime, vt Hadriani VI. memoriam litterarum beneficio ad poſteros quam longiſſime proferrem. Nam tametſi magnis opibus, & liberalitate* C *pene incredibili ſepulchrum marmoreis ſignis inter cætera Vrbis ornamenta conſpicuum, ſanctiſſimi Viri cineribus operoſa perſolueris; id tamen ad ęternitatem, quam quiſque optimus pro gloria auidiſſimè ſemper ſpectauit, nequaquam firmiſſimum erit, & maximè diuturnum; quod vel elaborata, excelſaq. artificum opera vti fortuna, atq. innumeris inuidiæ caſibus ſubiecta, vel vna nec longi quidem temporis iniuria celerrimè conſumantur. Itaque & meo vetere decreto, & tua præſertim auctoritate impulſus non inutiandum tibi fore putaui, ſi ad dignitatem ſumptuoſi operis, fidelis etiam hiſtoria, & litterarum honos* D *opinione mea facilè ſempiternus adderetur. Scilicet vt poſteri diffuſè intelligant: quantum Hadrianus VI. virtute animi, pietateq. in omni fortuna præſtiterit. Nec è titulo tantum marmoribus inciſo, ſed è perpetuis actionum omnium annalibus Chriſtianæ vitæ exempla ſacratis præſertim hominibus petantur: & hercle deſiderio, votoq. tuo dignum videtur, vt optimi viri nomen non in Vrbe tantum legatur, incluſum ſcilicet anguſtiis vnius ędiculæ ſpatijs, verùm etiam vbique terrarum latina voce celebretur.*

*tur. Hetas autem publici beneficij laus opud te aliquantò, quàm apud auctorem verior, & cumulatior erit; cum imperoſſe ſcripturo maius ſit, atq. praeclarius, quàm iubenti, liberaliq. animi magnitudine flagitanti, me nequaquam grauatè, vel infeliciter obſecutum fuiſſe. Sic enim turbidioris ſeculi mores ferunt, ut ditiſſimus quiſque laudari, effingique litteris ineptum, & abſurdum putet, quorndo ipſum ſcribenda facere, & benigna manu excitare ingenia oporteat.* Et paulò poſt. *Nec mirum eſt, ſi exiſtimaris optime Vuilhelme, inter multos bonarum litterarum praecipuus, & liberalis æſtimator; decurriſti enim felici paſſu per omnes fortunæ gradus, ut in hunc ſummi prope honoris ſedem proueherere, cum tibi abineunte ætate perpetua adeſſent uirtutes, innocentia, modeſtia, fides. Adieciſti demum pietatem, quæ eſt una omnium uirtus ſenatore Sacerdote digniſſima: hac enim multos diuitijs, atq. natalibus florentes facilè ſuperas, & cum priſcæ ætatis optimis Cardinalibus certiſſima cum laude contendis. Studia porrò tua plena officioſę humanitatis, moderationis, atque Iuſtitia in Senatu, in Vrbe, totaq. Italia, atque Germania nudantur, ut cum neminem omninò ambitioſè colas, vel aſtutè captes, vel malignè circumſcribas, hic ipſe, quo emines, pilei purpuraque honos merito tuo inferior habeatur. Ob id fere nemo eſt in Vrbe bonus, & ſtudioſus, qui tibi fortunas ampliſſimas, & in hac viridi, venerabiliq. ouanitie ſeram, feliceemque ſenectam non optet. Miſeri etiam, quorum ſanctiſſimæ ſunt precationes, pro tua ſalute vota ſuſcipiunt, utpote quos vel dirior egeſtas oppreſſerit, vel atrocior, & ſædior afflixerit morbus, vel immitis fortuna iactauerit; & hoc loco anus, ac fæminas libet, quas profligato quondam pudore, nunc demum ab honeſti decoris cura, religionis amor abdicatis voluptatibus, intra pudicitiæ ſepta concluſit; ex enim ſuppliciter vitam, & dignitatem tuam ſæpe commendant, quoniam his omnibus alendis, fouendiſq. pia, liberali, opportunaq. manu ſemper occurris. Et id quidem iucundiore, & clariore cum laude, quod cum tibi uni, qui aurea, & verè beata mediocritate delectaris, ſis frugi, moderatus, & diligens; erga hos demum veluti contemptis opibus, pietate ſingularis profuſiſſimus habearis, &c.*

Comitijs adfuit Clementis VII. cuius paulò ante aſſumptionem creatus fuerat Cardinalis ab Hadriano VI. Inde in Germaniam reuocatus à Carolo V. ob Religionis diſſidia, vt ſua prudentia aduersùs Lutheri libidinem vigilaret ſuper gregem ſuum. Magni namq. eum faciebat Imperator ob ſingularem doctrinam cum magna pietate, & religione coniunctam, quæ eſt vna omnium virtus Senatore Sacerdote digniſſima. Hac enim multos diuitiis, atq. natalibus florentes facilè ſuperabat, & cum priſcæ ętatis Cardinalibus certiſſima cum laude contendebat. Studia porrò plena officioſę humanitatis, moderationis, atque iuſtitiæ ita in Senatu, in Vrbe, totaq. Italia, atque Germania patuerunt, vt neminem omnino ambitioſè coleret, vel aſtutè captaret, vel malignè circumſcriberet, vt ipſe pilei, purpuręq. honos merito eiuſdem inferior haberetur. Ob id ferè nemo fuit in Vrbe bonus, & ſtudioſus, qui illi fortunas ampliſſimas, & ſeram, felicemq. ſenectam non optarit. Pauperibus alendis, fouendiſq. pia, liberali, oportunaque manu ſemper occurrit. Et id quidem iucundiore & clariore cum laude, quod ſibi ſoli, qui aurea, & verè beata mediocritate delectatus ſit, frugi fuerit moderatus, & diligens: erga pauperes verò veluti contemptis opibus, pietate ſingulari profuſiſſimus. Romam cum rediiſſet Anno 1534. vt Romanos Patres penè dormientes excitaret contra Lutherum (qui maiorem Orbis partem carnis licentia deturpauerat) morbo tentatus, vitam poſuit die 30. Iunii, vel Iulii, An. 1534. ſepultus ad S. Mariam de Anima, cum epitaphio.

*Vuilhelmo Enchenuuoertio Brabantino S. R. E. Presb. Card. qui plurimis Rom. Reip. Magiſtratib. & Germaniæ procuratione integerr. functus ab Hadriano VI. Pont. Max. cuius item res adminiſtrauerat Libellis dandis, & Eccl. Dertuſen. Præfectus & in Card. Collegium claro beneuolentiæ indicio tranſlatis in eum priſtinæ ſuæ Dignitat. inſignib. ſolus cooptatus. Deinde etiam à Clem. VII. Eccl. Traiecten. honeſtatus eſt. Carolo V. Imp. Libentiſſ. quem ab illo coronam Imp. accipientem inunxit, quippe beneficiorum memor Hadriani Cadauer è Petri Baſilica, in hanc Ædem, cuius conſtruend. & ornand. adiutor fuit ſepulchro poſito transferri curauit. In egenos, & in omnes homines beneficentiſſ. Io. Dominicus Tranen. Antonius Sanſeuerinus Cardinales & P. Voſtius Epiſc. Aquen.*

*And. Caſtello Script. Ap. ex Teſtamen. pos.*

*Vixit Annos LXX. Mortem obijt MDXXXIIII.*

Ciaconius. Panuin. Vghel. Contelor. Auber. Sanderus *in elog.* Victorel.

## Vice Cancellarij S. R. E.

IVlius Medices P. C. tit. S. Laur. in Damaſo, à principio vſque ad finem Pontificatus.

# Finis Secundi Voluminis.

# Index R. Pontifici, in hoc Tomo II.


| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Vrbanus V. P. P. | 200. | pag. 1. | Callixtus. III. | 211. | 291. |
| Greg. XI. | 201. | 18. | Pius. II. | 212. | 301. |
| Vrbanus. VI. | 202. | 39. | Paulus. II. | 213. | 333. |
| Bonifac. IX. | 203. | 109. | Sixtus. IV. | 214. | 350. |
| Innoc. VII. | 204. | 115. | Innocent. VIII. | 215. | 429. |
| Greg. XII. | 205. | 143. | Alex. VI. | 216. | 451. |
| Alex. V. | 206. | 157. | Pius. III. | 217. | 515. |
| Io: XXIII. | 207. | 159. | Iulius. II. | 218. | 517. |
| Martinus. V. | 208. | 181. | Leo. X. | 219. | 584. |
| Eugenius. IV. | 209. | 215. | Hadrianus VI. | 220. | 721. |
| Nicolaus. V. | 210. | 277. | | | |


# Index Pſeudopontificum in Tomo II.


Clemens Antipapa VIII. 215.